UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm Tomus ...

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

urn:nbn:de:hbz:466:1-82982

Visual Library



Th. 887a.

C VII
9

R. P.
THEMŁOD
ziarowski
Tom 3. e 4.
D. VI
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.
THEMLOD
Zianowski
Tom 3. et 4.
D. VI
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI

ET DE

EUCHARISTIA, INSERTA EST ET DISPUTATIO DE POTENTIA OBEDIENTIALI

R. P. THOMÆ MŁODZIANOWSKI,
POLONI SOCIETATIS JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

THOMÆ MŁODZIANOWSKI
POLONI, SOCIETATIS JESU,

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARVM

TOMUS QUARTUS

DE

SACRAMENTIS IN COMMUNI, EUCHARISTIA ET POENITENTIA,

EDITIO SECUNDA

AVCTIOR ET CORRECTIOR.

Cum Gratia & Privilegio S. R. M. Poloniæ ſpeciali ad quindecim annos.



MOGUNTIÆ ET DANTISCI
Apud SIMONES BECKENSTEINIOS.

Anno M DC LXXXII.

P
MLOD
WSKI
3.e14.
VI

MAGNO SACRAMENTO
ET VIRGINI ET MATRI
DE
SACRAMENTIS.
BAPTISATÆ, ET AB ORIGINALI
NON ABLUTÆ,
DE
BAPTISMO.
STANTI (quod firmitatis est) SUB CRUCE,
DE
CONFIRMATIONE.
PRIMO CORPORIS ET SANGUINIS
DOMINI TABERNACULO,
DE
EUCHARISTIA.
ARÆ COELI,
DE
MISSA.
VOTO, FILIUM IMMOLANTI,
DE
ORDINE.
UNCTÆ PRÆ CONSORTIBUS,
DE
EXTREMA UNCTIONE.
PRÆLECTIONES THEOLOGICAS

Finiebat

Mancipium suum

T. M. S. J.

APPROBATIO.

SAcramentum quo teneor, magno frangerem Amico; si hos Theologicos De Sacramentis Tractatus, A. R. Patris Thomæ Młodzianowski, in Collegio Posnanienſi Societatis Jeſu, olim S. Theologiæ Profeſſoris, ſuo digniſſimos non agnoſcerem Authore, quos partu Polono editos, non ſolùm ad domeſticorum & privatorum, ſed etiam ad exterorum publicos (magnâ cum utilitate & commodo Theologiæ Scholaſticæ) uſus, transmittet etiam ſeræ poſteritati, ingeniorum non infœcunda parens Polonia. In quo multùm me animat ipſum Eucharistiæ animatum Sacramentum, cum in eo deſiiſſet Author: plura nihilominùs ſe daturum in Materiis, quoad praxim Sacramentorum, promittens. Quare ut imprimantur non interituri, facultate mihi à Perilluſtri & Reverendiſſimo Officio Generali Poſnanienſi conceſsâ, permitto. Datum Poſnaniæ die 22. Menſis Julii. Anno 1674.

STEPHANUS MORESKI, S. T. D.
Canonicus Cathedralis, & D. Mariæ Magdalenæ Præpoſitus Poſnanienſis.

HYACINTHUS KOCZOWSKI,
PRÆPOSITUS PROVINCIALIS
SOCIETATIS JESU PER POLONIAM.

CUm Prælectiones Theologicas De Sacramentis, & Eucharistia Patris Thomæ Młodzianowski, Noſtræ Societatis in Collegio Poſnanienſi olim Theologiæ Profeſſoris, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate Nobis facta à Reverendo Patre Noſtro Joanne Paulo Oliva, præfatæ Societatis Generali Præpoſito, facultatem concedimus, ut typis mandentur; ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei teſtimonium has literas manu noſtra firmatas, Sigilloq; noſtro munitas damus. Poſnaniæ 16. Junii 1674.

HYACINTHUS KOCZOWSKI,
Præpoſitus Provincialis Societatis JESU
per Poloniam mppr.

TRACTA-

TRACTATUS I.

De Sacramentis in Communi.

NOmini Græco Mysterium, respondet Latinum, Sacramentum, quod licèt plures habeat significationes, nihilominus prout hîc de illo, sumitur pro Signo rei sacræ & absconditæ. In quo etiam sensu, adhibuit idem nomen Apostolus, ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Et hæc quoad quid vocis, quoad quid rei, sit

DISPUTATIO I.

De Constitutivis Intrinsecis & Essentia Sacramentorum in Communi.

CUm Essentia uniuscujusq; rei, vel secundùm prædicata Metaphysica, hoc est, genus & differentiam; vel secundùm prædicata physica, hoc est, materiam & formam pensari debeat, idem in præsenti servandum, præmissa prius discussione, quid sit constitutivum intrinsecum rei. De quo puncto vide aliàs dicta in Metaphysica de distinctione connotativa, & in Logica, de Relatione, & in Materia de Pœnitentia, ubi quæritur: An peccata sint pars constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ, & infra disp. 2. q. 3. D. 3. p. 2. & 3.

QUÆSTIO I.

De Constitutivis Intrinsecis Rei ut sic.

TRactabimus quæstionem cæteroqui juris Philosophici, à Theologis tamen ad hanc materiam, deductam, ut videre est apud Lugo hic disp. 2. Sect. 7. apud Perez disp. 2. apud DiCast. disp. 1. dub. 5, 19. & aliâs, apud Etparza. q. 6. & alibi. Difficultas in hoc est, quænam sit regula dignoscendi, quòd hoc sit pars, quòd sit constitutivum formaliter & intrinsecè.

PRÆMITTO Primò. *Differentiam partis à non parte, non posse haberi à mera importatione in Recto & Obliquo*; ita, ut illud dicatur pars, quod dicitur in Recto, illud non pars, quod dicitur in Obliquo.

RATIO: Tum quia Rectum & Obliquum sunt actus intellectûs, in tali vel tali casu, Nomen aliquod ponentis; esse autem partem, est quid reale, physicum, independens à nostris conceptibus. Tum quia rectum & obliquum, sunt de linea Dici, prius autem est esse, quàm dici, adeòq; prius erit esse partem, quam dici in Recto & Obliquo, de hoc ergo quæritur, quid sit istud Esse partem. Tum quia potest idem, quod est manifestè pars, nunc poni in recto, nunc poni in obliqno; ergo ex precisa ratione Recti & Obliqui, id non rectè colligitur. Nam ly homo, dicit pro parte Corpus humanum, animam rationalem, eorum unionem, quæ omnia in Recto dicuntur, & sunt Pars; paries autem albus, componitnr indubiè in ratione albi, albedine, & tamen albedo dicitur in obliquo, paries enim dicitur albus scilicet paries habens albedinem; en albedinem in obliquo positam.

Quod si recurras ad rectum & obliquum Objectivum, id etiam non convincet. Tum quia danda erit regula, quid deposcat esse rectum Objectivum, & quid obliquum Objectivum, consequenter cur competat albedini rectum Objectivum, cùm formale rectum non illi competat, importatur enim nonnisi in obliquo à pariete albo, & si competit illi formale obliquum, deberet competere etiam objectivum obliquum, ut ita proportionentur inter se esse Formale & Objectivum, adeoque deberet illi competere. Non esse partem, cum per te pars, stet recto Objectivo. Tum quia quærere restabit, cur obliquum Objectivum, non possit con-

venire parti; & si potest convenire; ergo obliquum Objectivum, non est distinctivum partis à non parte. Tum quia redeunt rationes factæ, nam rectum & obliquum etiam objectivum, sunt per ordinem ad intentiones nostras, priùs autem ordine ad intentiones nostras, est ratio partis, tanquam ratio in se.

Præmitto Secundò. *Quod in explicatione distinctionis Partis à non parte, recursus ad obliquum ab aliis talis fiat*; tunc denominatio formaliter & constitutivè includit, inquiunt, Obliquum, quando illa non potest affirmari de recto, non affirmato obliquo; tunc autem includit purè connotativè, quando non potest ut tale concipi, non concepto illo obliquo, potest tamen affirmari non affirmato ipso obliquo; hinc possum velle ut Petrus agnoscat & sciat suum peccatum, quin peccatum amem, non verò quin amem scientiam ipsam: ita possum affirmare Petrum scire peccatum, quin affirmem peccatum, non tamen quin affirmem Scientiam peccati inesse Petro. *Hic etiam recursus*

Non Satisfacit. Tum quia priùs est esse partem, & posteriùs affirmabilem esse, cum affirmatio sequatur esse, per quid ergo formalisabitur illud constitutivum in illo esse. Tum quia vi hujus doctrinæ sequitur, quod cùm volo Scientiam peccati Petri in Petro, volitionis meæ sit pars illa scientia, utpote quæ tunc affirmatur; hoc autem non potest dici: quia sufficit dicere, quod scientia peccati, sit illius volitionis meæ merum Objectum, & non pars. Tum quia si est impossibile attingi connotativum Ens, non attacto obliquo, cur hoc ipso illud connotatum non erit pars, cum de illo possit semper affirmari, quod sit obliquũ, quod v.g peccatum sit Objectum scientiæ peccati, & cur hæc affirmabilitas non faciet ut peccatum, sit pars illius volitionis; & jam distinguere debebis affirmabilitates, quasdam competentes partibus, quasdam connotatis; redibitq; quæstio, quid illæ sint affirmabilitates parti competentes. Addo ex Perez. Deus directè & in recto affirmat suam essentiam; Creaturas autem quas essentia divina essentialiter connotat ut Omnipotens, non solum intelligit, sed & affirmat, non quidem ut constitutivas Omnipotentiæ, sed ut terminum ipsius, & tamen illæ, non sunt pars omnipotentiæ.

Præmitto Tertiò. *Quod hæc differentia non possit haberi, ex eo præcisè, quod aliquid sine hoc, esse non possit*; nam etiam connotativum Ens sine suo connotato, relatioq; transcendentalis sine suo termino, esse non possunt, & tamen hæc non sunt pars; indubièq; alia est ratio, non posse esse sine alio, ut præcisè termino; & alia non posse esse sine alio ut præcisè parte; quid ergo est constitutivum in ratione puri termini, quid in ratione partis, quod utrumq; in hoc convenit, ut hoc sine parte, illud sine termino, esse non possit.

Ut ergo explicetur per quid formalisetur constitutivum, constituaturq; pars in esse partis, & distinguatur à non parte, principaliores sententias attingemus. *Sit*

DIFFICULTAS I.

Proponitur Recentior Explicatio.

Perez sic discurrit.

Ponit Primò. Quando mens nostra format Nomen concretum denominativum, seu conceptum, quem tali nomine exprimimus, posse mentem nostram naturali ductu, & sine Magistro, resolvere illud nomen concretum mentale, seu subjectum, in subjectum denominationis, & in abstractum verbale ipsius; veluti si dicas Amans, statim mens dicere potest, Amare seu esse Amantem; & etiam dicere potest Amativum seu subjectum Amandi; Amare, est abstractum verbale denominationis Amantis; idem autem est dicere Amare & esse Amantem, Amativum autem, est esse subjectum denominationis; pariter si dicas Petrus albus, mens subito dicet Petrum dealbabilem, & hoc quod est, Petrum esse album.

Inexplicatum hoc reliquit Perez, qui sine Magistro, resolutio illa fieri possit. Si enim sine Magistro, non possumus dicere Amans, verba enim sunt ad placitum, adeoq; debet esse placiti intimativum, hoc autem intimativum est magister loquendi, quomodo ergo sine Magistro resolvetur illud nomen concretum in abstractum verbale. Sed quicquid sit de hoc,

Non Satisfacit hoc positum. Tum quia non apparet cur istius, quod est concretum Amans, abstractum verbale sit, esse amantem; cùm potius sit sola positio in obliquo, cum additione infiniti, hoc autem non est esse abstractum: quia universaliter nomine abstracti in præsenti, venit forma vel quasi forma; & ita albi abstractum est albedo; abstractum animalis est animalitas, non autem animal cum infinitivo, hoc est, esse animal; tum quia abstractum de quo hîc, habet se per modum ultimò complentis & formalisantis illud concretum, in ratione talis concreti; hoc autem se habet per modum formę vel quasi formæ, ad quam ista formalisatio spectat. Ergo non est mera positio concreti in obliquo, cum infinitivo esse; consequenter hujus termini Amans, non erit abstractum verbale, Esse Amantem, sed potius deberet dici habens Amorem. Tum quia non apparet, cur hujus termini; Petrus est albus, abstractum sit, Petrus de albabilis, potius enim est subjectum concreti: subjectum autem non habetur per modum abstracti, sed à quo abstrahitur.

Hæc

Hæc tamen propositio est vera: quia quando mens nostra formatconcretum denominativum, necessariò debet illud resolvere in subjectum & formam. Ratio: quia hoc ipso non apprehenderetur ut concretum, siquidem in nihil resolubile; & cum illa resolutio sit nonnisi ex vocibus petita, si novit vocem esse concreti significativam, noscit etiam ex quo concrescat & cui concrescit; unde resolutio illa in genus & differentiam, quæ resolutio fit per definitionem, est expeditior, quàm concepto Definito solo: licèt enim definitio & definitum, nonnisi ratione differat, quia tamen sæpe, Definitum vocaliter nonnisi est notum, adeoq; habens non nisi rationem concreti denominationis, ideo adhuc definitiva prædicata ignorantur rerum, non rarò; & ita cum apprehendimus bruchum, potius apprehendimus concretum nominis talia extrinseca nobis nota significantis: sed definitum quâ definitum est, non noscimus, quia licet nobis sit genus illius notum, nempe animal, ignota tamen differentia intrinseca, ideo apprehendendo bruchum non apprehendimus definitum formaliter, nec possumus expeditè resolvere conceptum in genus & differentiam, licèt resolvamus nomen illud in Esse, & formam bruchi.

Ponit Secundò. Quod aliquando abstractum verbale non differat à subjecto denominationis aliquando differat: v. g. Petrus amans seu amativus, differt realiter ab hoc, quod est ipsum amare; at unionem uniri per seipsam, expresè non differt ab ipsa unione, quâ unitur, nisi tantùm, modo significandi; item abstractum verbale differens à subjecto denominationis, aliquando differt ab ipso adæquatè, aliquando inadæquatè, v. g homo purus, habens personalitatem creatam, non differt adæquatè, secundùm rectum hominis, ab ipsa Personalitate, seu ab eo, quod est habere personalitatem; at Syrus albus, secundum rectum, differt adæquatè ab hoc quo est esse ipsum album; quia Syrum esse album, nihil aliud est, quàm albedo & unio albedinis cum Syro; unde fit ut abstractum verbale significatum, abstractè non possit prædicari de subjecto denominationis concreti. *Hoc positum*

Non Satisfacit. Tum quia non apparet, quare homo purus, suppositoquòd Personalitas illius, sit Entitativè ab illo distincta, non differat adæquatè secundùm rectum hominis, ab ipsa Personalitate: quamvis enim Personalitas ponatur modus, albedo ratum Ens; utrumq; tamen dicit Entitativam sui distinctionem; albedo à pariete & personalitas à natura; cur ergo, dly Syrus albus, est subjectum adæquatè distinctum secundùm rectũ, non erit similis distinctio recti ab abstracto verbali, ipsius ly homo purus. Tum quia ideo rectum concreti hujus, Syrus albus differt adæquatèquia Syrum esse album, nihil aliud est, quàm albedo, & unio albedinis cum Syro: ita etiam dicam, hominem purum, nihil aliud esse, quàm Personam humanam, unionem illius cum natura. Ergo si in casu priori, Rectum differt adæquatè à Recto abstracti; etiam in posteriori differet. Tum quia non apparet, quid sit istud rectum abstracti denominationis, inadæquatè distinctum, & tamen realiter, nihil enim est quod est Entitativum & tamen indistinctum realiter adæquatè; nisi fortè à quo pars dicit indistinctionem realem inadæquatam.

Dices. Personalitas dicit hominem, homo etiam purus dicit hominem; ergo apparet quod abstractum idem dicat pro Recto, quod dicit & concretum.

Respondetur, quòd personalitas abstractè sumpta, non dicat hominem; si enim est quid entitativè distinctum ab homine, dicet illam entitatem quæ est, sed abstractè acceptam: si autem non est quid entitativè distinctum, adhuc abstractè sumpta non dicet hominem, sed aliquid hominis.

Ponit Tertiò. Tunc in concreto alicujus denominationis includi aliquid formaliter, quando hoc est Rectum alicujus extremi Resolutionis nominis Concreti, in subjectum & abstractum verbale. Si autem nomen Concretum seu significatum nominis Concreti tribuentis ipsi significatum nominis Concreti, tribuentis ipsi aliquam denominationem, referatur ad aliquid, seu ipsum connoter & hoc neq; possit esse rectum totale, neq; partiale alicujus extremi prædictæ resolutionis, sed in qualibet resolutione maneat semper obliquũ illud omninò, dicetur purè connotari. Exemplũ sume à denominatione amantis proximum, quæ resolvitur in subjectum amativum, & in esse amantem proximi; esse autem amantem proximi, est amor proximi, & unio hujus amoris cum subjecto. In hac resolutione; proximus nunquam est rectum sed semper obliquum; ergo proximus purè connotatur. In hoc tertio posito, stat tota explicatio.

Dicendum est: Non constitui aliquid per hoc definitivè, quòd sit Rectum alicujus extremi in resolutione Nominis Concreti.

Probatur Conclusio Primò ex dictis. Quia hîc quæritur de primo essentiali & definitivo conceptu Constitutivi, seu habentis se per modum partis; subsumo; sed esse dicto modo rectum, non est de primo essentiali & definitivo conceptu Constitutivi: quia esse Rectum spectat ad Lineam Dici; esse constitutivum & partem, ad Lineam Esse; Rursùs: quia Esse, priùs est quàm Dici, v. g. in recto; de hoc ergo priori quæritur, quid sit? Deniq; istud Rectum & obliquum spectat ad secundas intentiones; esse partem ad primas; ergo primò essentialis conceptus

ceptus Constitutivi, non erit aliquid secundas intentiones importans.

Probatur Secundò. Quia hæc doctrina non est conformis principiis explicantis; ponit enim ille relationem prædicamentalem constitui termino tanquam parte; & tamen in relatione prædicamentali terminus dicitur in obliquo; paries item albus non connotat albedinem, & tamen in resolutione illius ponitur albedo in obliquo; ut si dicas: paries albus, est paries habens albedinem.

Probatur Tertiò. Tum quia ratio definitiva partis, debet esse terminativa interrogationis debitè formabilis, quare aliquid sit pars; definitio enim habetur per modum principii, principio autem non datur prius; & hoc primum, est ultimò responsivum; sed prædictum, poni in Recto, non est tale responsivum; quærere enim restat, quare hoc sit nonnisi in Recto ponibile; cum enim grammaticæ collocationes sint liberæ, & in quibus error incurritur, est error ab assignatione & ex placito; à placito autem non pendet esse partem: quærere ergo restabit, cur pars nonnisi in Recto dici possit. Tum quia ista resolutio nominis Concreti, non fit nemine cogitante; sicut enim resolutiones physicæ, non dantur sine actione, vel quasi actione physica; ita nec resolutiones in abstracta verbalia, dantur nemine cogitante, sine actione aliqua vel quasi actione; aliâs nulla essent concreta, quia darentur nemine cogitante resolutiones. Si resolutio non fit nemine cogitante; antequam illa fiat, vel datur pars & constitutivum, vel non datur? si non datur; ergo esse partem, est cogitari partem adeoq; nec esse partem; sed formari nostrâ intentione partem; ad eum modum, quo non datur universale à parte rei, quia formatur ab intellectu. Si autem ante resolutionem illam datur pars; ergo partis & constitutivi formalisativum, debebit etiam priùs dari. Sed hoc non est esse rectum in resolutione, quia hoc consequitur partem, resolutioq; supponit resolubile; quæro ergo de definito illius resolubilis, quid illud? Si autem dicas ante resolutionem formalisari partem, per posse resolvi, per posse esse Rectum; redit interrogatio, supra quod esse, fundetur, posse illud resolvi, consequenter, quæ sint illius constitutiva. Tum quia etiam exemplum illud quod affert, non tenet; nam quod dicit ly Amans proximum, resolvi in subjectum amativum & in esse amantem proximi; esse autem amantem proximi, est amor proximi, & unio hujus amoris cum Subjecto, restabit quærere; quid sit in re istud Ly proximi in obliquo positum, neq; enim istud obliquum datur nemine cogitante, & tamen amans datur nemine cogitante; cur ergo amans ita explicari non potest, quod sit subjectum amans, actus illius, & objectum seu proximus; ubi jam in recto ponetur proximus, & tamen proximus, non est per Perez pars amoris proximi. Urgeri etiam potest id, quod prævidit Perez, Cur enim non possum dicere quod illius concreti, amans proximum, possit esse talis significatio, proximus amatus; quod autem ille dicit quod id fiat non per resolutionem, sed per conversionem Orationis, quærere restat, cur id solum est pars, quod per resolutionem, non autem per conversionem ponitur in recto? cur item positio proximi in obliquo, non sit mera conversio Orationis? deniq; duplex jam erit ponibilitas in recto per conversionem & per resolutionem; detur ergo regula taxativa, cur hæc quidem resolubilitas sit sufficiens ad esse Constitutivi, & non hæc altera.

DIFFICULTAS II.

Proponitur alia Explicatio.

Lugo citatus & cum eo Esparza assumunt hanc majorem. Id quo non posito, & positis omnibus aliis prærequisitis ad existentiam alicujus concreti, concretum nondum existit: & quo posito, simul cum aliis requisitis, eo ipso existit concretum, id inquam, pertinet formaliter ad constitutionem intrinsecam concreti, estq; per illos pars.

Dicendum est Prædicto modo non rectè explicari constitutivum intrinsecum & partem.

Probatur Primo ex Di Castillo. Quia, si teneret prædicta explicatio, multa quæ non sunt pars, essent partes. v. g. Intentio suscipientis Baptismum, quod concedit Lugo. Jurisdictio item & potestas Sacerdotalis, quod concedit Lugo in aliis Sacramentis, non in Eucharistia. Persona item Ministri: quia verba ipsius intrant & hæc essentialiter dependent ab illo, etiamipse ut sensibilis Minister, essentialiter requiretur idem dic de ratione viatoris, viator enim nonnisi est Minister. Morbus item erit pars Sacramenti extremæ unctionis. Carentia prioris Baptismi, erit pars Baptismi. Baptismus erit pars aliorum Sacramentorum. Baptismus item Ministri consecrantis, erit pars Eucharistiæ. Baptismus item absolventis, erit pars Confessionis. Sequelæ hæ probantur; quia reliquis omnibus positio, & illis quæ numerata sunt non positis, non ponitur Sacramentum; & illis positis cum omnibus aliis prærequisitis, ponitur Sacramentum; ergo prænumerata erunt pars. Sed prænumerata, non possunt esse pars, quia esset deploranda in Doctoribus, Pontificibus, Conciliis, ignorantia vel negligentia, in tradenda doctrina de Sacramentis; qui explicando partes essentiales Sacramentorum, nunquam prænumerata posuerunt inter partes, in quare, omnes illi fuissent diminuti culpabiliter: quia quando

quando agitur de doctrina tradenda in re gravi, dogmatisando, aliquid omisisse, negasse est. Rursus ad talia, quæ antea pro partibus numerarentur post Lugonem, debuisset Authoritas Sacra afferri; ut enim sit aliquid pars Sacramenti pendet ab institutione Christi, quæ per authoritatem Sacram applicatur; vel deberet afferri argumentum ex ipsa natura Sacramenti petitum, illudq; irrefragabile. Deniq;, concesso quòd illud debeat esse intrinsecum alicui composito, quo ablato & manentibus omnibus aliis, non manet tale compositum &c., semper minor procedens v. g. de intentione, involveret contradictionem in suppositione; implicat enim contradictionem manere materiam & formam sine intentione Ministri, non enim materia & forma Sacramentorum sunt instituta à Christo secundùm tantum esse physicum; sine intentione autem manet solum esse physicum materiæ & formæ Sacramentorum; videmus autem v. g. ablato tecto, manere adhuc reliquas partes domûs.

Respondebis Primò ex Lugo. Ex vi hujus ultimo additi sequi non omnes ablutiones ac prolationes verborum, v. g. in baptismo, posse esse materiam & formam, ex vi præsentis institutionis, sed aliquas posse esse, aliquas non posse; unde hæc propositio universalis vera non erit; Omnis ablutio est, quantum est de se, materia apta ad Sacramentum baptismi.

Contra, omnes posse esse, si illis accedat intentio; sed si non accedat, nulla erit ablutio, quæ sit pars Sacramenti: consequenter omnes possibiles ablutiones sunt materia Baptismi, sed in circumstantia intentionis, secus extra illam.

Respondet Secundò Esparza q. 6. ad sextum. Quòd authores quando excludunt à constitutione Sacramenti, intentionem v. g. Ministri, loquuntur de constitutivo præcipuo, quod se habeat per modum virtutis activæ; non vero intendunt agere de Constitutivo adæquate sumpto.

Contra redit argumentum Di Cast. diminutam fore doctrinam Patrum, qui nunquam meminerunt intentionis, tanquam constitutivæ Sacramenti, adæquatè sumpti. Redit item argumentum quod hoc ipsum probari deberet authoritate Sacrâ. Deniq; cum Sacramentum sit virtus sensibilis activa Sanctitatis, si hujus virtutis non est pars intentio, explicandum erit, quid sit pars Sacramenti.

Respondet Tertiò idem. Quod prædicti authores non docuerint id, quod intentio non sit pars Sacramenti, secundùm omnem rationem considerati.

Contra: quia redit argumentum Di Cast. In re dogmatica non docuisse, negasse est; Rursus posita hac explicatione non accipientur jam verba Patrum ut sonant. Deniq; sicut, si sumatur generatio adæquatè, secundùm totum suum processum, includit etiam dispositiones, & in toto illo conflato sunt, si ita vocare velis, pars; cum hoc tamen nemo dicit, quòd generationis pars, sint dispositiones; generatioq; non supponit pro conflato etiam ex prærequisitis & dispositionibus; ergo etiam, quamvis processus totus in serie Sacramenti involvat etiam intentionem, non sequetur intentionem esse partem.

Probatur Secundò. Sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate; ita nec intrinsecanda aut donanda jure partium: si autem prædicta definitio intrinseci teneret, multa transirent in conditionem partis, quæ cæteroqui sufficeret esse, per modum prærequisiti &c. ergo prædicta definitio non tenet.

Probatur Tertiò. Quia hæc definitio partis & Constitutivi non explicat quid sit pars, & quid constitutivum; quod ipsum probatur. Dantur aliqua quibus positis tanquam Objecto, termino, prærequisito, unâ cum aliis, datur concretum; & non posito illo tanquam Objecto, termino, prærequisito, positis per possibile vel impossibile reliquis, non datur: quæ tamen omnia non sunt pars. Ergo aliud erit; quo posito tanquam Objecto &c. Res est; & non posito &c, non est: & aliud erit; quo posito tanquam parte cum reliquis, res est; non posito tanquam parte, reliquis etiam positis, res non est; de hoc autem ipso quæritur; quid sit poni partem; ergo non explicâsti adhuc, quid sit esse partem. Supponit hæc probatio; quod Objectum non sit pars potentiæ, nec Terminus, pars relationis transcendentalis. Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur. Definitio debet esse ultimum *Responsivum* ipsius *Quid est*? Ratio: quia definitio explicat naturam seu quidditatem rei, & constat genere ultimo & differentiâ ultimâ; ultimis autem non datur ulterius. Item. Omnis *Responsio* ad *Quid est*? fit per conveniendi & differendi Rationem; & quia Responsio per Est, est responsio per Genus, utpote commune; & est responsio per Non est, quod est responsio per differre, licèt in ipso differre sit considerabile Est & non Est, cum ultra Est, & Non est, nihil ultra detur, consequenter nec ultra responsionem per definitionem, debet dari ulterior responsio ad Quid; cumq; in genere ultimo, omnia suprema genera; & in differentia infima, omnes superiores contineantur; fit, ut contineatur totum, per quod respondetur ad *Quid est*. Sed præsens Responsio non est ultima ad interrogationem, Quid est pars; quæro enim, quid est pars? Respondetur, est quo posito & positis reliquis, aliquid ponitur; eo non posito, reliquis positis, non ponitur; quæro ulterius, an posito aliquo tanquam Objecto, termino, prærequisito, cum reliquis omnibus ponitur aliquid; non posito aliquo tanquam Objecto, termino, prærequisito, non ponitur; quid ergo est pon aliquid

quid tanquam partem, licet illa sit, quâ positâ cum reliquis, res ponitur; non positâ, etiam reliquis positis, non ponitur. Tum quia alius est conceptus prærequisiti idq; vel maximè essentialis; & alius conceptus Partis: nam prærequisitum antecedit ipsam Rationem partis; antecedit enim positionem totius, quod totum est illa ipsa pars inadæquatè; unde prærequisitum habet rationem prioris; pars ad illud comparata, posterioris; item prærequisitum nunquam est inadæquatè illud, ad quod prærequiritur; hoc ipso enim non prærequireretur ad illud, sed esset illud inadæquatè: pars autem omnis, est inadæquatè illud ipsum, quod constituit: immò ipsum nomen prærequisiti, & partis, ostendit eorundem differentiam; sed si teneret prædicta definitio, idem esset conceptus prærequisiti essentialis & partis: nam quodcunq; prærequisitum essentiale, est tale; ut illo ablato reliquis manentibus, jam non sit res; hoc ipso enim non esset essentiale prærequisitum ad aliquid, si illud aliquid sine illo haberi posset. Illo etiam posito cum reliquis, est res; quid enim ad illam desideratur; & tamen hoc etiam competit parti: competere autem non deberet, quia distinctis definitis, condistinctæ definitiones competere debent.

Hic ipse medius Terminus sic aliter proponitur. Possibile est prærequisitum essentiale, condistinctum à parte; quæ enim in hoc implicantia, ergo & definitio ejus erit distincta, à definitione partis: quia identitas definitionis, argueret identitatem definitorum. Sed si teneret prædicta definitio, non essent pars, & prærequisitum essentiale, definitionibus distincta; quæ enim illius pars non conveniret prærequisito essentiali? Tum quia & esset hæc definitio partis, ut supponitur; & non esset: quia definitio debet esse distinctiva ratione inclusæ in se differentiæ ultimæ, ab omnibus quæ non sunt definitum; præsens definitio non est talis: quia convenit etiam Objecto, termino, prærequisito; vitium ergo ejus erit, quia conveniet quidem omni parti, sed non soli.

Idem medius Terminus sic proponitur. Possibilis est hæc Categoria. Tale ut sic, quo posito cum reliquis, res est; non posito, reliquis positis, non est; sub hoc genere supremo, hujus prædicamenti poni potest; Tale intrinsecum, & sub hoc tali intrinseco erit materia, & forma, &c. Tale Extrinsecum; & sub hoc erit, Objectum, terminus, prærequisitum &c. Si possibilis est talis Categoria, hoc ipso datur: quia Categoria, non ponit, nec facit talem habentiam se objecti; & sic Categoria substantiæ, non facit ut substantia sit prius corpore, sed invenit; & ex possibilitate Categoriæ infertur ita se habere Objectum; posito autem quòd in dicta Categoria Supremum genus sit; Id quo posito cum reliquis est aliquid, non posito, positis reliquis, non est; de singulis jam dici poterit illud genus, adeoq; & de Objecto, termino, &c. & de parte: hoc ipso enim non esset Supremum genus; sed sequitur etiam, quòd si de illis inferioribus ratio illa superior dici possit, non esse jam illam convenientem soli: ly enim soli, est exclusivum aliûs; si autem non est conveniens soli, hoc ipso non est definitiva: nam definitio convenit soli; nihil enim est magis solum: quàm ipsum sibi differentiale ab iis, quæ non sunt illud solum: & tamen definitio debet fieri per ultimam differentiam; unde debet convenire omni, quia fit per genus & prædicatum universale; sed soli, quia per differentiam.

Respondebis Primò. Quod est pars, illo ablato, impossibile est etiam divinitùs manere illud totum: jam autem quod est prærequisitum, saltem divinitus sine illo, potest manere illud aliud.

Contra. Tum quia sine prærequisito essentiali implicat etiam divinitùs manere illud, ad quod prærequiritur: quia hoc ipso non esset prærequisitum essentiale. Tum quia sine potentia vitali, non potest esse actus vitalis etiam divinitùs, & tamen potentia vitalis utpote causa, non est constitutiva intrinsecè actûs vitalis; aliàs effectus seipsum inadæquatè causaret; verba item, non dico æquivalenter sumpta, sed formaliter, sunt talia, ut illis positis cum reliquis omnibus, sit Eucharistia, non positis, quamvis reliqua ponantur non sit Eucharistia, (supple Sacramentum tale, quale modo est institutum:) & tamen verba formaliter etiam per oppositos, non componunt Eucharistiam in statu permanenti sumptam. Per multos etiam existentia causæ, ponitur pro requisito ad agendum, & pro conditione; & tamen etiam divinitus non potest agere causa, nec esse effectus, si causa non existat in se vel in sui virtute. Tum quia sine Objecto cognitio, sine termino transcendentalis relatio, etiam divinitùs esse non possunt, & tamen hæc non sunt pars essentialis.

Respondet Secundò Esparza. Quod causa efficiens, & Finalis, & conditio sine qua non, solùm requirantur ad existentiam alicujus ratione effectus pendentis ab ipsis, atq; ab iisdem formaliter distincti; quo proinde posito; etiamsi per possibile vel impossibile ipsæ non existant, aut intelligantur non existere, eo ipso intelligatur, & est existens ea res, ad cujus existentiam absolutè requiruntur.

Contra. Tum quia sequeretur contra intentionem Respondentis, intentionem non esse partem Sacramenti: quia dicam illam requiri ratione effectûs pendentis, qui est causatio gratiæ, nam per possibile vel impossibile, non posità intentione, positâ tamen materiâ & formâ, sed tanquam causativis gratiæ baptismalis, verè adhuc esset Sacramentum baptismi; & si Finis requiritur ratione effectûs à se pendentis, cur non

non item intentio? dicamq; illam requiri etiam hoc titulo ratione effectûs, vel quasi effectûs, qui est, constituere physica, in esse jam Sacramentorum. Tum quia dantur aliqua quæ non sunt pars, licèt illis non positis, impossibile sit poni aliquid, nec tamen requiruntur ratione effectûs pendentis ab ipsis; quis enim effectus pendet à possibilitate effectus? quâ tamen possibilitate effectûs non positâ, impossibile est esse relationem transcendentalem ad effectum; quis item effectus est Objecti prout terminantis, quo non posito, impossibile est poni cognitionem Objecti? objectum enim prout terminans notitiam, non est causâ efficiens notitiæ; dicam item omnem partem in tantùm requiri, in quantùm requiritur ad effectum suum intrinsecum, quod est totum, adeoq; omnem partem, non esse partem. Tum quia deberet dari regula dignoscendi, quòd aliquid requiratur ratione effectûs à se pendentis, & quòd requiratur ratione sui: nam etiam dicam terminum relationis transcendentalis, requiri ratione sui tanquam termini; Objectum item requiri, ratione sui tanquam Objecti; sicut ratione sui, requiritur terminus relationis prædicamentalis.

Confirmatur & antequam formetur Argumentum.

Suppono. Quod definitio sit prima operatio: quia ad illam quâ talem non spectat nisi apprehendere explicitam essentiam rei; quia tamen ly subjectum & ly prædicatum, ita spectat ad primam operationem, ut tamen per particulam Est, extrahantur ad classem secundæ operationis, fit ut etiam ad eandem extrahi possit definitum, quod est subjectum, & simul materia Interrogatorii Quid; sicut etiam extrahi potest prædicatum, quod est ipsa definitio, ipsumq; Responsivum ad Quid. Quando jam extrahitur definitum ad rationem subjecti, & definitio ad rationem prædicati, tunc vel maximè particula est, suo proprio titulo, identitatem objectivam notante, requirit coæquationem & proportionem inter Interrogativum & Responsivum; & quia coæquatio est exclusiva inæqualitatis; inæqualitas verò est quædam per excessum, hoc est; per additionem; hinc si superfluat aliquid in definitione, mala erit; idq; ideo: quia esset responsivum sine interrogativo, adeoq; nec Responsivum, consequenter nec definitivum: quia definitio est prædicatum responsivum ad Quid? non erat autem interrogativum, si superfluat responsivum. Quod si inæqualitas sit ex defectu, non erit bona definitio: quia definitio est responsivum prædicatum ad Quid? erat autem interrogativum in Subjecto, cui non respondit prædicatum, seu definitio, si quid in illa deficiat; consequenter nec erit bona definitio: quia nec Responsivum ad quid. Tamen, etiam cæteroqui adæquatum responsivum, non est limes instituibilium quæstionem: idq; ideo inter alia; Pater æternus generans Verbum non procedit ad aliam generationem, nec ipsum Verbum procedit ad aliud loquendum VERBUM: quia ipsi potentiæ generativæ, adæquatus est terminus VERBUM, & exhaustivus processûs ad secundam generationem; habet item suæ dictivitatis constantem durationem: nam etiam nunc Pater dicit VERBUM, nec datur alius Pater qui sit DEUS, adeoq; repetitivus productionis VERBI; Quia autem responsiones, per prædicatum. Quid est definitivum, sunt quidem adæquatæ Objecto unde alia definitio hominis non potest dari, nisi hæc; animal Rationale: quia tamen hoc responsivum non est adæquatum ipsi potentiæ potenti respondere, & potenti intelligere; & quia cessat homo ab hoc actu, & unus homo relinquit locum, ut sit alius unus homo; ideo locus datur repetendæ definitioni. Si autem etiam adæquatum responsivum, non est limes instituibilium quæstionum; danda erit regula, unde nosci possit, adæquatam tamen esse, huic definito hanc definitionem; quæ regula hæc est: nempe si ortâ lite de substantia definitionis, illius defensivũ non sit novi prædicati appositio, sed sola verbalis terminorum explicatio, aut præcisa inductio manifestiorum; quod utrumq; in hoc convenit, non afferre prædicatum novum: si enim afferatur novum prædicatum; apparet quod non fuerit adæquata definitio inæqualitate orta ex defectu, adeoq; nec definitio: quia hæc debet esse, ut probatum, adæquatum responsivum ad Quid, est interrogativi, inclusi in definito, tanquam subjecto. *Hoc supposito*

Formatur Argumentum. Tam de prærequisitis non ratione effectûs, quam de requisitis ratione effectûs, verum est dicere, id quo posito, &c. ergo apparet quòd illa prior ratio sit generica indigens illâ appositione, quæ est; requiri ratione sui, adeoq; nec definitiva: quia nulla generica ratio, est definitio inferioris, cum sit inæqualis per defectum; in nullo item termino illi, includitur, illud requiri, ratione sui.

Respondebis Tertiò. Quod illud sit pars, quo ablato immediatè & directè aufertur totum; non autem, quo ablato aufertur nonnisi arguitivè & consequenter; unde etiam non habet se per modum partis, quod requiritur antecedenter.

Contra. Tum quia sequitur priorem definitionem, conveniisse quidem omni sed non soli; restrictivus enim hic terminus in responsione positus; non erat inclusus in ullo termino, hujus quæ impugnatur definitionis. Tum quia restat de minori difficultas, cur ablata intentione non arguitivè tantùm tollatur Sacramentum? cur ablato in philosophicis tempore vespertino, non arguitivè auferatur cœna? cur ablato termino relationis prædicamentalis;

non arguitivè auferatur relatio. Tum quia de hoc ipso quæritur; quid sit formaliter auferri, quid arguitivè? deinde debet dari subjectum supra quod cadit hoc, quod est esse tale, ut illo ablato, immediatè tollatur; hoc subjectum est pars; de hac parte quæritur, quid illa sit? videtur enim esse quid sequens ad rationem partis, ut illa ablata directè auferatur totum. Rursus quid est istud directè auferri? si directè auferri, est auferri tanquam formam; sic jam materiâ ablatâ non auferretur directè totum, & tamen materia est pars totius; si directè auferri, est auferri tanquam id quod est totalis rei definitio; sic pars non esset pars: quia pars non est totalis definitio totius; si directè auferri, est auferri tanquam ingrediens definitionem; tunc jam omnia connotata erunt partes: ingrediuntur enim definitionem suorum connotantium; terminusq; relationis transcendentalis erit pars: quia ingreditur definitionem illius.

Quod attinet ad illud additum Partem non requiri per modnm antecedentis; requiruntur autem prærequisita per modum antecedentis; id etiam non convincit; jam enim intentio non esset pars; hæc enim saltem naturâ antecedit Sacramenti positionem; terminus item non esset pars relationis prædicamentalis; habet se enim antecedenter ad illam, ut ita salvetur Aliud, ad quod est relatio; deniq; ista antecedentia addit nonnisi primitatem; primitas præcisa non ostendit, quòd negatio illius, sit constitutio partis; cum esse partem sit quid positivum: negativum autem quid est, non se habere per modum prioris.

DIFFICULTAS III.

Quid constitutivum Rei ut sic?

Præmitto Primò. *Constituta esse duplicia, quædam physica, quædam Metaphysica, & nulla alia.*

Ratio: Tum quia id ostendit inductio; & ita compositum physicum est ex corpore & anima; Metaphysicum, animal Rationale. Tum quia si præter physica & Metaphysica composita, darentur aliqua, darentur composita artificiata, moralia, Logica; hæc dantur quidem, sed revocabiliter ad physica & Metaphysica cõposita; si enim sint artificialia; materia illorum erit physica; forma, certè terminationes; utrumq; autem est hoc physicum; in moralibus Materia semper erit aliquid physicum, forma aliquid intentionale, quia morale; intentionalia autem hæc, revocabuntur ad metaphysica; si sit compositum Logicum, illud erit revocabiliter Metaphysicum: dici enim revocatur ad esse. Tum quia omne compositum, aut est compositum re, aut compositum ratione: cum enim compositum non sit Ens à se, debet habere esse ab alio; si ab alio; ergo vel re extrahi debet ad esse; & erit compositum physicum: vel ratione; & erit compositum Metaphysicum. Et certè ly *Est* per intrinsecam Rationem est oppositio *Nihilo*, seu *Non est*; hoc ipsum ly *Est* aliud est Efficientis, quando physicè producitur illud *Est*, ita; ut prolatio illius *Est*, sit ipsum facere; & huic respondebit dictum physicum, seu compositum; alia est prolatio, ly *Est* intentionalis, seu dictiva dictione rationis, & quasi partus potentiæ intentionalis: & huic respondet compositum Metaphysicum.

Præmitto Secundò. *Composita hæc duplicia, haberi non posse sine partibus.*

Ratio: quia compositum eo ipso, quia compositum est, debet habere partes: debet enim esse quod est; esse autem compositum, sunt ipsæ partes unitæ, ut alibi dicitur; per hoc; compositum constituitur & distinguitur; quia habet partes; aliàs esset nonnisi quid simplex, adeoque exclusivum sui, quia exclusivum compositi.

Præmitto Tertiò. *Compositum physicum debere habere partes physicas; Compositum Metaphysicum, Metaphysicas.*

Ratio: quia cum partes Metaphysicæ non sint quid reale in se existens physicum, nec componere possunt compositum physicum, quod est reale, existens, &c. è contra cùm compositum Mataphysicum non sit reale & existens in se; non potest componi partibus realibus & existentibus in se physicè. Et quia duplices hæ sunt partes; definitio partis & constitutivi debet esse talis, quæ utrique huic seriei conveniat.

Præmitto Quartò. *Unde oriatur difficultas definiendæ partis?* Oritur difficultas inprimis ex eo: quia rationes, quo sunt latiores difficilius definiri possunt; ostendit hoc inductio: quid enim est definitivè & propriè, Ens prout commune etiam non Enti, seu Negationibus; quid definitivè, per tot colores sapores, proprietates herbarum, lapillorum, propagata ratio Qualitatis; ratioq; horum omnium est: quia ex limitatione Entis, sequitur limitatio potentiæ; ex limitatione potentiæ sequitur incapacitas extendendi se ad plura; hinc facile quidem uno intuitu mentis percipiuntur duo vel quatuor; sed uno intuitu mentis, (non utendo superadditione unitatis ad unitatem quæ est facilitativa conceptûs numeri) quàm rarus concipit distinctè 10. immò modus probandæ in se ipso valitatis in imaginando, est prædicta, sed distincta tanti vel tanti numeri repræsentatio; quia ergo habet magnam suam latitudinem Esse physicum, & Non esse physicum, sed Mataphysicum & intentionale; dare rationem definitivam, quæ utramq; complectatur, difficultatem, quia latitudinem habet. Rursùs oritur ex eo difficultas definiendæ partis: quia in illis, in quibus vox similis deficit, major est difficultas, explicandis,

candis; quod etiam ostendit experientia; & Ratio est: quia cùm conceptus nostri, etiam interni habeant expressiones vocum ad placitum impositarum, ut experiens, videbit; hinc qui linguarum periti, si se reflectant, advertent se aliter de rebus Scholæ cogitare, nempe latinè; aliter de rebus usus, nempe nativè, &c. exceptis iis, quæ experientia cognitionem sui movent: nam in talibus voce non habita, ipsa species injecta movet notitiam; huic autem termino Pars, nullus alius germanè similis respondet, deficitq; experientia in istis, quæ non cadunt sub sensum, partibus. Deniq; ex eo nascitur: quia illa quæ sunt notissima, vel minimæ noscibilitatis, intellectus noster habet se sicut oculus vespertilionum, per Aristotelem. Notissimum est, quòd Corpus, sit pars, & alia compars anima; sed si postea ducatur intellectus ad scrutandas recondiores rationes partis, in istis quæ sunt intentionalia, ut ita dicam, à summo ad imum decidendo intellectus, non potest inconfusè veritatem circumspicere, undè oritur quæstio; estne intentio pars? Objectum item, estné pars cognitionis veræ, Terminus relationis, & cætera similia. Et certè cum hoc quod natura appetit in linea noscere, sit rei perceptio, cùm illam satis inferat, ipsa evidentia harum partium, quæ sunt evidenter tales, non est sollicita natura præparare nobis expedita instrumenta, altiùs pervadendi ad objectum; jam enim habet suum finem, nempe perceptionem Rei ut est, ut cum advertit, corpus non esse totum, sed partem hominis, fit postea, ut si rimando eruat aliquid intellectus, quid sit pars; quia illud quod eruit, nõ est suppar claritate illi primæ notitiæ quæ habetur quod corpus sit pars hominis; ideo hæret anima, an illud eruerit, quod erui debuit.

Præmitto Quintò. *Videnam sit tamen istorum reconditorum, & difficilè definibilium rimanda definitio?* Natura horret vacuum, ex ejus horrore providit nexum inter se corporum, ut uno tracto, trahatur & aliud; in Noscibilibus providit nexum Objectorum stantem in proportione, quâ manifestiora nectunt secum ea, quæ non sunt ita manifesta; unde primus modus rimandi definitionem, difficile definibilium, erit ex proportione ad manifeste talia. Alius modus est divisio. Si enim constet v. g. ex quinque istis, aliquem hoc vel illud accepisse; constetq; de istis quatuor, quod non acceperint; infertur rectè; ergo istè accepit: ita & per divisionem, si constet hoc quidem requiri, sed non ut objectum, non ut terminum, non ut requisitum, non ut effectivum, non ut applicativum; rectè inferetur; ergo hoc est pars. *His præmissis*

Dicendum est. *Definitivè Constitutivum & Pars, est Entitas seu Ratio Ex quo totius.* ly Ratio seu Entitas sumitur pro genere tam ad partem physicam, quam ad Metaphysicam; habeturq; fundamentum ex Aristotele, qui formam cæteroqui physicam, appellat Rationem. Ut istud ly *Ex quo*, intelligatur.

Suppono quod veritati formali respondeat veritas Objectiva, est enim illa conformitas cum Objecto; si non esset autem conformitas cum Objecto, si non responderet objectum; cumq; termini sint significativi, & non omnes Blictri, debet illis respondere Objectum significatum; atq; ita formali A, & Ab, respondet Objectivum efficiens; formali Porpter quid, respondet Objectivum Finis; formali Quo, respondet objectivè forma. Formali Ex quo, respondet objectivum materia, ex phrasi etiam Aristotelis. Unde aliter phrasim illam definitionis formando, Pars erit; Entitas, quæ est materia positionis Totius. Partem autem sub nomine partis definiendo, erit illa Compositivum totius, vel constitutivum sua Entitate Compositi. Utor autem hac phrasi Compositivi, vel Compositi, ut excludatur Verbum in Toto hypostatico à ratione Partis: habet enim illic non rationem Terminativi. Non est item *Ex quo* totius hypostatici, sed *Quo*, tanquam termino habente se, evadit totum hypostaticum.

Probatur Primò Bonitas hujus definitionis, authoritate S. Thomæ, qui 3. parte. q. 90. in (.) sic definit partem. *Partis rei sunt in quas materialiter dividitur totum*; & quia dividi, est prædicatum posterius; non enim ideo aliquid rem componit, quia in illam res dividitur, sed ideo dividitur, quia componit; scrutanda erit ratio, cum quâ tanquam cum priori connectatur hoc, quod est dividi; ad eum planè modum, quo, si perscruteris, in quid resolvatur, hoc, quod est ridere hominem, illud erit definitivum hominis Porrò dividi, nullum aliud prius supponit, quàm ly *Ex quo totius*, quàm esse *Materiam positionis Totius.* ubi ipse S. Thomas, per ly Materialiter, decriptioni partis appositum, sufficienter significat; partem esse materiam totius; dicit item S. Thomas quod pars, sit in quod materiliter dividitur Totum, non ut excludat formam à ratione, pars in composito physico, sed quia pars comparatè ad totum habet se, sicut materia ad formam. *Habent enim*, inquit, *se partes ad totum; sicut materia ad formam.* Idem docuit Aristoteles 2. phys. t. x. 21. *Omnes enim*, inquit, *nunc dictæ causæ in quatuor cadunt modos manifestissimos; elementa enim Syllabarum, & materia factibilium & ignis & hujusmodi Corporum, & partes totius, & suppositiones Conclusionis ut id Ex quo Causæ sunt.* Ubi Aristoteles exemplificans, quid sit causa materialis, exemplificat in elementis, comparatis ad Syllabas; in materia respectu artefactorum, respectu ignis & similium corporum; in partibus comparatis ad totum; in præmissis ad Conclusiones, conclusionis nomine accipiendo Syllogismum: quæ omnia sunt partes. Dansque Rationem communem & definitivam, appellat

illam *Ex quo* Causam: sumit autem Aristoteles ly Ex quo, & nos cum illo, presè & sine addito, adeoque supponendo pro materia proxima, quæ est materia sine addito; hæc enim ingreditur totum; non autem materia remota, cui etiam potius competit objectivum *Vnde*, tanquam termino *A quo*, non autem Objectivum *Ex quo*.

PROBATUR Secundò. Quia quæ definitio competit omni, soli, semper, proceditque per prima.

PROBATUR Tertiò. Omne relativum primò essentialiter debet definiri per respectum ad aliud, ad quod refertur; hoc ipso enim non esset primo relativum; sed pars quâ talis, est primò essentialiter relativa: si enim non sumatur ad aliud, hoc ipso non erit pars quâ talis; id autem ad quod refertur pars, est compositum, ad quid enim aliud? ergo pars definiri debet per ordinem ad compositum, modo regulæ reliquæ serventur; sed definitio allata procedit per ordinem ad compositum, servatque regulas; ergo est bona.

OBJICITUR Primo. Hæc allata definitio nullo distinguitur ab illa refutata secunda.

RESPONDETUR. Distingui; quia convenit etiam soli, non convenit prior. Rursus non potest dici, quod terminus, objectum, prærequisitum sit Ex quo alicujus; sed est Ad, Circa, A quo alicujus.

OBJICITUR Secundo. Omnis definitio debet esse clarior suo definito, allatæ à nobis definitiones non sunt tales: quia quærere restat, quid sit hoc Ex quo? quid Constitutivum suâ Entitate compositi? &c.

RESPONDETUR. ut salvetur quòd sit clarior definitio, suo definito, sufficit si conveniat Omni, soli & semper, procedatque per prima; habet id præsens definitio; Rursus: quia si fiat interrogatio; quid sit hoc Ex quo totius, non erit afferre ullum altius prædicatum proprium; sed fiet tantùm verborum explicatio, inductio, & cætera similia; hæc autem non obsunt, quominus definitio dicatur esse bona; ut alibi explicatum.

OBJICIT Tertiò Esparza q. 4. Unumquodque necesse est existere, existentibus omnibus prædicatis & partibus ipsum intrinsecè constituentibus: nihil enim distingui adæquatè vel inadæquate potest, ab iis omnibus simul sumptis, per quæ ipsum adæquatè constituitur. Si quid igitur ita comparabitur cum aliquo concreto, ut eo posito, simul cum quibusdam aliis, ponatur eo ipso concretum; idemque non ponatur, eodem non posito, tametsi cætera omnia & quælibet ponantur, sive per possibile sive per impossibile; id proculdubio pertinebit, ad constitutionem intrinsecam talis concreti.

RESPONDETUR. Omnis quidem pars est talis, ut ea posita cum reliquis res ponatur, sed nego quòd id conveniat soli parti; nihil quidem distinguitur à suis constitutivis omnibus simul sumptis; sed nego constitutivum exinde argui; quia illo ablato res aufertur, &c.

QUÆSTIO II.

De Essentia Sacramenti Metaphysicè spectati.

FAcilè foret Essentiam Sacramenti Metaphysicè spectati depromere, si agendum nonnisi foret de Sacramentis novi Testamenti; sed cum Florentinum in decreto Fidei, & Trident. Sess. 7. Can. 2. enunciet sine addito, etiam in veteri Testamento Sacramenta fuisse; hinc in præsenti talis ratio invenienda, quæ utriusque Testamenti Sacramentis, univocè quantum fieri potest, conveniat; *quod ut decidatur*.

PRÆMITTO Primo. *Sacramentum in Communi definiri posse*; de quo aliqui dubitarunt apud Vasque nixi authoritate Aristotelis negantis Ens per accidens definiri posse.

RATIO præmissi. Ens per accidens quamvis constet pluribus Entibus, modo illa inter se habeant unitatem aliquam, secundum illam convenientiam Unitatis definiri potest; & sic; quamvis Vestis sit Ens per accidens; importat enim substantiam ex qua fit, qualitatem, quantitatem; & tamen vestis revocatur ad unum prædicamentum, quod est habitus.

PRÆMITTO Secundò. *Sacramenta in communi definiri non posse, primò & per se.*

RATIO: quia ex mente Aristotelis, eorum est definitio primo & per se, quorum est & ipsum quod quid. ex 7. Metaph. tex. 16. Quodquid autem ipsum primò & per se, est Substantiarum, ut idem docet textu 17. *Illud autem manifestum est*, inquit, *quòd quæ primò & simpliciter, definitio, & quod quid erat esse, Substantiarum est; ac cæterorum quoque similiter est, non tamen primò.* Similia habet 5. Metaph. textu 8. Ubi docet solam substantiam esse quid separabile, & omnibus aliis circumscriptis, tamen dicetur idem quod quid manere, quod fuit ante; quodsi cæteris circumscriptis, adhuc res maneat, sola illa Entitate seu substantiâ relicta, fit ut sola substantia primò & per se sit Ens, adeoque sola primò per se essentiam, & per consequens definitionem habet; cum igitur Sacramentum non sit substantia, sive secundum Esse, ut homo, sive secundum dici & prædicationis figuram; uti secundùm aliquos sunt Quantitas & Qualitas, si sumantur secundum esse abstractum; sed solum sit Ens ex additione, ut dicitur, Subjecti, seu Ens identicè, materialiter, subjectivè, & in secundo modo dicendi per se, adeoque primo sunt Entis vel Entium, & non tam proprie aliquid, quàm alicujus aliquid, hinc fit ut nonnisi secundariò definiantur & minus propriè ex subjecti additione

tione & in quantum definitio accipitur pro quacunq; explicatione rei, seu ut loquitur Aristoteles, non possunt definiri secundùm rationes, quæ sunt tanquam id in quo dicente ipsum, non insit ipsum.

Quod ipsum ulterius sic explicatur, tradendo ex mente Aristotelis quasi universalem regulam dignoscendi, quæ sint primò per se definibilia, adeoq; primò per se Entia. Illa nomina significant primò in se formaliter Entia, quæ quando ponuntur in propositione de secundo adjacente, illorum, ly Est, substantivè sumitur; hoc est; prout explicat illorum Essentiam, non autem adjectivè, quatenus idem significat quod existens. Item si particula Est, non possit resolvi nisi in seipsam, & non explicatur per aliud Verbum adjectivũ, vel per se attributionem & habitudinẽ ad aliud, sed per seipsum; taleq; explicabile est per seipsum, hinc notam & characteristicam habet, quòd sit Ens primò & per se. Et ità v. g. in hac propositione; Homo est, ly Est, non explicatur per causat, significat, continet, sed per seipsum; id est; homo est id, quod est. Quod ipsum signum innuit Aristoteles 7. Metaph. tex. 11. ubi dicit ea tantùm habere primò quod quid, quæ secundùm se; hoc est, non respectivè, non comparatè, non per attributionem aut habitudinem ad aliud, habent esse. *Illud*, inquit, *quod quid erat esse unumquodq;, quod secundùm se dicitur, etenim sibi esse, non est musico esse, & non secundùm seipsum musicum est.* E contra accidit in nominibus quibus significantur Entia secundò & identicè; hæc enim si ponantur in propositione de secundo adjacente, particula *Est* resolvetur per adjectivum, per attributionem, per habitudinem & cætera similia; & ita quando dicitur; Medicamentum est; ly est, non resolvetur in seipsum, sed in causativum, nempè medicamentum causat sanitatem. Porrò de numero talium Entium est etiam Sacramentum, nam hæc propositio; Sacramentum est, non potest explicari ità, ut dicatur; Sacramentum est secundùm se tale; seu Sacramenti esse, est ipsa rei Entitas, debet ergò explicari dicendo, est quod continet occultè, significat, causat aliquid Sacrum. Hoc præmissum traditur etiam ab aliis.

Præmitto Tertiò. *Quod Ratio Signi Sacri, possit spectari, vel respectu ipsius Signi significantis, an ipsum sit Sacrum, vel respectu rei quam significat sacram, seu termini significati.*

Præmitto Quartò. *Non esse in hoc difficultatem; An de ratione Sacramenti sit esse Signum Sacrum, ex parte rei significantis*; ostendit enim hoc ipse usus vocis; ostendit inductio: nam Sacramenta veteris legis erant cerimoniæ Sacræ ad Dei cultum dicatæ, non erant ergò profanum Signum. Sacramenta etiam novæ legis sunt quid Sacrum, quia elevatum ad causandam gratiam; quod & ipsi Matrimonio convenit: vi enim illius non solùm efficiuntur Conjuges, sed etiam conjuges Sancti. Non est item difficultas: An de ratione Sacramenti sit esse Sacrum quid ex parte rei significatæ, ut docet S. Thomas hîc q. 1. a. 1. nam id supponunt Concilia, quæ appellant Sacramenta Signum rei sacræ; & Apostolus ad Ephes. 5. vocat Matrimonium Signum conjunctionis Christi cum Ecclesia Nec deniq; est difficultas in Catholica Theologia, Sacramenta esse Signa gratiæ appropriatè dictæ, quicquid dicat Canus. Ratio: quia authoritas Florent. in Decreto Unionis, Sacramenta vetera vocat simpliciter Sacramẽta, quia significabant gratiam per Christum dandam, quæ gratia indubiè erat appropriatè dicta; quando autem pro principio assumit Canus, quod illam nonnisi sanctitatem significẽt Sacramenta, quam conferunt, consequenter nec significasse Sacramenta Legis veteris Sanctitatem appropriatam, quia illam non conferebant, tunc assumpta propositio, concedenda erit, solùm, de specie aliqua Sacramentorum, nempe de Sacramentis novæ Legis. Addo quamvis de ratione Sacramenti sit significare sanctitatem veram, non tamen de ratione illius est illam solam significare, nam Sacramenta significant etiam memoriam passionis Christi, tanquam causæ sanctificationis, significant & finem gratiæ, hoc est; beatitudinem æternam: quia tamen passio Christi attribuitur ad gratiam tanquam ejus principium, gloria verò tanquam finis; fit ut primarius illius significationis terminus sit gratia, exceptâ solâ Eucharistiâ (ut notat Suarez) quæ primò & per se significat ipsum Christum, utpote quod est Sacramentum extra usum, & ipsius Corpus, est, quod verbis immediatè & significatur & conficitur; quamvis in quantum ad usum applicatum, habeat tunc vim expressiùs significandi gratiam, secundùm illa verba Christi; Qui manducat meam carnem &c. vivet in æternum.

Præmitto Quintò. *Non esse in hoc difficultatem: An de ratione Sacramenti, sit conferre aliquam Sanctitatem subjecto* Supponitur enim quod debeat conferre, aliàs hoc ipso essent nonnisi Sacramenta profana; unde etiam Cerimoniæ, quæ erant Sacramenta veteris legis, dabant aliquas saltem habilitates sacras. Est aliqua difficultas de hoc: An de ratione Sacramenti ut sic sit conferre gratiam appropriatè dictam, an verò gratiam communem ad legalem & appropriatè dictam. Communiùs tenetur non esse de Ratione Sacramenti, ut sic, causare gratiam appropriatè dictam. Ratio: quia Sacramenta veteris legis erant verè Sacramenta, & tamen Sanctitatem & gratiam non causabant; nam Florentinum conditinguit Sacramenta veteris legis, à Sacramentis novæ; *Quod hæc*, inquit, *non causabant gratiam, sed solum dandam figurabant per passionem Christi*, nostra verò Sacramenta & continent gratiam & dignè suscipientibus eam conferunt; quamvis autem ex accidenti in veterũ Sacramentorũ usu, producta fuerit gratia, id tamen fiebat nonnisi ex accidenti propriæ dispositionis

nis supernaturalis. Addo non repugnat dari Sacramentum, quod non causet ullo modo propriam sanctitatem; quodque fuerint talia Sacramenta veteris legis, phrases sacræ ostendunt, quæ appellant hæc Sacramenta egena & vacua; quæ testimonia si simpliciter accipiantur, ostendunt ab illis non fuisse causatam gratiam appropriatè dictam.

DICES Primò cum Lugone oppositum sentiente hîc disp. 1. num. 16. Si ad rationem Sacramenti non requireretur aliquo modo causare sanctitatem internam, essent v. g. in lege nova plura Sacramenta quàm septem; nam imprimis Sacrificium Missæ esset Sacramentum, etiam sub ratione oblationis; nam ex uno capite habet vim conferendi aliquam Sanctificationem, scilicet expiationem à reatu pœnæ ex opere operato; & ex alia, significat Christum sub ratione cibi nutritivi, & potentis causare gratiam, adeoque significat gratiam.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Ratio: quia sacrificium quâ tale, nec est Sacramentum veteris legis; quia de illius ratione est significare gratiam per Christum venturum dandam; neq; etiam Sacramentum novæ legis; quia non confert sanctitatem perfectam, adeoq; non est ullo modo Sacramentum. Indubiè tamen Sacrificium quâ tale, habet omnia, ut posset esse Sacramentum, si adfuisset intentio DEI instituentis, præcipuè cum de ratione Sacramenti ut sic, non sit conferre perfectam Sanctitatem.

Ex hac Responsione colliges, quod si non esset de ratione Sacramenti novæ legis, causare gratiam & perfectam sanctitatem, plura forent Sacramenta quàm septem: nam imperfectam sanctitatem afferunt, Tonsura Consecratio Abbatis, Altaris, Absolutio ab Excommunicatione. Cæterùm descensus Columbæ, linguæ igneæ, &c. cum nullam sanctitatem etiam legalem afferrent, quamvis significarent gratiam, fit ut non immeritò à Ratione Sacramentorum etiam veteris legis rejiciantur.

DICES Secundò. Etiam Sacramenta veteris legis causabant gratiam: nam licèt appellantur egena & vacua; significabant tamen gratiam dandam per Christum, non merè speculativè, sed practicè: quia illa Sacramenta erant quædam promissiones divinæ, mediis quibus, DEUS promittebat & repromittebat Christum venturum; quòd si erant promissiva, hoc ipso erant Signa practica; omnis enim promissio, habet moralem vim ad movendum eum qui promisit, ut impleat promissa. Quando autem dicuntur non fuisse causativa gratiæ, id dicitur comparativè ad nostra Sacramenta, non enim causabant gratiam in suscipiente sicuti nostra; non negantur autem, quòd causârint gratiam, sub formalitate promissionis.

RESPONDETUR. Promissionem Dei quâ talem duo involvere, primò actum DEI internum seu promissionem activam, quæ est ipsemet DEUS. *Secundò* promissionem passivam, quæ est locutio DEI externa obligativa ejusdem fidelitatis, vi cujus, obligat se externè, ad aliquid agendum; porrò Sacrificia & cerimoniæ non erant locutio DEI activa; non enim erant DEUS; nec passiva; sed nonnisi erant Signa rememorativa factæ promissionis passivæ; neque enim erant locutio DEI, sed nonnisi signa præactæ jam locutionis divinæ; sic v. g. promisit DEUS Abrahamo quod ex semine illius foret Christus nasciturus; promissio activa erat DEUS; passiva, erat locutio externa & signa adhibita, quæ erant significativa ipsius *Promitto*; sed circumcisio injuncta, non erat promissio, sed memoriale nonnisi promissionis factæ. Idem videre est in moralibus; promittat alicui Princeps primùm vacantem dignitatem, & in memoriam hujus promissionis, det annulum sibi præsentandum, & tanquam memoriale promissi; certè repræsentatio illius annuli, non est promissio Principalis, sed solum memoriale promissionis; ponamus item quòd DEUS, qui nominavit Cyri nomen, ante nativitatem ejusdem, jussisset, poni aliquod symbolum Cyri vel imaginem effingi; certè illa imago, non foret ullo modo promissio Cyri, sed tantùm memoriale factæ promissionis; sic etiam in præsenti; Sacramenta illa non erant promissiones, sed signa promissionis transactæ; & memorialia ejusdem; erantque repromissiones, ut dicebat Paulus & Augustinus, figuratè: quia erant signa promissionis. Id quod dicit Lugo, quòd Sacramenta veteris legis dicantur non causâsse gratiam, intelligi id debere de illis comparative ad nostra Sacramenta sumptis; id non convincit. Ponamus enim v. g. quòd duo Sacramenta sint, unum physicè, aliud moraliter causans; nunquam dici potest, quòd moraliter causans; non causet gratiam; cujus ratio est; quia negatio modi causandi, non est negatio Substantiæ; alia enim est interrogatio, Quomodo? & alia Interrogatio, An? & à negatione prioris, non valet consequentia ad negationem posterioris; jam autem authoritas Sacra enuntiat, quòd Sacramenta veteris legis, non causabant gratiam perfectam; ergò id debet intelligi de substantia; nempe quòd simpliciter non causârint taliter ut nostra; & si id non explicetur per hoc solum, quòd non eodem modo causârint gratiam, accipientur simpliciùs verba Patrum.

Addit DiCastillo hîc disp. 1. à num. 18. Quodsi illa Sacramenta causabant nostram gratiam, deberet etiam nunc dici moraliter existere, quia nunc, ut vult Lugo, causant moraliter; hoc autem dici non potest. Tum quia sequeretur, quòd singula Sacramenta veteris legis non in uno, sed in omnibus Christianis causent gratiam: non enim significabant gratiam uni dandam, sed toti Christianitati; essentque ista magis extensa causalitate Sacramenta: nam nostra nonnisi

nisi in uno, cui conferuntur, causant gratiam. Tum quia illis significantibus gratiam, alii essent suscipientes Sacramenta, nempe Personæ veteris legis; alii quibus conferretur gratia, nempe nos. Tum quia sequeretur, quòd causent in nobis gratiam ex opere operato, siquidem independenter à merito; immò si Sacramenta veteris legis nunc causant gratiam, sequitur illa non esse abolita, cum causalitas illorum, non sit abolita.

Dices Tertio. Sacramenta veteris testamenti vel erant ipsa promissiones, & sic habetur intentum; quia promissio causat moraliter rem promissam; si non erant promissiones, sed nonnisi memoralia promissionis, sic adhuc causabunt gratiam; quia etiam talia Signa causant moraliter rem promissam.

Respondetur. Talia Signa non causare moraliter, sed solum sunt signa causativi, totaq; causativitas illorum stabit in esse Signum Causativi, hoc est; promissionis: quod non est causare, nisi valde figuratè. Sicut Iris non causat carentiam diluvii, sed est signum causativi carentiæ diluvii, nempe promissi divini. Si tamen etiam hoc abusivum Causativum intelligas, jam adiscises abusivas phrases & figuratas, ut infringas dogmaticas locutiones Sacras, quæ ponunt; à Sacramentis veteris legis, non causari gratiam.

Instabis. Deus etiam hoc titulo, quòd intueretur illa Sacramenta, movebatur ut promissam gratiam impleret.

Respondetur. Movebatur tanquam Signis promissionis, adeoque Signis causativi, non movebatur tanquam promissionibus, consequenter ex ipso causare, redibitur ad promissionem.

DIFFICULTAS I.

De genere in definitione Sacramenti ponendo.

I. Sententia ponit pro genere causam; pro ea citatur S. Thomas 4tum in dist. 1. q. 1. a. 1. Eam sequuntur Capreolus & Palacios.

II. Sumit pro genere Rationem Signi; pro ea sunt S. Thomas 3. parte q. 60. a. 1. & 2. Scotus, Vasq. Valentia.

III. Assumit Rationem Signi & Causæ; Eam docet Suar. Con. Amicus. disp. 1. n. 7. Lugo disp. 1. n. 8.

Dicendum est: *Quod ratio Signi Causativi*, seu, ut loquitur Trident. Sess. 7. Cant. 6. de Sacramentis in communi, *Ratio Continentis & significantis, est ratio generica omnibus Sacramentis communis.* Quoad primam partem, nempe quod Ratio signi sit genus, sunt tot locutiones sacræ & pervulgata illa phrasis; Sacramentum est Signum rei Sacræ, desumpta ex Augustino. 10. de Civit. cap. 10. Florent; etiam dicit, quòd vetera Sacramenta, gratiam Christi per passionem dandam figurabant. Deinde Trident. citatum dicit: Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, &c. anathema sit. *Ex his ergo authoribus formatur Argumentum.*

Ratio Communis Sacramentis novæ & veteris legis, est ratio generica; sed ratio signi est talis: quia Florent. de Sacramentis veteris legis dicit, quòd figurârint gratiam; dicit etiam id Trident. de Sacramentis novæ legis, quòd significent gratiam; quæ ipsa ratio sic urgetur. Ratio Significantis in Sacramentis novæ legis à Concilio agnita, vel est differentialis, vel communis pluribus. Si communis pluribus; habetur intentum; si est differentialis; ergo Sacramenta veteris legis, erunt Sacramenta veteris legis, ut supponitur; & non erunt: quia habebunt rationem differentialem convenientem Sacramentis novæ legis, cum rationem figurantium agnoverit in illis Florent:

Potior Difficultas est. *An ratio causæ assumenda sit pro genere?*

Assumendam esse, Probatur primò authoritate; quia Concilia & Patres indiscriminatim utrumque hoc assumunt; & ita Trident. Sess. 6. can. 7. vocat baptismum instrumentalem causam nostræ justificationis; infra autem Sess. 7. citata, tribuit illis Rationem Signi in ly, Quam significant Rursùs; locus ille S Thomæ in 4tum cum loco ex 3. parte, concordantur, utrumque hoc assumendo pro genere, quamvis autem a. 1. ad primum dicat Sacramentum non denominari ab aliquo quod se habeat, ut causa effectiva, intelligendus est textus ut sonat, nempe quòd sub denominatione & appellatione Sacramenti, nonnisi importet rationem Signi.

Probatur Secundò. Sacramenta novæ legis causant gratiam, ut dictum ex Trident. Sacramenta etiam veteris legis causabant sanctitatem legalem; hinc quæro, vel potest prædicari de utroque Sacramento ratio causæ, vel non potest? si potest; habetur intentum; si non potest; ergò neque potest prædicari, quòd Sacramenta novæ quidem legis gratiam, veteris autem sanctitatem legalem causârint. Nam de quo non potest dici ratio animalis, de eo non potest dici ratio rugibilis: & quia ad causare sanctitatem legalem, & ad causare gratiam, est genus ipsum causare; si causare dici de illis non potest, nec tale causare dici poterit.

Respondebis Primò. De homine picto non potest dici absolutè, & sine addito, homo; & tamen potest dici de homine, homo pictus: ita etiam quamvis non possit dici de Sacramentis quòd

sint causa, potest tamen dici, quòd sint causa sanctitatis legalis.

Contra. Tum quia dispar ratio est, nam de homine picto non potest dici, homo simpliciter, quia non potest dici definitio, quòd sit animal rationale: jam autem de Sacramentis legis veteris, in quantum principiabant sanctitatem legalem, potest dici definitio Causæ. Tum quia homo ad hominem pictum, nonnisi æquivocè se habet; jam autem non æquivocè, causant Sacramenta vetera, sanctitatem legalem; Et quamvis diceretur sanctitatem legalem ad sanctitatem appropriatam æquivocè se habere, id non convinceret: quia non quæritur hîc de termino causationis, sed de ipso prædicato causandi: nam æquivoca sunt, v. g. canis marinus, & canis venaticus, nihilominus ipsæ Causæ non æquivocè conveniunt in ratione causandi. Tum quia nec ex usu, nec ex ratione ostendi potest, quòd nomen causæ, restringatur nonnisi ad Sacramenta novæ legis, sicut animal restringitur, vel homo ad rationem veri.

Respondebis Secundò. Quòd ratio causæ conveniat quidem Sacramentis, sed non primariò.

Contra. Tum quia quamvis, ut dixi supra, sub nomine Sacramenti, id illi non conveniat, sed quod non conveniat secundùm rem illo nomine significatam, probari debuisset; cur enim non primarium erat in Sacramentis veteris etiam legis, causare sanctitatem legalem, & in nostris causare sanctitatem appropriatè dictam. Tum quia, quamvis sub aliqua formalitate magis interdum competat homini ratio viventis, quàm ratio sensitivi; & ita prout actu intelligens, magis vendicat rationem viventis, hoc est; moventis sese ab intrinseco, quàm sensitivi; & tamen vivens sensitivum, ponitur pro genere ejusdem; ergò etiam quantumvis sub aliqua formalitate, principaliùs competat Sacramentis ratio Signi, non sequetur rejici debere rationem Causæ: & licèt non habeamus nomen, quod idem, signum & causam complectatur, ut animal complectitur vivens sensitivum; melius tamen id exprimit ratio Signi causativi, quia magis annexè, & magis ad unitatem accedendo, quàm si ponatur signum & causa. Tum quia quodcunque fundamentum afferetur, quòd Sacramentis primò competat ratio Signi, ea petetur ex differentiis specificis Sacramenti, non verò ex ratione generica; finge enim omne Sacramentum Sacramentum conferre perfectam sanctitatem, jam tum ratio signi non haberet, unde primatum vendicaret; & hoc ostendit, primatum Signi, deduci ex ratione Sacramenti talis, non autem ex generica ratione. Addo quod videatur ratio Causæ, potior esse in Sacramentis: nam hæc sola est; quâ tanquam ratione genericâ proximâ, discernitur ab aliis, quæ non sunt Sacramenta, quæ tamen significabant gratiam, v. g. transitus Maris rubri; habebitq; se hæc ratio sic, ut animal respectu plantæ, à qua, genus ipsum quod est Animal dictum de homine, discernit immediatè hominem.

Probatur Tertiò. Constituendo divisionem Signi, potest illud dividi in signum practicum seu causativum, & in signum speculativum; ergò apparet quòd ratio Signi, sit quasi vivens, & ratio causantis, quasi sensitivum; ergò sicut in definitione hominis assumuntur isti duo termini Vivens, Sensitivum; & malè assumeretur ipsum vivens; ita in definitione Sacramenti assumi debet Signum causativum.

Objicit Primò quidam. In ea ratione reponi debet Sacramentum in communi, quæ denotet æqualiter in omnibus speciebus Sacramenti, habitudinem & attributionem essentialem, quàm dicit Sacramentum necessariò in communi; sed si Sacramentum in communi ponatur sub genere causæ, non ponetur in tali ratione generica, quæ æqualiter denotet habitudinem & attributionem, quam essentialiter dicit Sacramentum in communi; Major probatur, quia cum genus pertineat ad essentiam rei, debet exprimere essentiam rei, eo modo quò illam constituit; & quia essentia Sacramenti est habitudo ad aliud, siquidem Sacramentum est necessariò Signum, signum autem est necessariò ad aliud, hoc est; ad signatum; ideo ratio generica debet hanc habitudinem exprimere, prout æqualiter in omnibus inferioribus contentam: quia quælibet essentialis ratio debet ab omnibus inferioribus æqualiter participari. Minor principalis probatur; habitudo seu attributio, quam dicit Sacramentum essentialiter & in communi, est Sanctitas perfecta; sed ratio Causæ, non exprimit æqualiter habitudinem hanc, nec enim illam exprimit in Sacramentis veteris legis, nam illa non conferebant sanctitatem perfectam, conferunt nostra.

Respondetur. Major universaliter est falsa. Nam probat quòd per Ens nihil definiri possit, cum aliqua sint primò per se Entia, aliqua nonnisi Entis Entia. Rursùs non convincit illud, quod essentialis ratio debeat æqualiter ab omnibus inferioribus participari; nam Ens non æqualiter ad inferiora descendit, unde etiam agnoscitur in univocis impropria illa species Analogiæ, quæ est inæqualis participationis. Probat item multum argumentum: quia probat rationem Signi, hîc non posse assumi pro genere; nam ratio Signi non æqualiter participatur à Sacramentis; nam vetera Sacramenta significant gratiam, nonnisi pro postea ponendam, adeoq; cum formalitate negationis gratiæ præsentis; jam autem nostra, significant gratiam pro præsenti, quantum est ex illis; quæ rationes sunt inæquales magisque distantes quàm gratia legalis & appropriata; quia magis inter se distant, connotata negatio gratiæ, cum connotata positione

tione ejusdem, distant enim sicut esse & non esse; quàm gratia legalis,& gratia appropriatè.

Directè ad argumentum dici potest negando minorem; porro habitudo quam dicit Sacramentum ad Sanctitatem, est ad Sanctitatem ut sic; habitudo autem ad Sanctitatem perfectam vel legalem, est habitudo Sacramenti in specie, hic autem definitur Sacramentum in Communi. Posset etiam concedi quod habitudo ad sanctitatem perfectam competat Sacramentis sub ratione Signi, sed non sub ratione Causæ. Addit DiCastillo disp. 1. num. 24. Quòd univocatio non sit spectanda penes terminos ad quos est habitudo; nam actio est quid univocum, & tamen termini Substantia & Accidens, qui producuntur, univocè non conveniunt. Et certè tam verè Sacramenta vetera causabunt Sanctitatem legalem, quàm nova appropriatè dictam; ergo in prædicato causæ, non erit differentia.

Instat idem. Ratio generica debet esse communis suis inferioribus, idque univocè; sed ratio causæ, non potest esse hîc univoca: quia causare propriam & causare umbratilem sanctitatem, non est ratio univoca.

Respondetur. Retorquendo argumentum de ipso Signo, in quantum illud extendebatur etiam ad significationem Sanctitatis legalis in veteribus Sacramentis, cùm extendatur in Sacramentis novæ Legis, ad significandam Sanctitatem appropriatè dictam. Rursùs; causa productiva Canis marini, & causa productiva Canis venatici, conveniunt univocè in genere causæ, cum effectus sint æquivocè convenientes; directè Respondetur, negando minorem, quia diversitas illa tota non petetur ex ratione causæ, sed nonnisi ex ratione terminorum, adeoque talis in specie causæ.

Objicitur Secundò. Sacramenta instituta sunt à Christo ad sanctificandos homines, ratio autem sanctificandi, est ratio causandi & efficiendi; ergo ratio causæ debet assumi pro ratione generica, non autem ratio Signi.

Respondetur. Concedo à Christo instituta esse Sacramenta ut sanctificent, sed nego tantum instituta esse ut sanctificent, sed etiam ut significent; quod ostendunt phrases sacræ.

Instabis Primò. Si Signum ponitur pro genere, ly Causativum vel se habet ut formale, & sic non potest poni pro genere, vel se habet ut aliquid materiale; & hoc non: quia, ut inquit Amicus, quod est materia tam in novis quàm in antiquis Sacramentis; est prius ipsâ significatione, præsupponitur enim materia, ad significationem.

Respondetur. Quod esse Causativum, habeat se pro formali, sed generico, adeoque comparatè ad differentiam ultimam pro materiali; & licèt materia quæ assumitur ab instituto-re liberè, si prior præ ratione significandi, non tamen materia metaphysica Sacramenti, est prior significatione, cum materia hæc metaphysica, sit genus, genus autem ex phrasi PP. est signum seu significatio, signum autem seipso non est prius; immò ex modo significandi, poni debet per modum principalioris Ratio Signi, ut ita melius attendatur ad nomen Sacramenti, à nobisque ratio Signi ponitur pro principaliori; quia substantivè posita, habet Rationem principalioris, substantivè autem ponitur Signum, adjectivè Causativum.

Instabis Secundò. Differentia contractiva generis debet esse in eodem prædicamento cum ipso genere, sunt enim differentiæ potestate in genere, ut vult Porphyrius; sed esse causativum, non est in eodem prædicamento cũ Signo, Signum enim est ex prædicamento Relationis, Causativum ex prædicamento actionis.

Respondetur. Quòd differentia contractiva generis per ordinem ad totum per se & substantiale, debeat esse ejusdem generis; si enim non sit ejusdem generis, quî erit totum per se substantiale. Cæterum differentia contractiva generis, per ordinem ad totum per accidens, potest esse ex diverso genere: non enim fundat totum substantiale: & sicut ipsum totum non est per se, ita nec exigit prædicata ad se invicem ordinata, consequenter poterit accipi ratio differentialis, ex diverso prædicamento.

Instabis Tertiò. Non differt imago per hoc, quòd sit vel in cera vel in plumbo; ergo neque differt per hoc Sacramentum, quòd sit causativum gratiæ, vel non causativum; quia illa formalitas, habet se per modum generis, genus autem, est quasi materiale quoddam in definitione; ergo vel ipsum Signum non potest poni pro genere Sacramenti, vel respectu illius ly Causativum, non est quid differentiale.

Respondetur. Argumentum multum probat, nempe quòd homo ratione sensitivi non differat à planta; ratio enim sensitivi, habet se per modum materialis. Directè dici potest, quod ratio generica diverso respectu sit formalis, diverso materialis: & sicut species subalterna diverso respectu est genus, diverso species; ita & illa differentia generica, &c. Quamvis autem ratio generica, non facit ultimò differre, facit tamen ab aliquibus, sufficienter differre.

Objicitur Tertiò. Habitudo causæ non est univoca in omnibus Sacramentis, nam vetera conferebant sanctitatem legalem, nova veram; si ergo termini causati ab istis Sacramentis non conveniunt univocè, etiam habitudo causæ, non erit univoca, alias producens pictum & vivum hominem esset idem univocè.

Responderi potest, inprimis negando Consequentiam, quia in definitione præcipuè Entiũ per accidens, non est necesse accipere genus univocum, immò nec unum, si unum proximum nõ sit sufficiens Deinde Nego antecedens, licèt enim termini productionis nõ sint univoci, falsum

falsum erit, habitudinem causæ, ut dictum supra, non posse esse univocam. Nego item quòd producens leonem pictum & producens verum, non conveniant univocè in ratione producentis, licet non conveniant in ratione producentis leonem. Addo quod nullus detur verus influxus Leonitatis in Leonem pictū; datur vero influxus Sacramentorum veterum, in sanctitatem legalem, & sicut in illis productionibus leonis, est diversitas non in ratione productionis sed in ratione talis productionis; ita & in præsenti.

Objicitur Quartò. Absurdum est ut ejusdem Entitatis sint duo prædicata constitutiva essentialiter, quorum unum, non est altero prius.

Respondetur. Inprimis Ratio Signi habet se per modum prioris; deinde licet Entis per se, non debeant esse duo constitutiva, non tamen Entis per accidens.

Objicitur. Quintò. Hoc quod est causa non potest appellari signum; Sacramentum est causa; ergo non potest appellari Signum. Major probatur: quia Signum convenit potiùs effectui quàm causæ.

Respondetur. In signo Sacramentali id quod signatur, est effectus, v. g. Gratia. sed id quod signat, negatur quod debeat esse effectus; præcipuè si ipsum signum, sit causativum.

Instabis. Ratio Signi non est hîc eadem, quia vetera Sacramenta significabant nostra Sacramenta; nostra autem non significant seipsa.

Respondetur. Sacramenta legis veteris non significabant primariò nostra Sacramenta. Sed quamvis significarent, adhuc habitudo esset eadem: quia tota diversitas peteretur, ex diversitate specifica Signorum.

DIFFICULTAS II.

De differentia in definitione Sacramenti ponenda.

Dicendum est, *Differentiam per quam Sacramenta differunt ab aliis quibusque Signis, esse Sanctitatem.* Unde definietur Sacramentum in communi sic: Est Signum Causativum Sanctitatis vel; Signum sacrativum. Dixi potiùs Sanctitatis quàm gratiæ, quia gratia sine addito donum supernaturale significat, quod tamen non conferebant vetera Sacramenta.

Probatur Primò. Quia definitiva prædicata causæ sumuntur ex vi, quam habet, producendi effectus: hocque ostendit inductio fundata in hoc, quia hoc ipso illa causa non definiretur sub formalitate causæ ergo etiam Signum causativum, quale signum sunt Sacramenta, sumet suam definitionem ex vi causandi Sanctitatem: hæc enim est illius effectus. hæc autem vis, importatur in ly: Signum Causativum Sanctitatis.

Probatur Secundò. Quia hæc definitio convenit omni, soli, & semper Sacramento proceditque per prima.

Probatur Tertiò. Quia quæcunque alia afferibilis definitio, modò tangat Objectum, verbis nonnisi ab hac differet, quòd Signum est, illam veram esse: quia sicut objectum unum est, ita & veritas definitiva una.

Objicitur Primò. Sacramentum debet esse quid sensibile, quæ ratio hîc non importatur.

Respondetur. Possibilia sunt Sacramenta respectu Angelorum. Ergo Sacramentum ut sic, non exigit esse Sensibile. Deinde si loquamur de Sacramentis humanis; sensibilitas Sacramenti includitur in ly Signum, quia respectu hominum, nihil habet rationem Signi, nisi sensibile.

Instabis. Saltem de Ratione Sacramenti est esse institutum à Deo, quod ipsum hîc non ponitur.

Respondetur. Institutionem includi in ly Sanctitas, cum enim solus Deus sit quid causativum Sanctitatis, si quòd illam causat, non est Deus, debet esse instrumentum Dei, adeoque ab illo institutum.

Objicitur. Secundò. Dicta definitio non convenit soli; quia assumat Deus fumum, utaturque illo tanquam medio ad producendam gratiam, ille fumus erit Signum, & erit etiam causativus Sanctitatis, & tamen non erit Sacramentum. Ergò Sacramentum malè definitur, per Signum Causativum Sanctitatis.

Respondetur. Ly Signum non accipitur hîc materialiter, seu pro eo, quod est esse natum Signum, sicut fumus natus est esse Signum ignis, sed accipitur Signum formaliter & per ordinem ad gratiam significandam: fumus autem illo casu non foret signum significandæ gratiæ Consequenter ly Signum Causativum, est hîc terminus significatione incomplexus.

Objicitur. Tertio. Martyrium non est Sacramentum, & tamen est Signum causativum Sanctitatis.

Respondet. Primò Perez. Quòd Sacramentum debeat esse designativum Personæ, & faciens illam personam partem civilem Reipub: sacræ, quod non fit per Martyrium, cum illud faciat, ut homo desinat. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia vi illius, casu, quo simul conjungeretur baptisatio & immediatè mors, non esset eo casu per illum baptismus, Sacramentum; quia non designat Personam, ut sit pars Reipub: sacræ, sed facit eum v. g. in mergendo mori. Deinde, etiam Martyrium facit Martyrem in ipso instanti, quo ulti-

ultimò vivit, militem Ecclesiæ militantis, & postea partem Ecclesiæ triumphantis.

Respondet Secundò Lugo. Martyrium non esse Sacramentum, quia non est cærimonia Sacra, nam si esset talis, deberet poni à Ministro ex hac intentione; quod non fit. Si enim concedas Ministrum Martyrii esse Tyrannum, ille non habet hanc intentionem, immò potest habere contrariam; & tamen suum effectum sortitur Martyrium. Quod si ponas ipsum Martyrem acceptando Martyrium, esse sibi Ministrum, tunc sequetur infantem pro fide occisum, qui nullam habere potest intentionem, non fore Martyrem; & illum qui invitus occiditur, non vult tamen negare fidem, quamvis omnibus modis martyrium fugiat, adhuc fore Martyrem.

Respondetur Tertiò. In Martyrio hæc considerari posse, primò Actionem martyrisandi, quam ponit Tyrannus. Hæc, est quidem quid sensibile, sed non causativum gratiæ; neque enim convenit illi actioni peccaminosæ, producere aliquid supernaturale, sed potius est actio, quæ petit in martyrisante, tolli gratiam. Deinde potest spectari Martyrium passivum, seu dolor ille lethalis quem patitur, sed nunc dolorem esse assumptum à Deo & institutum adhoc, non constat. Denique accipitur pro acceptatione interna illius lethalis doloris; & hic actus non est sensibile signum, adeoque Sacramentum. Neque valet si dicas; Contritio interna, fit sufficienter sensibilis, signis externis, ergo & illa acceptatio fit sufficienter sensibilis, doloribus externis quos patitur, non inquam valet: quia contritio interna per se requirit esse sensibilis, & nisi sit sensibilis non potest esse pars Sacramenti; jam autem acceptatio illa interna, potest eventum sortiri, licet externè non sit sensibilis, nec manifestetur. ut si quis in somno occidatur, qui cæteroqui voluit, pro fide pati. Addo secundùm dicta aliàs, Martyrio passivo in circumstantia acceptationis nihil deesse, quominus possit esse Sacramentum: unde etiam admittitur baptismus Sanguinis, sed deest institutio divina, cum constet acceptationem illam internam, quæ signatur lethalitate externâ, habere nonnisi rationem meriti. Quomodo autem hæc duo, causare per modum meriti, & causare Sacramentaliter, differant, est difficultas communis, non tantùm de Martyrio, sed etiam de aliis meritis. Hoc inter alia distingui possunt: quia causare per modum meriti, est esse actionem laudabilem natam habere collationem præmii. Iam autem esse causativum Sacramentaliter, est esse signum causativum, ità, ut gratia respondeat non tanquam præmium, sed tanquam effectus. Unde etiam meritum taxatur ex Opere Operantis, Sacramentum ex Opere operato.

Objicitur Quartò. Debent concedi legi Naturæ Sacramenta, & tamen non constat, quòd fuerint signa; cumque non fuerint determinata, quî causabant gratiam?

Respondetur. Constat quidem quòd fuerint sensibilia, id enim exigit accommodatio conditioni humanæ; sed non constat, quænam illa fuerint; nescimusque certò, quænam fuerint determinata: sed inferetur infra, quod fuerint determinata.

Objicitur Quinto. Immeritò dicitur Sacramentum esse causativum gratiæ: quia vel deberet esse causativum gratiæ defacto; & sic Eucharistia non esset Sacramentum; quia ante usum non causat gratiam; vel deberet Sacramentum, esse causativum gratiæ de futuro. Ergo Sacramenta in usu consistentia, quia non causant gratiam de futuro, sed de præsenti, non erunt Sacramenta.

Respondetur. Iy Causativum est commune ad actu causans, & ad actu aptum causare. Hinc etiam Sacramenta in communi, debent esse causativa; ut autem de præsenti, vel de futuro causent, spectat ad tale Sacramentum.

DIFFICULTAS III.

De sensibilitate & Stabilitate Sacramentorum.

EXaminabimus hîc prædicatum Sensibilitatis, deinde prædicatum Stabilitatis.

Punctum Difficultatis 1.

Estné possibile Signum sensibile, naturaliter significativum Gratiæ?

Assero Primò. *Defacto Sacramenta esse signa ad placitum.*

Ratio: quia nulla in illis apparet talis connexio cum significanda sanctitate: & si esset aliqua connexio, maximè esset in illis verbis; Ego te absolvo: sed etiam hîc ex placito Christi significant: quia Absolvo, nonnisi remissionem humanam significat; hîc autem significatur remissio offensæ divinæ.

Assero Secundò. *Defacto in Sacramentis dari aliquam similitudinem, ad significandam sanctitatem, ejus rationis, quam importat Sacramentum.*

Ratio: quia id ostendit inductio: & ità Baptismus significat emundationem maculæ Originalis. Eucharistia refectionem spiritualem. Major est difficultas de Sacramento Matrimonii, sed illud etiam habet similitudinem conjunctionis Christi cum Ecclesia, potestque con-

conjunctio illa in ipsa gratia adumbrari; quia etiam gratia matrimonii, est gratia unitiva ad ferenda onera matrimonii; & quia, sicut signis externis, tradunt se sibi adinvicem, ita significatur gratia simultaneæ traditionis internæ.

Assero Tertiò. *Possibile esse videtur, ut detur aliquod signum sensibile, cui sit naturale significare gratiam & Sanctitatem.* Est assertum Lugonis disp. 1. num. 29. est autem contra quam supponat Suar: Vasq. Amicus disp. 1. num. 47. & Perez.

Ratio Prima est: quia id non implicat contradictionem, ut patebit solutione argumentorum.

Ratio Secunda est: quia non implicat aliquid sensibile & materiale, esse tamen supernaturale; nam præter dotes corporis, quas agnoscit Herize esse supernaturales, saltem aliquæ ex laureolis sunt etiam tales; cur ergo etiam non poterit dari qualitas supernaturalis, connexa tanquam Signum, cum gratiæ positione.

Ratio Tertia est: quia quamvis aliquid materiale non possit connaturaliter producere aliquid spirituale, non sequitur quod etiam non possit significare aliquid spirituale: quia productio præexigit vires & perfectionem suo modo inclusam in effectivo, sed talem inclusionem non deposcit Signum. Rursùs potest dari species impressa materialis, quæ nata sit repræsentare, quòd hoc sit prægnitum ab intellectu, operante scilicet ex naturali Sympathia, anima rationali, dum operatur imaginativa, & è converso consequenter illa erit Signum quodammodo, præhabitæ notitiæ spiritualis. Addo si ratio doctrinæ, quæ est aliquid spirituale, ex placito humano potest significari v.g. pileo doctorali, cur non poterit dari signum etiam Doctoratus supernaturale in Entitate materiale, quod Doctores ornet, & signum sit naturale illorum doctrinæ; & si potest res materialis rem spiritualem significare, cur non & gratiam.

Dices Primò cum Amico. Signum naturale habet necessariam connexionem cum termino significato, ut supponitur: nulla autem res sensibilis, habet necessariam connexionem cum gratia; quod ipsum probatur: Omnis naturalis connexio, aut est causæ cum effectu, aut effectûs cum causa, aut imaginis cum prototypo, seu similitudinis cum re simili; nulla autem res sensibilis, aut est causa, aut effectus, aut imago seu similitudo gratiæ; quem etiam medium terminum usurpat DiCast: disp. 1. num. 310.

Responderi potest inprimis. Non implicat contradictionem, ut aliqua gratia, specie distincta à nostra, habeat vim producendi in homine sensibilem qualitatem, v.g. lucis, quâ se monstret esse in homine; quo casu esset connexio illius Signi, tanquam effectûs, cum gratia tanquam causa. Rursùs, quæ est connexio dotis Corporis cum gratia, eadem connexio hîc poni potest; si enim dicas esse connexionem tanquam effectus moralis, quia scilicet petit gratia, à Deo dotes illas produci; sic dicam, etiam illam sensibilem qualitatem, fore effectum moralem gratiæ petentis illam produci, tanquam sui Signum. Denique potest revocari hæc connexio ad imaginem, appellarique potest connexio illa Signi & Signati, esse connexio imaginis cum imaginato: Signum enim & imago in ratione signandi conveniunt; quamvis differant, quòd imago sit cum titulo expressionis Objecti per seipsam, cùm id non habeat signum secundùm se, sed tantùm; quia præter speciem quam ingerit, facit nos in cognitionem signati venire.

Instat DiCast: Hujus ipsius ordinis seu nexûs Signi & Signati ratio inquiritur.

Respondetur Hujus ordinis & nexûs non aliam esse rationem, nisi ipsum non implicat, & congruentiæ allatæ.

Dices Secundò. Ens sensibile quamvis possit habere naturâ suâ vim significandi gratiam, non tamen vim significandi Sacramentaliter; quia Signum Sacramentale debet conferre in sui usu aliquam sanctitatem; ens autem sensibile, nec sanctitatem perfectam producere potest, quia hæc est spiritualis; nec sanctitatem legalem, quia hæc importat habilitatem vel deputationem moralem, quæ ipsa, involvit placitum deputantis.

Respondetur. Sufficere pro præsentibus assertis, quod illud Signum naturaliter significet gratiam; ut autem etiam causet, concedo requiri, vel elevationem, vel deputationem divinam.

Dices Tertiò. Si esset possibile signum materiale naturaliter significativum gratiæ, & esset naturale, quia naturaliter significaret gratiam, & non esset naturale, quia nihil naturale, dicit essentialem connexionem cum supernaturali.

Respondetur. Illud signum fore supernaturale in Entitate; ratio posset esse: quia supernaturale debet esse supra exigentiam cujuscunque substantiæ creabilis; non esset autem, si illud Signum naturale in Entitate, necteretur necessariò cum gratia supernaturali; sed hæc ratio non convincit: nam licèt supernaturale debeat esse supra exigentiam cujuscunque substantiæ creabilis, non tamen supra exigentiam cujuscunque accidentis; aliàs esset supra exigentiam gratiæ, quæ est accidens, positio habituum v.g. supernaturalium; debet ergo alicunde deduci Supernaturalitas illius Signi; nempe ex ipsamet dignitate gratiæ supernaturalis, quæ si excedit vires noscitivas naturales, si excedit quamcunque exigentiam substantiæ creabilis, multò magis excedere debet, exigentiam cujuscunque non quidem absolutè accidentis, idque ob rationem prætactam, sed debet excedere exigentiam, cujuscunque accidentis

cidentis naturalis; illa probatio, quòd esset illud signum naturale, quia naturaliter significaret gratiam, non tenet; quia etiam gratia naturaliter sanctificat hominem, neque tamen est in Entitate naturalis, idque ex eo: quia supernaturali, hoc facere quod est natum facere, non est supra exigentiam, adeoque non est illi supernaturale, sed naturale.

Instabis Etiam posito, quòd illud signum esset in Entitate naturale, licèt esset in entitate improportionatum; posset adhuc esse proportionatum in ratione signi & signati.

Respondetur quod non; & Ratio est, in quam etiam resolvuntur immediatè dicta: quia scilicet, si illud Signum esset naturale, esset debitum alicui naturæ seu substantiæ; nam in esse Naturalis, constituitur illo esse debito; si debitum alicui substantiæ, hoc ipso illi substantiæ deberetur & gratia; quia deberetur ipsum illud Signum, quod tamen Signum, necessariam, ut supponitur, dicit connexionem, cum gratia supernaturali, & tamen supponitur gratiam, nulli substantiæ creabili deberi.

Dices Quartò cum Perez. Hæc qualitas est impossibilis; quia omnis qualitas per se sensibilis, est ordinis naturalis, cum omne supernaturale sit extra latitudinem objecti naturalis sensuum.

Respondetur negando assumptum; negandoitem, quod omnis qualitas per se sensibilis, sit ordinis naturalis; cur enim non posset esse qualitas sed sensibilis nonnisi per sensum elevatum, & concurrentè per potentiam obedientialem, entque illud objectum, extra latitudinem sensuum non elevatorum, secus elevatorum; quibus etiam elevationem non posse competere, non demonstratur: fortèque ipsæ laureolæ sunt materiales, saltem aliquæ; & tamen probabiliter supernaturales. Ex dictis de Incarnatione notum est, & ex materia de supernaturalitate, quòd licèt rei supernaturalis, possit dari notitia naturalis, non tamen intuitiva: quia tamen non potest esse notitia sensus visivi, nisi intuitiva & perceptio sicuti est, ideo nec ullus sensus naturalis, posset attingere illam qualitatem; si tamen ponamus sensum distinctum realiter à sentiente & similem habitui fidei, qui est quasi intellectus supernaturalis; ita etiam si poneretur talis sensus supernaturalis, jam ille naturaliter esset perceptivus illius qualitatis supernaturalis. Cæterum quando illa qualitas materialis esset Signũ gratiæ, non esset Signum gratiæ sensui, quia hic spiritualia non noscit, sed esset Signum intellectui, illud sensibile penetranti.

Dices Quintò cum eodem. Sacramentum est significativum ex institutione divina: ergo non ex natura rei.

Respondetur. Antecedens esse verum de Sacramentis quæ sunt, non autem de signis possibilibus.

Dices Sextò. Non est explicabile in quonam stet ratio Signi in illo Signo.

Respondetur. In hoc, in quo, & in aliis signis: quia scilicet præter speciem quam illud Ens ingereret, duceret in notitiam rei illius spiritualis & supernaturalis, quæ est gratia.

Instabis Primò. Illud quod appellatur Signum gratiæ, non plus haberet, quàm v. g. Creatura, cujus prædicatis penetratis, inducitur homo in cognitionem Dei.

Respondetur. Indubiè omnia nexa cum altero, sunt promotiva cognitionis ad illud alterum, hoc ipso enim non noscerentur tanquam nexa. Species nexorum est Signum, ideoq; promotivum notitiæ ad percipiendum signatum.

Sed quî faciant id in ratione Signi, non est ita expeditum dicere.

Explicari id posset Primò. Quod Relativa promoveant ad notitiam aliûs tanquam termini. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia de hoc ipso quærere restat; quid sit promovere ad notitiam alterius tanquam termini, vel tanquam significati.

Explicari posset Secundò. Quòd in istis, quæ noscuntur ex connexione, non autem tanquam signatum ex signo, possit haberi notitia rei, quamvis de termino illius non formetur notitia; posset enim v. g. nosci Petrus, qui est Pater, quin noscatur filius. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit: quia sicut relatum materialiter spectatum, posset cognosci sine termino; ita sine Signato, poterit nosci Signum, sed materialiter spectatum: & sicut relatum formaliter spectatum, non potest cognosci sine suo termino; ita nec Signum formaliter spectatum, sine Signato.

Explicatur Tertiò. Quòd Signum in ratione Signandi, & condistinctè ab aliis quæ promoventad notitiam alterius, per hoc constituatur; quod Signum habeat rationem imaginis & Symboli prædicatorum rei. Ostendit hoc inductio, nam fumus est imago & symbolum ignis; unde pinge si velis fumum, ponis hoc ipso imaginem ignis; hedera est imago vendibilis potûs: & voces, quæ sunt Signa mentis ad placitum, sunt imago illius imaginis internæ, circa objectum: hocq; exigit vel ipsa definitio Signi: nam Signum præter speciem quam ingerit notitiæ, facit nos in alterius notitiam venire.

Instabis Secundò. Filius est imago Patris, & tamen filius non est Signum Patris.

Respondetur. Filium esse imaginem Patris duplici sensu dicitur. Primò, quia prædicata, quæ habet Pater, habet accepta per generationem filius: hæc ratio imaginis non est ratio Signi; non enim oritur ex ratione Signi, sed ex univocatione effectûs. Secundò Filius est imago Patris, in quantum ita effingit Patrem moribus, gestibus; ut ubi noveris Filium, noscas & Pa-

trem;unde bene dici poterit;Signa talia adhibet Filius, ut ex illo noſcatur Pater ; licèt in hoc, quod eſt filium eſſe imaginem Patris, ad illud prius attendatur.

Instabis Tertiò. Hæc explicatio confundit rationem Imaginis & Signi,quæ confundi non debent : nam homo creatus eſt ad imaginem Dei,& tamen non eſt Signum Dei.

Respondetur. Imago per hoc formaliſatur, quod dicat convenientiam ſpecialem, ſaltem analogam,cum eo,cujus eſt imago; & ita homo, quia analogicè participat noſcitivum & volitivum divinum, ideo eſt imago Creatoris, quæ non tribuitur brutis; ſemperque hæc imago importat rationem producti; unde VERBUM æternum quamvis exprimat creaturas, non eſt imago creaturarum,quia ab illis non procedit. Non habet rationem talem imaginis Signum: nam inprimis non indiget produci de ſe,à ſignato; deinde,quia imago incluſa in ratione Signi, non ſtat in eorundem vel ſimilium prædicatorum incluſione in ſignato; ſed in mera expreſſione ductiva notitiæ,ut prædicata Signati penetrentur;& hoc eſt illud; ly *Facit nos in alterius notitiam venire*. Unde ulteriùs duplex ſtatui poteſt imago, quædam intranſitiva, ut ita dicam, quæ licèt ad alterius notitiam moveat,habet tamen ſimilia in ſe prædicata, idque ſibi ab imaginato collata. Secunda autem imago eſt tranſitiva, quæ non habens prædicata ſimilia accepta ab imaginato,tamen ingeſtâ ſui ſpecie,promovet ad notitiam alterius; & hoc eſt eſſe Signum. Hinc caſu v.g. quo poneretur roſa vera ad deſignandum,quod in hoc ſcrinio contineantur roſæ, non ex eo erit Signum, quia habet ſimilia prædicata; ſed quia advertens,mentem transfert ad notitiam roſarum aliarum, quas ſignat: Ex quo colliges Signum eſſe viam quandam intentionalem ad notitiam Signati; & ſicut in corporalibus via non eſt nata, ut in ea ſiſtatur ; ſic nec vult in ſe ſiſti Signum.

Dices Septimò. Poſſet Deus non manifeſtare naturam illius qualitatis,conſequenter illâ cognitâ non cognoſceretur gratia ; ergo illa qualitas eſt Signum ad placitum.

Respondetur. Argumentum multum probat: quia probat quòd Signum Spirituale ſupernaturale quod eſt character, non ſit naturale Signum; quia poſſet Deus impedire ne noſcatur Signatum. Directè dici poteſt,illam qualitatem fore Signum ad placitum; quia noſcitur impedibiliter à Deo, ſed non eſt Signum ad placitum, quaſi non habeat ex natura ſua connexionem ſignificandi.

Punctum Difficultatis II.

Hoc Signum poſſitné eſſe Sacramentum completè.

Videtur abſolutè dici debere, quod illud Signum poſſit eſſe Signum Sacramentale, idque titulo potentiæ obedientialis, eò quòd poſſit Deus facere, ut illud Signum gratiæ, ſimul producat eandem. Reſtant tamen aliqua diſtinguenda. *Hinc*

Assero Primò. *Quodſi illud Signum foret tanquam effectus gratiæ, non poſſet elevari ad producendam illam primò.*

Ratio: quia quocunque caſu foret illud Signum effectus gratiæ, hoc ipſo præſupponeret illam gratiam habere primò eſſe, adeòque non poſſet jam illi tribuere primò eſſe; nullus enim effectus, poteſt dare primò eſſe, ſuæ cauſæ.

Assero Secundò. *Quodſi illud Signum non foret effectus gratiæ, ſed ſuppleret Deus cauſalitatem gratiæ in illo ſigno producendo; vel ſi natum ſit illud Signum nonniſi immediatè à Deo produci, adhuc eo caſu poſſet primò producere Sanctitatem, illud Signum.*

Ratio: quia non implicat pro alia ſerie, ut filius ſecundùm Entitatem ſpectatus,det primo eſſe, ſuo Patri; hocque caſu illud Signum,haberet perfectam rationem Sacramenti, eſſet enim verè cauſativum Signum gratiæ.

Assero Tertiò. *Qualitatem illam ſupernaturalem, ſecundùm quod formaliter ſignum eſt, non poſſe elevari ad producendam primo gratiam.*

Ratio Prima. Quia Signum quâ tale, eſt relativum; relativum autem præſupponit ſemper terminum : & quia Signatum eſt terminus relationis Signi, fit ut Signatum illi præſupponi debeat ; ergo non anteceditur à Signo; ergo nec cauſatur ; quia cauſativum eſt anteceſſivum. Sed hæc Ratio probat etiam Signatum quâ tale,non poſſe eſſe cauſam Signi; præcipuè ſi ponatur, quòd & ipſum Signatum, ſit relativum; nam hoc poſſet aliquis negare,& ponere, quòd ſicut ſcientia eſt relativa ad objectum, non tamen objectum ad ſcientiam ; ita etiam quòd Signum ſit relativum ad Signatum, non tamen Signatum ad Signum.

Ratio Secunda. Quia & poſſet elevari Signum ad illud Signatum,quod eſt gratia,primò producendum,ut ſupponitur: & non poſſet elevari: quia illud primò eſſe jam ſupponeretur, antequam illud produceret qualitas illa,ſecundùm quod formaliter Signum eſt; nam ſignum formale præſupponit habere Signatum: non enim ideo eſt neceſſe eſſe Signatum, quia ſignatur; ſed ideo ſignatur,quia eſt. Neque valet ſi dicas,Sacramenta veteris legis fuerunt verè ſigna formaliter,& tamen non præſupponebant gratiam eſſe, ſed futuram eſſe; non inquam valet: nam aliud eſt; an Signum formaliter debeat præſupponere Signatum exiſtens, & hoc non intendit probatio ; aliud verò eſt, an debeat præſupponere Signatum, & hoc in omni eventu verum eſt, idque ſolum intendit probatio.

Ratio

Ratio Tertia. Signum vel præsupponit prius signatum ratione; vel posterius ratione; vel simul ratione. Nihil horum dici potest; ergo neque potest dici, quod illud signum quà signum est formaliter, possit producere primò sanctitatem, vel gratiam quam significat. Si enim præsupponit Signatum prius ratione; ergo illi, ut dictum est, non dat esse: quia nihil potest dare esse ei, quod ante se ratione præsupponitur, & habet esse; dare enim esse, est extrusivum non esse; si autem jam extrusum est non esse (ut est extrusum si præsupponitur prius ratione jam esse) non habebit quod det esse. Si autem præsupponit signum posteriùs nonnisi se, signatum, pro illo priori antecessionis signū est signum; quodlibet enim est, quod est; si pro illo priori antecessionis signum, est signum; ergo pro illo priori antecessionis signat; quid autem signat, si pro illo priori non intelligitur signatum seu signabile. Si autem sufficit ut sit simul signatum & signum, id quidem sufficit ut sit simul re, sed non sufficit ut sit simul ratione, idque ideo: quia quodcunque taxativum afferetur colligendi, qu d aliqua quæ sunt simul, habeant se ita, ut unum sit prius alio ratione, idem hic in præsenti applicari poterit. Rursus procedendo à notioribus; Fumus est signum materiale, & licet simul sit fumus & ignis tempore, priùs tamen ratione est ignis. Deinde dictum est alibi inter modos investigandæ prioritatis hunc esse, nempe inquisitionem; si hoc deberet causari verè physicè, quidnam illorum deberet esse causa, & hoc erit priùs præ effectu; jam autem si signatum deberet causare sui signum; vel signum deberet causare suum signatum; potius à signato causaretur signum; unde non ideo est vinum, quia ponitur signum hedera; sed ideo ponitur signum, quia est vinum; idem dic de fumo; ergo etiam ratio signi quâ talis, inclusa in illa qualitate, non causabit etiam signatum, quod est gratia.

Indubiè tamen accipiendo signum materialiter, illud potest elevari ad causandam gratiam; nam quamvis sub formalitate Relationis prius est signatum quod est gratia, tanquam terminus relationis: id tamen non obstat; quia etiam effectus, in linea relationis, præsupponitur relationi Causæ, tanquam terminus; & tamen hoc non obstante, causa producit effectum, habetque prioritatem in linea agere.

Inter prædicata Sacramenti generica ponitur ab aliquibus Ens rationis; docet enim Vasquez totum hoc complexum, quod est Sacramentum, esse Ens rationis; sed mens Vasq. est in Philosophicis explicata, quod scilicet illic ex objecto nec sit, nec ab illo ponatur Ens rationis, sed nonnisi ex modo nostro concipiendi, qui volvitur circa res; & ita sine controversia ex Objecto apud Catholicum, Mysterium Trinitatis non est Ens rationis, quis tamen in modo illam concipiendi, non utitur modo simili, Enti Rationis. Ad alia prædicata accedendo, *sit*.

Punctum Difficultatis III.

An de ratione Sacramenti sit Signum stabile?

Assero Primò *Defacto esse aliqua Sacramenta Signa stabilia.*

Ratio: quia septem Ecclesiæ Sacramenta sunt verè Sacramenta, & habent stabilitatem.

Assero Secundò. *Possibile esse ut sit Sacramentum, & tamen non sit stabile.* Est assertum Lugonis, contra Suar. Amicum & alios.

Ratio Prima. Quia id non implicat contradictionem.

Ratio Secunda. Quia acceptâ quâcunque probata definitione Sacramenti ut sic, ex nulla ejus particula deduci potest ista stabilitas. Non ex ratione signi, quia hoc potest esse transiens, ut cum Deus pro signo sui adventûs, dedit prophetæ, sibilum auræ lenis, aliàs quotiescunque talis sibilus foret, esset signum Dei. Non etiam ex ratione causæ, quia potest esse causa non permanens. Non ex ratione Sanctitatis; quia ad hanc impertinens est, proficisci à causa permanente vel transeunte; quodsi id desumas ex exigentia Ecclesiæ, nempe ut in una Ecclesia uniformiter omnes colant Deum, id non obstat. Tum quia non implicat contradictionem, ut in una Ecclesia, sint diversi & varii modi colendi Deum. Tum quia uniformitas hæc Ecclesiæ, non est de essentia Sacramenti; ergo essentia Sacramenti salvari poterit, sine stabilitate, & è contra non ostendetur exigentia essentialis in Ecclesia, istius uniformitatis, in signis Sacramentalibus; & etiamsi foret exigentia essentialis in Ecclesia unifermitatis, sufficeret illa, si quousque signum non mutetur, omnes illo uniformiter utantur. Ad eum modum quo dicitur esse uniformis apparatus in Ecclesia, eo quòd nemo colore nigro utatur tempore paschatis, quamvis non sit constans iste color, mutatur enim in die defunctorum.

Ratio Tertia desumi potest ex Lugone. Tum quia non minùs pertinent Sacrificia ad cultum Dei quàm Sacramenta, & tamen potest constitui aliquod Sacrificium, non per legem permanentem, sed per institutionē quasi transeuntem, & pro una vice: nam Abraham si non impeditus fuisset, verum sacrificium instituisset immolando filium; & Christi oblatio in cruce erat Sacrificium, & tamen non erat permanens: nam quamvis illi successerit sacrificium Missæ,

certè ab hac institutione nõn pendebat veritas illius Sacrificii cruenti; ergo etiam & Sacramentum potest esse non stabili lege imperatum. Tum quia non minùs credenda spectant ad fidem quàm Sacramenta, & tamen possunt revelari, credenda à privatis, ergo & Sacramenta possunt dari non communia omnibus. Tum quia non datur nunc permanentia Sacramentorum legis naturæ, & legis scriptæ; cur ergo intra legem gratiæ, necessariò, nonnisi stabilia Sacramenta erunt?

Responderi potest ex Amico. Quamvis magis vel minùs durare non variet rem physicè, variat tamen moraliter; jam autem Sacramentum est Ens morale; & sicut magis vel minùs durare in beatitudine, variat beatitudinem, ita variabit & Sacramenta.

Contra. Tum quia quamvis Sacramentum sit Ens morale, nihilominus habet prædicata sua physica, & in ratione illa producendi, attendit Deus ad ipsa prædicata physica; ergo si permanentia Sacramentorum per aliquod tempus, salvabit prædicata physica Sacramenti, poterunt illa nonnisi per aliquod tempus durare. Concedo interim permanentiam connotari à Sacramentis, sed nego connotari indispensabiliter. Tum quia, quod mutetur beatitudo, si non sit perpetua, id provenit ex implicantia; nam quomodo esset status omni collectione bonorum exaggeratus, si perpetuitatem non diceret? nulla autem similis implicantia ostendetur, in Sacramento non stabili. Tum quia hæc instantia multum probat, nempe quòd neque mutari possint; & tamen sunt defacto mutata & abrogata: quod ipsum probatur: quia si aliquis beatus duraret in visione, nonnisi tantùm, quantùm durârunt Sacramenta legis naturæ vel scriptæ, non foret, ut dixi, beatus; ergo etiam & illa Sacramenta non fuerunt Sacramenta, si stabilitas Sacramenti & beatitudinis proportionantur. Et certè demus, quòd Sacramenta legis naturæ durârint centum annis, cur salvâ essentiâ durare non potuerunt nonaginta novem annis? rursùs cur non annis nonaginta octo? & sic ulterius decrescendo; quod si dicas tanto tempore debere illa durare, quantum sufficit ad judicandum moraliter esse uniformitatem in Ecclesia, id etiam non convincet; nam, ut dictum, hæc uniformitas non est essentialis; & etiamsi foret, sufficeret uniformitas, quousque aliud non statuatur.

Assero Tertiò. *Quia quamvis pro aliquo statu conveniat Sacramenta esse stabilia, defacto tamen probabile est etiam aliqua non fuisse stabilia.*

Prima pars asserti probatur: quia cum ordinariè instituat Deus Sacramenta, ut sibi consignet populum, eumque ab aliis sectis etiam cultu exteriore discriminet, ut vult Scotus, decet; ut sicut ille religionis status durat, ita duret statum illum consequens ratio discriminandi, quæ fit per Sacramenta.

Secunda pars probatur: quia in veteri lege erant Sacramenta, & tamen illa non erant publicâ lege instituta, sed ex solo instinctu divino usurpabantur, consequenter non erant stabilia. Fortè etiam, ut Vasq. putat & Lugo, Insufflatio Christi, Joan. 10. juncta ly Accipite Spiritum Sanctum, erat Sacramentum conferens potestatem absolvendi; & quamvis quidem Ecclesia hoc ritu non utatur, parum probat: quia auctori Sacramentorum, licitum fuerat aliter facere, aliud pro tempore sequenti instituere; unde etiam defacto consecrati sunt Apostoli in Sacerdotes traditione Corporis & Sanguinis Christi, cum tamen pro nunc constituantur Sacerdotes, traditione hostiæ, & calicis cum vino, non consecratis.

Dices Primò cum Suar. Defacto sunt Sacramenta, nonnisi lege stabili instituta.

Respondetur negando antecedens; illoque concesso non infertur impossibilitas oppositi.

Dices Secundo. Sacramenta instituuntur à Deo, ut fideles uniformiter Deum colant, atque adeo unam Ecclesiam constituant; ergo debent esse aliquid permanens, sicut & ipsa Ecclesia.

Respondetur. Concedo congruere, ut fideles uniformiter colant Deum, sed nego implicare oppositum, sufficitq; uniformitas quoadusque non revocetur.

Dices Tertiò. Sequi ex nostris principiis, quòd plura fuerint Sacramenta, ex istis, quæ constat non fuisse Sacramenta: qualia sunt illa verba dicta Magdalenæ; Remittuntur tibi peccata tua. Insufflatio in Apostolos, &c.

Respondetur. De insufflatione jam dictum. Quod attinet ad Sacramenta novæ legis, non ostenditur, quòd sint plura; verba enim illa Christi significabant quidem remissionem peccatorum, sed non causabant, sed supponebant in ante remissa peccata; nam dixit superiùs Christus, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, cum dilectione autem Dei, non stant peccata; quod attinet ad Sacramenta veteris legis, sine controversia, inter hæc ponenda est, Circumcisio, esus agni paschalis, panum propositionis ordinationes, unctiones Sacerdotum, ablutiones & Sacrificia expiatoria; tollebant enim aliquam immunditiam legalem. Hostia tamen pacifica & gratiarum actionis ac laudum non erant Sacramenta, quia de se nonnisi cultum Dei importabant, & nullam afferebant sanctitatem legalem. Impositionem manuum supra caput Josue, putat probabiliter Lugo fuisse Sacramentum. Regula autem universalis discernendi Sacramentum, est; an aliquid fuerit signum & simul causativum Sanctitatis?

DIFFI-

DIFFICVLTAS IV.

De aliorum Definitionibus.

Explicat Primò S. Thomas tertia parte, q 50. a. 2. *Quòd Sacramentum sit Signum rei Sacræ sanctificantis homines.* Hæc descriptio attendit solum ad hoc; quid vi nominis principaliùs importet Sacramentum, vi enim nominis importat principaliùs Signum. Ex eo etiam definitio S. Thomæ non est plena: quia multa erant signa v.g. transitus maris rubri, significantia rem sacram nempe gratiam baptismalem, quæ tamen non erant Sacramenta; hinc prædictæ definitioni addit Amicus ly Practicum; sed hoc non addidit S. Thomas; deinde ly Sacræ videtur superfluere: nam si sanctificat hominem, sacra res est.

Dubitari etiam posset, etiam posito quòd attendatur hîc ad solum nomen Sacramenti in hac definitione, in quo sensu accipi debeat ly Sanctificantis; an scilicet Genitivus ille sumi debeat intransitivè an transitivè; intransitivè sumitur, si ly Sanctificans, applicetur ad ipsum Signum & non permittatur transire ad rem sacram; & eo casu hic sensus definitionis erit; Sacramentum est signum rei sacræ, quod signum nos sanctificat; transitivè autem sumetur, quando ly Sanctificantis, non ad Signum spectabit, sed ad rem sacram; ita ut sensus definitionis sit; Sacramentum est Signum practicum rei sacræ, quæ ipsa nos sanctificat. Deberet sumi in sensu transitivo ex mente S. Thomæ; quia aliàs dici debuisset; quod Sacramentum sit signum rei sacræ sanctificans homines; deinde in Responsione ad primum ibidem, negat Creaturas sensibiles, esse Sacramenta, quamvis significent Sapientiam & bonitatem Dei, quia eam significant, ut in seipsa sacra est; non autem in quantùm nos per eam sanctificamur; ergo supponit quòd res sacra, quam significant Sacramenta, in tantùm significatur, in quantùm nos illa sanctificat; & ad tertium expresse ait; Sacramentum propriè dici, quod ordinatur ad nostram sanctificationem.

Tuetur definitionem S Thomæ Perez, quòd sit adæquata, docetque sufficere ut ponatur ly Signum non ponendo causam: quia Sacramentum habet virtutem donandi gratiam, tanquam locutio quædam, seu Signum exhibitum à Deo; cum autem omnis locutio Dei sit vera, evidenter colligitur Sacramentum, esse causam donandi gratiam, quin tamen necesse sit in definitione ponere, quòd illud Signum sit talis causa, infertur enim ex illo Signo, vis causandi: superfluè autem ponitur in definitione tanquam pars illius, quod ex alio posito in definitione, infertur.

Contra est: Tum quia omnes locutiones, quæ habentur in Scriptura sunt veræ, neque tamen ex hoc illorum prædicato colligitur, quòd causârint ea quæ dicebant, sed poterat remitti causatio alteri; ergo etiam quantumvis ponentur, Sacramenta esse locutio Dei vera, non sequitur quòd jam illa ipsa causent; quod ipsum in hoc resolvitur: quia ad rationem locutionis veræ non requiritur, ut locutio ponat id, quod loquitur, sed ut dicat conformiter Objecto; potest autem esse conformitas cum objecto, quod est gratia, etiamsi illa gratia, non ab illa locutione, sed aliunde ponatur. Tum quia aliqua hîc assumuntur quæ ulterius probanda fuissent, nego enim Sacramenta habere Rationem locutionis divinæ, sed potius sunt Objectum locutionis. Nego ex eo quòd Sacramentum sit Signum, inferre vim causandi signatum: quia id nec proficiscitur ex ratione Signi communi; fumus enim est signum & tamen non causat ignem; nec ex ratione signi talis; quia hæc non potest ostendi, quomodo in se, & de se, involvat rationem causæ; denique si perpendatur bene natura rationalitatis, infertur ex illa animalitas, unde etiam à Rationalitate datur subsistendi consequentia ad animalitatem, & tamen ex hoc titulo non sequitur, quòd animal non debeat poni in definitione hominis; ergo etiam quantumvis ex ista ratione Signi inferretur Causativitas, non sequeretur ex eo præcisè debere jam ablegari à definitione Sacramenti Rationem Causativi. Est quidem verum quòd ea, quæ inferuntur tanquam inclusa in ultimo genere & ultima differentia, quæ item habent rationem posterioris, non debeant poni in definitione; sed nego quòd ita comparentur inter se Signum & Causativum. Tum quia in definitionibus Sacramentorum attendendum ad phrases Conciliorum & Patrum, qui non solius præcisè Signi meminerunt, imò illius locutionis nemo.

Explicat Secundò Lugo. *Quòd Sacramentum sit ceremonia sensibilis, quæ usu suo sanctificando subjectum, significat gratiam internam cujus est causa. Hæc explicatio*

Non Satisfacit: quia supponit Sacramenta vetera fuisse causas gratiæ, quod negavimus; significabant quidem gratiam illa Sacramenta, sed hoc illis est commune cum transitu v.g. per mare rubrum, sed non significabant sacramentaliter, quia non causativè, ut jam dictum. Quando autem dicit quod Sacramentum sit signum rei sacræ, nos perfectè sanctificantis, aliquam in sui usu conferens suscipienti sanctitatem; hæc jam accedit magis ad eam quæ defenditur definitionem; sed, ut dictum inter alia, superfluit illud, Sacræ nos perfectè sanctificantis; si enim dicas quòd nos perfectè sanctificet, hoc ipso intelligitur res sacra.

Explicat Tertiò Perez.

Ponitq; Primò duas Respub. viatorum humanas, sacras, habentes Cerimonias proprias

divinas, à Deo institutas. Prima est perfecta, hoc est sufficiens ad omnes fines & dona supernaturalia; constat enim Optimum definiri per sufficientiam; unde illa habet supremum Sacerdotem, Optimum inter omnes possibiles; habet oblatam sacrificio hostiam, inter possibiles Optimam, quod utrumque competit Christo. Secunda Respub. est, etiam quidem ordinata ad finem supernaturalem, sed nondum habens sacerdotem ex possibilibus Optimum, nec hostiam, &c. sed est desiderans & exspectans illa Optima, & suis cerimoniis rempub. perfectam adumbrans, & præfigurans.

Ponit Secundò. In utraque hac repub. esse cerimonias quasdam divinas seu ritus & symbola, quibus Deus loquitur ex modo proprio cujusque reipub. loquitur enim per homines humano modo agentes.

Ponit Tertiò. Quòd cerimoniæ divinæ communiter dividantur in Sacrificia, Sacramenta & sacra seu Observantias; quod attinet ad Sacramenta & Sacrificia, illæ possunt appellari cerimoniæ divinæ personales, quia earum munus est designare personas pro repub. sacra; nam Sacrificia designant Deum, quem colere Respub. debet, Sacramenta autem designant personam in cultum Dei deputatam. Sacra autem & observantiæ, possunt appellari Cerimoniæ non personales sed Cerimoniæ reales: nam earum officium non est, designare personas, sed res aut actiones; ut deputantur altaria ad cultum Dei: observantiæ autem versantur circa actiones decentes, sive in victu, sive in vestitu, &c.

Ponit Quartò. Hæc omnia convenire in ratione divinæ cerimoniæ seu observantiæ, solumque restat ponere differentiam, quæ sit communis novis & antiquis Sacramentis, faciatque differre, à Sacrificiis & observantiis.

Ponit Quintò. Differentiam hanc ex S. Thomâ; quod sit Signum rei sacræ ut sanctificantis Personam signatam, & habentis rationem finis ipsius Signi; suam autem paraphrasin seu definitionem sic ponit; Sacramentum est symbolum legitimum Reipub. sacræ, humanæ, perfectè sive imperfectè designativum, pro ea, personæ creatæ, humanæ, sacræ, significans se habere virtutem donandi, illâ designatione gratiam, vel donatione de præsenti & ex opere operato, vel donatione de futuro, præfigurativâ præsentis, exhibitum à Deo loquente & paciscente cum homine, per hominem, modo humano. Breviùs autem illam compingendo, dicit; quòd Sacramentum sit cerimonia divina personalis, donativa gratiæ.

Non Satisfacit Primò. Tum quia ipsa Respub. præsens viatorum non est quid optimum; melior enim est respub. Comprehensorum; & si ipsa non est quid optimum, nec singula in illa sunt quid Optimum; dictum enim alibi, Deum non semper facere optimum, nec necessitari ad faciendum optimum; & in particulari est quidem Summus Sacerdos Optimus, sed non optimi subordinati; melius item esset, imò & optimum, ut unusquisque litans, esset hypostaticè unitus, vel saltem confirmatus in gratia, aut ad minimum prædestinatus; hostia ipsa secundùm quod continet Christum importantem Personam divinam, est optima, sed respectu multorum non optima, respectu v. g. gratiæ habitualis in Christo positæ, quam secum affert; nec est optima respectu humanitatis, hæc enim non est quid infinitum: nec optima respectu accidentium; melius enim esset, si v. g. servatâ gustabilitate panis ad salvandam conversionem, addendo illi si volueris quantitatem, si inquam, alia accidentia transaccidentarentur in supernaturalia accidentia, & cætera similia. Tum quia ipse Perez cum voluisset defendere definitionem S. Thomæ, assumpsit phrases & sensus longè distinctos à S. Thoma. Tum quia illa prima definitio nimis est longa.

Respondet Perez, hanc Objectionem esse ridiculam & putidam, & longitudinem definitionis non esse vitiosam, quando causa longitudinis, est copia rerum contentarum in re definita, & inopia vocum clarò explicantium combinationem illorum prædicatorum; sicut nec Mathematici vitium est, pluribus notis arithmeticis uti, quando numerus est tam magnus, ut non possit paucioribus notis explicari, talesque definitiones non rarò in Mathematicis reperiuntur.

Contra. Tum quia apparet suppetere voces abbreviativas & expressivas illius definitionis; defacto enim Perez ipse, illam, ut vidimus, abbreviavit. Tum quia ea quæ afferuntur de Mathematicis non convincunt: nam etiam in Mathematicis est error scribere tot unitates distinctim, quot continentur in numero; quantumvis illæ revera contineantur; sed fit recursus ad cifras; ergo etiam debebat facere recursum definiens, ad solam illam, quam potuit ponere, abbreviatam definitionem. Tum quia docti intimant omnem definitionem debere esse brevem; & ratio est: quia definitio est objectiva essentia rei, quæ omnis pluribus non stat, nisi ultimâ differentiâ & genere proximo, quæ non sunt multa, sed unum ultimum genus, & una ultima differentia; cumque etiam in præsenti genus ultimum & differentia ultima nonnisi ex Signo causativo & Sanctitate formetur, per illa sola debuit formari definitio; breviter, hoc quod est, est essentia in indivisibili consistens, adeoque non in multis, consequenter & definitio non debet stare multis.

Non Satisfacit Secundò. Textus ille definitionis longior prout formatur. Tum quia superfluit ly legitimum additum Symbolo; si enim legitimum non est, Symbolum non est: ad eum modum quo si aliquid Scholasticè causa est, legitima est; si legitima non est, causa non est.

Tùm

Tum quia sine ullo circuitu de repub. sacra humana, de Persona creata humana, sufficisset dicere ly fidelis, si enim fidelis est, in Ecclesia est; superfluitque illud personæ creatæ humanæ; sufficit enim dicere personæ humanæ; si enim humana est, creata est: unde licèt sit Christus homo, non tamen habet personam humanam; ergo apparet titulum personæ humanæ, involvere rationem creatæ. Tum quia nulla definitio debet per divisionem procedere; sicut non benè definiretur animal per substantiam, quæ est brutum vel homo; unusque modus sciendi non debet confundi cum alio modo sciendi; alius autem modus sciendi est definitio, alius divisio: quam divisionem inserit definitioni Perez loquendo de gratia præsenti vel de futura, loquendo de perfectè vel imperfectè designativo. Tum quia non apparet quid velit ille terminus, Deo loquente per hominem; si enim supponat pro puro homine, non competet definitio Sacramentis novæ legis, quæ à Christo instituta; si non de puro homine, non erit tribuenda Circumcisionis institutio Abrahamo, & innovatio Moysi.

Non Satisfacit Tertiò. Etiam attendendo ad definitionem prout est jam abbreviata. Tum quia illud personalis, habet difficultatem; non apparet enim quomodo Sacramentum Eucharistiæ, sit cerimonia personalis, dum extra usum, est tamen Sacramentum; ly etiam donativum gratiæ, non est secundum phrasim Conciliorum, quæ attribuit Sacramentis continentiam & causa ionem non autem donationem. Tum quia quamvis Sacramentum Baptismi, Ordinis, Unctionis habeat hanc designationem Personæ in partem Reipub. sacræ humanæ, sed quomodo id habebit idque plenè, Sacramentum Confessionis, præcipuè veniam. Sacramentum item Matrimonii, sine quo redduntur fideles personæ Reipub. sacræ humanæ. Tum quia ly illud Personalis, supponit pro designatione facta Personæ, quæ fit à Sacramentis, estque hæc particula distinctiva & essentialis; & tamen Tridentinum designationem hanc non ponit pro essentiali, admittentesque designationem hanc in Sacramentis, docet non admittere Sacramenta, sed recurrit ad continere & significare gratiam; ita enim Trident. Sess. 7. Can. 6. habet; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint, &c. & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Non ponit quidem Perez in hac sola designatione Personæ, stare Sacramentum, ponit tamen pro differentiali & essentiali, cum tamen hoc, videatur loco citato non agnoscere Tridentinum.

DIFFICULTAS V.

De quibusdam Illationibus.

EX allata definitione Sacramenti ut sic, formandæ sunt illationes, quas etiam conformiter ad sua principia alii faciunt, in particulari Perez.

Inferes Primò. Cur Sacra Scriptura non sit Sacramentum propriè? Rationem reddit Perez: quia prima particula definitiva Sacramenti est esse Symbolum, Ly autem Symbolum significat, Signum illud, non esse consistens in nudis verbis, sed etiam constans aliquâ re, quæ sua naturali similitudine rem significatam repræsentet, ut solent Emblemata; jam autem Sacra Scriptura, licèt multa narret, quæ possunt esse Symbola, ipsa tamen in nudis verbis consistit: non est ergo Symbolum propriè dictum. *Hæc Ratio*

Non satisfacit. Nam sive Symbolum accipiatur hîc pro signo, & Signum pro significativo, non tamen est ex eo illud Signum & significativum, quia naturali similitudine rem significatam repræsentat; cum enim hæc sint ad placitum à Christo adhibita, hocque placitum sit in illis principale, apparet quod primariò ratio Significativi, non desumatur illic, à naturali significatione. Et certè ratio Signi, est in Sacramentis determinata: quia ablutio significat mysticum nitorem, sed cur non significabit, vitam ita defluere, ac aquam, omnes enim sicut aquæ dilabimur. Unctio significat corroborationem, sed cur non significabit sanctificationem ut fiat moriturus odor bonus Christo &c. ergo apparet hæc non habere determinatam significationem naturalem.

Ratio ergo est, quod Scriptura sit signum & quidem Sacrum: quia locutio divina, non tamen causativum, deputatumque ad causandam sanctitatem. Rursùs: quia Scriptura Sacra, & aliæ humanæ, non differunt nisi speciali principio, sæpe enim objecto non differunt, ut si aliquis Ethnicus idem scribat, quod Scriptura Sacra, sed diversitas est, secundum speciale principium: quia videlicet Sacra Scriptura confecta est ex peculiari instinctu & assistentia Spiritus Sancti, in genere causæ illuminativæ & directivæ, concurrentis; si autem Sacra Scriptura & humana non differunt nisi principio, non apparet, per quid Scriptura extrahatur ad rationem Sacramenti, de quo hîc.

Inferes Secundò. Cur serpens æneus & transitus maris rubri non sint Sacramentum? Rationem reddit Perez: quia non est Symbolum legitimum, id est, lege perpetuâ constitutum, ut sæpe repetatur uniformiter in variis personis. *Hæc ratio*

Non Satisfacit Primò. Urgendo hoc ipsum quod sibi opposuit Perez ex Lugo. Non est de ratione Sacrificii, repetibilitas uniformis

legitima; ergo nepue de ratione Sacramenti saltem ut sic.

Respondet Perez Sacrificium & Sacramentum concurrere in ratione signi designativi Personæ, sed cum hoc discrimine, quod sacrificium designet eum, quem tanquam Deum colere debemus, Sacramentum autem designat Personam dedicatam ad divinum cultum, tanquam partem unius reipub. utrumque dividitur in repetibile & irrepetibile, quod vocari potest Characteristicum, prioris exemplum est Sacrificium Missæ repetibile, posterioris Sacrificium cruentum Christi, estque hoc posterius irrepetibile, quia est Characteristicum, cum sit proprium Reipub. Christianæ; Deus enim Christianorum est ille, quem Christus suo sacrificio designavit & unicum Deum, illaq; designatio fuit, quasi electio & admissio Patris Jesu Christi in Deum reipub. Christianæ; non quia divinitas Patris Jesu Christi & Filii & Spiritûs S. habentium cum ipso eandem essentiam, ac proinde eandem divinitatis designationem, pendeat à Sacrificio Christi, sed quia ejus cognoscibilitas ab illo pendet, si enim Christus habuisset multos Patres Deos, aut esset multiplex Deus, potuisset Christus offerre Sacrificium Characteristicum singulis; sed quia Deus est unicus, non potuit nisi unum offerre ejusdem rationis; sicut Baptismus in eodem homine non repetitur. In Sacramentis alia est Ratio: quia sive Sacramentum sit Characteristicum sive non, est repetibile, sed non characteristicum habet repetibilitatem duplicem, unam in uno homine, alteram in pluribus hominibus; at characteristicum hanc solum posteriorem repetibilitatem habet: quia colentes Deum non sunt unus, sicut Deus est unus; necesse autem est ut ea repetibilitas communis utriq; Sacramento, sit constituta lege, omnes enim debent signari uniformi Signo uniformitate non causali, debet ergo ea uniformitas stabiliri, per aliquam legem.

Contra est. Tum quia. Nego de ratione Sacramenti esse repetibilitatem, vel si est, dicam fuisse in serpente æneo, quia non tantùm in deserto fuit propositus, sed continebatur etiam in templo, & non parvo tempore ad negotium sanandi fuit utilis, cur ergo pro eo tempore non erat Sacramentum? Nego debere illam constitui lege, Nego de ratione Sacramenti esse uniforme signum; vel si est, cum uniformiter omnes ab illo serpente fuerint sanati, cur ille non fuisset Sacramentum? cumque fuerit decretus lege Dei, cur non erat Sacramentum? Tum quia non apparet ratio, cur Sacrificium designet eum, quem tanquam Deum colere debemus; quid sit item ista designatio, & cur potius non est objectum quod colitur, & cui destinatur Sacrificium; cur Sacrificium præcipuè legitimum & legitimè ponibile, non significat etiam personam, à qua offertur, esse legitimam; cùm actio etiam, inferat suum principium. Tum quia potiùs Christus designavit Deum colendum Christianis Sanctissimam Trinitatem, condistinctè à veteri Sacramento, cui tam explicatè mysterium hoc non patuit, per cultumque Trinitatis distinguitur à Judæis & Saracenis; ergo potius repeti debuit saltem secundùm numerum Personarum hoc Sacrificium; & si Christus habuisset plures Patres, plura sacrificia offerre debuisset; ergo etiam cum sint tres Personæ divinæ, tria sacrificia offerre debuisset. Tum quia etiam Baptismus est Sacramentum Characteristicum, & tamen non obstante, repetitur in multis; ergo etiam repeti debuisset & mortis Sacrificium: sicut enim quia Deus est unus, unum dicit debere esse Sacrificium, ita quia plures sunt homines, pro singulis debet esse unum sacrificium. Tum quia cum hoc, quod est repeti vel non repeti mortis sacrificium, pendeat à libera voluntate Dei & Christi; esse autem Deum unum non pendeat à libertate, cur in hoc quod liberè fit, recurritur ad hoc, quod nonnisi necessariò est.

Non Satisfacit Secundò. Quia etiam recurrendo ad hoc, quòd Sacramentum debeat esse stabile, non apparet cur serpens æneus non fuerit Sacramentum; habuit enim de se proponendo, servando, collocando in trabe legem; ergo habuit legitimitatem stabilitatis; ergo erat Sacramentum, hoc enim ipsum dicitur illi defuisse, ne esset Sacramentum; quia non habuit stabilitatem.

Non Satisfacit Tertiò. Quia licèt per legitimum intelligatur, lege edictum quòd tamen debuerit esse lex hæc perpetua, nulla est ratio; aliàs Sacrificium Christi, non esset legitimum: quia ipsum cruentum perpetuò non fit, fit illius repræsentatio; sed etiam non tantùm representatio est Sacramentum, sed & ipsum repræsentatum, & tamen hoc non repetitur.

Ratio ergo ex dictis assignari debet; ideo illa duo non sunt Sacramenta; quia licet significent, non causant Sanctitatem.

Inferes Tertiò. Quæ sit distinctio Sacramenti à Sacrificiis, Observantiis, & Sacris? Rationem dat Perez: quia Sacra & Observantiæ non sunt Ceremoniæ divinæ Personales, sed reales; à Sacrificiis verò differt: quia Sacrificium est designativum Dei colendi; Sacramentum autem est designativum Personæ creatæ humanæ. *Hæc Ratio*

Non Satisfacit. Præter dicta; an Sacramenta debeant esse designationes Personales, id insuper est: quia Sacrificium designat personam cui immolatur; ergo & altare quod est Sacrum, designabit Deum cui struitur, sacrificium, non est solares Deo dicata, sed designat Deum; ergo & altare; unde etiam Breviarium Romanum 9. Novembris Lectione quartâ sic habet; *Nec, &c in titulum erectum erat altare quod Chrismate delibutum, Domini Nostri Iesu Christi, qui altare, hostia, & Sacerdos noster est, figuram exprimeret;*

ret; ergo in sensu Breviarii altare, est designativum Personæ Christi, seu designativum Dei colendi, consequenter nullo distinguentur Sacrificium & sacra, v. g. altare. Rursùs: cur Observantiæ non debeant dici designativæ personarum, nam assumptio v.g. ad portandas literas est observantia designans actionem portationis literarum, hoc ipso tamen designat personam in Repub. Cursoris, vel Postarii, cur idem non dicetur de Observantiis Sacris? Deniq; ipsæ Observantiæ ex sensu Perez, versantur circa actiones decentes, nonnè hoc etiam Sacramentis, in actione baptisandi, absolvendi &c. competit.

Ratio ergo ex dictis est. Quia Sacrificium quâ tale, est Signum cultûs divini oblatione exhibitum, consequenter ex essentia illius non est, ut sic causativum Sanctitatis. Sacra item definitivè sunt res deputatæ cultui divino, circa quas vel in quibus fiat oblatio; ergo adhuc non participabunt ex ratione causativi gratiæ; idem dic de Observantiis, quæ sunt actiones certo modo usurpabiles in cultu; ergo ex sua essentia, non dicent adhuc rationem causativi, adeoq; Sacramenti.

Inferes Quartò. Cur filiorum in statu innocentiæ conceptio, & Visitatio Beatissimæ, non sint Sacramenta?

Respondet Perez. Infans in utero positus, est quidem essentialiter homo, non tamen pars civilis reipub. humanæ, potiùs enim moraliter, est pars, suæ Matris: quia autem Sacramentum est Symbolum reipub. humanæ Sacræ, designativum pro ea personæ Sacræ, designatione scilicet, quæ illam faciat personam civilem; & cùm filius conceptus nondum natus, non sit capax talis designationis, cum non possit esse homo civilis; ergo non est capax recipiendi Sacramentum; ergo sanctificatio illa infantium in utero, non est Sacramentalis; idem dicendum de Visitatione Beatissimæ Joannem sanctificante. Alia esset per Perez ratio; si talis visitatio indivisibiliter sanctificaret & Matrem & infantem, tanquam partem quandam Matris, quæ Persona civilis est integra & perfecta, cum suo infante. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia quamvis filius in utero existens, non sit Persona civilis, sed civilis pars Matris, tamen talibus infantibus collatus baptismus, verè est Sacramentum; ergo etiam ex eo illa sanctificatio non desinet esse Sacramentum: quia confertur istis, qui non sunt pars civilis reipub. Tum quia alia est civilitas politica, alia civilitas fidelis, quid deest illis infantibus, ne sint cives fideles, siquidem habeant gratiam infusam; & si sunt cives fideles, cur non erunt capaces designationis fidelis, adeoque Sacramenti. Tum quia alia est hæc quæstio; an aliquid sit Sacramentum? & alia; an aliquid saltem sit capax illius? ex incapacitateque subjecti, non arguitur absolutè hoc non esse Sacramentum; & ita si sit monstrum incapax baptismi, licèt natum ex concubitu humano, non ex eo arguitur jam, Sacramentum baptismi, non esse Sacramentum; ergo & in præsenti, cur illa sanctificatio non sit Sacramentum, non rectè arguitur ex eo, quia non sunt capaces designationis civilis infantes, sed aliunde id debet colligi.

Respondet in simili Perez. Infantem, qui potest baptisari, posse tangi & videri, & eo ipso jam dici posse editum in lucem, ac proinde esse partem reipub. civilem. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia ex probabili sententia, sufficeret etiam per canaliculum infundere aquam: quo casu non videretur, nec tangeretur nisi aquâ, & tamen in probabili sententia foret Sacramentum tunc; deinde post Conceptionem, potest scindi mater, adeoque videri & tangi conceptum; ergo nihil deerit, quominus illa conceptio sanctificet.

Ratio ergo potius est. Quia illa Conceptio non habebat in primis rationem Signi, hæc enim est vel ad placitum; ergo ex institutione; vel ex natura, & hoc hîc non habetur; si autem est ad placitum signum, istius assumptionis ad hoc significandum, dandum esset fundamentum ex authoritate Sacra petitum, quod nullum habetur; idem dic de visitatione. Rursùs: quia illa Conceptio non habebat rationem causativi illius sanctificationis, aliique sunt hi termini *Cum*, & *Per*, verumq; fuisset quòd tunc *Cum* esset conceptio, esset sanctificatio, sed non esset verum, quod *Per* Conceptionem esset sanctificatio; idq; ideo: quia licèt posset etiam per conceptionem fieri sanctificatio, non constat promissum hoc fuisse illi conceptioni, tanquam evasuræ ad formalitatem *Per*, idem dic de visitatione, quòd fuerit quidem perfecta sanctificatio S. Joannis, cum Elisabetham visitaret Beatissima, non autē, quod *Per* illam visitationem sensibilem, tanquam instrumentum elevatum, fuerit sanctificatus.

Continuantur Illationes.

De Martirio supra dictum.

Inferes Quintò. Cur sumptio Eucharistiæ non sit Sacramentum? Rationem dat primo Perez; quia Sacramentum duo habet; esse Dei locutionem seu promissionem, saltem conditionatam, & esse designationem Personæ Sacræ, designatione donativâ gratiæ; non est autem de ratione Sacramenti ut sic, esse actualem designationem, sed esse designativum. Est autem hæc differentia inter Eucharistiam & alia Sacramenta, quod hæc, ex eodem capite, habeant esse designativum & sanctificativum, & esse locutionem Dei; eatenus enim habent virtutem donandi gratiam, & sanctificandi, quatenus sunt locutiones quædam Dei donativæ gratiæ; cum ergo ipsa designatio actualis, & actualis applicatio in reliquis Sacramentis, sit locutio Dei, & sit à Deo instituta, ut compleat Sacramentum in ratione locutionis Dei, non est mirum, quòd alia Sacramen-

menta non habeant ante usum sanctificandi vim. Eucharistia autem ex alio capite habet virtutem sanctificandi, & esse locutionem Dei promissivam gratiæ sumentibus Eucharistiam: virtutem enim sanctificandi habet ex eo; quia habet in se auctorem gratiæ, ex divina autem institutione habet, ut ipsa Eucharistia continens ipsum auctorem gratiæ, sit promissio quædam conditionata ipsius gratiæ, si sumatur; ergo sumptio, est mera conditio hujus promissionis. *Hæc Ratio*

Non Satisfacit. Quia imprimis negatur Sacramenta esse locutionem Dei, promissionem Dei &c. secundum dicta supra, contra Lugo. Rursus in oleo extremæ unctionis, idque benedicto, unctio actualis non est conditio; ergo idem dicendum de Eucharistia consecrata, actualis illius olei usurpatio, complet illud Sacramentum in ratione locutionis Dei; ergo & actualis usurpatio Eucharistiæ, idem habebit, posset; in Eucharistia distingui, permanens locutio Dei & transiens, & quòd illa permanens non compleatur actuali sumptione, secus hæc transiens. Quod attinet ad illam propositionem; Alia Sacramenta non habent vim sanctificandi, si procedat de vi in actu primo, falsa est: nam etiam olea & aqua, habent vim in actu primo sanctificandi; si autem procedat de vi in actu secundo, adeoque exercito, hæc etiam in Eucharistia non habetur: quia etiam hæc non sanctificat exercitè, nisi in usu. Sed concesso etiam quòd alia Sacramenta ante usum non habeant vim sanctificandi, habeat Eucharistia, cur illius etiam actualis sumptio, non participabit de illa vi sanctificandi. Concedo quòd in aliis Sacramentis ex eodem habetur, esse designativum, sanctificativum & locutionem Dei, & ex alio capite in Eucharistia, adeoque habere Eucharistiam, ut sit Sacramentum ante usum, sed quærere restat, cur ipse usus illius, non sit Sacramentum, ut ita dicam, transiens, cur non sit designativum, & sanctificativum, & locutionis Dei complementum transiens. Concedo quòd Eucharistia sit promissio conditionatæ gratiæ, sed id etiam habet oleum, aqua, &c. si actu usurpentur; sed cur ipsa sumptio non erit etiam actu Sacramentum, sicut actu unctio, & actu ablutio, est Sacramentum.

Ratio Secunda ex eodem est. Quia sumptio Eucharistiæ est conditio Eucharistiæ, quatenus hæc est promissio conditionata gratiæ, ita tamen, ut ipsa sumptio, non sit locutio divina, adeoq; nec Sacramentum; sic peccatum potest esse conditio comminationis divinæ conditionatæ, & tamen non potest esse locutio divina, id est; habens Deum pro auctore. *Hæc Ratio*

Non Satisfacit. Cur enim ipsa sumptio actualis, non est complementum actualis locutionis divinæ, supposito quod Sacramentum debeat esse hæc locutio? cur sequitur sumptio naturam peccati, quod est nonnisi conditio comminationis divinæ, & non sequetur potiùs naturam actualis unctionis, actualis ablutionis; & si quamvis ablutionem & unctionem perficiat minister, est Deus specialis auctor utriusq; adeoque sunt illa locutio divina, cur sumptio quamvis perficiatur à sumente, non est locutio divina, nec Deum habet pro auctore, si autem habet Deum pro auctore, ergo non ita se habet ac peccatum; quod ideo est conditio & non est locutio divina, quia non habet Deum pro auctore.

Ratio Tertia ex eodem est. Quia etiamsi ponatur, quòd sumptio, sit locutio Dei, non est tamen locutio, quæ possit esse Sacramentum, nam Sacramentum est locutio Dei loquentis per hominem agentem modo humano; ut autem homo agat nomine Dei, modo humano, requiritur ex parte hominis, intentio agendi nomine Dei; unde locutio divina habens rationem Sacramenti, pendet ab humana intentione, sumptio autem Eucharistiæ, non pendet ab hac intentione, ut operetur suum effectum, ut si illud recipiat infans baptisatus *Hæc Ratio*

Non satisfacit. Non potest negari quod infans baptisatus recipiat Eucharistiæ effectum, id enim habuit usus Ecclesiæ, & modo habet inter Orientales, saltem aliquos, estque de hoc etiam phrasis Augustini de peccatorum meritis lib. 1. cap. 25. ante medium; sed hoc posito, Ratio adhuc non evincit; nam baptismus etiam in adultis non tenet sine intentione suscipientis, & tamen hoc non obstante in infantibus ablutio est locutio Dei, sufficitque haberi intentionem abluentis; ergo & hic sufficiet haberi intentionem conferentis

Ratio ergo ex dictis est. Quia Sacramentum debet esse Signum causativum sanctitatis, jam autem non sumptio illa causat gratiam, sed ipsa Eucharistia; & constat ex doctrina Ecclesiæ, sumptionem illam, non esse assumptam ut signum causativum gratiæ, licèt assumi potuerit.

Inferes Sextò Cur Cerimoniæ non sint Sacramentum, itemque picturæ sacræ? rationem dat Perez: quia non sunt locutiones divinæ, sed humanæ.

Contra.: quia sicut quamvis Christus determinarit materiam & formam Sacramentorum, multa tamen materialiter & in individuo non determinavit; de quo infra; & tamen hoc non obstante, quæ determinavit Ecclesia, sunt locutio non humana sed divina, cur idem non poterit dici de Cerimoniis & picturis si aliunde id non probetur; & si ablutio vel unctio profecta à Ministro, potest habere rationem locutionis divinæ, cur non cerimonia sacra vel pictura?

Ratio ergo est. Quia ista non sunt Signa causativa Sanctitatis; cujus enim?

De Signis Spiritualib. discurrit Perez, sed in illis deficit ratio Signi, de quo hîc nempe humani.

Inferes Septimò. Quare miraculum non sit Sacramentum? Perez sic discurrit: Fingamus Christum non solum confirmasse miraculo, se potuis-

potuisse remittere peccata illi Paralytico Evangelico, sed vi miraculi factam fuisse remissionem peccati, & postea instituisse, ut miraculis similiter, ab homine alteri homini, conferretur gratia; dicit ille miraculum ita institutum, non futurum fuisse Sacramentum, similiter institutum, ut de facto est institutum; idq; ex eo: quia Sacramentum debet esse Signum exhibitum à Deo loquente, & paciscente cum homine, per hominem, modo humano, jam autem loqui Deum per hominem facientem miracula, non est loqui per hominem operantem modo humano, sed operantem modo divino & supernaturali; ergo loqui Deum per miracula, non est loqui Sacramentaliter. *Hæc ratio*

Non Satisfacit. Quia quamvis non dubitet Perez, quod etiam miraculum possit habere rationem Sacramenti, id tantum negat, quòd habeat rationem Sacramenti similis præsentibus, sed id etiam non convincit. Ratio est: quia quamvis prolationem formæ consecrationis humanam, consequatur miraculosa transubstantiatio & positio Corporis Christi, quamvis ablutionem una cum forma, humanam, consequatur miraculosa (quia è potentia obedientiali animæ facta) productio gratiæ, utrumq; tamen hoc, est verum Sacramentum; ergo ratio illa miraculi, non obesset, si adesset institutio, quominus illa sit Sacramentum. Rursùs illud miraculum esset sensibile v. g. sanatio, v. g. dictio: sano te, causaret etiam sanctitatem, esset ergo in nostris principiis Sacramentum, & si Ly abluo te, post quod sequitur miraculosa productio gratiæ, est Sacramentum, cur non illud sano te. Quod etiam sequitur in principiis Perez, nam per illum, Sacramentum debet esse Signum exhibitum à Deo loquente & paciscente cum homine per hominem modo humano, sed illud ly: sano te, productivum sanitatis & sanctitatis, esset Signum cadens etiam sub sensus, exhibitum à Deo, quia assumptum à Deo ad sanitatem & sanctitatem, consequenter intercederet tunc, & locutio, & pactum cum homine per hominem, modo autem humano, quia esset dictio: Sano te; & ipsa sensibilis sanitas, spectaret ad humanum, quia sensibilem modum.

Ratio ergo est, illam sanationem non fuisse Sacramentum; quia non erat causativa Sanctitatis, nec ad id assumpta à Deo, sed si assumeretur, esset Sacramentum, & quidem ejusdem Rationis cum præsentibus, nullo enim differret, nisi quòd sanctam sanitatem afferret. Non repugnat autem Sacramento, habere rationem talis, qualia de facto instituta, conferre tamen sanitatem in alio ordine, nam in præsenti, nullam per se confert sanitatem; & sicut nunc non confert per se Eucharistia primam gratiam, posset tamen in alia institutione conferre servatâ ratione præsentium Sacramentorum; ergo & Sanitatem quam nunc extrema unctio per se, non absolutè confert, posset in alia serie, per se absolutè conferre, servata ratione præsentis Sacramenti. Quòd autem aliquod Sacramentum nunc per accidens facit, potest per se in alio ordine facere, idq; servata ratione præsentis Sacramenti, alligata nonnisi omnipotentia ut eventus v g. sanitatis semper fiat; immò cum interdum extrema unctio sanet, cur non debemus dicere, miraculosè id interdū fieri; hocne jam ipso dejiceretur à ratione Sacramenti, unctio extrema?

QUÆSTIO III.

De Essentia Sacramenti physicè accepti.

Nomine *Physici Esse*, venit materia & forma, definitioq; per hæc duo, est definitio secundum physicum esse; & de hac materia & forma Sacramentorum, agetur in præsenti; sed quæstio procedet restrictè de solis Sacramentis novæ legis. Præmittenda tamen est notio aliquorum terminorum, ut explicetur dictum commune; Sacramenta constant rebus tanquam materiâ & verbis tanquam formâ, *Hinc*

Præmitto Primò. *Quid veniat nomine rei in dicto illo communi*, quo utitur etiam S. Thomas hîc q. 84. a. 1. ad tertium. Scotus & alii; nempe aliquid esse in Sacramentis, quod sit Sacramentum tantùm, Res tantùm, & simul res ac Sacramentum; ut id præstetur.

Assero Primò. *Ad hoc ut verificetur dictū istud universale, accipi debet Sacramentum, non pro solo signo causativo sanctitatis*, sed pro toto ad Oeconomiam Sacramenti quocunq; modo spectante.

Ratio: quia aliàs non ostenderetur, quid sit res tantùm, nam hæc communiter est gratia; quæ non est Sacramentum, sed effectus Sacramenti; nec item ostenderetur, quid sit res & Sacramentum; quia in Sacramentis characterem imprimentibus, res & Sacramentum dicitur esse character, quia tamen non est Sacramentum, sed effectus, & simul nota transacti Sacramenti.

Assero Secundò. *Nomine Sacramenti tantùm venire id, quòd in Sacramento est sensibile*, estque signum, à nullo alio significatum.

Ratio: Acceptio termini; & quia si aliter accipiatur, jam non accipietur Sacramentum tantùm, & sub formalitate Sacramenti tantùm, sed v. g. etiam sub formalitate causæ, sub formalitate includentis effectum, &c.

Assero Tertiò. *Nomine rei tantùm, venit illud quod significatur, & est signatum, ipsum autem non significat.*

Ratio: acceptio termini; & quia signo, necessariò debet respondere signatum, quod quà tale, non significat, quia significatum quà tale, non est Signum; & quia illud signatum, est res; hinc res quà talis, non debet quidquã significare.

Assero Quartò *Nomine rei & Sacramenti simul, venit id, quod & significatur, & quod significat simul.*

Ratio acceptio vocis, & quia si non significaretur, non esset res; si non significaret, non esset

Sacra-

Sacramentum; ergo si est res & Sacramentum, significat & significatur.

Assero Quintò. *In singulis Sacramentis reperiri omnia illa tria*; & quidem in Sacramentis imprimentibus characterem, materia & forma Sacramentorum, sunt Sacramentum tantùm.

Ratio: quia significant & non significantur ab alio.

Gratia autem est res tantùm. Ratio: quia significatur à materia & forma, & non significat.

Character autem, est, & Sacramentum & res simul. Ratio: quia & significat gratiam, & simul & materia & forma significatur. In aliis autem Sacramentis Characterem non imprimentibus, Sacramentum tantùm, est materia & forma, quibus adde species Sacramentales in Eucharistia. Res tantùm est, gratia. Sacramentum autem & res in Eucharistia, est Corpus Christi. In matrimonio, indissolubilitas matrimonii Sacramentalis, est Sacramentum: qui significat indissolubilitatem unionis Christi cum Ecclesia; & simul res: quia significatur per materiam & formam. In pœnitentia Sacramentum & res per nos, est dolor internus; in unctione autem pro re & Sacramento per Henriquez, est unctio interna, sita in confortatione ad sustinendum laborem moriendi; per Lugonem autem, Sanitas corporalis, si uncto expediat.

Præmitto Secundò. *Quid veniat nomine rei in dicto illo communi*; quod Sacramenta constent rebus & verbis; venit enim nomine Rei quidcunq; ulterius in sua significatione determinabile, & quod se habet per modum materiæ in Sacramento.

Præmitto Tertiò. *Supponere Theologos, quod licet conveniat per ordinem ad nos Sacramenta instituì in re sensibili; instituì tamen etiam per ordinem ad nos potuissent, in ipsis rebus, vel in ipsis verbis*: quia utrumq; hoc per ordinem ad nos, est sufficienter sensibile; unde etiam instituta Circumcisio, in solis rebus, sine ullis verbis. *Hac ergo notione Terminorum præmissâ*

Formatur definitio physica Sacramenti novæ legis. *Quod sit Sacramentum, seu Cerimonia Sacra, constans rebus & verbis, productivum gratiæ.*

Probatur bonitas definitionis, ex regulis illius. Dico autem esse productivum gratiæ & non sanctitatis tantùm: qui ly Sanctitatis in superiore descriptione uti debuimus; quia erat commune quid assignandum, ad effectum quem ponebant Sacramenta vetera, qui affectus erat nonnisi legalis sanctitas, & non gratia; in præsenti autem est effectus, gratia. Addo autem ly Sacra ad terminum Cerimonia, quia ly Sacra significat etiam ipsum signum Sacrum; jam autem ly Rei Sacræ additum, ad ly perfectè nos sanctificantis, ut vidimus supra, superfluit; quia respectu effectûs & significati dicitur; & si perfectè nos sanctificat res illa, indubiè sacra est; sed expeditior adhuc erit ratio definiendi pro præsenti Sacramentum; Quod sit signum causativum gratiæ, constans rebus & verbis; vel ne dicatur poni pro genere, genus altius & differentiam, non autem genus ex illis concrescens, sic illam forma; est Sacramentum productivum gratiæ constans rebus & verbis. Hac definitione posita examinandæ sunt difficultates; *sit*

DIFFICULTAS I.

An rebus & verbis tanquam Materiâ & Formâ constent omnia Sacramenta?

Dicendum est *Constare*. Est communis sententia cum S. Thoma contra Durandum.

Probatur Primò authoritate Florentini, quod in decreto Unionis dicit, *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ & personâ Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi.*

Probatur Secundò congruentiis quas affert S. Thomas: quia sicut in Christo Verbum Patris carni sensibili; ita & in Sacramento salutis, verbum creatum, debuit conjungi rei sensibili, Congruebat hoc idem conditioni hominis constantis animâ & corpore; ita Sacramenta constare debebant, verbis quæ ad animâ transeunt, & rebus quæ corpus tangunt. Deniq; quia volebat Christus instituere Sacramenta, quæ essent quid physicum, signum tamen sensibile, inter sensibilia autem, primatum obtinent verba; hinc ad Sacramenta adhiberi debebant verba, ut significatio rerum, quæ est magis confusa, determinaretur à verbis.

Probatur Tertiò. Quia nullum est Sacramentum, quod constet solis rebus & non verbis; nec ullum quod constet solis verbis & non rebus; quod enim; ergo omnia constant rebus & verbis.

Objicit primò Durandus. Sacramentum pœnitentiæ constat solis verbis; quod ipsum probatur; quia constat solâ confessione, quæ verbis stat; & absolutione, quæ fit verbis; ergo constat solis verbis.

Respondet Primò. Lugo eiq; consentit Amicus. In pœnitentia rem esse peccata, quæ etiamsi sint oris, habent nihilominus nomen Rei, ratione actûs interni, sine quo nemo peccat; & quamvis peccata sint nonnisi materia remota, sufficit tamen ad salvandum, quod Sacramẽta constent rebus & verbis, saltem materiam remotam ostẽdere quæ sit res; nam etiam Eugenius Papa in decreto loquens de materia Baptismi, dicit materiam illius esse aquam; quamvis hæc, sit nonnisi materia remota, proxima autem, est ablutio. Dici potest rursûs Rem (accipiendo illam secundùm præmissum secundum) Sacramenti pœnitentiæ esse Contritionem internã, quæ quamvis sit nonnisi per verba sensibilis, suo tamen modo de sensibilitate participat; quod etiam innuit Amicus disp. 2 n. 6. Unde jam explicatur, qui non sola verba habeant rationem sensibilis, dum contritio verbis exprimitur. Dupliciter potest habe-

habere aliquid rationem sensibilis, Ut Quo, & Ut Quod; & ita materia prima, dicitur esse sensibilis, substantia etiã panis, quæ est materia remota, dicitur esse in Eucharistia sensibilis; non quòd materia prima & substantia panis, sit, seclusis accidentibus sensibilis, sed quia materia prima & substantia panis sentitur Ut Quod, accidentia autem sentiuntur Ut Quo; seu quòd illa sint, quod sentitur; accidentia autem sunt, quo medio sentiuntur; hinc vides, accidentia si comparentur ad substantiam vel rem, habebere rationem sensibilis Ut Quo; si autem comparentur ad seipsa, habere rationem sensibilis Ut Quo, & simul rationem sensibilis Ut Quod: quia dum video albedinem panis, non solùm illa albedo est mihi ratio cognoscendi panem ut Quod, sed etiam ipsa albedo, est cognitum, ut Quod; tam enim benè percipio tunc panem esse, quàm albedinem esse. Rursùs quando aliquis mihi dicit Verbum; non solùm mihi redditur sensibilis illius vox, sed etiam objectum, illâ voce significatum; hinc si non intelligamus dicentem, enuntiamus; Vocem audio sed sensum nescio, ex quo ostenditur, quòd in humanis non solùm attendatur ad sensibilitatem vocis, quæ se hîc habet, Ut Quo; sed etiam ad rem illa voce significatam, quæ est sensibilis, Ut Quod; ita enim in præsenti, si inquiratur, quid in Sacramento pœnitentiæ habeat rationem sensibilis Ut Quo, illud sunt sola verba, his enim sublatis, vel aliquo æquivalente illis, supplente vim verborum, quales sunt nutus vel scriptura simpliciter insensibilis maneret illa contritio, per quid enim sentiretur? Quodsi sumatur Ratio Ut Quod, tunc non sola verba exprimentia contritionẽ sunt sensibilia Ut Quod, sed etiam est sensibilis contritio; sicut & alia Ut Quod, sunt sensibilia. Quod Contritio potest habere rationẽ sensibilis & cæteroqui est condistincta verbis, hinc fit, ut contritio possit habere rationem rei in pœnitentia, adeoque salvare, quòd rebus & verbis constet etiam pœnitentia.

Respondetur etiam Secundò. Etiam Sacramentum Pœnitentiæ constare rebus & verbis, non quidem rebus formaliter, constare tamen rebus æquivalenter.

Explicatur distinctio. Multa sunt talia non tantùm formaliter sed etiam virtualiter; & ita non tantùm datur distinctio realis formalis, sed etiam realis virtualis; non tantùm datur contritio & intentio formalis, sed etiam virtualis; & Ratio est: quia virtute esse tale, est præstare id, quod aliud præstat sua entitate; multa autem præstant id, quod aliud præstat sua entitate, licèt non habeant illam entitatem; quòdsi potest aliquid non esse formaliter tale, esse tamen virtualiter tale, poterit etiam aliquid esse res, non quidem formaliter, virtualiter tamen; & hoc indicat S. Thomas hîc a. 6 ad primum Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, qui certè rerum propriè nomen non habent. Porrò tum temporis res Sacramenti accipitur formaliter, quando nomine rerum, veniunt ipsæ Entitates, quæ verbis significantur: sicut enim nomine verborum formaliter venit ipsa significatio externa, quæ fit per voces, nomine autem rerum æquivalenter venit omne id, quod in sua significatione, quã in Sacramento afferre debet, indiget ulterius determinari, per hocque exercet officium rei, quin sit etiam res; habendo scilicet eandem conditionem significandi, quæ competit rebus, quibus competit ulterius in significando determinari; & sic v. g. Res remota in Sacramento baptismi est aqua, quæ in significando sacramentaliter, non est determinata, non enim se solâ significat determinatè mundationem animæ, sed potest fluiditate suâ significare mortalitatem. Universaliter ergo stat significatio rerum, in indeterminatione imperfectione, incompletione significandi Sacramentaliter; hinc quidquid illud est, quod talem determinationem participat, hoc ipso, nomen rei Sacramentalis participat; & quamvis non sit res formaliter, est tamen res virtualiter; quia sicut res indiget in sua significatione determinari, ita & illud quod est res virtualiter; è converso nomine verborum æquivalenter veniunt illa omnia, quæ incompletam, imperfectam, indeterminatam & pendentem significationem complent, derficiunt & stabilitunt. Quia verò etiam in Sacramento pœnitentiæ, reperire est ulteriùs determinabilia in significatione, ideo erit reperire res æquivalenter. Quòd autem reperire sit talia in confessione, exinde colligitur: quia confessio ipsa est res æquivalenter; non habet enim determinatam de se Significationem Sacramentalem: posset enim talis confessio fieri nonnisi confidentiæ causâ, supplicando item ut pro his peccatis oretur, &c. quod ostendit, non esse determinatam illam significationem, sed adhuc pendentem, adeoque illam habere rationem rei Sacramentalis, cui convenit non esse determinatam in significando Sacramentaliter; in circumstantia autem absolutionis ad hoc à Christo institutæ, & à Sacerdote factæ, completur in ratione significandi remissionem culparum. Quodsi completur illa confessio in ratione significandi, per absolutionem; hoc ipso Confessio per ordinem ad absolutionem habet Rationem rei æquivalenter, ut dictum est; si habet rationem rei æquivalenter, verum erit & omne Sacramentum, & in particulari pœnitentiam constare verbis & rebus, saltem æquivalenter talibus; ipsaq; ratio formæ ex vi formæ, habebit rationem completivi & actuativi.

Objicit Secundò idem. Matrimonium interdum perficitur solis verbis, interdum solis rebus; ut si fiat nutibus; ergo non est de ratione Sacramenti novæ legis, constare rebus & verbis; & quidem tota difficultas est, non de Materia

ria, sive Re remota, hoc enim clarum est quòd sint corpora conjugum, & ad id hîc non attenditur: quia cum datur potestas absolvendi fideles per impositionem manuum cum illis verbis; Accipe Spiritum Sanctum, illic materia Sacramenti, non sunt fideles absolvendi, sed ipsa traditio illius potestatis; sic etiam in præsenti: Materia Sacramenti Matrimonii, non erunt corpora, sed aliud, de quo inquiritur quid sit.

Respondetur. Quòd motus & compressio manuum sint æquivalenter verba. Ratio: quia de ratione verbi est esse expressionem conceptus interni: cum ergo illi nutus & compressio manuum, exprimant traditionem mutuam, benè illi nutus, possunt dici verba æquivalenter; licet illa ipsa verba æquivalenter determinentur ultimò per id, quod reddunt sensibile, nempe per traditionem mutuam.

Potest etiam sustineri communior responsio, quòd traditio in quantum sensibilis redditur, aliquo exteriori signo, sit res Sacramenti; acceptatio autem sensibilis, est verbum, quale sufficit ad Sacramentum; idq; ideo quia traditio indiget, ultimo compleri per acceptionem.

Ut hæc secunda responsio defendatur.

Noto Primò. Sicut nemo dicit in hoc Sacramento confundi Ministrum cum eo cui ministratur, quãtumvis uxor ministret Sacramentum marito, maritus uxori; id enim fit diverso respectu: ita & in præsenti non confundetur materia & forma Sacramenti, traditio enim in quantùm se tenebit à parte donantis, habebit se per modum materiæ, in quantum autem ultimò complebitur per acceptationem, poterit habere rationem formæ.

Noto Secundò. Licèt nemo dixerit, acceptationem donatarii, esse formam donationis, quasi acceptatio teneat se à parte principii donativi, vel quod non sit condistincta à donatione, vel quòd donatio, sub nomine & significato donationis constituatur acceptatione, cæterum benè dici potest, quòd acceptatio donatarii, sit hoc sensu forma donationis; quia est ultimò completivum, per quod donatio habet finem quem intendit, & ex materiali donatione, meraque formalitate oblationis, transit ita in formalem donationem.

Noto Tertiò. Quæ sit ratio, quòd sub dicto sensu acceptatio sit forma donationis? In primis donatio, est quid respectivum & ad Aliud, hoc est; ad faciendum donatarium, & quia nemo fit donatarius, sine propria acceptatione, ideo acceptatio erit dicto sensu, forma donationis. Rursùs: quia pendente donatione, an sit futura formaliter talis, an autem futura nonnisi materialiter, adeoq; indistincta à sola oblatione, aliud non poterit ostendi, quid illam compleat, nisi acceptatio; non enim est donator formaliter, quando non est donatarius, sicut nec formaliter Pater sine filio: non est autem quisquam donatarius sine acceptatione, cum non acceptatio, sit dejectiva formæ donatarii. Deniq; deducitur id exinde; Substantia intellectualis, ex ipso suo supremo essendi gradu, est dejectiva reliquorum ad subjectionem, ostendit id inductio: nam Deus qui est suprema substantia intellectualis, subjicit sibi angelos & homines & reliquà creata; Angeli habent excellentiam subjectivam sibi hominum; homines dominantur mundo; in inanimatis autem, quia præstantissimâ sunt Sol & Luna, ideo sunt posita à Deo, ut præsint diei ac nocti, quod ipsũ in hoc fundatur: quia supremum debet esse superativum; hoc ipso enim non esset supremum sed æquale: si superativum, debet esse dejectivum & subjectivum sibi alicujus, sed hæc subjectatio, non est, ut loquitur Aristoteles, strictè Dominica, sed nonnisi excellentiæ Entitatis, hæcq; subjectio ut competat v. g. homini, non est in ejus potestate, sicut nec est in ejus potestate habere excellentiam hominis, unde etiam religiosi titulo paupertatis spoliant se dominio rerum, & tamen non possunt se spoliare, ne excellant rebus inanimatis, & ne illorum excellentia subjiciat sibi reliqua creata, unde ut illa excellentia, habet sibi conjunctam strictam Dominicam, indiget voluntaria acceptatione, quâ se investiat homo ad titulum Domini, ad titulum habentis jus utendi pro potestate, ita ut hoc totum in hac linea pendeat ultimò ex ejus acceptatione; idq; ex eo, quia esse dominum, est bonum naturæ intellectualis creatæ sed adveniens, nemo enim præter Deum est Dominus per essentiam; si autem est bonũ adveniens, & tamen bonum proprium naturæ intellectuali, advenire debet modo proprio naturæ intellectuali; quia hoc ipso non esset bonum propriũ naturæ intellectualis, quia acquisibile modo qui non est naturæ intellectualis, si debet advenire modo debito naturæ intellectuali; debet advenire per præcognitum & voluntarium, si per voluntariũ, ergo per acceptationem, quod volebat ostendere præsens notatum, & sicut si non posset comburi lignum nisi vellet comburi, positâ quacunque ustione, esset adhuc indifferentia ad comburi, haberetur que determinatio nonnisi à voluntate ligni; ita & in præsenti, ultima determinatio, ut si aliquis formaliter donans & ponens donatarium, pendebit ab acceptatione.

Noto Quartò. Quamvis acceptatio interdum sit prior donatione, non obest quominus se habeat adhuc per modum determinantis: quia forma quantumvis præcederet materiam, determinaret illam, & sicut antecessio materiæ, haberet se tunc per accidens, nec dejiceret formam à ratione determinantis; ita etiam per accidens esset præcessus ille acceptationis. Dictum etiam est in materia de Distinctionibus, quòd ad transitum à contradictorio ad contradictio-

dictorium possit esse sufficiens mutatio, petibilis ex eo quod præcessit. Idem dic in præsenti.

Noto Quintò. Non ex eo aliquid debet pensari quòd sit determinativum, quia habet rationem determinatam Entis; tam enim v.g. Res Sacramenti est determinata in ratione Entis, quàm verba; & tamen ex communi, Res dicuntur se habere per modum materiæ adeoque alicujus determinabilis & actuabilis: sic etiam quamvis donatio & acceptatio in ratione Entis sint determinata, poterit ratio formaliter determinativi, haberi nonnisi ab acceptatione. Stabit ergò & salvabitur titulus determinativi in acceptatione, quia illam pendentiam actionis, ut sit formaliter donatio, non autem oblatio merè, determinat ipsa acceptatio; nec obest quòd requirat acceptatio etiam donationem; nam forma requirit etiam ad constitutionem totius materiam, nihilominus forma habet se per modum determinantis: ita etiam in præsenti. Et certè ea pars quæ se habet per modum actûs ultimi, ut evadat hoc specie compositum, vocatur forma & est determinativum quid; & quia etiam in donatione intendit natura facere donatarium, cum respectu hujus, ultimus actus sit acceptatio, ideo erit illa ultimum determinativum.

Instabis. Sacramentum ordinis non pendet ab acceptatione tanquam forma; ergò neq; Matrimonium.

Responderi solet. Sacramentum ordinis confertur per modum electionis in officium; dicitur autem aliquis esse electus, quantumvis non ponat suum consensum, modo postea non repugnet: jam autem Sacramentum Matrimonii est per modum contractûs, qui formatur acceptatione; Rursus in moralibus ut aliquid se habeat per modum formæ, pendet à voluntate & quidem hic voluntate instituentis, qui ex doctrina Ecclesiæ non requisivit pro forma in Ordinis Sacramento acceptationem; jam autem ex placito, contractum matrimonialem elevavit ad Sacramentum, contractus autem ultimò completur acceptatione.

Noto Sextò. Posito quòd traditio, quæ ponitur pro materia, & acceptatio item quæ ponitur pro forma, constent solis verbis, nondum Sacramentum Matrimonii constabit solis verbis: quia actus interni traditionis possunt habere rationem rerum, qui sunt sensibiles Ut Quod, ut dictum.

Noto Septimò. Casu quo sine ullis nutibus, scripto, verbis, contraheretur matrimonium, per solam copulam maritali affectu habitam, ut posset contrahi in locis, in quibus Tridentinum non est in ordine ad hoc punctum receptum, tunc eo casu, traditio quâ traditio est, habebit Rationem rei æquivalenter; acceptatio autem itidem interna, habebit rationem verborum æquivalenter, prout manifestatur ipso actu. Et hoc videtur Florentinum supponere, dum causam efficientem Matrimonii, regulariter dicit esse mutuum consensum, per verba de præsenti expressum.

Objici potest Tertiò. Si omnia Sacramenta constant rebus & verbis, constabit etiam Eucharistia; illa non constat verbis; & quidem non constat in facto esse; quia transactis verbis, est adhuc hoc Sacramentum; non in Fieri; quia cum istud Sacramentum non sit in solo usu, si de ratione Sacramenti est, constare rebus & verbis; etiam in facto esse, deberet constare rebus & verbis; præcipuè autem cum non alia sit forma constitutiva in Fieri, & alia constitutiva in facto esse.

Respondetur. Quod in facto esse constituatur Eucharistia verbis non quidem formalibus, sed verbis æquivalenter; idque ideo: quia verbis consecrativis Corporis, æquivalet ipsum Corpus, quod est in facto esse Eucharistiæ. Fundatur id in ipso Aristotele, qui voces censuit æquivalere rebus; quia verò æquivalentia est de linea Mutui, si verba æquivalent rebus, etiam res æquivalebunt verbis. Rursùs, quia in usu humano, sive dicas; Do tibi centum, cum actuali porrectione, sive non dicas, & des actu centum, æquivalenter dicis; Do tibi centum: ita & in præsenti: Sive dicas pro facto esse, hoc est corpus meum, sive non dicas pro facto esse, ipsi dicto, æquivalebit ipsum Corporis esse; quamvis autem in compositis physicis, forma non possit dici æquivalenter manere, quia nulla forma specie distincta, æquivalet alteri specie distinctæ, in ordine ad rationem speciei illius, & si maneret nonnisi forma numero distincta, quamvis maneret æquivalenter prior, nihilominus verè physicè, aliud esset saltem inadæquatè compositum, eo quòd alia sit numero forma, quamvis moraliter eidem sit compositum: quia autem præsens compositum est morale, stare potest, quamvis nonnisi moraliter & æquivalenter maneat forma, adeoque verba.

Addo. Totam hanc doctrinam de eo, quòd Sacramenta constent rebus & verbis, fundari in sola phrasi & modo loquendi communi; ad quod salvandum sufficerit vel in ipso tantum Fieri ostendere, quod Sacramentum omne constet rebus & verbis; dicitur enim hoc de Sacramentis in sensu pendenti, adeoque explicabili, de solo Fieri; & quamvis in physicis non possit dari alia forma constitutiva in Fieri, alia in facto esse; non tamen in præsenti idem sequitur; disparitas est; quia formæ physicæ compositum constituunt dando se in partem, hinc quoties non sunt, & non dant sese in partem, toties non est compositum: in composito autem Sacramenti morali, cum forma non constituat compositum morale dando sese physicè in partem, poterit adhuc salvari ratio formæ in illa.

DIFFICULTAS II.

De terminatione Materiæ & Formæ in Sacramentis.

DE hoc in præsenti quæretur: An Christus determinârit materiam & formam Sacramentorum.

DICENDUM est Primò. *Quoad speciem & formaliter, determinâsse Christum materiam & formam Sacramentorum.*

PROBATUR Primò ex Tridentino Sess. 6. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à IESV CHRISTO Domino nostro instituta, anathema sit*; quia verò Sacramentum, nihil est, præter materiam & formam, tanquam substantialia illius, fit ut si Sacramenta sint instituta à Christo, etiam censeri debeat materia & forma instituta.

PROBATUR Secundò. Determinatio quoad speciem & formaliter Sacramentorum, debet esse ab aliquo. Non à potestate laica, quia hæc politicis attendit; non ab Ecclesia, quia in se hanc potestatem non agnoscit; ergò debuit esse determinata quoad speciem à Christo.

PROBATUR Tertiò. Cujus est instituere Sacramenta, illius est & determinare, saltem quoad speciem, materiam & formam; sed Christi est instituere Sacramenta; ergò: Minor probatur authoritate inter alia Ambrosii de Sacramentis lib. 4 c. 4. *Author Sacramentorum quis est nisi Dominus IESVS?* idem habet Trident: Sess. 7. Can. 1. Deinde quia Sacramenta novæ legis, de quibus hic, sunt causativa gratiæ supernaturalis, ad quam jus haberi non potest producendam, nisi viribus à Deo collatis excedentibus, adeoq; indebitis cuicunque Creaturæ. Major principalis probatur ex in distinctione totius & partium simul sumptarum; hinc ejus erit instituere totum, ejusdem erit instituere & partes, saltem quoad suam speciem.

DICENDUM est Secundò. *Formam & materiam Sacramentorum aliquorum materialiter & individuo, esse etiam determinatam.*

PROBATUR. Quia unum ex Sacramentis est Baptisma, cujus materia & forma est determinata, in ly; *Baptisantes eos in nomine Patris*, &c.

DICENDUM est Tertiò. *Non omnium Sacramentorum materia & forma materialiter & individuo sunt determinata.*

PROBATUR Primò. Quia id nec ex Evangelio, nec ex traditione Ecclesiastica deduci potest.

PROBATUR Secundò. Quia ex una parte non repugnat id committi Ecclesiæ; ex alia parte, quòd de facto sit commissum, ipse usus Ecclesiæ ostendit, videturque hoc ad servandam formam reipubl: congruere, in qua Princeps aliqua per se ordinat, reliqua committit ordinanda subdito.

PROBATUR Tertiò. Quia de facto ipse usus, alius & alius, conferendi Sacramenta, id ostendit; nam in primitiva Ecclesia erat verus Diaconatus, unde & S. Stephanus fuit Diaconus, neque tamen tunc materia Diaconatus erat liber Evangeliorum scriptus, ut nunc. Rursùs & Orientalis & Occidentalis Ecclesia conveniunt in Sacramentis, & tamen collatio Diaconatûs & Præsbyteratûs fit in Ecclesia Græca, nonnisi per impositionem manuum; Ecclesia autem Romana requirit pro Diacono etiam traditionem libri Evangeliorum; pro Præsbytero traditionem calicis cum vino & patenæ cum hostia; est hæc Conclusio communis apud Theologos Catholicos. Bellarm: Tomo 1 lib: unico de Sacramento Ordinis cap. 9. Amicum disp 2 num. 32. Lugo disp 2. num. 86. Quodsi quæras, quid sit illam materiam, formaliter esse à Christo determinatam, itidemque formam? ex eo formaliter est determinata; quia determinavit v. g. ut conferretur Ordo per Signum sensibile, significativum potestatis quæ traditur, ut inquit Lugo, & per verba hoc ipsum exprimentia. Unde etiam determinavit v. g. Eucharistiæ materiam, panem & vinum, non determinando in individuo, deberetne esse azymus vel fermentatus, deberetne esse rubrum vinum an album.

QUÆRES. Cum oblatio patenæ cum calice sit solum materia magis expressiva illius potestatis, & cum impositio manuum sola sit sufficiens, cum in ritu Græco non adhibeatur alia materia, unde tamen fit ut posità solâ impositione manuum non consecretur Sacerdos Latinus? id ex eo dici potest: quia sola materia sine forma non confert ordinem; cum ergò eo casu, nulla verba formæ pronuntiet Episcopus supra ordinandum, ideo illâ impositione manuum non ordinatur Sacerdos Latinus; sed redit quæstio de Diacono, nam in Græca Ecclesia ordinatur ille nonnisi impositione manus, & in Latina illa etiam adhibetur, adjunguntur que verba; Accipe Spiritum Sanctum, & tamen materia Diaconatus est etiam porrectio libri Evangeliorum; hanc difficultatem.

EXPLICAT Primò Amicus num. 51 Duplicem potestatem conferri Diacono nempe dispensandi Corpus & Sanguinem Christi ex commissione Sacerdotis; hæc confertur illa impositione manûs. Secundo potestatem legendi Evangelium; & hæc confertur porrectione libri: sicut in Sacerdote alia est potestas conficiendi Corpus & Sanguinem Christi, alia potestas absolvendi, quæ fit in posteriore, manus impositione. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non explica qui

quî Græci verè Diaconatum conferant, cum utantur tantùm impositione manuum; quî item ante Scriptum Evangelium erant verè Diaconi. & cætera similia.

Explicat Secundò Lugo num. 100. Impositionem manûs saltem partialiter pertinere ad Diaconum; quia in illa impositione dicitur ab Episcopo; Accipe Spiritum S. de quibus verbis Trident. Sess. 2. Can. 4. de Sacramento Ordinis sic ait; *Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde frustra Episcopos dicere; Accipe Spiritum S. anathema sit*; nec tamen in illa impositione manuum fit Diaconus, licèt illa verba causent partialiter gradum Diaconatûs, adhoc enim, inquit num. 103. non est necesse quòd causetur effectus in ipsa prolatione verborum metaphysicè, sed satis est, quòd tunc vel postea, quando perficitur materia & forma, causetur, virtute illorum verborum, saltem ut causæ partialis. Unde quando dicit Episcopus Præsbytero: Accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata &c., licèt sint causativa illa verba, non oportet quòd semper operentur, tunc, quando proferuntur; ut si nonnisi paulò post, imponat manus Episcopus. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit. Quia quamvis non sit necesse ut materia & forma coexistant physicè, sufficiatquè coexistentia moralis, de quo in casibus; nihilominus non videtur conforme sensui communi Doctorum, quòd positâ materiâ & formâ, exspectetur tantisper positio effectûs: nam Sacramenta causant per modum causæ necessariæ, à quibus extemplo ponitur effectus; & tamen hoc videtur negare Lugo, inquantùm dicit exspectari porrectionem libri Evangeliorum, & in quantum vi præcedentium verborum, saltem ut causæ partialis, causatur tunc gradus Diaconatûs. Tum quia in collatione Præsbyterii, quando primùm confertur potestas Conficiendi Corpus & Sanguinem Christi, non fit per hoc exspectatio ut fiat impositio manuum sub finem, & dicatur forma illa partialis, ut docetur communiùs; ergò nec in præsenti idem dicendum. Neque valet, si dicas verba illa, quæ dicuntur in impositione manuum Diacono esse valde generalia: nam etiam impositio manuum est quid generale; adhibetur enim non in sola collatione præsbyterii, & tamen hoc non obstante, in Græca Ecclesia impositio manûs, unà cum forma, est sufficiens ad præsbyterandũ; ergò nec generalitas formæ Diaconatûs, oberit, quominus quis Diaconisetur tunc, sufficitque determinatio à Circumstantiis; nec certè videtur quomodo illa generalitas verborum, quæ habetur in impositione manuum Diacono, restringatur à verbis, quæ dicuntur in porrectione libri Evangeliorum: nam ut aliquid universale restringatur, oportet adhiberi aliquid non omnino disparatum, ut ostendit inductio; disparatissimum autem est verbum; Lege Evangelium: &, Distribue ex commissione Corpus Christi; & si recurras ad circumstantias, cur illæ non determinabunt etiam generalitatem illius formæ, quæ adhibetur in impositione manuum Diacono. Tum quia istis etiam omnibus manu missis, redit difficultas; cur sit sufficiens in Ecclesia Græca & in primitiva, sola impositio manuum.

Explicatur Tertiò. Distinctæ sunt hæ potestates; potestas legendi Evangelium, & potestas dispensandi Corpus Christi ex commissione: quia etiam potestas consecrandi sunt distinctæ: utraque tamen hæc potestas fuit Diaconis data etiam ante Scriptum Evangelium, non quidem propter hanc conditionatam, quâ consecrans intenderit: do tibi potestatem legendi Evangelium, casu quo scribatur; nam non est forte de fide, revelatum fuisse Apostolis, de scribendo Evangelio, & tamen est de fide, fuisse in primitiva Ecclesia Diaconum Stephanum; sufficiebat enim Apostolis revelatio hujus universalis, quòd divina providentia sit perductura ea omnia ad finem, quæ ad bonam Ecclesiæ institutionem spectant; data ergò est hæc potestas illis ex eo; quia est data potestas immediata sub præsbyterio, non discernendo quoad omnia, in quæ se extendere deberet illa potestas; & certè nisi fuisset talis illis data potestas, tunc post Scriptum Evangelium, debuissent omnes Diaconi primitivæ Ecclesiæ reordinari, quod esset arbitrariè dicere; & sicut nunquam datur legaliter potestas consecrandi tantùm, & non simul absolvendi; ita & nunquam duæ illæ Diaconales potestates, separari debebant. Pro nunc, positâ impositione manuum Diacono, cum verbis formæ, producitur partialiter gradus Diaconatûs, huicque favet illud decretum Trident. citatum. Quod attinet ad Græcos; Ecclesia Græca verè Diaconisat: quia intendit utramque potestatem indivisibiliter conferre, quamvis ad meliùs & perfectiùs Esse, spectet explicita diversitas formarum & materiarum, sicut sunt diversæ ipsæ potestates; non tamen hæc diversitas requiritur ad simpliciter Esse, sed nonnisi ad clariùs & distinctiùs; hinc Græcus modus Diaconisandi à nostro differt, sicut minùs clarum à clariori. Opincidit hæc Explicatio cum illa Amici, sed amolitur difficultates.

Restat adhuc quærere. Cur novissima Concilia in assignanda materia Diaconatûs non meminerint impositionis manuum? Quamvis non meminerint, non per hoc illam negant: cum affirment aliàs in Græca Ecclesia rectè conferri Diaconatum. Rursus meminit implicitè Trident. dum anathema dicit neganti, quòd detur Spiritus sanctus &c., prolatâ illâ forma. Bellarminus dicit non meminisse Concilia illius impositionis: quia volebant Concilia assignare rem aliquam subsistentem, uti fecerant in aliis Sacra-

mentis; talis autem res subsistens, non est impositio manûs, sed instrumenti traditio. Sed non satisfacit; nam non apparet quid habeat majoris subsistentiæ porrectio libri, quàm impositio manûs; illic enim est porrectio transiens, hîc impositio transiens; illic liber permanens, hîc manus permanens; quòd si nomine istius rei Subsistentis accipit Bellarminus instrumentum, certè cum agnoscat duplicem potestatem in Diaconatu, debebant meminisse Concilia duplicis instrumenti. Amicus disp. 6. num. 66. dicit, quòd intenderint Concilia assignare certam materiam, per quam sufficienter in ratione Signi materialis, distingueretur unus Ordo ab alio; talis autem non est, impositio manûs, cum adhibeatur etiam in præsbyterando. Dici etiam potest; Constabat aliàs in Ecclesia Græca ordinationem, quæ fit impositione manuum, veram esse, proindeque de illa non agebant, tanquã de re non controversa: quia verò controverti potuit de illis clarioribus Signis, quale Signum in Diaconatu est, porrectio Evangelii; & in præsbyteratu porrectio patenæ & calicis cum materia, hinc de illis, speciali curâ decernebant Concilia.

Objectiones solvuntur.

Objicitur Primò. Tridentinum clandestinum Matrimonium invalidavit; ergò & in Ecclesia, est potestas variandi materiam Sacramentorum.

Respondetur ex dictis. Esse in Ecclesia potestatem invalidandi materiam, prout à Christo quoad individuum determinata non est; jam autem in matrimonio, non est determinata in individuo, talis vel talis, ratio contrahendi; sed tantùm, quòd contractus matrimonialis cæteroqui legitimus & validus, ad translationem juris in Corpora, sit Sacramentum; hinc pertinet ad jus Ecclesiæ, hanc vel illam rationem legitimi contractûs statuere; ubi tamen ostendi non poterit mutatio, in eo quod Christus determinavit, nimirum contractu legitimo & valido; sed in aliquo, quod Christus non determinavit, hoc est, tali vel tali legitimitate contractûs. Illustrat hoc DiCastillo disp. 1. num. 367. Sicut si quis materiam quæ est panis, efficeret ne sit panis, non diceretur mutare materiam Eucharistiæ; ità & Ecclesia, quia facit, ne is contractus sit legitimus, non mutat materiam Sacramenti; sed hoc esset mutare materiam Sacramenti, si legitimo contractu manente in baptisatis, Ecclesia faceret, quòd contractus non esset Sacramentum; sicut mutaret materiam Eucharistiæ, si id quod est panis, non esset consecrabile.

Lugo disp. 2. num. 84. Amicus disp. num. 63. illustrant hoc aliâ instantiâ; scilicet quòd sic etiam possent homines facere, quod hæc verba: Hoc est Corpus meum, non sufficerent ad consecrationem, faciendo scilicet quòd hæc vox Corpus, significaret lapidem; sic etiam in præsenti, potest Ecclesia facere ne hic Contractus sit legitimus. Hæc instantia patitur suam difficultatem: si enim procedat, antequam scilicet praxis Ecclesiæ & primi inventores Linguæ Latinæ reduxissent hoc nomen Corpus ad præsentem significationem, indubiè invalida foret forma, quia tota vis ejus significandi pendet à placito; sed si procedat postquam jam invaluit usus talis significationis & praxis Ecclesiæ, quòd possit præsens forma invalida reddi, non ita liquet. Ratio: quia præsens conventio hominum, non potest præjudicare præteritæ conventioni; & sicut si in gente barbara ly Corpus significaret lapidem, non ideo foret invalida forma Latina, quia non attenderetur ad deputationem vocis in hac natione, sed ad deputationem Latinorum jam transactam, cui insistit Ecclesia; cur etiam in præsenti id non dicetur? & sicut licèt nulla sit natio, cujus idioma patrium sit latinitas, nihilominus hæc forma tenet, ratione placiti jam transacti, nationis Romanæ; ita & in præsenti; certè enim præsens revocatio & usus non evanidat præteritum placitum; præcipuè autem casu quo consecrans nosceret usum Romanum, attenderetque ad deputationem transactam. Hac ratione dubitandi posità, aliter se habebit invalidatio contractûs: quia hujus valor non pendet ab eo, quod olim fuit civiliter validum, sed ab eo, quod pro præsenti est validum, pendet enim ab obligatione & actu voluntatis non facto sed qui fit, & prout subjecto juri alto disponenti de contractibus privatorum; jam autem significatio vocis, non pendet à præsenti placito, sed à transacto primorum inventorum, cui non apparet, quid præjudicet revocatio præsens, apud noscentem, quòd fuerit alia transacta deputatio, applicantemque se ad talem significationem, & secundùm illam Operantem.

Objicitur Secundò. Sacramenta sunt causæ necessariæ, atque adeò operantes tunc, cum primùm ponitur illorum materia & forma; sed in impositione manûs Diacono cum forma, ponitur materia sufficiens ponitur & forma, ut diximus, ergo ponitur tota consecratio.

Respondetur. Impositionem manuum esse materiam sufficientem quando ponitur cum forma sufficienti ad totum effectum Sacramenti ponendum: forma autem illa non est talis, quia procedit solùm de potestate legendi Evangelium; apud Græcos verò ponitur forma sufficiens, quia ponitur promotio in Diaconum; promotio autem in Diaconum, includit etiam, non solùm potestatem dispensandi Corpus Christi ex commissione, sed etiam potestatem legendi Evangelium. Quod attinet ad collationem Præsbyterii, & in illa impositionem manuum, dicit DiCast: citatus non adhibe-

hiberi tanquam partem Sacramenti: quia Cap: Præsbyter de Sacramentis non iterandis, docetur; *Si impositio manuum omittatur supplendum id esse statuto tempore*; & tamen tunc non suppleretur tanquam pars, sed nonnisi tanquam cerimonia sacra; idque ideo: quia non habet moralem connexionem, cum alia parte, ad quam prolata est forma; & tamen hæc connexio requireretur. Jam autem Lugo illam impositionem manuum in præsbyterio, licèt illi nulla adjungatur forma, docet eandem materiam integrare, cum traditione Calicis & patenæ, moraliterq; perseverare usq; ad prolationem formæ.

Instabis. Si potest Ecclesia dividere effectum Sacramentalem; ergò etiam poterit mutare & formas & materias.

Respondetur. Esse aliquos effectus non divisibiles ab Ecclesia; & ita non potest dividi potestas consecrandi panis, à potestate consecrandi vinum; potestas vi Ordinis absolvendi à mortalibus, à potestate absolvendi à venialibus. Et alii effectus sunt ab Ecclesia divisibiles; quorum divisibilitatem, Institutor, permisit Christus; illorum autem divisibilitatem institutor permisit Christus, quos effectus defacto divisit Ecclesia, quæ in talibus universaliter errare non potest. De hac indivisibilitate potestatis consecrandi, video etiam agere Di Cast: citatum num. 378. nobiscumque sentit, licèt submittat se aliorum judicio; rationemque dat: quia sicut in verbis non sufficit privata authoritas, ut hoc significent, sed est necessaria authoritas publica, ita supponendum & de aliis Signis, adeoq; de Signo conferendæ potestatis consecrandi & absolvendi. Si quis autem dicat; reliquisse id Christum singulorum Ministrorum determinationi. Contra erit: quia licèt potuerit relinquere, quòd reliquerit non constat; & ne relinqueret, duplex adest congruentia: imprimis; quia ista ad arbitrium Ministri remissio obesset regimini Ecclesiæ Universali; & non retineretur Monarchia Ecclesiastica, præcipuè in talibus meritò exercenda, utpote negotiis Supremi momenti. Deinde; quia scilicet volebat Christus & instituere Sacrificium per modum Convivii; & potestatem absolvendi, per modum judicii, & vel maximè in ultimo vitæ? si autem daretur potestas nonnisi consecrandi corpus; aut absolvendi tantùm à venialibus, non fieret satis huic institutioni; quia sicut in humanis non censetur esse refectio humana, quæ caret vel cibo vel potu; nec censetur esse judex sufficiens, qui aliquo eventu, & quidem maximæ necessitatis, decernere non possit; sic nec foret Sacrificium sub refectionis modo institutum, si non esset conjuncta potestas utrumque faciendi; nec judex Sacramentalis sufficiens, qui in casu mortis, à mortalibus absolvere non posset. Et licet permittant aliqui Consecrationem Corporis sine Sanguine, id fieret per accidens, sed si divideretur potestas illa, fieret id per se. Quodsi aliquis diceret posse Ecclesiam dividere has potestates, contra illum non procederet argumentum; his ex occasione Antecedentis dictis.

Respondetur. Directè negando Consequentiam; disparitas est: quia dividendo effectum Sacramentalem, non facit quidquam supra jus suum, quod habet determinandi in individuo hanc vel illam materiam Sacramenti, cujus materia in individuo non est determinata; si autem mutaret materiam & formam, faceret supra jus suum: nam hoc ipso ingereret se in partes instituendi Sacramenti; & sicut Præsbyteratus non extemplò confertur totus, etiam in Græca Ecclesia, sed dividitur per ordinationes Subdiaconatûs, & Diaconatûs, licèt unum sit Sacramentum Ordinis, nec tunc fit quicquam contra essentiam Sacramenti Præsbyterii; ita nec in præsenti fiet.

Objicitur Tertiò. Non est ratio; cur quorumdam Sacramentorum materia sit in individuo determinata, & forma, & non omnium?

Respondetur. Pendere hoc totum à doctrina & traditione Ecclesiæ. De mutatione materiæ & formæ in tractatu morali agetur.

DIFFICULTAS III.

De reliquis materiam & formam Sacramenti concernentibus.

Partior difficultatem. *Sit*

Punctum Difficultatis 1.

An materia & forma in Sacramentis importentur in Recto?

Assero Primò. *Omnes partes intrinsecas componentes totum Substantiale ejusdem rationis prædicari in recto.*

Ratio: Inductio universalis.

Assero Secundò. *Partes intrinsecas non componentes totum substantiale sed accidentale, communiter non prædicari in recto.*

Ratio: quia album est compositum accidentale, cujus pars intrinseca albedo, & tamen non dicitur in rectè; nam album non est subjectum & albedo, sed subjectum habens albedinem; quod ipsum probatur: quia aliàs veræ propositiones deberent esse falsæ, haberent enim sensum falsum; certè enim hæc propositio; aliquod album est dulce, est vera; & tamen falsa foret, si utraque pars illius compositi accidentalis diceretur in recto: nam dictæ propositionis hic erit sensus; Subjectum & albedo est sub-

jectum & dulcedo, quod falsum est, nec ulla inter hæc identitas, quid autem quoad rem significatam importet, de hoc infra. Quòd autem dicit Esparza, talia nomina quatenus propositionibus subsunt, importare subjectum in Recto; extra autem propositionem album significare albedinem in recto; quòd inquam, dicit non satisfacit: quia non est major ratio de uno, quam de altero; nec est ratio cur prædicationes quæ fiunt ex propositionibus involventibus compositum ex accidente tanquam formali, instituantur ad cognoscendam substantiam, non autem accidentia; & si imponi solent ad significandam formam, cur illam etiam in propositione non significabunt?

Assero Tertiò. *Concretum substantiale ex partibus diversi ordinis, non dicit in recto utramque partem vel potiùs utrumque intrinsecum.* Casu quo ipsum concretum de se, ipsum esse divinum, quâ tale, significet; tale autem concretum, est ex natura creata & Persona divina.

Ratio: Quia aliàs hoc propositio; Deus est homo, haberet hunc sensum; Deus est humanitas & Subsistentia Verbi; non habet autem hunc sensum: quia iste sensus est falsus; Deus enim non est humanitas, & tamen vera est propositio; Deus est homo; Si tamen Concretum non significet de se, esse divinum præcisè quâ tale, poterunt partes dici in recto: nam ex dictis de Incarnatione, vera est hæc propositio; Christus est divinitas & humanitas, eò quòd in præsenti salvetur veritas sensûs, estque identitas inter Subjectum quod est Christus, & inter divinitatem & humanitatem, tanquam prædicata illius subjecti; non est autem, ut dictum, identitas, inter Deum & humanitatem.

Assero Quartò. *Concretum accidentale ex accidentibus specie diversis, dicere in recto utrumque accidens.*

Ratio: Quia tepor est quoddam concretum accidentale; de quo potest dici quòd sit calor & frigus temperata; nec est meritum in uno, ut dicatur in recto illud solùm, & non aliud, videturque hoc concretum sequi conditionem concreti substantialis; de quo asserto primo

Dices Primò. Non est ratio, cur concretum ex substantia & accidente non possit dicere in recto utramque partem, cum illam dicat concretum ex substantialibus, & concretum ex accidentalibus.

Respondetur. Disparitatem affert usus, & à posteriori absurdum quod sequeretur, si concretum ex substantia & accidente utramq; partem diceret in recto.

Dices Secundò. Esse totius, non aliud est, quàm esse partium, & semper esse totius prædicatur in recto de suis partibus, consequenter illas importat in recto; ergò etiam Concretum accidentale ex Substantia & accidente, dicet utramque partem in recto.

Respondet. Lugo disp. 2. num. 60. Partes non distingui ab esse totius adeoque importari in recto, si concretum importetur in recto; negat autem per ea nomina significari regulariter concretum in recto; significatur quidem concretum & compositum accidentale, sed non significatur per album, identificatur realiter cum concreto & potest prædicari de illo, de illo tamen quod significatur in recto per album, non potest Concretum prædicari, non enim possumus dicere, Subjectum est concretum; ita etiam non potest prædicari de pariete, id totum, quod significatur per album, sed solùm id, quod significatur in recto; nam paries non est concretum accidentale, sed est rectum illius concreti. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia per hoc nomen Homo, significatur regulariter in Recto concretum & non subjectum. Rursùs si agnoscit Lugo in talibus significari regulariter subjectum & non concretum, deberet dari fundamentum, cur interdum dicatur concretum, cur non dicatur? Tum quia si omne totum substantiale dicitur de suis partibus in recto, significatque regulariter concretum, cur idem non dicetur de concreto accidentali? Tum quia quamvis illud, quod significatur per album, non possit prædicari de concreto, nihil obstat: quia album in quantum dicit Subjectum non identificatur adæquatè toti concreto, adeoque nec salvat veritatem propositionis, identificantur autem partes simul sumptæ cum concreto.

Directè ad Argumentum dici potest, quòd licèt esse totius sit esse partium, negando tamen quòd sit esse partium dicibilium in recto, nam illud prius inde pendet à nostris intentionibus, dependet hoc posterius; unde ulterius negatur, quòd esse totius semper dicatur in recto de suis partibus, nec hoc requiritur ad salvandam identitatem.

Dices Tertiò. Entia quæ sine alio cognosci non possunt, dupliciter significari posse, vel per modum concreti, & tunc utramque partem dicunt in recto; vel per modum subjecti, & tunc forma nonnisi importabitur in obliquo.

Respondetur. Negando Majorem; certè enim album, est concretum, & non dicit in recto utramque partem.

Dices Quartò. Quod significatur in obliquo, eo ipso non significatur ut pars.

Respondetur. Negando antecedens ob instantiam de albo; & certè ut dictum aliàs, non est idem esse partem, & esse aliquid eorum quæ consignificantur; aliàs cum relatum transcendentale consignificet terminum, terminus deberet esse pars illius.

Dices Quintò. Significari immediatè est significari in recto, omnis autem pars significatur immediatè.

Re-

Respondetur negando majorem; Nam album non significat in recto albedinem, & tamen immediatè illum dicit.

Assero Quintò. *Sacramentum utramque partem importat in recto*; atque ita baptismus non est sola ablutio cum verbis, sed verba & ablutio.

Ratio: Quia Sacramenta maximè accedunt ad compositionem, qualis est, accidentis ex accidente; cum sit compositio ex rebus ad se essentialiter non ordinatis, & habitudinem non dicentibus, in composito autem ex accidentibus, utraque pars dicitur in recto. Advertit tamen Dicastillo, quod in Eucharistia, posito quòd verba sint pars hujus Sacramenti, nihilominus illa non dicantur in recto, licet in aliis Sacramentis dicantur: quia alia Sacramenta, non significant materiam ut habentem aliam compartem; ablutio enim non significatur ut habens formam verborum; jam autem Eucharistia, sunt species affectæ verbis, & ex vi illorum continentes Corpus & Sanguinem Christi, per modum cibi & potûs; in quo ipso recurri debet ad naturam Sacramenti sic constituti. Cæterum si nomine verborum accipiantur verba æquivalenter, indubiè in recto dicentur, cum sint ipsummet Corpus, quod in recto dicitur.

Dices. Artificiata in Recto dicunt solam materiam: & ita v. g. sedile, est ipsum lignum prout habens talem figuram; ergò & Sacramentum, quod est artificiatum morale dicet solam v. g. materiam & non formam.

Respondetur. Antecedens est universaliter falsum; nam v. g. casula sacra non dicitur Sericum, sed ex serico; immò quantumvis de sedili dicatur, quòd sit lignum figuratum, æquè bene dicetur; & tamen tunc Figuratum, importabitur in Recto; vel si dicas non importari tunc figuram in Recto; quia ly figuratum est explicabile, per ly habens figuram; tunc aliunde id probari poterit, & universaliter dici quòd denotur Entia composita, quæ neque materiam neq; formam necessariò importent in recto, sed nonnisi aliquid ex utroque resultans; nam v. g. sedile non determinat sibi hanc prædicationem, quod est lignum, cum possit de illo dici factum ex ligno, nec determinat sibi formam pro recto: potest enim dici sedile fabricatum ex ligno talem figuram habente; & tunc sufficiet, ut in Recto dicatur consurgens ex utroque, nempe artefactum, fabricatum, sculptum &c. cumq; illi conflato æquivaleat in Sacramentis ipsa materia & forma simul sumpta, bene utrumque hoc poterit dici in recto. Additur Suar. quòd ad indagandum quid dicant Sacramenta in recto, quid in obliquo, non sit attendendum ad illorum nomē & modum significandi; aliàs Baptismus cum sit idem quod ablutio, deberet in recto nonnisi materiam importare: sed debet attendi, ad quid significandum sint illa imposita Sacramenta; non sunt autem imposita ad significandam solā materiam, sed etiam ad significandam formam.

Punctum Difficultatis 2.

Notantur quædam de Recto & Obliquo.

Noto Primò. Non debere ex hoc taxari, an aliquid sit intrinsecum quod dicatur in Recto. Ratio: quia, ut dictum, huic concreto Album, est intrinseca albedo, nec tamen dicitur ab albo in Recto; dictum etiam, quòd esse intrinsecum, sit quid primò intentionale, dici in Recto vel obliquo, secundò intentionale; primò autem intentionalia sunt nemine cogitante, adeoque independentia ab eo, quod est aliquo cogitante; quale est, dici in recto: quia hoc ipso non esset nemine cogitante, adeoque nec esset quod est, si primo intentionale, dependeret à secundo intentionali.

Noto Secundò. Unde habuerit hoc ortum, quod est; hoc quidem dici in Recto; illud in obliquo. Nullæ sunt locutiones externæ naturales, alioqui sicut est communis natura, ita esset communis & locutio; haberetq; se ita sicut visio, auditio, &c. quæ sunt communia; dicere autem quòd locutio aliqua fuerit naturalis, sed quòd ejus usu fuerint spoliati homines in pœnam peccati, est mera divinatio. Immò videtur hoc postulare bonum creaturæ intellectualis humanæ, ne sit locutio nonnisi naturalis: quia cum bonum sit naturæ intellectualis humanæ, divisio rerumpub: quod enim tam vastum gubernativum humanum, quod singulis sufficienter sit gubernando provisivum? in ipsis Angelis est divisio per Hierarchias, debebat ergò dari divisio rerumpub: bonum autem divisionis rerumpub. requirit jus secreti, cui tuendo deseruit locutio, ut is, qui non est pars hujus reipub:, careat potestate expeditâ, noscendi verba alius reipub: hinc quando intra eandem Rempub: tueri volumus jus secreti, appetimus loqui eâ linguâ, quam non intelligit tertius. Linguæ autem illi naturali cancellos secreti figere similes angelicis, non est conditionis humanæ.

Quodsi nulla est saltem defacto locutio naturalis, debet esse locutio vel ex placito, vel ex infusis speciebus, ut sunt infusæ Angelis, & illis qui in Babylonica dispersione constituebant hanc classem se intelligentium, distinctam ab alia classe, se intelligentiū, Positâ ergo fundatione locutionum, vel per species infusas, vel ad placitum (quod enim est tertium membrum si non ponatur lingua naturalis?) tamen intra eandem classem loquendi, idem nomen aliud & aliud significat, idque secundùm suppositionem internam. Ratio est imprimis inductio: idem enim terminus Canis, nunc hoc, nunc aliud significat, secundùm variam suppositionem internam; & eadem dictio, hoc sensu est vera, illo falsa; quod ipsum in hoc fundatur: quia cum locutio sit locutio, non independenter à mente, unde non dicuntur loqui picæ, sed garrire, quia carent mente;

te; proviſaque eſt locutio à natura, ut ſit expreſſiva mentis, ſi debet eſſe expreſſiva mentis, hoc ipſo noluit natura independentem à mente. Si verba ſignificant aliud & aliud ſecundùm ſuppoſitionem, ipſaque ſit varia ſuppoſitio, ideo vi ſuppoſitionis fit, ut nunc hoc dicatur in recto, nunc in obliquo; & ſi ſupponat terminus hoc modo, dicetur importari in recto; ſi autem ſupponat alio modo, dicetur importari in obliquo; præcipuè cùm non adſint nomina propria ſingulorum ſingillatim & adſtrictè ſignificativa.

Noto Tertiò. Ex hac varietate ſuppoſitionis internæ, eo modo vel tali factæ, oritur etiam, cur hîc & nunc falſus ſit ſenſus alicujus propoſitionis: & ita quia ſopponit internè hic terminus, Album, pro ſubjecto habente dulcedinem, vera erit propoſitio; Album eſt dulce; quia utrobiq; ſupponetur ſubjectum, eritq; ſenſus; Subjectum albedinis eſt ſubjectum dulcedinis; è converſo, quia hic terminus, Album, non ſupponit hîc pro ſubjecto, unione, albedine, ideo non poteſt in hac propoſitione; Album eſt dulce, hic ſenſus haberi; Subjectum, albedo, Unio; eſt ſubjectum, dulcedo & unio.

Noto Quartò. Quid ſit rem dici in recto, quid in obliquo, præter jam dicta.

Explicant Primò aliqui, quòd dici in recto ſit ſignificari immediatè aliquo nomine. *Hæc explicatio.*

Non Satisfacit. Quia non eſt ratio cur hoc nomine, album, non debeat ſignificari immediatè etiam albedo, & tamen ut dictum, non ſignificatur in recto.

Explicant Secundò alii. Illud importari in recto quod per ſe ſtat; illud in obliquo quod alteri adjacet; vel quòd illud dicatur in recto, quod eſt nobilius; ex nobilitate enim rei, ſequitur, ut etiam nobiliorem locum in mente habeat.

Non Satisfacit utraque hæc explicatio. Non prima: nam omnes formæ ſubſtantiales adjacent materiæ, adeoque adveniunt, differentiæ item generi; & tamen omnia hæc dicuntur in recto; bene enim dico, homo eſt animal rationale, homo eſt corpus, unio, anima; deinde danda eſſet regula cognoſcendi, quod ſe aliquid habeat per modum adjacentis: & ſicut inter ligna adjacentia, non minus unum quàm alterum, adjacet, inter unita, non minus eſt unum unitum quàm alterum; ita idem videretur dicendum de adjacentibus materia & forma, genere & differentia. Non etiam ſatisfac ſecunda. Non enim apparet quid ſit hoc r iliorem locum habere in mente; rursùs Ge s, non eſt æquè nobile quàm differentia; un e differentia, dicitur etiam eſſe pulchritudo generis, & tamen etiam genus, dicitur in recto de ſpecie Rursùs ſi datur nobilitas loci in anima, non eſt ratio cur, quando dico, homo; æquè nobilem locum habeat in mente animal quàm rationale, cum non habeat æquè nobilem locum in dicto, Album, ipſa albedo, comparatè ad ſubjectum.

Explicat Tertiò Eſparza. q. 8. Quod clariùs & magis expreſsè ſignificatur per voces, illud per ipſas in recto importatur; quod autem minùs clarè & quaſi inſinuativè, illud importatur in obliquo.

Non Satisfacit hæc explicatio. Quia non apparet, cur in termino album, poſito in propoſitione, inſinuativè ſe habeat albedo, & non exprimatur; exprimatur autem ſubjectum & non inſinuativè ſe habeat. Rursùs non apparet cur inſinuativè ſe habeat ly ad Aliud in relatione, cum ly ad Aliud definitivum & eſſentialiſativum illius ingrediatur, ſitque pars per eundem; denique quia non apparet quid ſit primum locum habere in conceptu, ad quod recurrit Eſparza, cum uno & indiviſibili actu & ſubjectum & connotata albedo concipitur, poſſitq; clariùs & diſtinctiùs noſci albedo v. g. præ ſubjecto.

Explicat Quartò idem. Duplici modo poteſt aliquod objectum concipi, primò ita ut intellectus ex vi talis conceptionis, immediatè determinetur ad aliquid affirmandum vel negandum, de termino concepto, aut ab ipſo de aliis affirmandum vel negandum. Secundò poteſt intellectus terminum concipere ita, ut ex vi talis modi concipiendi, nihil immediatè poſſit de ipſo prædicare, nec ipſum de aliis, nec determinetur proximè ad quærendam ulteriorem notitiam. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit. Quando enim dico Petrus eſt albus, non eſt ratio, cur concipiendo ly albus in propoſitione, non determiner ad affirmandum, quòd albedo ſit ratio formalis disgregandi visûs, & quòd determiner tunc ad ſcrutandam notitiam ſubjecti, non autem ipſius formæ.

Explicari poteſt Quintò. Dici in Recto, eſt dici in nominativo; dici autem in Obliquo, eſt dici in quocunque alio caſu: idq; ex eo: quia ſicut dici in nominativo, eſt dici tanquam hoc aliquid quod appellatur; & cui primitivè nomen imponitur; ita dici in Recto, eſt dici tanquam hoc aliquid, quod ſupponitur; neque enim voces independenter à ſuppoſitione, ut dictum ſupra, ſignificant, & certè nominativus caſus, eſt prima impoſitio nominis, prima autem impoſitio eſt demonſtrativa & indicativa, & quaſi dictiva; hoc demonſtro, & hoc ipſum nomino v. g. Aurum, objectumque iſtius demonſtrationis & deſignationis, eſt Nominativus Objectivus: & ſicut res ſunt, hoc, quod ſunt, ita & Nominativus ſubſtituibilis pro rebus, hoc deſignat, & non primò hujus, nec huic, nec hunc, nec compellativè, nec ab hoc. Dixi, quòd Nominativus, ſupple Formalis, ſit prima impoſitio nominis, & nominativus Objectivus, ſit primum, cui nomen imponitur. Imaginare enim primos impoſitores imponere nomina; vel ſtatue te ipſum nomina alicui rei noviter imponentem, excogitantemque linguam, tunc deſignabis aliquid & dices, hoc eſt A, unde illud erit Nominativus formalis, Nominativus autem objectivus, erit objectum

ctum quod designâsti, & tum primùm nominâsti; hic ipse Nominativus vocatur rectum: quia sicut in recto, est proxima itio ad terminum, ita per nominativum proximè & primò res denominantur, & nonnisi illo posito ponuntur reliqua; ostenditque inductio; quod dici in recto sit dici in Nominativo. Quodsi quæras, unde noscidebeat, quòd sub concreto, vel sub hoc termino, aliquid dicatur in recto, aliquid in obliquo? hoc jam colligi debet ex suppositione mentis, à qua omnis locutio & terminus pendet; unde quia varia est suppositio; in hac suppositione potest pro hoc, potest pro illo supponi, daturque disceptationi locus; in qua suppositione hic terminus commodè sumatur; quæ commoditas sumendi colligitur inter alia à posteriori, ex absurdis, si ex hac suppositione v. g sequantur; & ita in ly Album pro Subjecto & in recto importatur subjectum, quia pro subjecto ille terminus supponi debet: idque ex eo, quia si pro subjecto non supponatur; falsa erit propositio; Album est dulce. In obliquo autem dicetur, quod dicetur in reliquis casibus; id autem dicetur in reliquis casibus, quod licèt non possit non dici, tamen pro eo non supponit mens intus, sed ponitur tanquam nexum cum eo, quod mens supponit; & ita in hoc termino, Album est dulce, albedo non dicitur in recto, quia non supponit ille terminus pro albedine, licèt coimportari debeat etiam albedo, cum sit nexa cum albo.

Nota Quinò. Explicando rem ipsam eorum, quæ in recto dicuntur, ita ut necessariò dicantur reliqua in obliquo, si independenter à nostris intentionibus & suppositionibus loqui velis, æqualiter in re, illa omnia se habent, in concreto. Ratio; Si enim quæras quid sit homo: respondebis, est Corpus anima, unio. Si quæras quid sit album? dices quòd sit subjectum habens albedinem; sed quæres quid sit istud physicè habens albedinem? & indubiè in re non aliud erit, nisi subjectum, albedo, unio.

Dices: Positâ veritate hujus notati inexplicabile erit, quî sit vera hæc propositio; Album est dulce?

Respondetur: Esse veram, quia erit ejus sensus, habens albedinem est habens dulcedinem. Sed si quæratur quid sit hoc habens albedinem, quid sit hoc habens dulcedinem? in re non erit aliud, nisi subjectum, unio, albedo, & subjectum unio dulcedo.

Punctum Difficultatis 3.

An res & verba sint materia & forma Sacramenti, an sint intrinseca & an significent indivisè.

Quoad Primum.

Assero *Res, respondere materiæ; & verba, formæ, in Sacramentis:*

Ratio Authoritas præcitata Florentini. *Omnia*, inquit, *Sacramenta tribus perficiuntur; rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Persona Ministri.* Idem colligitur ex proportione rerum & verborum Sacramentalium, ad materiam & formam quæ defacto datur; nam sicut materia quæ defacto datur, est indifferens ad hanc vel illam formam; ita etiam res, habent indifferentiam, ad hanc vel illam significationem Sacramentalem; & sicut forma determinat materiam, ad hoc in specie compositum componendum; ita verba determinant, ad hanc in specie significationem Sacramentalem; ergò se habent per modum materiæ & formæ. Dixi autem, quòd res habeant se per modum materiæ quæ defacto datur, eò quòd dictum sit alibi, de primo essentiali conceptu materiæ, non esse indifferentiam.

Dices. Significatio potiùs habet se per modum formæ in Sacramentis; ergò non verba; antecedens probatur: quia Sacramentum est Signum ad placitum divinum; omne autem Signum ad placitum, formatur significatione, componitur enim ex re significante & significatione; & sicut forma calidi est calor, ità forma Signi seu significativi, debet esse significatio.

Respondetur in præsenti duplicem posse spectari compositionem, quandam quidem ultimam, quandam non ultimam; non ultima compositio seu immediata, est ex rebus & verbis; ultima & mediata ex illo priori composito, & ex significatione secundùm placitum divinum; quando ergò dicimus, Sacramentum componi ex rebus & verbis tanquam materiâ & formâ, intelligimus de compositione immediata & non ultima, ultimo enim componitur, ex rebus & verbis ab una, & ab altera parte, ex significatione Dei ad placitum. Illustrat hoc Lugo instantiâ. Moneta ærea immediatè componitur ex materia & forma ærea, mediatè autem ultimò, ex illo ære & deputatione Principis; ita & in præsenti.

Quod attinet ad Secundum

Assero *Res & Verba esse quid intrinsecum Sacramento.*

Ratio: Quia partes componentes totum aliquod, sunt intrinsecæ toti, sicut & totum sibi est intrinsecum; de Eucharist. à quid tenendum, supra dictum.

Quoad Tertium

Quærere restat. An tàm materiæ quàm formæ conveniat partialis significatio, an una indivisa? Affirmat Suar: Negat Vasq; consentit ei de Lugo disp 2 num. 42.

Assero Primò. *Significationem Sacramentalem singillatim unicuique parti convenire.*

Ratio: Quia singillatim unaquæque pars, dicit fundamentum & proportionem remotam, ad significandum id, ad quod significandum à Christo instituuntur; & de hoc actum etiam supra.

Asse-

Assero Secundò. *Significationem formalem & ultimam, utrique parti simul nonnisi sumptæ, convenire.*

Ratio Prima. Quia neque sola materia v. g. ablutio, neque sola forma, Ego te baptiso &c., significant ultimò Sacramentaliter; ergò apparet utrumque convenire in ratione indivisibili significandi.

Ratio Secunda ex Lugone; nam licèt aliquæ causæ partiales ita concurrant, ut una pars effectûs respondeat uni causæ, & altera pars alteri; nihilominus regulariter causæ partiales, concurrunt indivisibiliter ad eundem effectum; ut v. g. potentia visiva & species impressa concurrunt ad eundem actum videndi.

Ratio Tertia. Quia id quod significatur est indivisibile objectum, nempe gratia, vel præsentia Christi in Eucharistia; ergò in significato, utpote indivisibili, non respondet una pars uni, & alia pars alteri parti significationis; ergò & ipsa significatio, debet esse indivisibilis, quia significationis correlativum, est significatum; si ergò in significato non potest respondere nisi totum, ergò & significatio non significat nisi tota, non est autem tota, nisi simul utraque pars sumatur.

Dices Primò cum Suar: Uni parti habenti suam partialem significationem, advenit altera pars cum sua significatione: sicut in domo figura artificialis, est forma constituens domum, adhuc tamen singulæ partes, habent suam figuram partialem.

Respondetur. Argumentum probat, quod detur significatio partialis remota & fundamentalis, hoc est, aptitudo ad significandum indivisè; paritas allata de artificialibus non probat quidquam de significatione ultima & formali; idque ex eo: quia cùm unicuique parti figuræ, respondeat pars figurati, bene infertur partialis illa ratio figuræ; cum autem in gratia, quæ significatur à materia & forma, non respondeat quidquam uni, quod non respondeat alteri; fit, ut significationi partiali, in Sacramento, nullus sit locus.

Instat Suar: Species Eucharisticæ, quæ sunt res in Eucharistia, significant nutritionem animæ, verba autem consecrationis significant præsentiam Christi, ergò res & verba habent partiales suas significationes.

Respondetur. Res secundùm suam materialem & fundamentalem significationem significant nutritionem, sed non secundùm formalem & ultimam, quia utrumque debet significare præsentiam Christi, quam non sola verba, nec solæ species significant, sed utrumque simul; & sicut cum dico duo, ly duo, unâ sui parte non significat unum, & alia sui parte aliud, sed totum illud indivisibiliter significat; ita & in præsenti. Quomodo autem fieri possit, ut significatio formæ, possit habere rationem materialis, & utrumque simul rationem ultimò & formaliter significativi; illustrari potest instantiis; Quantitas enim est forma, & tamen in sententia subjectante accidentia in quantitate, habet se per modum materiæ & subjecti; in sententia admittente formas partiales, habent se illæ respectu corporis ut formæ, respectu formæ totalis, per modum materiæ: sic etiam significatio, habet se per modum formalis respectu rerum, respectu autem significationis Sacramentalis, habet se per modum materialis.

Dices Secundò. Si significatio habet se per modum formalis ultimi; ergò non debet dici Sacramentum constare materia & forma, sed debet dici, quòd Subjectum Sacramenti constet materiâ & formâ; quia Sacramentum importat etiam significationem; jam autem materia & forma se solis non important, ut diximus, significationem Sacramentalem.

Respondetur. Quamvis subjectum Sacramenti constet materiâ & formâ, hoc tamen non obest, quominus etiam Sacramenta dicantur constare materiâ & formâ, sed aliter sumptâ materiâ & formâ constat subjectum, & aliter sumptâ materiâ & formâ constat Sacramentum: subjectum enim constat materiâ & formâ tanquam nondum ultimò determinatis, sed habentibus se sicut formæ partiales, (in sententia illas admittente) ad formam totalem; Sacramenta autem constant materiâ & formâ, hoc est utroque illo, respectu quorum rationem ultimò determinantis habet significatio, ex placito Christi instituta.

Dices Tertiò. Quod se habet per modum principii effectivi non potest esse forma, adeoq; nec ingredi indivisibilem significationem, jam autem verba, habent se per modum principii effectivi.

Respondetur. Negando antecedens: nam anima est principium effectivum nutritionis, & simul forma, quæ inducitur. Disparitas etiam est: quia cum forma Sacramentorum non sit forma physica sed ex placito, bene idem, diverso respectu, potest habere rationem efficientis, & diverso, rationem formæ.

Assero Tertiò. *Ex modo nostro concipiendi possent tribui distinctæ significationes formæ & distinctæ materiæ.*

Ratio: Quia cum ex una parte habeant significationes diversas radicaliter, possunt illæ significationes concipi à nobis tanquam completæ; & secundùm respondentiam diversarum formalitatum intra eandem realitatem, atque adeo cum suis partialibus significationibus.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De Causis Sacramentorum.

CAusam materialem & formalem jam expedivimus; causa etiam finalis sufficienter est attacta, ubi discurrebatur quòd Sacramenta & significare & causare debeant gratiam; nunc agendum de efficienti. Quia verò efficiens causa, prout ejus consideratio hîc servire potest, est duplex; Principalis & Instrumentalis, utriusque cognitio hac disputatione tradenda.

QUÆSTIO I.

De Causa Principali Sacramentorum.

NOmine Causæ Principalis venire potest, vel causa Principalis sine addito simpliciter & absolutè, quæ etiam appellari potest, Causa Principalis cum potestate auctoritativa. Secundò potest accipi causa Principalis comparativè & respectivè ad alios, respectu quorum habet se per modum principalis, licèt respectu superioris causæ, sit nonnisi causa deputata, assumpta, & virtute alius agens, adeoque potiùs instrumentaria. Duplicis hujus divisionis est fundamentum in Logicis, Physicis & Moralibus; sicut enim species subalternæ, cæteræque differentiæ genericæ, respectu inferiorum dicuntur genera, respectu autem superiorum generum, dicuntur species & inferiora; sic etiam eadem causa, respectu inferiorum potest appellari principalis, & respectu superiorum instrumentaria. In physicis, omnes causæ secundæ vocantur non raro instrumenta Dei, cùm tamen respectu suorum effectuum, sint non paucæ, causæ principales. In moralibus etiam vocatur aliquis principalis per ordinem ad alios se inferiores, quantumvis per ordinem ad Principem cui subditur, habeat se nonnisi per modum ministri & commissarii. Principalis item Ecclesiæ Pastor vocatur Papa, per ordinem ad minores pastores, ut Episcopos & parochos, quamvis non sit principalis Pastor, comparativè ad primum Pastorem animarum nostrarum, Christum. Ita & in præsenti, Causa Principalis subdividi potest, in Causam Principalem simpliciter seu cum potestate auctoritativa, & in Causam Principalem cum addito, seu per respectum ad alios, qui sunt Ministri Sacramentorum; quo posito, *Sit*

DIFFICULTAS I.

Decidituꝛ de hac Causa.

ASSERO Primò. *Causam Principalem Sacramentorum, quæ sit Principalis simpliciter & cum potestate auctoritativa, esse solum DEVM.*

RATIO: Quia solus Deus est principium Entium supernaturalium principale, multoque magis gratiæ, quæ est specialis supernaturalis participatio, naturæ divinæ, cum ergò Sacramenta novæ legis, sint causæ istius gratiæ, infertur hoc ipso, principalem hanc causam, nonnisi Deum esse.

ASSERO Secundò. *Causam principalem Sacramentorum, quæ sit principalis cum addito, seu cum potestate commissa, esse solum Christum.* Est assertum contra Hugonem de S. Victore Magistrum Alensem, Bonaventuram; sed est commune reliquorum.

RATIO: Authoritas Trident. Sess. 7. Can. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse à Christo instituta, anathema sit*; nihilominus Suar. non censet esse de Fide, quòd immediatè omnia à Christo sint instituta, nam hunc terminum nullibi posuit Trident: Vasq. putat id esse de fide; rationes assignat; nam Trident. dicit Sess. 14 Can. 1. Extremam unctionem à Christo institutam, & promulgatam à B. Jacobo, sed hæc ratio non convincit; quia neque hîc quidquam additur de immediata institutione; ad ly promulgari, non additur terminus solùm vel alius æquivalens; vel dici potest, tribui promulgationem soli S. Iacobo, eò quòd nullus Apostolus ex iis qui scripserunt, & nullus Evangelista clarè illius meminerit, cum meminerit illius distinctè S. Iacobus, unde tamen non sequitur

tur potestate à Christo data, reliquos Apostolos non instituisse eandem; Quando autem dicit illum Canonem esse editum contra hæreticos, qui docebant, Ordinem, solùm esse ritum eligendi Ministros, non negabant autem mediatè esse à Christo instituta, id non convincit. Quia posito quòd immediatè ab Apostolis Sacramenta essent instituta, adhuc Canon ille opponeretur hæreticis, eò quòd illi non dicant institutionem illam Ordinis saltem mediatam transiisse in numerum Sacramentorum, quod docet Ecclesia, & in quo erat punctus difficultatis contra hæreticos: An scilicet Ordo sit Sacramentum? Quod insuper dicit Vasq. quòd si nonnisi mediatè à Christo Sacramenta sunt instituta, eodem modo dici posse Christum instituisse reliquas cerimonias; sed neque id convincit: nam quamvis id concedi posset eodem modo quoad esse mediati à Christo instituta esse & Sacramenta & Cerimonias, non eodem tamen modo, quoad vim tam significandi quàm causandi. Fortè commodiùs intentum, Vasq. probaretur: quia Verba Concilii simpliciter sunt accipienda, ly autem *Instituo* simpliciter acceptum, supponit pro immediata institutione; deinde æqualiter pronunciat Concilium de omnibus Sacramentis, quòd à Christo sint instituta, & cum constet aliqua immediatè esse instituta, censendum est, Concilium de omnibus ita decernere, quòd sint immediatè instituta; in particulari autem ostenditur omnium Sacramentorum institutio; & de Baptismo clarum est; de Pœnitentia clarus locus, Ioan. 20. Ordo institutus illis verbis; Hoc facite in meam commemorationem. Matrimonium, Matth. 19. & Marc. 10. Quod ergò Deus conjunxit, homo non separet; quoad Extremam Unctionem, Trident. Sess. 14. Can. 1. dicit illud innui, Marci 6. ungebant oleo multos ægrotos & sanabantur. Iacobus autem cap. 5. magis illud promulgavit. De Confirmatione potest esse difficultas. Aliqui eam institutam dicunt, cum Matth. 19. Christo oblati sunt pueri, ut eis manus imponeret, &c. sicque sentit Concilium Senonense. Fabianus Papa in secunda Epistola ad Episcopos Orientis, putat illud institutum sub finem ultimæ Cœnæ. Clemens etiam Romanus meminit lib. 3. Apostolicarum Constitut. Cap. 16. Quod Episcopus baptisatos chrismate ungeret; consequenter immeritò dixit Alensis in Concilio Meldensi hoc Sacramentum institutum fuisse; ut ostendit Amicus disp. 8. num: 12. ex Calculo historico.

Assero Tertiò. *Sacramenta esse instituta à Christo quâ homine.*

Ratio asserti est, quia PP. & Concilia, quibus etiam adde hymnum D. Thomæ; Dedit fragilibus Corporis ferculum &c. ita id tribuunt aliæ actiones, quibus loquebatur, docebat, &c. hæ autem actiones tribuuntur Christo ut homini, accipiendo in istis omnibus, hominem pro principio elicitivo; Sed contra assertum secundum

Dices: In oppositum esse authoritates Patrum.

Prima sit Cypriani Serm. de ablutione pedum. *Ipse Summus Sacerdos*, inquit, *sui est Sacramenti institutor & auctor, in cæteris homines Spiritum S. habuere Doctorem.*

Respondetur. Imprimis hunc librum non esse Cypriani, nec authoritatem hanc posse favere hæreticis, quia multum probat, probaret enim etiam Baptismum non esse à Christo institutum, sed solam Eucharistiam. Qui tamen hunc locum explicare volet, nomine Sacramenti dicet intelligi omnia Sacramenta; quæ specialiter *Sua*, Christus sub nomine Universali significavit; & hac explicatione utitur Pontius disp. 41. num. 42.

Secunda authoritas est Augustini Epist. 118. Cap. 1. Ubi cum dixisset de institutione Christi, quâ instituit Baptismum & Eucharistiam subdit; *Illa, quæ non scripta, (nempe in Sacris literis) sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atq; instituta retineri.*

Respondetur. Plures interpretationes huic loco ab authoribus adhiberi, tres sunt commodiores. Prima quâ utitur Lugo disp. 7. num. 12. nempe quòd Augustinus intenderit ostendere suavitatem legis Christianæ, & stare eam in paucis præceptis, ut baptismi & Eucharistiæ, & si quid aliud in Canonicis Scripturis commendatur ut commendatur Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Extrema Unctio apud Iacobum, alii autem præcepta quæ sunt graviora, non ab ipso Christo, sed ab Apostolis & ab Ecclesia imposita sunt, exceptis præceptis quæ sunt annexa ipsi naturæ Sacramentorum, quæ non tam sunt præcepta positiva, quàm naturalia, sequuntur enim ex natura rei, ex ipsa institutione. Secunda interpretatio est, quâ utitur Pontius disp. 41. num. 43. quòd scilicet eorum Sacramentorum, quorum non ita expressa fit in Scriptura mentio, quòd, inquam, illorum Sacramentorum institutio, debeat intelligi significata fuisse Ecclesiæ ab Apostolis vel Conciliis generalibus; additque illa, ly commendata atque instituta retineri, non debere referri ad Apostolos, tanquam ab illis essent instituta, sed debere referri ad Ecclesiam, quæ illa intelligit ab Apostolis & Conciliis tanquam Magistris, retinetq; tanquam instituta & commendata à Deo; quæ Explicatio Pontii firmari potest ex eodem Augustino lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 9. ubi dicit; quòd Sacramenta ipse Dominus & Apostolica tradiderit disciplina; ly autem

autem Disciplina, ut rectè etiam advertit Lugo, significat magisterium docentis. Tertia interpretatio est quâ utitur Di Cast. disp. 3. num. 15. Discurrit Augustinus de observantia consuetudinum, dicitq; aliqua quæ in Ecclesia observantur esse à Christo instituta, taliaque sunt Sacramenta; accipit pro exemplo duo: quia hoc sufficit, & quia hæc tantum sunt absolutè ex obligatione servanda: nec enim vel tenentur omnes matrimonio, vel omnes ordinant se; aliqua autem esse, quæ à Conciliis statuta &c. unde illa verba. Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus, non debent referri ad Sacramenta, sed ad alia præcepta.

DIFFICULTAS II.

An puræ Creaturæ possit communicari potestas instituendi Sacramenta?

Affirmat S. Thomas & cum eo Suar. Lugo disp. 7. num. 24. & Pontius disp. 41. num. 41. Di Cast. citatus. Negat autem Scotus & ex nostris Vasquez Esparza q. 10. quanquam fortè nonnisi in quæstione de nomine, utraque sententia dissentit; tota enim quæstio ad hoc punctum reducitur: An cui committeretur talis potestas, dicendus sit simpliciter instituere Sacramenta.

Assero Primò. *Potestatem authoritatis instituendi Sacramenta, non posse communicari ulli creaturæ.*

Ratio Prima est: Quia creatura & esset Creatura & non esset creatura: esset quidem, ut supponitur; non esset autem, quia communicaretur illi potestas authoritatis, quæ est ipsemet DEUS.

Ratio Secunda. Quia impossibilis est unio in natura divina fundans communicationem idiomatum, ut suppono ex materia de Incarnatione; ergò impossibile est, ut communicetur potestas authoritatis quâ talis, hæc enim spectat ad naturam, non ad personam.

Ratio Tertia. Quia potestas authoritatis, est quid connotativum in Deo, dicitq; duo, unũ in Recto, nempe ipsam Entitatem divinam, aliud in obliquo, nempe cõnotationem ponnendæ gratiæ ex vi talium signorum; primum illud communicari non potest creaturæ, sicut nec esse divinæ naturæ; nunquam enim Natura creata erit natura increata; secundum autem communicari quidem potest, ut vidimus, sed se solo non est potestas authoritatis; ergò potestas authoritatis, nullo modo creaturæ communicari potest.

Assero Secundò. *Potestatem Excellentiæ, secundum quam Christus instituit Sacramenta, nulli posse puræ creaturæ committi.*

Ratio asserti est: Quia potestas illa excellentiæ, fundata est in ipsâ unione hypostatica, excellentiam illam tribuente, ratione Personæ divinæ, substantialiter communicatæ, humanitati; ergò non potest communicari puræ creaturæ, excellentia enim divina, puræ creaturæ communicari non potest; idque videtur docere S. Thomas q. 64. a. 4.

Assero Tertiò. *Posse Deum cum pura Creatura facere tale pactum, quo dicat homini v. g. do tibi potestatem ut assumas signum sensibile, illudque reddas & facias causativum gratiæ.*

Ratio Prima asserti est, quia id non implicat contradictionem.

Ratio Secunda est: Potest Deus assumere creaturam ad productionem immediatam gratiæ, elevareque illam, ad productionem gratiæ; ergo etiam poterit assumere Creaturam, ut reddat aliquod signum sensibile, efficax gratiæ; & sicut quamvis solus Deus habeat potestatem auctoritatis producendæ gratiæ, non obest quominus assumere possit Creaturam ad productionem gratiæ; ita quamvis solus habeat potestatem authoritatis instituendi Sacramenta, non oberit quominus elevare possit creaturam, ad instituenda Sacramenta.

Ratio Tertia est: Quia in Sacramento sunt duo, ratio signi & ratio causativi gratiæ, sed ex neutra harum formalitatum ostendi potest implicantia, quominus pura Creatura ex Dei commissione Sacramentum; non ex ratione Causativi: quia non repugnat ex genere suo Creaturam causare aliquid supernaturale; ergò & instituere; nec repugnat ex particulari ratione Supernaturalitatis; hæc enim repugnantia ostendi nõ potest. Non etiam ex ratione Signi; in hoc enim nulla est difficultas, cum oppositi doceant, posse Deum committere potestatem puræ creaturæ, determinandi aliquod signum, ita ut Deus solus, applicet efficaciam signo, quod homo designaverit.

Respondebis. Creaturæ solùm collata est causalitas instrumentalis in gratiam.

Contra est. Concedo hanc solam esse collatam; sed cur implicabit conferri potestatem instituendi, licet per Virtutem communicatam.

Assero Quartò. *Posito tali pacto, verè ille homo potest dici institutor Sacramenti*; & hæc jam est quæstio de voce.

Ratio Prima asserti ex Lugo num. 25. Tum quia ad hoc ut dicatur aliquis simpliciter & absolutè instituere aliquid, non requiritur quòd nullo modo accipiat potestatem ab alio, id faciendi; nec quòd alius saltem in communi non habuerit decretum aliquod, circa rem illam: & ita dicitur S. Franciscus vel S. Ignatius institutor Ordinis, quamvis potestatem regulas condendi, à summo Pontifice acceperint. Tum quia Ecclesia potestatem instituendi Cerimonias habet, nonnisi communicatam sibi à Christo, & supponit decretum Dei de illis instituendis factum, à quo exordium duxerunt, nihilominus hoc non obstante, revera Ecclesia dicitur instituisse Cerimonias; ergò etiam is, qui potestate sibi

communicatâ ſtatueret Signa, faceretque illa cauſativa gratiæ, quamvis id faceret poteſtate à Deo communicatâ, & ſimul ſupponeretur decretum Dei, de illis ponendis, nihilominus verè diceretur inſtituere Sacramenta.

Ratio Secunda eſt: quia illam poteſtatem non implicat communicari, ut dixi aſſerto tertio; quòd autem ſit communicata, illud importat quidem quòd illam poteſtatem non habeat à ſe, & quòd ſecundùm illam agens, non dicatur agere à ſe ſolo; id tamen non obeſt, ut ſi ſecundùm illam poteſtatem agat, dicatur verè inſtituiſſe Sacramentum; quod ipſum probatur; quia quamvis homo agat viribus naturalibus ſibi à Deo communicatis, nihilominus dicitur verè agere; & in ordine ſupernaturali, quantumvis agat prout elevatus, & ſecundùm v.g. auxilia gratiæ, nihilominus verè dicitur ratione illarum virium, actor. ergò etiam quamvis agat poteſtate inſtituendi ſibi à Deo communicatâ, adhuc verè dicetur inſtitutor. Quod etiam argumentum proportionaliter applicari debet, dum dicunt oppoſiti, ex eo non poſſe dici Creaturam Sacramenta inſtituere, quia ſupponeret decretum Dei de Sacramentis; ſupponit enim Creatura etiam decretum Dei de actione, de quo alibi; & nihilominus id non obeſt, quominus dicatur Creatura agere; ergo nec illud decretum poteſt obeſſe, quominus dicatur inſtituere.

Hoc ipſum de decreto ſic aliter proponi poteſt. Non implicat contradictionem ut Deus nolit aliqua (quæ videt poſſibilia) Sacramenta inſtitui, niſi dependenter à libertate & determinatione Creaturæ. Rursùs potuit repræſentare creaturæ rationali, an velit vel non illam poteſtatem, conſequenter non facere decretum de illis inſtituendis, niſi præconſultâ per Scientiam conditionalium libertate creatâ, quo poſito, ſicut ſimile decretum non obeſt, quominùs dicatur creatura liberè agere, ſi nec oberit quominus dicatur inſtituere.

Ratio Tertia eſt. Quia poteſt Deus poteſtatem Creaturæ communicare, ut ſignum à ſe determinatum, faciat cauſativum gratiæ; ergò poteſt illi communicare poteſtatem inſtituendi Sacramenta; ergò & utens illa poteſtate dicetur inſtitutor Sacramenti. Illatio prima probatur, quia ab antecedenti, nonniſi Synonimo differt conſequens. Secunda illatio probatur: quia impoſſibile eſt dici aliquem inſtituere Sacramenta, & non dici eſſe inſtitutorem Sacramenti: ſicut impoſſibile eſt dici aliquem legere & non eſſe lectorem. Coincidit hoc aſſertum cum doctrina Pontii, dum diſp. 41. num. 40. docet; Quòd in eo caſu, neque à Deo ſolo inſtituerentur Sacramenta, neque ab homine ſolo, ſed ab utroque non ab homine ſolo, non ſolùm eo prætextu, quia nulla eſt actio, ad quam Deus non concurrat, ſed etiam ex eo, quia non propriâ authoritate, neque independenter à voluntate divina illa fit inſtitutio. Non etiam à ſolo Deo, quia invenitur illic dependentia à voluntate inſtituentis creaturæ. Non abſimiliter hic diſcurri poſſet, ut immediatè dicebamus, quòd Sacramenta legem completam ſignificationem non haberet ſola forma, neque ſola materia, ſed utrumque ſimul; ſtat tamen cum hoc ut dicamus, Deum eo caſu, habere rationem Cauſæ Principalis.

Assero Quintò. *Poſſe Deum facere tale pactum, quo dicat homini; determina Signum quod volueris, & ego applicabo illi efficaciam.*

Ratio: Quia id non implicat contradictionem.

Assero Sextò. *Eo caſu, hominem illum fore adhuc cauſam inadæquatam Sacramenti.*

Ratio Prima aſſerti eſt: quia Sacramentum ſaltem inadæquatè importat rationem Signi; ergò cum ille ſit cauſa, quòd hoc Signum, ſit Sacramentale Signum, ex conſequenti, ſaltem inadæquatè, & ratione Signi, erit illa creatura, cauſa Sacramenti.

Ratio Secunda. Si Deus diceret Creaturæ: Ego aſſumo aquam, ut ſit ſignum Sacramentale, te autem elevo ut ei tribuas, poteſtate à me communicatâ, vim efficiendi gratiam; illo caſu Deus inadæquatè conſtitueret Sacramentum, hoc ſenſu; quia etiam Creatura influeret; quomodo enim non influeret, ſi elevetur, ut influat determinando ad efficaciam; ergò etiam ſi ſola Creatura determinaret Signum, eſſet cauſa inadæquata illius Sacramenti.

Ratio Tertia. Quia ſi Deus aſſumeret creaturam ad creandam materiam, & ipſe infunderet animam rationalem, verè Creatura, inadæquatè eſſet cauſa illius compoſiti, quod inadæquatè dicit materiam; ergò etiam, ſi committat Deus creaturæ ut determinet Signum, cum ratio ſigni inadæquatè dicatur à Sacramento, cauſabit creatura inadæquatè Sacramentum. Fundantur hæc omnia in hoc principio: quia ly *Inadæquatum* ſupponit pro *Non ſolo ſe*, hoc autem *Non ſolo ſe*, in præſenti verificatur, quia rationem Signi, quæ eſt pars Sacramenti, non ſe ſolo inſtitueret Deus.

Assero Septimò. *Eo caſu quo Deus determinaret ſub diviſione vel hoc vel illud Signum, & inſuper unicuique Signorum ipſe applicaret efficaciam, nullo modo pura Creatura, alterutrum ex illis Signis eligens, eſſet cauſa inſtitutionis.*

Ratio. Tum quia Sacramentum definitivè importat Signum & Cauſativum; jam autem pura Creatura, tunc, neque eſſet cauſa Signi; quia hoc Deus ſub disjunctione determinavit; neque tribueret vim efficiendi, ut ſupponitur; ergò nullo modo eſſet cauſa Sacramenti. Tum quia illa ſubdisjunctione facta, deſignatio Signi, habet ſe, ſicut præceptum offerendi par turturum aut duos pullos Columbarum; ſed determi-

nans

nans se v. g. ad pullos columbarum dandos, non censetur sibi imponere præceptum; ergo neq; determinans sese, ad electionem hujus potius, quàm illius Signi causativi, censebitur esse institutor Sacramenti. Tum quia institutio Sacramenti, non supponit illam, sed facit; sed electio illa supponit institutionem; ideo enim eligit, quia est institutum à Deo; ergo illa electio non facit Sacramenta.

Noto variam distinctionem in ipsa elevatione puræ creaturæ ad institutionem Sacramenti, & electionem inter plura: quia scilicet cum est sola Signi designatio, virtutem causandi non accipiunt Sacramenta, ab eligente Signum; quando autem & Signum constituitur, & Signo vis efficiendi Sanctitatem applicatur, quoad utramq; partem fit institutio; electio autem nihil institutionis habet; sic v. g. Princeps constituit interdum Vice-Regem cum potestate nominandi & proponendi alium Vice-Regem, à Rege tamen constituendnm; interdum cum potestate constituendi post se Vice-Regem; deniq; nonnisi cum potestate, illum promulgandi, post se secuturum Vice-Regem, in cujus Scriptum nomen inciderit; in posteriori casu, nullo modo habet vim instituendi Vice-Regem, sed supponitur constitutus, habetque nonnisi titulum promulgantis; in secundo casu, verè est causa institutionis; in primo autem, est causa inadæquata, habens scilicet jus signandi Personam, sed non conferendi illi potestatem. Consule Lugonem disp. 7. à num. 30.

Oppositæ Conclusioni.

Dices Primò cum Vasquez. Instituere, est aliquam rem inchoare, & quasi ab initio statuere, sed pura creatura non potest Sacramenta inchoare, & quasi ab initio statuere, quia semper institutionem Creaturæ præcedit decretum Dei committentis & dantis facultatem hanc creaturæ.

Respondetur. Hoc argumentem se ipsum destruit: nam si dat Deus potestatem instituendi Sacramenta post decretum, qui exercens illam potestatem non dicetur instituere Sacramenta; aliàs si non instituit illa, non dat illi Deus potestatem instituendi. Rursùs posità designatione illius potestatis, vel inchoantur Sacramenta vel non; si non inchoantur est contra suppositum, quo supponitur Creatura Signa illa determinasse, & communicatâ potestate, fecisse illa effectiva gratiæ; adeoque à non esse Sacramenti, ad esse Sacramenti transtulisse. Quodsi inchoantur illa Sacramenta, vel inchoantur à Deo, vel à creaturâ; si à creatura, habetur intentum; si non inchoantur à Creatura, quomodo illi confertur potestas instituendi Sacramenta. Probat item hoc argumentum, quòd Fundatores Ordinum non sint appellandi Institutores; dependebat hoc enim & à decreto Dei, & à concessione Pontificia. Probaret, item quòd Ecclesia non instituerit cærimonias, quia & potestatem à Christo accepit, & simul supponit de hoc decretum Dei. Probaret item Christum quâ hominem, non instituisse Sacramenta, cum ea instituerit potestate à Deo acceptâ. Probaret denique quòd nulla Creatura inchoet actionem naturalem pro statu absoluto, quia illius actionem antecedit decretum Dei proportionatum. In forma autem negatur minor, & licèt institutio illa supponat decretum Dei, supponit tamen non decretum, ut se solo Deus Sacramentum à non esse Sacramenti extrahat ad esse Sacramenti, sed supponit decretum, committendi hanc potestatem creaturæ. Distingui etiam poterit Major, quòd inchoare sit vel inchoare potestate authoritativâ, adeoque non supponente decretum, vel potestate communicatâ; sed non est inchoare, tantùm potestate authoritativâ.

Instabis. Sacramentum constituitur etiam vi causativâ gratiæ, sed hanc nemo confert nisi Deus; ergo ille solus instituit Sacramenta.

Respondetur. Solus Deus potestate authoritativâ tribuit hanc vim; sed ita, ut id possit facere creatura, potestate communicatâ.

Dices Secundò cum Scoto. Si Creatura posset instituere Sacramenta, creatura determinaret Deum ad conferendam gratiam; sed Creatura non potest determinare Deum ad conferendam gratiam, quia aliàs Deus respectu creaturæ, haberet se ut causa secunda.

Respondetur. Negando minorem cum sua probatione; & sicut Deus non est causa secunda, quamvis concursum illius determinet causa libera, ita nec hîc erit causa secunda, salvabiturque ratio Causæ primæ in Deo; quia adhuc illa Creatura & esse, & illam ipsam vim causandi, dependenter à Deo haberet sibi communicatam; sed de hoc pluribus, ubi actum de prædeterminatione in prima parte.

Dices Tertiò. Si Sacramentorum institutio potest defacto committi puræ creaturæ, defacto Patres antiqui dicendi erunt Sacramenta instituisse, quia in libertate illorum in lege Naturæ erat, determinâsse; hæc vel illa Signa, deletiva Originalis.

Respondetur. Non determinâsse Signa antiquos Patres rigorosè, sed solùm elegisse à Deo determinata, determinatione formali; unde rigorosè loquendo, pendebat ab illis determinatio electiva, sed non determinatio institutiva; & sicut dum eligit Sacerdos ex duabus hostiis unam, vel inter vinum album vel rubrum, alterutrum, non dat illi Signo potestatem; sic nec Patres illi dabant: non enim constat de hac potestate illis communicata; & cæteroqui illa, superat vires naturales.

Instabis. Rex quamvis possit alicui Duci

committere potestatem condendi leges, nihilominus nonnisi Rex dicitur legislator, ergo etiam quamvis Deus posset communicare creaturæ vim determinandi Signum, & simul illi Signo tribuendi efficaciam producendæ gratiæ, nondum dicetur creatura instituisse Sacramenta.

Respondetur. Antecedens universaliter est falsum, nam Pontifex tribuit Patriarchis Ordinum, vim instituendi Regulas, & tamen illi dicuntur Institutores, disparitas ergo est; quia leges quà leges sunt, formantur vi obligante, hinc qui non obligat, non instituit, consequenter nec scriptor ille legum, erit institutor: jam autem Sacramenta formantur vi Signi, & vi Causativi Sanctitatis, hinc si hæc duo instituenda communicentur Creaturæ, dicetur creaturæ instituere Sacramenta. Et certè sicut se habet potestas authoritativa in Deo nulli communicabilis, ita & vis obligativa est in solis Principibus: voluntas enim populorum, voluit illam residere in solo Principe, & si illam Princeps alteri communicaret, hoc ipso injuriam inferret populis, qui non se subdiderunt nisi uni Principi, vel uni Sanguini, adeoque uni legislatori; aut deberet intelligi Princeps privare se tunc Regno, jam autem nec injuria ulla, nec ulla privatio potestatis sequeretur in Deo, si alicui tribueret vim, quamvis non potestate authoritativâ, instituendi Sacramenta.

Dices Quartò cum Esparza. De conceptu institutionis Sacramenti, est voluntas ex se sufficiens ad conferendam gratiam, idque primo ac essentialiter pertinet ad ejus essentiam: quia inde primò ac principaliter obtinet virtutem suam, activam gratiæ, sola autem voluntas Dei habet ex se talem sufficientiam, juxta illud ad Romanos 8. Deus qui justificat, ergo solus Deus est author, solusque esse potest principalis institutor Sacramentorum.

Respondetur. Concedo imprimis totum, quia argumentum procedit de potestate authoritativa, quæ per nos incommunicabilis est Creaturæ; vel certè de conceptu institutionis Sacramenti, est voluntas ex se, hoc est à se sufficiens. Nego majorem, ex se sufficiens, hoc est; per vires à se vel ab alio collatas, ad conferendam institutione gratiam. Concedo Majorem. Minori distinctâ, negatur Consequentia. Unde sola voluntas divina dici etiam potest sufficiens, tanquam instituens potestate authoritativâ, licèt non sola sit sufficiens, ut excludat communicationem potestatis delegatæ.

Dices Quinto cum eodem. Ad institutionem Sacramenti requiritur determinatio rei sensibilis, & temporalis revelatio voluntatis divinæ, potest autem Deus procul dubio committere Creaturæ hujusmodi determinationem, medianteque creaturâ revelare temporaliter suam voluntatem, consequenter potest secundariò & minus principaliter Creatura instituere Sacramenta.

Respondetur. Si intelligatur instituere Sacramenta non principaliter, hoc est; non potestate authoritativâ, sed communicatâ, objectio non procedet contra asserta; sed si non hoc vult Objectio, negari jam poterit, quòd solam determinationem rei sensibilis promulgationemque revelationis possit creaturæ committere Deus, cur enim non poterit committere ut Signum & determinet, & faciat ex delegatione; causativum gratiæ?

Dices Sextò cum eodem. Sufficit Creaturæ concedere causalitatem ministerialem, Minister autem non potest universaliter ea, quæ potest principalis, nec Deus cujus potentia est essentialiter infinita, potest cuiquam committere, omnia, quæ per se immediatè potest, cum sint aliqua, quæ immediatè causam infinitam essentialiter postulant.

Respondetur. Pro præsenti sufficit Creaturæ concedere comparatè ad Deum causalitatem Ministerialem, sed nego quòd repugnet ut illi etiam concedatur causalitas Institutoris, sed communicata à Deo virtute. Rursus; non potest creaturæ Deus committere ea, quæ Deus immediatè potest, si implicet illa committi, sed nego implicare, ut id committatur creaturæ. Denique exercitium potestatis authoritativæ, immediatè, causam infinitam simpliciter postulat; item, ut terminus Visionis Beatæ sit ipsa essentia divina, &c. similia; universaliterque id causalitatem infinitam postulat, quod infert ipsum esse divinum; non inferretur autem ipsum esse divinum, quantumvis creatura, potestate communicatâ, instituat Sacramenta, sed inferretur, si instituere Sacramenta potestate authoritativâ.

Dices Septimò. Deus solùm potest velle conferre gratiam dependenter à voluntate creata, tanquam ab apponente conditionem aliquam.

Respondetur. Non implicat ut Creatura etiam, habeat rationem instituentis & elevantis.

DIFFICULTAS III.

An institutio sit pars Constitutiva Sacramenti?

Institutionem esse partem intrinsecam Sacramenti consequenter debent docere ii, qui tenent institutionem includi formaliter in Sacramento, qualis est Lugo hîc disp. 4. num. 32. & disp. 2. Sect. 4. In terminis autem esse illam partem intrinsecam docet Perez & Esparza, q. 6. a. 5.

Dicen-

Dicendum est: *Institutionem divinam non esse partem intrinsecam Sacramenti.*

Probatur Primò principiis Negativis. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, adeoque nec intrinsecanda: hoc ipso enim si intrinsecentur, non tantùm requirentur, sed etiam habebunt rationem Constitutivi, adeoque multiplicationem; nihilque potest esse intrinsecum & pars, nisi quod exigit essentia, ut sit pars; si autem non sit necessitas alicujus intrinsecandi, hoc ipso non exiget illud essentia rei; quod enim essentia rei exigit, necessariò exigit, nulla autem necessitas intrinsecandi Sacramento institutionem divinam. Aliud principium negativum est: Si institutio divina esset pars Sacramenti, ideò esset quia illa posità cum reliquis, ponitur Sacramentum, illâ non posità reliquis positis non ponitur: sed hæc ratio non convincit, nec definit partem; ergò.

Probatur Secundò. De quo dubium est an sit pars, an non pars, sentiendum erit illud non esse partem, si non habeat proportionem cum manifestè partibus; sed institutio divina non habet proportionem cum manifestè parte; ergò. Major probatur. Tum quia etiam omnis argumentatio incipit à notiori. Tum quia quando volumus investigare, an aliquid se habeat per modum materialis, an per modum formalis, semper recurrimus ad manifestè materiam & manifestè formam; ergò & recurri debet ad manifestè partem. Tum quia in hoc quod est esse partem, deberet dari ratio communis, aliàs posset inferri non partem, esse partem, si non datur ratio communis partis; quodsi datur ratio communis partis; ergò datur ratio conveniendi; si ratio conveniendi; ergò & ratio accedendi & proportionandi se, cum manifestè parte. Quod autem institutio divina non habeat proportionem cum manifestè parte, Ratio est: Tum quia habet se per modum efficientis moraliter; unde institutio legum & illarum fabricatio, pro eodē sumuntur. Tum quia institutio non se habet per modum materiæ, quid enim in se subjectat? non per modum formæ, quia hæ, aliæ in Sacramentis describuntur expresè; & sicut ipsa institutio salarii vel stipendii non est forma illius solutionis, sed principium effectivum morale; ergò idem dicendum de institutione divina. Tum quia si haberet proportionem institutio cum manifestè parte; eaque formali, indubiè Patres, pro Forma, posuissent etiam institutionem; dicere autem quòd institutio diverso respectu se habeat per modum partis, diverso per modum efficientis moraliter, est intrinsecare entia sine necessitate.

Probatur Tertiò. Tum quia institutio divina habet pro objecto Sacramentum, adeoque & partes illius constitutivas; & tamen tunc non habet seipsam pro Objecto; ergò apparet quòd institutio divina, non sit quid intrinsecum neque pars Sacramenti; quòd institutio divina non habeat seipsam pro objecto, Ratio est; quia si quæratur, quid institutis institutio? non diceret; instituo meipsam saltem partialiter, sed se semper extendet ad aliud extra se; & certè institutio regulæ, non habet seipsam pro objecto, sed determinationem agendi, quam præscribit. Institutio quadraginta horarum, non habet seipsam pro Objecto; institutio item in Parochum, non seipsam instituit; ergò & in præsenti idem dicendum. Denique institutionem seipsam habere pro objecto est volitionem divinam seipsam habere pro objecto, institutio enim ipsa est de linea volitionis; sed in præsenti, volitio divina, non se habet pro Objecto; quia illa institutio, est quasi electio; tribuens simul vim & potestatem; electio autem, seipsam non elegit; & quia illa institutio est causa Sacramenti, causa autem non potest habere seipsam pro effectu, saltem primo, etiam partialiter, ideo institutio non erit pars Sacramenti, quod est, effectus institutionis. Tum quia sequeretur quòd non minus Sacramentum Matrimonii contineat Deum quàm contineat Eucharistia; cùm institutio divina, quæ est ipsemet Deus, sit pars illius; inungiq; extrema unctione, erit inungi Deo: sicut pasci Eucharistia, est pasci Deo. Tum quia institutio divina circa Sacramentum, est ipsa volitio divina efficax, volens Sacramentum, ubi institutio in Recto, dicit ipsam volitionem divinam efficacem; in obliquo autem, dicit Sacramentum; tunc quæro; vel secundum id quod dicit in recto, institutio est pars Sacramenti, vel secundùm id quod dicit in obliquo. Si primum? ergò uniuscujusque Sacramenti pars erit Deus; & si materia & forma Sacramentorum in recto dicuntur, etiam ly Deus in recto dicetur de Sacramento. Si secundùm id quod dicit in obliquo & sic jam institutio non erit pars, quia in obliquo non dicitur illud, quod dicebatur in recto, in quo recto, includebatur institutio, secundùm formalitatem institutionis.

Objicit Primò Perez &

Ponit Primò. Signi ad placitum habentis rationem locutionis, duplicem esse significationem; alia est actualis, & hæc est effectus signi locutorii, consistens in eo, quòd auditor locutionis percipiat Signum; alia est causalis seu positiva, consistens in potentia efficiendi significationem actualem.

Ponit Secundò. Istam potestatem oriri ex duplici causa, prima est institutio, secunda, est ipse usus vocis; modus autem quo institutio tribuit potentiam significandi, non consistit solùm in eo, ut eo non utatur loquens nisi in casu, in quo judicat rem ita se habere, sed obligat ad hoc, ut acceptet hanc obligationem in eodem momento in quo loquitur, ita ut verè faciat contractum cum auditore, de dicenda veritate.

Ponit Tertiò. Non posse obligari ad aliquid ab extrinseco Deum, quia obligatio saltem secundùm id quod præcipuè dicit, obligat ad volendum, adeoque est causa volendi; nihil autem extrinsecum potest esse causa volendi. *His positis*

Format sic argumentum. Sacramentum est tale, cujus significatio, inclusa formaliter in ipso Deum obligat, at Deum non potest obligare institutio externa sed solum Deo interna; ergò institutio interna Deo est illa, quæ tribuit formaliter Sacramento vim illam significativam, per modum locutionis & pacti divini, constat autem ex definitione Sacramenti, habere illud vim locutionis.

Respondetur. Concedo totum secundùm quod proponitur: quia non infertur quòd institutio divina sit pars aut intrinsecum quid Sacramento, sed tantùm quòd illa sit obligativa Dei, quòd institutio tribuat significationem formalem, &c. Quod attinet ad principia quæ tangit argumentum, negatum aliàs Sacramentum esse locutionem Dei; & sicut medicamentum aliquod confectum cum certis aliquibus Signis, quòd sit tale medicamentum, habensq; vim certam physicè præstandi hujus eventus, non dicitur esse locutio illius medici; ergò nec Sacramentum dici debet locutio Dei; quod ipsum in hoc resolvitur: quia non ex eo quòd aliquid sit Signum, est jam locutio; nam Signum est genus, locutio est species, participatioque de genere, non infert speciem; ut ergò Signum sit locutio, debet esse Signum conceptûs interni manifestativum, non autem effectus procedens ex conceptu illo interno, qualis effectus, est Sacramentum. Deinde etiam posito quòd Sacramenta sint locutio divina, necdum institutio erit pars Sacramenti, quia etiam institutio vocum ad placitum, non est pars vocis. Rursùs illud quod Perez appellat actualem significationem, potiùs deberet appellari passiva significatio, est enim respondens causali significationi, causali autem seu activæ significationi, rectiùs respondet passiva significatio. Immeritò item supponit quòd institutio afferat obligationem veridicitatis: nam institutio est ad placitum, obligatio autem veridicitatis non est ad placitum; antecedenterque ad institutionem vocis, est obligatio veridicitatis in natura intellectuali, ne mentiatur, casu quo hæc vel illa instituantur verba, unde illa institutio non adducit obligationem, sed supponit, institutioque non tam obligat ut acceptetur obligatio veridicitatis, hæc enim sive illam acceptes, sive non acceptes premit, utpote orta ex ipsis principiis intrinsecis naturæ intellectualis, sed tantùm obligat, ut hujus vocis, sit tibi, hæc significatio.

Instabis Primò. Significatio formalis est pars Sacramenti, institutio autem est significatio formalis? ergò.

Respondetur. Significatio formalis passiva, est pars Sacramenti, sed non significatio formalis activa; hæc enim utpote causa, non est pars sui effectûs; institutio autem divina, est significatio formalis activa.

Instabis Secundò. Significatio gratiæ & significatio passiva, est pars Sacramenti; ergò & significatio activa erit pars.

Respondetur. Disparitatem esse: quia est necessitas ponendi pro parte significationem passivam, cum definitivè Sacramentum sit Signum, adeoque dicens significationem; volendoque instituens significationem passivam, non dicetur velle seipsum &c. quod sequeretur si institutio divina activa, esset pars.

Instat Tertiò Perez. Adhibeamus v. g. ablutionem, erit illa indifferens, ut sit & non sit Sacramentalis, & quia ablutio habet denominationem Sacramentalis, non potest existere neq; esse verum, quin existat divina institutio, & quin ablutio ipsa sit Sacramentum; ergò ablutionem esse Sacramentum, non est idem virtualiter intrinsecè, cum hoc, quod est, ablutionem esse ablutionem.

Respondetur. Concedendo totum. In differentia autem illa ad esse Sacramenti, concedo quòd tollatur ab institutione, sed tanquam à principio effectivo morali, consequenter non tanquam à parte; proximè autem & formaliter tollitur illa differentia, ab ipsa elevatione passiva, illius Signi, seu causativitate, quæ causativitas, est pars & intrinsecum quid, Sacramento; & sicut licèt non habeatur formaliter relatio transcendentalis, nisi in circumstantia termini, tamen terminus non est pars; ita quamvis ablutio illa non sit Sacramentalis, nisi in circumstantia institutionis activæ, adhuc illa non erit pars.

Objicit Secundò Esparza. Sacramentum est Signum ad placitum, sed signum ad placitum constituitur intrinsecè in ratione Signi, per voluntatem instituentis; ergò & Sacramentum.

Respondetur. Sacramentum est Signum ad placitum sed passivum, & pro Signo assumptum, & hoc est pars Sacramenti; sed Sacramentum non est signum assumptivum ad placitum & activum, & hoc tale activum Signum, est institutio; & quia Signum activum, non est Signum passivum, hinc non erit necesse, ut Signum activum sit pars.

Instat idem. Sacramentum est causa instrumentalis gratiæ, proximè potens ad illam inducendam, quantùm est ex parte causæ; sed causa instrumentalis in ratione proximè potentis ad inducendum suum effectum, constituitur intrinsecè, per applicationem agentis principalis, jam autem agens principale gratiæ, est Deus.

Respondetur. Negando applicationem, esse partem causæ instrumentalis. Rursùs aliæ sunt causæ

causæ instrumentales conjunctæ, aliæ separatæ, convenientes tamen in hoc, quod est esse causam instrumentalem, cum non conveniant in hoc, quod est habere applicationem à causa principali; certè enim causæ instrumentales separatæ, non habent hanc applicationem, hoc ipso enim essent causæ conjunctæ, & tamen cum hoc stat, ut sint causæ instrumentales. Directè ad argumentum dici potest, concesso interim quòd applicatio, sit intrinsecum quid in Causa instrumentali; distinguenda erit duplex applicatio; passiva, & hæc detur quòd sit pars; & activa, hanc negabitur esse partem, nullum enim activum, est pars sui effectûs; jam autem institutio divina, est applicatio activa.

Objicitur Tertiò. Significatio ad placitum est pars intrinseca vocis alicujus significativæ; ergò & institutio erit pars Sacramenti; vi enim institutionis, quæ est ad placitum, habet Sacramentum, rationem Signi causativi; antecedens probatur: quia differentia est pars intrinseca ejus, quod facit differre; significare autem ad placitum, est differentia vocis significativæ à non significativa.

Respondetur. Ex dictis Significationem duplicem posse spectari, primam activam, aliam passivam; significatio activa, est deputatio ut hæc vox id significet; significatio passiva, est deputatio passiva, respondens illi activæ; unde prior est deputativa, posterior deputata; prior extrinseca, quia causativè se habens, posterior intrinseca, quia est ipsum illud respondens; quod sibi respondenti, est intrinsecum. Unde si quæratur, an in designatione vocum habuerint primi institutores suum placitum pro Objecto, rigorosis phrasibus agendo, negari id debere, sed habuerunt pro Objecto designabile vel designatum, non designativum; unde ly ad placitum, non significat placitum æquè intrare constitutionem vocis, ac intrat significatio passiva, sed ostendit dependentiam illius significationis, tanquam à principio ab ipso placito; quodsi activa significatio non est pars, nec institutio quæ est quid activum, erit pars; sed si velis institutionem passivam esse partem, hoc concedetur, jam enim supponet pro ipso Signo, ex institutione divina causativo.

Instabis. Sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec dedignificanda, ideoque nec à conditione partis dejicienda.

Respondetur. Non debere Entia dedignificari, si constet de illorum dignitate, nam tribuere illis dignitatem, ipsum illud erit multiplicare Entia; non constat autem de institutione quòd sit pars. Rursùs allatæ sunt rationes ostendentes hanc necessitatem; denique magis dignificatur institutio activa, si habeat se per modum principii, non autem per modum effectûs, ut esset, si foret pars Sacramenti.

QUÆSTIO II.

De causa instrumentali Sacramentorum.

Nomine Causæ Instrumentalis venit Minister Sacramenti, qui non est unus idemque omnium: quia baptismi Minister est quicunque homo applicans materiam & formam &c. Minister autem Ordinis est solus Episcopus; circa Ministrũ Sacramenti præter tangenda in moralibꝰ.

Assero Primò. *Minister Sacramenti, non esse causam immediatam gratiæ.*

Ratio: Quia non agit immediatè in gratiam, sed nonnisi mediante positione signi sensibilis, habentis à Deo efficaciam; idque ex eo; quia ipsum signum sensibile, non est ratio agendi Ut Quo Ministri, sed est principium Ut Quod; universaliter autem illa dicuntur non agere immediatè, quæ attingunt effectum mediante alio, non tanquam Ratione agendi Ut Quo; quòd autem Sacramenta sint Ut Quod activa, ostendunt dicta de definitione Sacramenti, procedente secundùm phrases Patrum.

Dices. Quando mediis verbis mandat Princeps subdito, immediatè mandat, & illa mediatio verborum non officit, quominus dicatur immediatè agere; ergò etiam & prolatio verborum Consecrationis supra hostiam, immediatè conficiet Sacramentum.

Respondetur. Hanc Objectionem eodem modo sumere immediatam productionem Sacramentorum, cum immediata productione gratiæ, quæ duo, non debent pro eodem sumi; & verum quidem est immediatè à Ministro produci Sacramentum; quid enim mediat inter Ministrum & positionem Sacramenti, nisi ratio agendi Ut Quo? sed non ponit immediatè gratiam, quia in illam agit, nonnisi mediantibus illis signis, quæ ex placito Christi, habent efficaciam; sed quia argumentum restaurari potest per paritatem, eò quòd debeat immediatè produci gratia, si immediatè producitur ipsum Sacramentum; hinc disparitas est: quia tota illa efficacia verborum Principis non spectatur penes verba, sed merè penes efficaciam & authoritatem, quam illis dat loquens Rex; jam autem efficaciam Sacramentis non dat Minister, sed supponit applicatam à Deo; hinc fit, ut non dicatur agere immediatè, sed nonnisi mediatè, ponendo scilicet ea, quæ illam efficaciam habent; & sicut v g. qui domui comburendæ applicat ignem, non dicitur immediatè combussisse domum, non enim efficaciam comburendi tribuit igni, sed applicat illum, tanquam aliunde habentem vim comburendi; sic nec immediatè, dicetur Minister producere gratiam, cum applicat Sacramenta illius productiva, quæ non ab ipso, sed à DEO supponantur habere vim

re vim illam agendi ; & hæc est disparitas ad principale argumenti. Ex quo etiam deducetur, cur immediatè Minister efficiat Sacramenta & non immediatè gratiam: quia scilicet vi suâ independenter à Sacramentis non est institutus ut operetur, sed requirit vim in Sacramentis contentam; positâ autem sui institutione, nullam aliam vim requirit ad positionem ipsius Sacramenti, v.g. ad positionem ablutionis, & dictionem; Ego te baptiso.

ASSERO Secundò. *Quod Minister sit causa gratiæ saltem mediatè.*

RATIO: Si enim non esset causa saltem mediata gratiæ, non posset de illo dici, quòd remittat & solvat peccata, cum tamen id de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, enuntiet Sacra Scriptura.

ASSERO Tertiò. *Ministrum Sacramenti legaliter esse hominem nonnisi viatorem.*

Quòd legaliter sit nonnisi homo;

RATIO: Quia ly, baptisantes eos, ly hoc facite in meam commemorationem, ly quorum remiseritis, dicta sunt hominibus non angelis. Dixi legaliter, quia posset ad hoc assumi Angelus.

ADDIT DiCast: disp. 3. num. 34. Si aliquod Sacramentum administraretur à diabolo, non esse habendum pro valido.

RATIO: Quia non est credibile daturum Deum aliquando hanc illi facultatem; non tamen id repugnat de potentia absoluta.

Quod autem legaliter Minister Sacramenti sit nonnisi viator;

RATIO est: Quia major est proportio inter Sacramenta, quæ nonnisi pro viatoribus sunt, & inter Ministrum viatorem, quàm inter Sacramenta viatorum & eum qui est in termino. Tum quia ut advertit Lugo posset aliàs Episcopus, post diem judicii in inferno constitutus, tribuere ordines ex odio Dei, & ad irrogandam Sacramento injuriam; dicere autem quòd sit in hoc impediendus à Deo, est recurrere ad miracula, quæ evitantur, si dicas in illo non residere hanc vim. Neq; valet si dicas, quòd saltem derisoriè posset id facere, quia derisoria actio non irrogaret Sacramento injuriam. Tum quia licèt potuerit Christus instituere Sacramenta extensivè, etiam ad eos qui sunt in termino, tamen quòd ita voluerit instituere, deberet inferri, vel ex revelatione, vel ex deductis, nihil autem horum in præsenti habetur, congruebatque ut sicut remedia salutis clauduntur cum vita, ita clauderentur & Sacramenta.

RESPONDEBIS ex DiCast: Quòd potestas administrandi Sacramenta sit potestas administrandi viatoribus, si autem offerret Deus damnato Episcopo Viatorem, hoc ipso videretur velle, ut exerceat circà illum potestatem.

CONTRA est. Cùm negetur hæc in damnatis potestas; etiam oblatione illa, non hoc ipso vellet exercere illam potestatem, nisi intelligatur aliunde committere hoc illi; & quod dicit Apostolus de Eucharistia, Mortem Domini annuntiabitis donec veniat; ita idem dicendum de collatione aliorum Sacramentorum; neque enim constat, extensivè ad damnatos instituisse hæc Sacramenta Christum; unde etiam si reatsumeret anima non baptisati Corpus, & quidem jam sententiâ absolutâ damnationis, non posset baptisari, quia jam esset in termino; manet quidem in damnatis character, quia eum, ut plurimum, concedunt docti, sed non invaluit sententia, potestatem adstruens in ipsis qui sunt in termino conficiendi vel recipiendi Sacramenta.

QUÆSTIO III.

De modo agendi Causæ Instrumentalis Sacramentorum.

PER modum agendi, intelligitur hîc modus agendi humano modo, modus autem agendi humano modo, duo importat: imprimis modum agendi sensibiliter, & de hoc, suppositâ sunt aliqua, supra; deinde involvit intentionem, cum qua agere, est agere humano modo: hinc talis actio, non tantum erit hominis, sed & humana. Nomine autem intentionis, venit volitio intellectualis, faciendi aliquid; unde intentio habet rationem prioris, quia est respectu faciendi: & & quidem quod Minister præter potestatem agendi debeat habere intentionem definivit Trident. Sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, qui dicta Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et certè decebat Sacramenta pro hominibus instituta, humano modo adeoque cum intentione, administari.

DIFFICULTAS I.

An sufficiat intentio faciendi externus, quod facit Ecclesia?

DICENDUM est. *Non sufficere intentionem faciendi nonnisi actum externum, prout externus sit ab Ecclesia.* Est conclusio contra Catharinum, Sylvestrum, Paludanum Scribonium & alios. Differt autem hæc sententia, à sententia in Concilio Tridentino damnata, quia admittit intentionem aliquam, faciendi, quod facit Ecclesia, cum tamen Hæretici simpliciter negârint ullam esse intentionem necessariam; eam sententiam contrà illos docet expresse Lugo disp. 8. à num. 14. DiCastillo disp. 3. num. 48. Esparza q. 13.

Pun-

Punctum Difficultatis 1.

Probatur intentum.

PROBATUR Primò à Lugone inductione per Sacramenta facta. Quia scilicet Matrimonium non potest fieri sine intentione contrahentium, fictio enim interna vitiat contractum. Rursùs in Sacramento Pœnitentiæ debet intercedere intentio, quia illud est remissivum debiti peccato contracti, remissio autem valida non est, sine intentione remittendi debitum. In extrema unctione præter intentionem agendi quod agit Ecclesia, debet esse oratio, quia forma illius est deprecativa, oratio autem est aliquid internum. Eucharistia autem debet consecrari faciendo quod fecit Christus, ipse autem non dixit verba solum materialiter, sed affirmando illud esse corpus suum. Ergò & Sacerdos nomine Christi, debet habere animum loquendi & affirmandi illud ipsum, per illa verba. Episcopus etiam conferens ordinem dat potestatem consecrandi & absolvendi, non potest autem aliquis verè dare potestatem alicui, si fingat voluntatem quam non habet: idemque dicendum propter paritatem rationis de Baptisante, Confirmante.

RESPONDERI potest, quòd v.g. Matrimonium requirat intentionem internam non qua Sacramentum est, quia ad hoc sufficit velle exteriùs facere quod facit Ecclesia, sed ratione contractus qui illic initur: idemque diceret de Pœnitentia, quod pœnitens quidem, non tantùm exteriùs pœnitere debeat, quia Christus actum internum requisivit doloris, sed absolvens, sufficit ut habeat intentionem exteriùs faciendi, verè enim adhuc cum tali intentione, facit, quod facit Ecclesia: non facit autem, si non habet actum internum doloris. Dicere etiam quis posset; remissionem civilem requirere actum internum, quia verò remissio, civilis, non est illic elevata ad Sacramentum, fit ut illic non sit necesse intercedere ullum actum præter faciendi exterius quod facit Ecclesia: peccata enim illa non remittuntur immediatè à sacerdote, sed à Christo & Sacramento, quod confici posset, habita sola illa intentione faciendi exteriùs quod facit Ecclesia. Quamvis autem Christus non solùm protulerit materialiter verba, sed & formaliter, affirmando illud per illamet verba, non sequitur inde, debere id de necessitate accipi, quia in ordine ad Sacramentum sufficit id agere quod egit Christus, sed non quomodo ille egit, adeoque non cum illa intentione affirmandi. Deniq; licèt collatio potestatis civilis, non fiat per solam voluntatem fictam, seu nullũ habentem actum internum, potest tamen fieri collatio potestatis Sacramentalis, cum intentione faciendi exteriùs quod facit Ecclesia: idque ex eo, quia actus civilis, totam vim suam habet ab interno, nec supponitur aliunde vim illam accipere; jam autem actus externus Sacramentalis, non supponitur vim accipere ab intentione interna Sacerdotis, sed elevatione illa, quæ Sacramentis ex institutione Christi debetur.

CONFIRMAT Primò Lugo. Quia si voluntas requisita faciendi, quod facit Ecclesia, est voluntas, faciendi exteriùs rem seriò, quia hoc est, quod exteriùs facit Ecclesia, ergo è contra, si quis habeat verum animum baptisandi infantem moribundum, sed ne agnoscatur à circumstantibus Christianus, fingat exteriùs se joco proferre verba, talis, licèt haberet verum animum internum conferendi parvulo verum baptismum, non tamen id faceret; quia non faceret actum externum, quem facit Ecclesia.

RESPONDERI potest negando sequelam. Ratio est quia tunc intercedit duplex voluntas, una serio quantum est ex illo agendi, secunda seriam suam actionem occultandi, quæ duo confundit præsens confirmatio. Et certè etiam per Lugonem adesse debet intentio faciendi exteriùs, quod facit Ecclesia, saltem virtualis: sicut ergò in principiis illius occultatio illius actionis, non officit Sacramento, ità nec in principiis oppositorum officiet.

CONFIRMAT Secundò Lugo, quia si quis inter Ethnicos simulans se puerum lavare ob alium finem. proferret formam, ille baptismus foret validus, & tamen tunc minister non habet intentionem faciendi actum externum, qualem solet facere Ecclesia nam Ecclesia solet exhibere actionem quandam internam, quæ etiam exteriùs apparet sancta.

RESPONDERI potest huic confirmationi sicut & priori. Addo, distinguenda esse hæc duo: voluntatem faciendi actionem externam quam facit Ecclesia, & voluntatem faciendi actionem externam, eo modo, quo facit Ecclesia: & hæc propositio est falsa, hæcq; sola non servatur in casu objectionis; prior autem est vera, & servatur in casu, de quo hîc, & consequenter erit tunc validus Baptismus.

PROBATUR Secundò. Quia citata verba Tridentini, opposita sententia non accipit simpliciter, sed cum restrictione faciendi scilicet quod facit Ecclesia exteriùs. Quod ipsum ulteriùs sic proponi potest. In præsenti materia, talis intentio ponenda est, de qua verum sit dicere, Volo hac intentione id facere, quod facit Ecclesia, sed intentio faciendi id exteriùs, quod facit Ecclesia, non est intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. Quod ipsum probatur: quia hoc quod facit Ecclesia, non est solùm quid exteriùs, Ergò intentio faciendi id quod facit Ecclesia, non est sola intentio faciendi exteriùs, quod facit Ecclesia. Antecedens est de fide, quia Sacramenta quæ confert Ecclesia, non consistunt

sistunt in sola exteriore cerimonia, & iis, quæ sub sensum cadunt, sed ea transeunt in sanctitatem & gratiam. Consequentia probatur. Quia intentio debet esse talis, quæ velit facere quod facit Ecclesia, sed Ecclesia non facit tantum exteriùs Ergò nec intentio debet esse faciendi tantùm exteriùs, quia inter id quod facit Ecclesia, & inter intentionem faciendi quod facit Ecalesia, debet esse commensuratio, aliàs illa intentio non esset faciendi id, quod facit Ecclesia, sed faciendi nonnisi aliquid ejus, quod facit Ecclesia: & sicut in humanis si velit Petrus facere & flagellationem & orationem, velit etiam Paulus facere quod facit Petrus, non sufficit Petrus, non sufficit illi velle facere orationem & non flagellationem, sed debet velle utrumque, ita & in præsenti. Id ipsum sic aliter proponi potest. Quia eo casu, & habetur intentio faciendi quod facit Ecclesia & non habetur: habetur quidem, quia id definit Tridentinum, non habetur autem, quia hoc quod facit Ecclesia, non est solus actus externus.

Respondebis. Hanc propositionem: Volo facere exterius, quod facit exterius Ecclesia dupliciter accipi posse, vel cum positiva exclusione & expressa voluntate non faciendi id quod facit interius Ecclesia, vel cum abnegatione, hoc est, non attingendo illud, quod velit etiam interiùs facere, quod facit Ecclesia. Et illa quidem prior intentio est invalida, ut probari potest argumento adlato, posterior tamen esset Sufficiens & valida.

Contra est. Quæro enim: An in intentione sufficiat ut reluceat voluntas faciendi, quod facit Ecclesia exterius, vel non sufficiat, sed quod debeat haberi generis intentio, faciendi quod facit Ecclesia? si illud priùs sufficit, redit argumentum factum, quia Ecclesia non solùm exterius, sed etiam interius operatur collatione Sacramentorum, ergò si tu habes intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & exprimis hoc quod velis facere exterius, quod facit exteriùs Ecclesia, à paritate rationis debes etiam exprimere intentionem faciendi, quod facit interiùs Ecclesia; quodsi dicas secundum, consentis nobiscum; nam sequitur te habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ablato enim illo termino Exteriùs, ab illo modo concipiendi intentionem, restat hæc intentionis conceptio: Volo facere quod facit Ecclesia. Rursùs quando in hac sententia habetur intentio faciendi exterius quod facit Ecclesia vel includitur simul virtualis & implicita intentio faciendi etiam reliqua quæ facit Ecclesia, vel non includitur: si includitur, redis ad communem sententiam, si autem non includitur, ergò intentio tua non est intentio qualem præscribit Tridentinum, quia præscribit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quæ non facit sola exteriora.

Probatur Tertiò. Illa intentio non sufficit ad Sacramentum, qua posita, potest non esse Sacramentum; sed posita intentione faciendi quod facit exteriùs Ecclesia, potest non esse Sacramentum. Quod ipsum probatur. Quia Christianus v.g. solo titulo curiositatis, vel solo titulo benè publicè agendi cerimoniam sacram, potest illam exercere, & tamen tunc non conficiet Sacramentum, aliàs in publicis actibus, in quibus v. g. exhibetur baptismus Constantini, ille qui personam Constantini ageret, verè rebaptisaretur, quod esset per se inconveniens. Neque valet si dicas non tenere eo casu baptismum, quia ridiculè agitur vel non serio: non inquam valet si dicas id, qui enim scenam publice agendam, privatim exercet, non censetur irridere suam scenam, sed se præexercitare. Ex hoc autem ipso quòd dicas seriò debere agi sic, instituitur argumentum pro nostra sententia. Seriò agere præter defectum irridendi, habet aliquid speciale, requisitum in collatione Sacramentorum: quæro; quid illud sit? non sola intantio faciendi exteriùs, quia hæc potest dari in eo qui se præexercitat ad baptisandum publice, vel repræsentat Ethnico Principi, quomodo id fiat &c. similia; & tamen concedis casum, quòd tunc, non conferretur baptismus. Ergò illud seriò agere, non est idem, quod velle exteriùs Ecclesia Neque ulterius valet si dicas, ad seriò agendum, requiri adhuc velle agere, eo modo, quo agit Ecclesia: quæro enim quid ille modus, præter illud non deriserè agere, involvat, ut constituatur seria actio, nec poteris quicquam aliud reperire, nisi intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Punctum Difficultatis 2.

Objectiones.

Desumentur illæ ex Lugone.

Objicit Primò. In oppositum aliquas paritates.

Prima Paritas est. Si Iudex proferat exteriùs sententiam absolutionis, reus manet absolutus, quamvis interius aliud intendat, modo exterius fictionem illam non prodat, Ergo etiam idem dicendum de Sacramento.

Respondet Lugo, falsum esse Antecedens, eo quòd universaliter doceatur nullum actum esse legitimum, si fiat absq; interno consensu. Primò nihilominus condistinguenda esse hîc aliqua; nam imprimis condistincta sunt hæc duo: si Iudex exteriùs proferat sententiam & aliter judicet interiùs; & aliud; si sine ullo interno assensu proferat sententiam. In primo tenet absolutio Iudicis, quia Iudex potest judicare secundùm allegata & probata, quamvis secun-

secundùm suam internam notitiam & internum sensum, oppositum sentiat. Quoad secundum autem, si sine ullo assensu interno elicito, attendendo ad allegata & probata, proferat mere externè sententiam, tunc in foro exteriori manet ille absolutus verè, quamdiu non probatur oppositum. Ratio autem est, quia in foro externo non proceditur per interna. Tenet item professio etiam ficto animo facta, si quis non reclamarit & invaliditatem illis non probarit intra quinquennium; quæ omnia inde oriuntur, quia modus exterior agendi, alia regula non fulcitur, nisi externis actibus, hinc judicatur pro professo, qui cum fictione edidit professionem, modo exterius illa non sit manifestata. Quæ omnia in hoc fundantur, quia valor contractum procedit ab externa existimatione hominum in foro externo, quod nonnisi secundùm externa judicat, si pendet in foro externo, ab existimatione hominum, pendet in foro externo ab actione externa, si pendet ab actione externa, fit ut in foro externo, ad illam solum attendatur, utpote fundantem jus fori externi. Jam autem valor Sacramentorum, non pendet ab externa existimatione hominum, & si semel probari possit Sacramentum non fuisse validum, etiam ante probationem erat invalidum: quodsi non pendet ab externa existimatione hominum valor Sacramenti, fit ut sola actio externa, non possit fundare validitatem illius. Idem paulò aliter proponi potest, quòd scilicet forum externum, sit purè externum, adeoq; ad sola externa attendens, hinc & validitas fori externi, debet esse validitas externa, & ab externis petita; jam autem validitas Sacramenti, cum sit per se & aliquo modo fori externi, Ecclesia enim de exterioribus judicat, sitque actio conformis ipsis Sacramentis, quæ sunt Signa visibilia, fit ut attendat etiam ad actionem externam: & ex altera parte, cum etiam sit actio per se fori interni, utpote fori Spiritualis, quod in internis fundatur, debet etiam habere internam intentionem.

Secunda Paritas est. Sit Joannes mandatarius Petri, & juridicè emat agrum Nomine Petri, quamvis intentionem non habeat internam emendi pro Petro, nihilominus tota illa emptio, addicitur jure, Petro, habetque validitatem pro Petro, Ergo etiam in Sacramentis idem dicendum.

Respondet Primò Lugo, quod eo casu nemini acquiratur jus: non Petro, quia non habuit mandatarius intentionem contrahendi pro Petro; non etiam mandatario, quia venditor non habuit intentionem transfundendi dominium in mandatarium. *Sed hæc responsio*

Non Satisfacit. Revera enim in foro judiciali, ille contractus, valet pro Petro, sicut in simili supra diximus. Pergit ulterius Lugo: quodsi loquamur de donatione, certum videtur, quod si ego donem alicui eleemosynam nomine Petri, cum tamen revera habeam animum internum donandi non ex pecuniis Petri, sed ex meis, tunc donatarius, verè acquiret dominium, & res erit donata non nomine Petri, sed nomine meo. Sed neque id satisfacit: si enim aliquis obligatur dare eleemosynam none Petri, eamque extrinsecus dat nomine Petri, talis indubiè ad forum citatus externum absolvetur, & satisfacit in foro externo, quamvis nullum habuerit actum internum. Ergo etiam sine actu ullo interno, valida erunt Sacramenta.

Respondetur itaque Secundò, negando Consequentiam, propter disparitatem supra adlatam. Quia scilicet forum externum, non attendit nisi ad sola externa, quæ sola, jus illius fundant; jam autem collatio Sacramentorum, non est fori nonnisi externi: imo si in ordine ad Sacramentum paritas sumatur à foro externo, multum probabitur, nam in foro externo, ne quidem habenda est intentio interna, externæ actionis, quod tamen docent oppositi de intentione ad Sacramentum requisita, præcipuè quia requirit hæc sententia intentionem externè agendi quod facit Ecclesia, illa autem id facit externè, nomine Christi.

Tertia Paritas est. Quamvis posita materia & forma Sacramenti, nolit minister causari effectum Sacramenti, nihilominus ponetur effectus Sacramenti, ergo etiam quando ponitur materia & forma Sacramenti, quantumvis non ponatur alia intentio, quam externè agendi, valebit Sacramentum.

Respondetur disparitatem esse, quia quamvis de facto fieri potuerit, ut sine ulla intentione ministri, operaretur Sacramentum, de facto tamen, non posse operari docet Tridentinum, cujus verba simpliciter accipi non possent, nisi ponatur major intentio quam illa, quæ est, externè agendi, quod agit Ecclesia.

Instabis, quamvis non ponatur ulla intentio ponendi effectum Sacramenti, nihilominus ille ponetur, modo ponatur materia & forma, Ergo etiam quamvis nulla ponatur intentio significandi, vel quamvis non ponatur alia intentio, quàm externè agendi, adhuc non impedietur & significatio & validitas Sacramenti.

Respondetur. Disparitas est, quia cùm Sacramentum sit causa necessaria, necessariò ponit suum effectum, nec stat in libertate conferentis Sacramentum, ut suspendat vel non suspendat ejus effectū, consequenter nec pendebit ab ejus voluntate, positio effectus; jam autē ex alia parte, supponitur in debitis prærequisitis, poni illa causa ut agat: inter quæ prærequisita, est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, ut vidimus supra ex Trident. Cum autem significatio Sacramentalis, ut est significatio, possit pendere à volun-

tate proferentis,eò qu d illa verba,possint habere & significationem Sacramentalem, & significationem usualem: ly enim Hoc est corpus meum,potest habere & significationem à Christo intentam,de suo corpore,& significationem intentam à Ministro, si velit significare,sui corporis entitatem. Quodsi significatio illa pendet à libertate Ministri, determinare sese debet ad alterutram partem, hæc autem determinatio non potest alia esse,nisi volendo facere quod facit Ecclesia; hoc autem velle non potest, ex præcisa intentione agendi id exterius,quod agit Ecclesia ut dictum. In idem recidit hæc alia disparitas, quia scilicet, quando ponitur Sacramentum,est inimpedibile à suo effectu,supponitur enim,habere Minister omnia requisita ad agendum Sacramentaliter, quantum est de se, atque adeo intentionem debitam, si enim non sit intentio debita, impediretur ille effectus: quando autem applicantur & enuntiantur verba, cum sola intentione agendi exterius, quod agit Ecclesia supponitur,non habere Sacramentum debita prærequisita, nempe intentionem, qualis propugnatur,consequenter potest impedire Minister significationem ejus Sacramentalem.

Quarta Paritas est. Quamvis quis non habeat ullam aliam intentionem,nisi externè proferendi hanc vocem *Homo*,nihilominus non potest aliud significare nisi hominem, Ergo etiam quamvis non habeatur ulla alia intentio,nisi externè agendi quod agit Ecclesia,& externè proferendi formam, adhuc manebit significatio Sacramentalis, consequenter validum erit Sacramentum.

Respondetur negando consequentiã. Tum quia vox homo,ex communi & usurpata significatione,non habet duplicem sui acceptionem, in quarum alterutra non significetur hominis esse;jam autem habet duplicem significationem forma Sacramentalis,ut immediatè dixi. Tum quia si accipiatur paritas ut sonat,probabit multum, probabit enim non debere haberi etiam intentionem externè agendi,quod agit Ecclesia,siquidem hæc non est necessaria,ad prolationem & ponendam significationem vocis homo. Tum quia à placito particularium,non dependet significatio, consequenter ad significationem illius termini Homo, non est necesse habere actum internum; jam autem ab intentione particulari Ministri,pendet Sacramentum,propter doctrinam Tridentini.

Quinta Paritas. Est verus idololatra, qui sine actu interno,adorat idola,Ergo & verè valideque conficit Sacramentum,qui externè adhibet materiam & formam, quamvis non habeat majorem intentionem,quam externè agendi id quod agit Ecclesia.

Respondetur. In quo sensu verum est antecedens,in eodem verum est & consequens:nempe,quòd sicut ille prior esset idololatra fictè ita & Sacramentũ illud,est nonnisi fictum Quamvis autem Ecclesia baptisatum externè,quamvis Minister non habuerit intentionem debitam, judicet pro baptisato,id tamen judicium Ecclesiæ procedit, in quantum illa per se jus habet, nonnisi fori externi, fundati in sola actione externa.

Quæres ex occasione hac: An Minister habens debitam intentionem, dicendus sit,potius Minister Ecclesiæ,quàm Christi. Est quæstio de voce,& quidem commodius est illum appellare Ministrum Christi. Tum quia ly Minister importat instrumentalem causam, instrumentalis autem causa, importat relationem ad principalem; jam verò causæ principalis rationem,cum addito, habet Christus, ut supra dicebam non Ecclesia. Tum quia ejus dici debet Minister,cui in ratione Ministri ita subordinatur,ut illa ratione ministrandi non habita, non conficiat Sacramentum,illa autem habita conficiat; jam autem qui putaret nullam esse Ecclesiam,vel errare illam in modo intentionis concipiendæ,vellet tamen facere quod instituit Christus, adhuc talis verè conficeret, nec faceret tunc intentionem in suppositione impossibili, tollente seipsam. Tum quia,si tota Ecclesia, hoc est,singuli particulares simul sumpti,facerent intentionem,non dicerent: Facio nomine Ecclesiæ, quia ipsi illi sunt Ecclesia,sed dicerent : Facio quod vult Christus,Ergo apparet ipsam totam Ecclesiam, habere se per modum Ministri Ecclesiæ.

Objicitur Secundò Principium negativum. Quia scilicet ex una parte poterat Christus instituere Sacramenta,non requirentia intentionem externè faciendi, quod facit Ecclesia, ex alia parte,nulla est necessitas, quæ ostendat,illum requisiisse majorem prædicta intentionem, imò ne illam requireret moveri poterat, ut ita securiores essent fideles,& non suspensi: An posita sit Ministri intentio, an non.

Respondetur. Argumentum multum probaret, probaret enim nec intentionem agendi externè quod facit Ecclesia requisitam esse. Directè autem ad difficultatem dico, quamvis nulla esset necessitas,sufficeret libera Dei constitutio,qua decrevit illam prærequirere : de facto autem intercedere tale Dei decretum, innuerunt Trident. & Florent. & congruebat, ut cum in utilitatem humanam illa constituerit, vellet in illorũ collatione,humano modo procedi, adeoque ex intentione finis: quod motivum potiorem locum de se meretur, quam timor de defectu intentionis, quæ facilè haberi potest; & si Deus attendere debuit, ne daretur occasio timendi, debebat fecisse decretum, ne aliquis unquam in forma erraret, ne posset invalidam materiam applicare,& cætera similia.

Punctum

Punctum Difficultatis 3.

Principia Philosophica & Auctoritates in contra.

OBJICIUNTUR Tertiò aliqua principia Philosophica.

PRIMUM PRINCIPIUM est. Actio sequitur conditionem potioris agentis, quoties agens, est debitè applicatum passo ; sed in Sacramentis Deus habet rationem potioris agentis, Ergo sequitur Sacramentum quoties agens est debitè applicatum, subsumitur: sed posita materia & forma & intentione exteriùs agendi quod facit Ecclesia, manet passum debitè applicatum Deo, per ministrum operantem exterius, in persona Ecclesiæ. Ergo hoc posito, ponitur Sacramentum, Ergo ulterius, cum sola illa intentione, est validum.

RESPONDETUR. Quod attinet ad principium, illud certè simpliciter acceptum, fallit, probat enim, quòd conclusio non debeat sequi debiliorem partem, quod ex equo & asina debeat generari equus, &c. & sicut in adlatis instantiis, virtus potioris agentis, restringitur à debiliori, ita etiam & virtus illa divina, ex suppositione sui decreti, restringitur, ne ponat Sacramentum, ob defectum in instrumento, hoc est, deficiente in Ministro intentione. Ex alio principio idem argumentum dissolvit Lugo, vide eundem num. 54. Transito autem toto principio, negatur subsumpti antecedens, non enim est debitè applicatum passum, cum non est debitè acta intentio, debitè autem acta non est, si non plus voluit. quàm agere exteriùs, quòd agit Ecclesia.

Ex quo etiam ulterius solves argumentum quo probatur, quod intentio causæ secundæ, non possit impedire actionem causæ primæ, quando materia & forma & actus est debitè exercitus, hoc enim est quod negatur, nempe esse debitè exercitum, cum sola intentione exterius agendi.

Sic, aliter proponitur idem principium. Inter duo pugnantia, victoria est semper, penes vires potentioris agentis: cum ergo Deus sit potentissimum agens, licèt illi aliud repugnet, semper suum sortitur effectum, Ergo licèt intentio interior & exterior pugnent, exterior obtinebit effectum, quæ fortior est, quia Deus cum illa concurrit, & si deficeret, defectum suppleret, præcipuè cum in persona Ecclesiæ, administretur Sacramentum.

RESPONDETUR hanc objectionem multa involvere non explicata. Si enim v.g. per intentionem internam pugnantem intelligat, quod nolit conficere Sacramentum, & tamen applicet materiam & formam, illud certè est contra communem sensum, quod scilicet possit confici Sacramentum, quamvis nolit illud Minister conficere. Rursus non probat cur Deus potiùs concurrere debet, ut intentio exterius operandi sortiatur effectum, & non intentio interior. Rursus universaliter illud principium & sine restrictione fallit, probaret enim, quòd cum ex una parte bonum delectabile contra Dei voluntatem inclinat appetitum, & ex alia parte præsentatur Dei voluntas, quod semper penes Dei voluntatem sit victoria, adeoque nunquam peccari. Principium ergo hoc verum est, cum potentius agens intellectuale, agit, modo viribus illis proportionato, non verò cum suapte sponte, vires suas restringit: hoc autem in præsenti verificatur, quia Deus in productione Sacramentorum, restrinxit vires suas, & non vult modo illis proportionato operari, sed adstringit operationem suam, intentioni creaturæ, conficientis Sacramentum. Denique quod addit defectum intentionis externæ à Deo supplendum, probat multum, quia aliàs etiam illa non posita, sed solum applicata materia & forma, supplendum adhuc illius defectum. Vide aliam responsionem ad idem argumentum apud Lugonem citatum num. 55.

SECUNDUM PRINCIPIUM est. Esse, sequitur ad operari: & determinatum modum essendi, sequitur determinatus modus operandi: consequenter determinatum modum operandi, sequitur determinatus modus intendendi operationem; sed modus operandi non extendit sese nisi ad actum exteriorem: nam gratiam vel characterem ipse Deus producit. Ergo etiam & modus intendendi operationem, debet se extendere, nonnisi ad actum externum.

RESPONDETUR. Hanc difficultatem tactam esse supra. An Minister producat gratiam, ubi quamvis negatum sit, illum producere gratiam immediatè, producit tamen mediatè, cujus oppositum supponit hæc objectio, & non probat. Sed supposito etiam quòd non attingeret productionem gratiæ etiam mediatè Minister, nondum sequetur validitas Sacramenti, dicetur enim solum Deum producere gratiam vel characterem, casu quo debitè applicetur materia & forma, debitè autem applicata non sunt, nisi ponatur intentio talis, qualis propugnatur.

TERTIUM PRINCIPIUM est. Opus respondet praxi non speculationi; sed intentio Ministri, qua procedit ad opus, est practica, interna verò intentio, est speculativa. Ergo opus quod sequitur quoad actum externum, debebit potius pendere ab intentione practica, quam à speculativa.

RESPONDETUR, etiam ex hoc principio nihil deduci; neque etiam probat intentionem illam internam, esse speculativam: nam cum dirigit Logica internè, dictans hoc non esse secundùm artificium artis, verè adhuc habet operationem

practicam, quæ habet pro objecto æquivalenter opus; sic & illa interna intentio, qua nollet conficere Sacramentum, modo sit præscriptiva modi id agendi, erit adhuc æquivalenter practica. Rursùs quamvis opus respondeat praxi, respondet tamen ei positæ ut debet poni, non ponitur autem ut debet, quando non ponitur cum intentione debita, jam autem illi praxi non apponitur debita intentio, si sit intentio solùm externè agendi, quod agit Ecclesia.

Reliquas Objectiones vide apud Lugo. Quando autem alii ex eo urgent non debere haberi intentionem, quàm solius actûs externi; quia in distributione Sacramenti Eucharistiæ, distributio non pendet ab intentione interni actus, id omnino non convincit, quia eo casu, non conficit Sacramentum distribuens, sed supponit confectum, si supponit confectum, non debet ponere prærequisita illius conficiendi, consequenter nec intentionem, qualem ad confectionẽ Sacramenti prærequirit Tridentinum.

Objiciuntur Quartò aliquæ historiæ, ut Athanasii baptisantis infantes, & quos iteratò non audebat baptisare Alexander Patriarcha Alexandrinus, & S. Genesii Martyris, qui in publico theatro irridens baptismum, fecit se baptisari, cujus baptismus tenuit, ut videre est apud Vincentium Beluacensem lib. 12. cap. 104.

Respondetur, quoad primam historiam, quod ille habuerit verè & seriò intentionem, non solum actus externi, sed etiam faciendi, ut fit in Ecclesia, unde post cognitam per examen talem intentionem, non ausus fuit Patriarcha, iterato baptisare. Quod ad secundam historiam attinet, tribuit illam justificationem Lugo accedenti concursui & amori Dei, ad quem Deus excitavit Genesium: quando autem Angelus apparens, videtur illi ablutioni promittere remissionem peccatorum, dicit, quòd illa ablutio, valuerit in ordine ad remissionem pœnæ. Sed hæc ejus explicatio non est plana, nec simpliciter accipit historiam; quî enim peccata remittuntur baptisatis, ut dicit Angelus, si nonnisi remittitur pœna reatus: Potiùs itaque dici potest, quòd cum Deus potuerit facere, ut Sacramentum teneret etiam secluſa intentione conferentis, quod inquam ad honorandum baptismum, defectum illum suppleverit. Et sicut licitum est Lugoni assumere, quod illi baptismo per modum indulgentiæ fuerit applicata remissio, ita dicere possumus ad honorandum baptismum, Dei dispensatione suppletam conditionem intentionis, præcipue quia baptismo illi tribuit Angelus remissionem peccati.

Objiciuntur Quintò variæ auctoritates.

Prima Auctoritas est Christi, qui mittens ad baptisandum, non meminit intentionis.

Respondetur. Quòd non meminerit intentionis explicitè, meminerit tamen implicitè, in quantum illos instruebat, ut id facerent tanquam Ministri ejus. Rursùs nec etiam intentionis Christus meminit faciendi exterius, quod facit Ecclesia, & tamen talem intentionem requirunt oppositi. Denique quamvis id in Evangelio scriptum non sit, sufficerit Ecclesiam traditione id habere, & simul colligere ex intrinsecis principiis confectionis Sacramentorum, quæ cum conficiantur humano modo, debent confici cum intentione.

Secunda Auctoritas est S. Augustini lib. 7. de baptis. contra Donat. cap. 53. sed illo loco, ut advertit Lugo explicari S. Doctor potest, quòd nomine fallaciter dantis vel suscipientis, non intellexerit dantem vel suscipientem sine intentione, sed solum dantem vel suscipientem sine fide, de valore Sacramenti; quando autem etiam ab ebrioso collatum baptismum dicit tenere, nomine ebrioſi intelligi non ebrium, sed habentem habitum ebrietatis, consequenter non dicit August. sine intentione tenere baptismum, sed tenere, quamvis conferatur ab improbo homine.

Tertia Auctoritas est S. Thomæ, ubi in 4. dist. 6. quæst. 1. dicit ad baptismum non requiri mentalem intentionem. Hæc tamen auctoritas ut sonat accepta, non favet oppositis, quia etiam intentio externè agendi quod facit Ecclesia, & quam illi ad valorem Sacramenti requirunt, est intentio mentalis, requiri autem non deberet, si ex S. Thoma, non requiritur mentalis intentio. Potest commodè S. Thomas intelligi, quod nomine mentalis intentionis, accipiat mentalem intentionem in mente versantem, in actu conferendi Sacramentum, quòd autem requisierit intentionem, indicant illa verba: *sufficit expressio intentionis per verba*; si autem non fuit ulla intentio, quomodo exprimitur, sicut quomodo exprimi potest propositum internum affirmativum, si nihil internè sit affirmatum. Fuisse autem hanc mentem S. Thomæ vel inde colligi potest. Quia illo loco intentum illius fuit, ostendere principium pacandæ conscientiæ, quæ suboriri posset, ex eo, an habuerit Minister in collatione Sacramenti intentionem, cui pacandæ hoc principium adfert, quod non sit in collatione Sacramenti necessaria intentio, hoc est, explicite, actu, mente concepta intentio, dum confertur Sacramentum: imò multi legunt loco ly mentalis intentionis, ly specialis intentionis. Colligitur item mens illius ex 3. part. Quæst. 64. art. 10. Di Cast. autem ita explicat disp. 3. num. 53. quòd scilicet dicat S. Thomas, sine intentione valere Sacramentum, sed quod Deus defectum sua misericordia suppleat consule post alios de hoc Lugo disp. 8. num 62. Addunt alii ante definitionem Conciliorum, fortasse docuisse hoc & S. August. & S. Thomam.

DIFFI-

DIFFICVLTAS II.

De Intentione in Causa, Habituali, Virtuali.

PRæmittenda est hic explicatio aliquorum terminorum.

PRIMUS TERMINUS est *Intentio interpretativa*, quæ nihil aliud est, nisi positio actionis, ex qua colligi potest ab hominibus, positio intentionis internæ, quantumvis illa nunquam fortassis præcesserit: sic v.g. quamvis homines homicidam Petrum, qui dicit se commisisse casuale homicidium, non sciant habuisse intentionem & voluntatem occidendi, quia tamen non adhibuit diligentiam, quam promptum illi fuit habere, interpretantur illum habuisse intentionem occidendi. Ita explicat intentionem interpretativam Pontius disp. 41. num. 32. Et hæc est explicatio intentionis interpretativæ, attendendo ad vocem interpretativæ: nam non rarò solet usurpari pro intentione in causa; & hæc intentio non tam est intentio, quàm fundamentum morale, affirmandæ ab hominibus, & colligendæ, intentionis internæ.

SECUNDUS TERMINUS est *Intentio in causa*, quando scilicet vult homo causam alicujus effectus. Velle autem possumus aliquid in causa, pluribus modis. Primo volendo causam, ex qua non prævidemus secuturum effectum. Secundo volendo causam, ex qua prævidemus secuturum effectum, nihil tamen decernimus, & nullo actu voluntatis, versamur circa effectum, abstrahimusque (quædam intendendo) à secuturitione effectus. Et hoc modo acceptam intentionem in causa, solent alii confundere, cum intentione interpretativa. Tertiò, volumus causam, ex qua prævidemus secuturum effectum, ita ut expressè nolimus illum effectum. Quartò, Cum prævidemus ex hac causa secuturum effectum, illumque volumus, ita tamen, ut intentio volendi illam causam, non sit secuturitio effectus, sed aliquid aliud, quamvis conjungatur positioni causæ, etiam secuturitio futuri effectus. Quintò, Possumus velle causam ex eo, quia prævidemus secuturum talem effectum, ita ut motivum volendi etiam causam, sit, ut ponatur effectus, qui prævidetur futurus.

TERTIUS TERMINUS est *Intentio directa vel indirecta*. Illud intendimus directè, quod in se ipso attingitur, sive illud velimus media connexione cum alio, sive sine connexione. Illud autem intendimus indirectè, quod nullo modo in se, sed in connexione cum alio intenditur.

QUARTUS TERMINUS *Intentio proxima & remota*. Intendimus proximè cum in executione finis vel ante, immediatè coexistit volitio finis. Remotè autem, si præfuerit, & non coexistat.

QUINTUS TERMINUS est *Actualis, virtualis, habitualis intentio*. Actualis, est actualis volitio finis vel medii. Habitualis intentio, est volitio præterita non retractata, vel potius habita volitio. Virtualis est virtute, non actu existens, de quibus infra. Huc refer intentionem conditionatam & absolutam. Tota hæc series intentionum exemplificari solet in sacerdote, qui ebrius solet proferre verba consecrationis; nam cum id facit, interpretantur homines illum velle consecrare, quamvis fieri possit, quod illi nec dictamen præluxerit de consecrando, & quod non norit se id facere, ut si in ante nunquam id fecerit, diciturque velle illud in causa, si velit, ita, ut ea intentione inebrietur, ut proferat verba, habebitque tunc intentionem in causa, simul cum directa & formali volitione consecrationis, si autem nolit consecrare & tamen velit bibere, prævidens secuturitionem effectus, censetur id velle in causa, indirectè & materialiter: quia verò dum enuntiat actu verba non est præsenti sibi mente, nec habet in actu, præsentem illam intentionem, ideò illa intentio vocatur remota & non proxima. *His præmissis, sit*

Punctum Difficultatis 1.

De Intentione in Causa.

ASSERO Primò *Intentionem in causa, ex qua nullo modo prævidetur secuturus effectus, hoc est, prolatio mera verborum & formæ, & applicatio materiæ, non est sufficiens ad Sacramentum.*

Ratio Asserti est, quia sine intentione Sacramenti non potest confici Sacramentum: illic autem non est intentio Sacramenti: quia non est intentio Sacramenti, cum nec est prægnita futuritio Sacramenti, sed in causa non est prægnita futuritio effectus, ut supponitur. Ergo.

ASSERO Secundò *Intentionem in causa, ex qua prævidetur secuturus effectus, ita tamen ut circa effectum nullus versetur actus voluntatis, non sufficere ad Sacramentum.*

RATIO est eadem, quæ pro priori asserto, hoc mutato: quia quamvis illic sit prægnitio effectus, nihilominus respectu voluntatis, ita se habet, ac si non esset: cum nullus supponatur poni actus voluntatis, intentio autem non est sine actu voluntatis.

RATIO Secunda est; quia illa intentio non est sufficiens ad Sacramentū, quæ potest stare cum intentione, non conficiendi Sacramentum; hoc enim ipsum monstrat, non habere illam, vim influendi in Sacramentum, siquidem non habet vim destruendi ea, quæ impediunt positionem Sacramenti. Sed prædicta intentio potest stare, cum nolitione Sacramenti, quia ex illa prævisione, potest sequi vel nolitio vel volitio effectus: sicut complacentia indeliberata, non est sufficiens ad amorem, quia illa posita, potest

sequi vel odium vel amor rationalis. Ergo illa intentio non est sufficiens.

RATIO Tertia si non prævideretur secuturus effectus, nullo modo esset illa sufficiens intentio. Ergo etiam si prævideatur, sed non attingatur à volitione effectus, non erit sufficiens intentio, idque ideo, quia actus humanus, non minus prægnitum exigit, quam volitum.

ASSERO Terti, *intentionem in causa, quæ est cum positiva nolitione effectus seu Sacramenti, non esse sufficientem ad Sacramentum.*

RATIO asserti est, quia non potest dari Sacramentum sine intentione Sacramenti, sed tunc non datur intentio Sacramenti, quod probatur: ubi datur nolitio Sacramenti, non datur volitio Sacramenti, suppono enim saltem naturaliter non posse versari circa idem objectum contrarias volitiones, præcipuè efficaces, de qualibus agitur, dum agitur de intentione.

ASSERO Quartò. *Intentionem in causa, ex qua prævidetur futurus effectus, si sit in homine, qui aliunde non supponitur esse sui compos, ut si sit ebrius, vel amens, non esse sufficientem.* Est assertum commune.

RATIO Prima illius assignari solet. Quòd scilicet verba illa, non procedant ut effectus, ab illa voluntate, ut causa morali, sed ab ebrietate ut à causa Physica; quod ipsum aliter proponit Lugo, quia ut verba significent, non satis est velle me significare, si ea protulero, sed requiritur, quòd ad hunc finem velim ea proferre, atque ideo quòd velim ipsam prolationem verborum, quod in præsenti casu non habetur.

RESPONDERI posset: hoc ipsum est, quod probari debuit, nego enim illam prolationem verborum, non esse effectum moralem, pendentem ab illa intentione, in causa.

RATIO Secunda est, qua utitur Amicus disp. 9. num. 13. Intentio Ministri requiritur ut principium proximè imperans actionem Sacramentalem, cum enim debeat esse libera & humano modo applicari, necessariò requirit actum voluntatis liberum, à quo ut à principio proximè imperante, proficiscatur.

RESPONDERI posset quod intentio requisita, debeat esse principium proximè imperans, vel in se, vel in aliquo sui; est autem proximè imperans in aliquo sui, nempe in causa adhibitum, ex qua prævidebatur secuturus effectus, & simul est volitus. Unde illud ly proximè, non debet accipi materialiter pro immediatione vel vicinitate actûs, aliàs etiam virtualis intentio non sufficeret, nam etiam hæc non dicit immediationem & vicinitatem, sed solam proximitatem formalem seu causandi.

Ad alias autem rationes dissolvendas illud tenendum est, quòd in tali intentione nihil minus sit (excepta præsenti dispositione, quam vi status, ebrii, vel amentis habet) quàm sit in multis inventionibus, quæ censentur validæ. Si enim id fiat in statu, quo homo sit sui compos, non videtur quidquam minus habere illa intentio, quam quocunque modo explicabilis virtualis intentio, imò plus habere, quia habet etiam actualem voluntatem, perturbatis etiam ebrietate sensibus, quod non accidit, saltem ita explicitè, in multis, quæ fiunt nonnisi beneficio intentionis virtualis. *Sit itaque*

RATIO Tertia ejusdem asserti, quia illa intentio & foret sufficiens, & non foret sufficiens foret quidem sufficiens, ut supponitur, non foret autem sufficiens; quia in illo casu, vel potest attendi ad actualem illam voluntatem, quam habet in ebrietate v.g. consecrandi, vel ad voluntatem, quæ præcessit ebrietatem; nulla ex istis est sufficiens: quod ipsum probatur; non est sufficiens imprimis hæc, quæ actu in ebrietate habetur, quia illa non est voluntas humana, intentio autem debet esse actus humanus, sed est nonnisi actus hominis: & sicut si non prævidens se prolaturum, formam consecrationis, illam proferret ebrius, proferens nihil efficeret, ita nec præcisè ratione actualis illius voluntatis, quidquam efficeret: non etiam ex vi intentionis antecedentis, quia illa ex vi status quem habet, talis redditur, ut non possit principiare ullum actum humanum, ille enim actus censeretur esse nonnisi hominis, & fine nonabsimili actionibus bruti; alludentibus non nisi ad veram intentionem finis. Christus autem secundum communem fidelium sensum, volebat actiones Sacramentales, esse actiones, quæ fiant humano modo.

ASSERO Quintò. *Intentio in causa, secundum quam velit aliquis causam, ideo, quia prævidet ex illa secuturum effectum, si sit in homine, qui aliunde supponitur non esse sui compos, non est sufficiens ad conficiendum Sacramentum.* Modum talem volendi appellat Lugo, modum volendi effectum directè & formaliter secundùm se ipsum, quamvis mediatè & remotè, ad eum modum, quo nepotis causa directa, est avus, quamvis remota. De hoc modo loquendi vide quod diximus de causa remota in Physicis. Oppositum tamen esse probabilius judicat Cabrera apud Lugo: dicitque etiam in somno collatum baptismum, (si illa actio ortum habuerit ex efficaci voluntate conferendi baptismum, quam in vigilia habuit), nonnisi sub conditione iterandum esse.

RATIO Prima asserti est. Quia intentio illa in causa, de qua egimus asserto quarto, non est sufficiens. Ergo neque hæc.

RATIO Secunda est. Hæc eadem, quæ loco tertio allata est pro asserto quarto.

RATIO Tertia est, quia tunc cùm habetur intentio, non ponitur materia & forma, & cum ponitur materia & forma non adest intentio, quæ sit conjuncta cum humano modo agendi. Ergo nec in priori tempore, nec in posteriori ponitur Sacramentum.

DICES

Dices Primò. Nihil plus est in intentione virtuali, quod non sit in intentione de qua quæritur. Ergo si intentio virtualis est valida, etiam hæc erit valida.

Respondetur intentionem virtualem, & intentionem de qua hîc, convenire tum in hoc, quod utraque sit libera nonnisi denominativè, ratione causæ volitæ & mediorum, convenire item in hoc, quod utraque procedat ex applicatione libera in ante facta, imò superat in hoc intentio, de qua in præsenti, quia potest stare cum actuali memoria intentionis præhabitæ, eaque explicita, licèt cum perturbatis phantasmatibus, quod non requiritur ad virtualem intentionem ut infra dicetur; nihilominus intentio de qua in præsenti, non est sufficiens, quia neque illa quæ præteriit, neque illa quæ præsens est, sufficit ad hoc, ut dixi in asserto quarto. Deinde, quia qui habet intentionem virtualem, ratione status in quo est, potis ponere actionem humano modo, cum autem ebrius non censeatur ponere actionem humano modo, hinc fit ut in eo, illa intentio, non valeat. Per quod etiam ulterius responderi debet, cur distractè consecrans verè consecret, jam autem consecrans cum intentione de qua hîc, verè non consecret, quia adhuc ratione status censetur modo humano agere, & plenè absoluta potentia, quod non est in somno vel ebrietate. Aliam etiam differentiam ratione verborum innuit Lugo. Quia scilicet verba non sunt imposita ad significandam mentem præteritam sed præsentem, quam cum ebrius vel dormiens non habeat, hinc illam verba non significant, si illam non significant, quomodo formalitas habebitur vocum adeoque formæ. Sed illud quod dictum est de soluta potentia & ligata multis exagitat Di Cast. num. 123. quid sit illa? Sed dici posset: sicut in principiis illorum, qui non exprimunt virtualem intentionem per actum tenuissimum, recurritur inter alia ad hoc, quod debeat esse homo ita dispositus, ut interrogatus quid agat, positivi præsentis illius dispositionis dicere hoc vel illud: ita plenam ut solutam esse potentiam non aliud est, quam quod ex vi status physici quem tunc habet, possit dicere, se hoc vel illud agere, homo enim etiam distractus, est in statu homini proprio, habet enim cogitativam rationalem non perturbatam, non est autem in statu homini proprio, amens, ebrius, dormiens, &c.

Dices Secundò. Non est major necessaria libertas, vel major & profectior ratio actûs humani ad merendum vel demerendum, quàm ad conficiendum Sacramentum. Ergo si intentio in causa sufficit ad meritum vel demeritum, etiam sufficiet ad confectionem Sacramenti.

Respondet Amicus disparitatem esse, quia ut actus sit meritorius vel demeritorius, non est opus ut comparetur tanquam causa ad effectum: sed satis est ut terminetur tanquam ad objectum: intentio autem ministri, comparari debet ut causa cum effectu. *Sed hæc disparitas*

Non Satisfacit. Urgeri enim potest iterato argumentum. Ad id ad quod intentio se habet tanquam ad objectum, sufficit prædicta intentio, ergo etiam sufficiet ad id, ad quod se habet tanquam causa ad effectum. *Itaq; aliter*

Respondetur Imprimis. Quod argumentum multum probet, quia in sententia arguentium, si prævideatur in ebrietate prolatio formæ, supra materiam debitam, nolit tamen id facere, quamvis inebrietur & proferat verba, non conficit Sacramentum, & tamen prævidens in ebrietate se occisurum hominem, quamvis nolit occidere, adhuc censetur peccare illo homicidio per arguentem. Ergo apparet, non esse eandem rationem conficiendi Sacramenti, cum merito vel demerito. Quod autem attinet ad Antecedens; docet Suar. & Sanch: apud Lugo quod perjurium ebrii, etiam prævisum, non habeat malitiam perjurii, licèt existimet Sanches quod blasphemiæ in ebrietate prævisæ, sint peccata, quod tamen negat Vasq. apud eundem Lugo ad eum modum quo contumeliæ ab ebrio prolatæ, non sunt contumeliæ; in idemque videntur recidere verba Amici, cum dicit; homicidium in ebrietate secutum, non imputatur ut effectus humano modo ab eo procedens, sed solum interpretativè, quia moraliter ita se gerit, ac si humano modo occideret.

Posset fortassis pro præsenti difficultate hæc adferri disparitas; quia peccatum in esse peccati, primo & per se constituitur assensu interno & voluntate, & ita positus actus externus, desumit ab illo malitiam: neque enim principaliter peccatum consistit in actu externo, secundùm illud Christi: de corde exeunt homicidia. Quod si peccatum primò & per se, sola voluntate constituitur, non indigebit conjunctione actus externi, ad esse peccati? quodsi non indiget conjunctione actus externi illâ voluntas ad esse peccati, quamvis postea ponatur actus externus, jam habet malitiæ suæ radicem totam completam, in voluntate antecedenti, à qua profluit & emanat in actum externum malitia. E contra autem Sacramenta, non perficiuntur in esse Sacramenti solo actu interno, sed indigent externo, si ergo simul non ponantur, nunquam ponetur Sacramentum: quia verò cum est intentio, non ponitur materia & forma, & cum ponitur materia & forma non ponitur intentio, fit ut nunquam illud Sacramentum, in illa suppositione ponatur. Et sicut est necesse ut materia & forma simul sint, casu, quo debeat poni compositum; ita est necesse, ut simul sint intentio & materia & forma, (supple moraliter) ut ponatur Sacramentum.

Dices Tertiò. Incidat in amentiam Prin-

ceps, cujus nomine Procurator in Matrimonium consentiat, vel certe dormiat aut sit ebrius, verè adhuc tenet Matrimonium. Ergo etiam illa intentio, faciet validè confici Sacramentum ab ebrio.

Respondetur. Quod attinet ad casum antecedentis dici posset. Vel incidit in amentiam Princeps, ante consensum mandatarii, vel post consensum: si post consensum, tenet Matrimonium, in amentiam incidisset; si autem ante contractum tenere Matrimonium docet Bon. Henr. non tenere docet Basilius Pontius & Lugo, fundanturque in Legis dispositione, quæ dicit, mandata exspirare, morte mandantis, vel si fiat furiosus. Sed quidquid sit de casibus Antecedentis. Negatur Consequentia; disparitas est, quia eo casu, ponitur adhuc aliquid, quod supplet defectum præsentis animi, nempe ipse mandatarius; jam autem nihil habetur, quod suppleat defectum præsentis illius mentis, faciatque illam, in aliquo sui, humano modo agere.

Dices Quartò. Ponatur aliquis incidisse in amentiam, & in ante petiisse baptismum, validè confici potest; Ergo etiam & in ebrietate, validè cum prædicta intentione, confici Sacramentum.

Respondetur. Negando consequentiam disparitas est. Quia non ordinavit Christus, ut suscipientes Baptismum, suscipiant illum semper, humano modo: aliàs in infantibus non teneret baptismus, nec unctio, in jam, non sibi præsentibus: est autem de præsenti ordine Christi, ut Sacramenta semper conficiantur humano modo: non censetur autem is conferre humano modo, qui non habet mentem sibi præsentem, quæ est radix omnis actionis, humano modo ponendæ. Disparitatem aliam dat Coni: q. 64 num. 75. quia suscipiens Sacramenta habet se passivè, conferens verò activè, major autem requiritur perfectio in agente, quam in patiente; & si sapientem sæpe decet, sua bona dispensare in amentes, nunquam tamen decet eum dispensare per amentes, ita & in præsenti poterit amenti dari baptismus, non poterit eundem dare amens.

Dices Quintò. Si quis prævideat se occidendum propter fidem, habeat voluntatem in illo periculo non negandi fidem, incidatque postea in amentiam, in qua occidatur, verè erit Martyr, consequenter illa intentio valida est, in ordine ad Martyrium. Ergo etiam valida erit intentio de qua in præsenti, in ordine ad Sacramentum.

Respondetur. Neg. Conseq. Disparitas est; quia Martyrium in quantum est actus virtutis & meriti, consummatur in actu illo voluntatis interno, & actus ille exterior, nonnisi denominativè est meritum; jam autem Sacramentum per se non consummatur sola intentione. Recolantur dicta ad objectionem secundam. Deinde in Martyrio, habet se homo non activè, sed passivè, consequenter ad illud actu perpetiendum, non debet esse sibi præsens humano modo, licèt ut mereatur voluntate Martyrii, debeat esse sibi præsens; jam autem in Sacramentis conficiendis habet se homo activè, adeoque humano modo agere debet: humano autem modo agere non potest, si non habeat mentem sibi præsentem.

Punctum Difficultatis II.

An intentio habitualis sit sufficiens ad Sacramentum.

Assero Primò. *Intentionem habitualem, ex hac præcisè formalitate, quòd sit idem quod intentio habita, seu intentio habita non retractata, non adferre invaliditatem Sacramento.*

Ratio est, quia quando aliquid ex aliqua præcisè formalitate repugnat, tunc, quoties illa formalitas reperitur, toties, non potest poni illa actio; sic v. g. quia præcisè ex ratione frigefaciendi, repugnat poni calorem, ubicunque ponitur frigefactio, ob illam, non potest poni calor: sic etiam, quia ex vi & formalitate rugibilitatis, positivè repugnat ratiocinari, ubicunque id reperitur, non potest poni vi illius ratiocinium: sed ita non habet se intentio non retractata, per ordinem ad invalidandum Sacramentum, quod ipsum probatur. Quia potest esse alicubi intentio non retractata, & tamen poni Sacramentum, ut contingit in intentione virtuali; ergo apparet ex hac præcisè formalitate, quia illa intentio est habita, non retractata, quod non sequeretur adstrui invaliditatem.

Assero Secundò. *Intentionem habitualem ex hac præcisè formalitate, quòd sit intentio habita non retractata, non adfert valorem Sacramento.* Est commune assertum, nisi accipiat aliquis intentionem habitualem aliter, quàm hìc de illa tractetur.

Ratio Prima asserti est. Quia intentio Ministri, debet esse intentio animati instrumenti, & se moventis: non enim voluit Christus, ut in conficiendis Sacramentis, homines inanimato modo se haberent; sed intentio ex eo præcisè quia est habita & non retractata, non est intentio instrumenti se moventis, non enim quisquam se movet per hoc quod præteriit, sed se movebat. Ergo illa intentio non est sufficiens.

Ratio Secunda ex absurdis est; quia si sufficit intentio habita ex præcisa formalitate habitæ, sequitur amentes vere baptisare, vere absolvere, vere conficere Sacramenta &c. similia, quæ absurda censentur.

Ratio Tertia est, quia de intentione habita non

non est verum dicere, per eam intendit in præsenti Minister, hoc enim ipso, non acciperes intentionem habitualem, ut hîc de illa agitur, hoc est ut præcisè stat, sub hac formalitate quod sit habita, sed tantùm de illa verum est dicere, quod habebatur. Ergo illa intentio, non potest esse sufficiens. Consequentia probatur; quia si non haberetur Materia præsens, nec forma proferretur præsenter, sed tantum prolata fuisset, illa Materia & forma non teneret actu, sed tenuisset; ergo etiam idem dicendum de intentione, quæ non habetur præsenter, sed habebatur. Quod ipsum ulterius declaratur. Quia intentio illa Ministri, habet se ita, sicut actio producentis; sicut ergo actio quæ præteriit, non potest ponere effectum, quamvis sit Materia quantumcunque dispositа, sic nec ponetur Sacramentum ex intentione, quæ nihil habet plus, quàm quod præterierit.

Dices Primò. Ex sola hac præcisè formalitate, quod habuerim intentionem applicandi Sacrum, dum actu illud dico; applicatio tenet. Ergo ex hac etiam præcisè formalitate, quod habuerim intentionem conficiendi Sacramentum, dum illud conficio, tenebit Sacramentum viillius intentionis.

Respondet Vasq. negando Antecedens, cum aliis, de quibus, in Moralibus materiis.

Respondetur Secundò negando Consequentiam; disparitas est, quia applicatio illa fit per præsentem intentionem, confectio autem Sacramenti non fieret nisi per intentionem habitam, præcisè ut habitam, non enim fieret tunc Sacramentum cum habetur intentio: nam tunc supponitur non esse materia & forma, ergo si fieret per intentionem, præcisè ut habitam; quod autem illa applicatio fiat per præsentem intentionem, ratio est: quia non tunc applicatur Sacrum cum fit, sed fit jam applicatum, quod si non tunc applicatur cum fit, applicatur tunc cum intenditur dici, intenditur autem dici per præsentem intentionem, qua dico: Volo dicere Sacrum pro illo, quod autem non tunc applicetur Saerum cum fit, sed cum dico; Volo pro hac intentione dicere Sacrum, Probatur; quia applicatio Sacri, est translatio juris privati in fructum Sacri, sed translatio juris privati in fructum Sacri, fit tunc, cum dico: Volo pro hac intentione dicere Sacrum: quod ipsum probatur à pari, in omnibus translationibus juris, in quibus translatio perficitur non in possessione, sed donatione antecedente possessionem actualem; sic v. g. donat agricola fructum sui agri, hæc donatio non tunc fit, cum actu colligit donatarius fructum, sed hoc est, nonnisi manucapio & possessio actualis, sed donat in ante; jubet Princeps numerari ex suo thesauro mille imperiales famulo, non tunc donat, cum de facto numerat illos, sed tunc cum enuntiat: Dono tibi illos. Cujus rei (præter particularia in Materia justitiæ principia) hæc ratio est; quia si tunc cum dicit volo pro hoc dicere Sacrum, seu dono huic Sacrum, non foret donatio, & donaret & non donaret, non donaret quidem, quia impossibile est donare sine hoc quin perficiatur donatio, negas autem tu tunc perfici donationem: donaret autem, quia id illa verba sonant. Et hæc ratio salvat doctrinam Vasq. in quantùm negat fieri posse applicationem Sacri per habitam intentionem, quamvis ex diverso principio.

Instabis Primò ex Vasq. Applicare sacrificium, est illud offerre pro eo, cui illud applicatur, non dicitur autem quis offerre sacrificium per voluntatem quæ nullo modo est causa offerendi sacrificii; nam etiam sacrificium, est opus humanum, atque adeo pendens ex voluntate Ministri, ut per eam offeratur.

Respondetur. Applicare sacrificium, est illud offerre per modum donationis & translationis juris privati in fructum Sacri Conc. majorem: Applicare sacrificium est illud offerre, hoc est actu exhibere Deo; Nego Majorem; distincta Minore nego Consequentiam.

Instabis Secundò ex eodem. Non offertur sacrificium Deo, nisi per voluntatem à qua pendet & procedit oblatio. Ergo neque offertur pro aliquo, nisi per similem voluntatem.

Respondetur. Concedo totum; dico enim etiam applicationem Sacri non fieri, nisi per præsentem voluntatem, quæ influit in illum actum donationis. Condistingui etiam possunt signa illius oblationis: in primo deliberat, an debeat dare, in secundo, vult dare, in tertio dat & applicat illud sacrificium; sed in hoc est tantùm distinctio, quod applicatio illa perficiatur antequam fiat Sacrum, oblatio autem Deo perficitur nonnisi cum fit Sacrum, quia oblatio illa Deo est ipse actus sacrificandi, qui non fit nisi cum sacrificatur, oblatio autem seu donatio fructus privati Petro v. g. fit antequam fiat Sacrum.

Instabis Tertiò. Sacerdos applicat sacrificium ut Minister Christi, cui hanc Christus facultatem communicavit, non est autem Minister Christi, nisi cum actu offert sacrificium. Ergo tunc necesse est quod habeat actualem vel virtualem voluntatem applicandi Sacrum.

Respondetur. Argumentum multum probat; Probat enim in moralibus, dispensatorem thesauri regii, non esse, nisi cum actu dispensat, & reperitur in loco thesauri: non esse Secretarium, nisi cum actu secretaR ex illi communicat: Sacerdotem extra missam non esse sacerdotem, nam sacerdos est à sacrificando, non sacrificat autem extra missam. In forma ergo distinguo Majorem sacerdos applicat sacrificium ut Minister Christi, officio, potestate, charactere Conced. Maj. Applicat sacrificium ut Minister Chri-

Christi exercitio, actu, & actuali suæ functionis exhibitione Nego Maj. distinctaq; Minore Nego Conseq.

Instabis Quartò. Hodie habet Petrus impedimentum matrimonium invalidans, sub spe dispensationis ponendæ, si hodie consentiat, tenetur, ubi dispensatio advenerit, iteratò consentire. Ergo & tenebitur iterato applicare in Sacro, id, quod alteri obtulit.

Respondetur. Disparitas est, quia applicatio Sacrificii non est Sacramentum, consequenter perfici potest, etiamsi tunc non sit Sacramentum: jam autem concensus maritalis est Sacramentum, si est Sacramentum perfici non potest, cum non potest esse Sacramentum, sed ante dispensationem non potest esse Sacramentum, petitur enim primùm vis & potestas illud perficiendi, impedimento sublato, dirimenti; si non potest esse ante dispensationem Sacramentum, nec consensus ille, est ante dispensationem, Sacramentalis, consequenter dispensatione illa posita, tum primum poni debet ille consensus. Addo quod si matrimonium non esset Sacramentum sed sola traditio corporum, illa legitima esset, si diceretur, trado tibi jus corporis mei si venerit epistola à Patre; tunc enim veniente epistola, consensus ille conditionatus, transiret in absolutum, neque esset necesse iterare consensum. Aliter ad eandem objectionem Respondet Lugo num 98 vide eundem. Di Castillo etiam citatus num. 137. negat Antecedens, assumitque universaliter quòd actus factus tempore inhabili sed relatus ad tempus habile, valeat pro tempore habili, quæ responsio, est etiam non improbabilis.

Instabis Quintò. Qui offert se daturum, dum actu dat, debet babere volitionem dandi. Ergo idem dicendum de applicatione Sacrificii.

Respondetur. Disparitatem esse, quia offert se daturum, non habet volitionem dandi, & tamen datio humana, sine volitione esse non potest, jam autem qui applicat sacrificium, non tantùm offert, quia illud applicabit, sed revera applicat, quæ applicatio est datio, unde non erit necesse, ut habeat aliam voluntatem dandi, licèt illa datio, non sit adhuc plenè completa, nisi impleatur conditio positionis missæ; ad eum modum, quo, si quis dicat: do tibi centum ex ea pecunia quæ adferetur, non est necesse ut iteratò habeat voluntatem dandi, sed censebitur illa datio esse posita, conditione impleta adlationis pecuniæ Ita & in præsenti.

Dices Secundò. Sufficit habitualis intentio ad perceptionem Sacramentorum in adultis. Ergo & in confectione Sacramentorum sufficiet habitualis intentio.

Respondetur. Quidquid sit de Antecedente disparitas est; qnia in susceptione Sacramentorum, homo se passivè habet, si se habet passivè, non debet esse tanquam instrumentum vitale Christi, consequenter nec se movere in illorum susceptione. Jam autem in conficiendis Sacramentis, habet se Minister ut instrumentum vitale, adeoque non debet se inanimato modo habere, vi autem solius habitualis intentionis, habet se inanimato modo. Vide supra in simili dicta.

Dices Tertiò. Ex habitu operans meretur, ergo & ex habituali intentione operans, conficiet Sacramentum.

Respondetur. Si nomine habitus intelligas operari cum facilitate hoc sensu etiam consequens est verum, si autem ex habitu sumas pro non retractato simpliciter, de hoc jam supra actum.

Reliqua in materiis Moralibus.

Punctum Difficultatis 3.

Proponuntur modi explicandi virtualem intentionem.

COnsentiunt omnes quòd virtualis intentio sufficiat ad Sacramenta, aliâs Christus requisivisset in nobis modum agendi non accommodatum, fragilitati humanæ, quæ non potest semper intendere actuli intentioni; hinc si illa sola fuisset requisita, fuisset sæpe frustratus effectus Sacramentorum.

Primus Modus Explicandi,

Quem tenet Coning, Lugo, Di Cast: Esparza & alii; qui præter usurpationem mediorum, quæ fit vi præactæ & præhabitæ intentionis, requirunt insuper alium actum tenuem & debilem, & qui revera sit, licèt fundare supra se reflexionem non possit. Hujus sententiæ authores divisi sunt; nam Coning dicit illam manere virtutem, ratione impressionis in imaginativa relictæ, ex primo proposito, quo quis humano modo se ad agendum applicuit, idque defacto contingere: quia si semel imaginatio turbetur, vel omnino aliò trahatur, cessat etiam actio exterior, & ad eam prosequendam, nova intentione opus est; jam autem Lugo disp. 8. num. 84. videtur requirere non actum imaginativæ, sed actum intellectûs & voluntatis.

Impugnat. Primò hanc doctrinam Lugo. Applicatio illa præterita, quà Minister voluit legere duo folia, si nihil prorsus physicum remanet, non videtur sufficere ut tunc os aperiat, & lingua potiùs proferat talem vocem quàm illam.

Responderi potest. Quòd ad hoc deserviat imaginatio, quæ tunc physico suo actu operatur.

Impugnat Secundò idem. Quia si forma Sacramenti cantanda sit, licèt Minister ab initio ha-

habeat intentionem, & applicet potentiam & linguam ad cantandum, negari non potest, quòd semper debeat esse actus aliquis interior dirigens linguam, nam cantus fit ex arte; atque ideo si tollatur à Ministro ars musicæ, non poterit progredi in cantu artificioso. Ergo ars, concurrit ad singulas illas voces; ars autem est habitus acquisitus, qui non potest dirigere vocem, nisi mediis actibus elicitis.

Responderi potest in principiis Coning. Intervenire illic actum imaginativæ, quæ potest etiam cantum dirigere; nam cum dormiendo cantamus, quæ est necessitas cantum illum eximiendi ab imaginativa, & attribuendi illum nonnisi intellectus actui dictanti? dicique ulterius posset, quòd quando ars informat intellectum, acquirat etiam quid simile imaginatio ex notis musicis, vel aliunde perceptis sonis, figitque sibi imaginativa imaginem artis, secundùm quam ipsa possit operari; & si tolleretur à musico ars cantandi, in quantùm est habitus intellectûs, & relinqueretur illi imaginatio cantûs, adhuc illa imaginatio dirigere posset cantum, licèt non ita perfectè, ratione majoris fluctualitatis in imaginativa, quam semper firmat ipsa ars, quantumvis, si Musico adæquatè tolleretur ars, in quantùm scilicet in tota sua œconomia importat etiam imaginativam, simpliciter nesciret cantare. Quod autem universaliter enuntiat Lugo: habitum acquisitum non posse dirigere nisi mediis actibus elicitis, id non potest deduci ex ratione habitûs acquisiti, quia dantus habitus voluntatis acquisiti, facilitativi, quia non facilitant mediis aliquibus actibus directivis, sed in genere causæ formalis, ut alibi dicitur. Sed posito etiam, quod habitus acquisitus dirigere non possit nisi mediis actibus, hi in præsenti ostendentur, sed actus ipsiusmet imaginativæ per Coning.

Impugnat Tertiò Lugo. Ad legendum & cantandum &c. debet concurrere actu ars legendi; hæc autem non est habitus imaginativæ, sed intellectus, qui solus potest percipere significationem Characterum & institutionem hominum.

Responderi posset. Ad legendum & cantandum &c. debere concurrere artem vel in se, vel in aliquo sui; & ad perfectum actum cantandi vel legendi concurrit ipsa ars, ad imperfectum autem imaginatio; & licèt solus intellectus per se possit percipere significationem Characterum, secundariò tamen & imitativè imaginativa, ad eum modum, quo solus intellectus percipit Deum, Angelos, imitativè tamen statuit hæc sibi etiam imaginatio.

Impugnat Quartò idem. Dubium est, an possit in homine fieri motus progressivus, vel aliæ similes operationes, ex solo imperio appetitus, absque imperio voluntatis consentientis, saltem secundùm portionem inferiorem, quod quidem negat S. Thomas prima parte; q. 81. a. 3. eò quòd in omnibus potentiis motivis ordinatis, secundum moventis.

Respondebit Coning. Ex solo imperio appetitus id fieri posse, modò voluntas non dissentiat; dicetque quod cognoscitivæ intellectuali, subordinata sit imaginativa; & voluntati, appetitus sensitivus, subordinatione etiam vices gerendi; cum enim perviderit natura interdum vel distracto intellectu & voluntate, vel alteri operationi intentis, necessarium esse vitæ humanæ, ne inferiores potentiæ vacent, fecit vicariam imaginativam intellectûs, & vicarium appetitus intellectivi, appetitum sensitivum, cum jure, licèt non tanto, nec tam perfecto, utcunque tamè, dominandi potentiis exterioribus. Et certè si sensus communis in brutis, potest imperare tales motus, non videtur cur imaginativa idem in homine distracto, præstare non possit. Quod affertur ex S. Thoma, adhuc secundum movens movebit virtute primi, hoc est; vel non impediente primo, vel ex eo quia inferiores potentiæ provisæ sunt à natura, ut quiescentibus vel distractis superioribus, vices suas suppleant, dirigantque potentias executrices, tanquam virtus à natura provisa, primis moventibus.

Impugnat Quintò. Quamvis concedatur appetitui, posse illum imperare aliquem motum localem potentiæ externæ, id tamen non potest facere, nisi illi proponatur ut bonum proportionatum; sic poterit fortasse imperare manui fugam ab igne, propter dolorem vitandum; & psittacus imperat sibi prolationem vocum, expertus dari sibi cibum, quando profert illas voces; at verò voluntas applicans appetitum, ad imperanda talia verba Sacramentalia, non potest proponere finem Sacramenti, quem sola voluntas intendit; quam enim rationem boni apprehendit imaginativa, nisi delectabile? quod autem delectabile invenitur, in illa prolatione?

Respondetur. Duplex actio in imaginativa & appetitu sensitivo poni potest. Prima quidem, quæ attendit ad bonum sibi proprium, & circa illud exercet actionem nomine proprio; & hæc actio semper habet pro objecto aliquid in se, & per se sensibile. Secunda potest poni actio, quæ sit proportionata imaginativæ, tanquam vices gerenti intellectus, vel imitativè nonnisi se habentis; & sic v.g. format imaginem Dei, Angelorum, Entium rationis, & aliorum similium; & sicut appetitus potest imperare imaginationi, ut pergat in fictione Entium rationis, eò quòd refundatur in appetitum aliqua delectatio, stans in ipso exercitio illius imaginationis, in usu item specierum connexarum: sic imaginatio potest imperare potentiis exterioribus executionem, contenta ipsa illa delectatione & bonò, quod habet imaginatio, in illo sui exercitio,

tio, in usu connexarum specierum ; & quia illæ ipsæ potentiæ exteriores, suaviter & sine fatigatione operantur. Si enim accedat amaritudo vel fatigatio, renuit jam imperare appetitus, non habens delectationem suam ; unde iteratò ipsum imperium voluntatis cum prælucentæ dictamine intellectus debebit illas potentias applicare ; & sicut non sola voluntas percipit dolorem, dum videt sensuum exercitium impediri, sed etiam illum dolorem percipit imaginativa, & illi respondens appetitus ; sic etiam percipit in usu potentiarum exteriorum quem imperat cum suavitate operantium, percipit inquam ipsa imaginativa delectationem.

Sed quidquid sit de mente & principiis Coning ; prædicta explicatio virtualis intentionis, licèt securissima sit.

Non Satisfacit tamen. Ratio : Tum quia de intentione illa quantumvis in debili actu existente, verum est dicere ; est intentio actualis, nam etiam debilis actus, verè est actus ; ergo & de debili intentione dici potest ; Est intentio actualis, adeoque non virtualis, hæc enim distinguitur ab actuali. Tum quia etiam in physicis, si ponatur ignis debilis, non dicitur de illo igne parvo. Negatio ignis, sed ignis actualis parvus, aliàs ignis, non esset hoc, quod est ; & parvus homo, dicitur verè homo. Ergo & tenuis actualis intentio , adhuc verè est actualis. Tum quia virtualitas intentionis, debet esse proportionata, aliis manifestis virtualitatibus , maximè virtualitati mediorum continenti finem, media autem nullo modo etiam tenuiter, actualiter sunt finis, sed solum potentiâ illum continent. Ergo & intentio virtualis, non debet dictam actualitatẽ habere. Addit ipse Lugo num. 88. quòd licèt ab initio porrigat Episcopus tangendum calicem, cum intentione virtuali illum actum inferente , nihilominus postea teneri potest Calix ab Episcopo, absque novo conatu , vel actione, sed solum habendo manum supra pedem Calicis, quia ipsa manus naturaliter suo pondere jacet supra pedem Calicis , & eodem modo illic maneret manus, licèt dormiret vel morereturi ; quâ illius resolutione positâ, quæro ; vel tunc adhuc est virtualis intentio porrigendi calicem, vel non ? si non est ? ergo tangentes non percipiunt Sacramentum, quia porrigitur illis sine ulla intentione, quæ tamen est requisita ; si autem manet tunc intentio virtualis ; ergo illa potest esse sine ullo actu : quia sine ullo actu : quia sine ulla nova, ut dicit Lugo, intentione.

Respondet DiCast : dici hanc virtualem intentionem , quia non manet in illa expressione priori, sed admodum levis , tantæ tamen virtutis, ut ad opus sit satis ; & quia virtute prioris intentionis magis expressæ relicta fuit, vel tanquam quid remissum, vel tanquam de novo causatum ; vel certè tanquam inclusum quid, in executione & electione medii , ordinati ad finem.

Contra. Tum quia admodum levis intentio adhuc est actualis. Ergo non condistinguitur virtuali. Tum quia illud manens tantæ virtutis, ut sit satis ad opus, adhuc per DiCast : est actus tenuis. Ergo adhuc non distinctum quid, à virtuali intentione ; & sicut tam debilis manens ignis, ut sit satis ad igniendum, non dicitur virtute manere sed manere actu ; ita & in præsenti. Tum quia relinqui virtute prioris actus, si supponit ipsum relictum esse actum tenuẽ ; quî jam salvabit distinctionem virtualis intentionis ab actuali ? ad eum modum, quo relicta virtus impressa tenuis, ex impressione fortiori, non salvat, quòd tunc virtus projectionis virtute maneat, sed ostendit adhuc actu, licèt debiliter manere. Quod autem dicit manere illam intentionem tanquam inclusum quid in executione & electione medii ordinati ad finem, vel supponit adhuc tunc actum illum tenuem, vel non supponit ? si supponit , ut quid recurrit ad illam inclusionem ; si non supponit , recedit à propria sententia.

Secundus Modus Explicandi idem.

Secunda Explicatio stat in hoc. Requirit in ante actum positum, & simul importat applicationem potentiarum executivarum, sed ita, ut illæ pergere possint , quamvis prior intentio actualis desinat, modò non retractetur. Unde hæc Explicatio non requirit ullam actualem intentionem præsentem etiam debilem , dum continuatur actio. Ita Suar. disp. 13. Sect. 3. post secundam Conclusionem. Vasq. hic disp. 158. cap. 6. num. 78. Amicus disp. 9. num. 18. Cujus verba sunt ; Est igitur necessaria & sufficit virtualis intentio, quæ virtute perseverat in aliqua externa actione, & à Ministro imperata & directa ad opus Sacramentale exequendum, & nondum moraliter revocata, per temporis interruptionem ; similia habet Petrus à S. Joseph in sua Idæa de Sacramentis cap 4. Resol. 4. Ubi cum supposuisset proferri interdum verba in Consecratione aliud cogitando, non obstante, inquit, præsenti distractione, præcedens intentio, virtualiter perseverare censetur, nempe mediante illa serie actionum consecrationem præcedentium, quæ ab illa profluxerunt. Similia habet Pontius, disp. 40. quæst. 5. num 36.

Dices Primò. Quî hæc virtualis intentio distinguetur ab habituali ?

Respondetur. Distinguetur ab habituali, quia habitualis intentio quâ talis, non plus importat, quàm esse præhabitæ intentionis non retractatæ ; virtualis autem dicet quidem esse etiam præhabitæ intentionis non retractatæ , sed simul usurpationem mediorum, seriemque continuationis ex illa applicatione factæ, quæ si diceret

diceret habitualis, transiret in virtualem, sicut eam non rarò S. Thomas accipit.

Dices Secundò. Per quid determinantur potentiæ executivæ ad illam successionem actionum, eo ordine & modo usurpandam, quod quidem magis locum habet, si inter actiones, quæ sunt media ad Sacramentum, usurpentur aliæ actiones artificiosæ, quæ indigent directione artis, quæ ipsa directio, quî adhiberi potest sine ullo actu.

Respondet Primò Pontius cit. n. 34. hoc provenire ex voluntate illa prima, quia per illam voluit omnia illa facere, & connexio omnium illorum est talis, ut debeat continuari à voluntate, & potentiis aliis sibi subordinatis, supposita tali volitione non retractata; quamvis enim propter distractionem intellectûs, non advertantur actus alii in voluntate, neque cognitio, quâ proponuntur illorum actuum Objecta subratione boni, tamen sine dubio adsunt tales actus & cognitiones. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit: quia non explicat, quî tunc non admittat actum tenuem, cùm admittat præsentem volitionem & cognitionem, quem tamen actum tenuem, intendebat negare.

Respondet Secundò Suar. cit. Posteaquam per debitam intentionem applicuit Minister suas potentias exteriores ad actionem Sacramentalem, potentiæ applicatæ continuant motus suos, & quamdiu illa motio durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit: quia non explicat, per quid peragatur illa continuatio applicationis; non explicat, quî potentiæ cæcæ moveantur ad agendum; non explicat qui humano modo tunc agatur, adeoque cognoscitivè.

Respondetur Tertiò. Aliud est quærere, an tunc persistat saltem levis memoria intentionis præhabitæ, impotentis actum reflexum fundare, vel levis repræsentatio finis, qui est, confectio Sacramenti, tanquam assequibilis per hæc media; & aliud est quærere, an tunc detur aliquid ex parte principii cognoscitivi & appetitivi, quod dirigat etiam actiones externas. Prior ille actus ex dictis negatur: & certè cum non experiamur distractissimi talem actum, & ex altera parte, cum nulla sit ejus necessitas, non debemus affingere illum nobis, & imponere, quòd illum habeamus semper; sed secundum actum, dicimus intervenire. Ratio: quia cum potentiæ executivæ sint cæcæ & non discretivæ, debet illis prælucere aliquod principium dictans: quia verò illæ potentiæ executivæ, immediatè non subjacent principio cognoscitivo, sed appetenti, etiam tunc illius actus poni debet. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur: quia fieri potest, ut cognoscens non discernat, quòd hoc sit finis, quòd hoc sit medium, hoc ipso enim haberetur intentio finis quâ talis, poterit tamen ex vi prioris intentionis excitari species, hæc excitata poterit aliam nexam excitare; ita ut si rectè excitentur illæ species, sine errore pergamus in usurpatione mediorum, quia excitatione specierum positâ, sequitur illarum usus in cognoscitivo; usum cognoscitivi sequitur appetentia, sine tamen, ut dixi, memoria finis, quâ talis; unde etiam contingit, si una species rectè non excitet aliam, ut committatur error, ad quem reflectens cognoscitivum, per occursum speciei de fine intento, facit priores species abjici, & repetitâ intentione finis, facit assumi subservientes species; sic v.g. intendit Sacerdos non dicere Alleluja in Quadragesima, interdum nihilominus dicit Alleluja; quia species antecedentium verborum, excitaverunt speciem Alleluja; sed recurrente specie: Laus tibi Domine, intenditur illius dictio, assumiturque in usum species illius: Laus tibi Domine. Ubi jam colligis, successionem illam exteriorum operationum, radicaliter & inchoativè tribui intentioni præhabitæ, immediatiùs speciebus connexis, quarum una excitat aliam, & immediatissimè cognoscitivæ utenti illis speciebus, mediâque appetitivâ, urgenti potentias executrices. Ostenditur hîc aliquid physicum, nempe excitatio specierum consimilium, quibus utitur cognoscitiva, quæ excitatio fit ex Sympathia naturali, & connexione earum inter se, ad quod concurrunt, non tantùm species immediatè antecedentes, sed etiam species mediatæ; unde ut pergatur in ratione Psalmi, non sufficit excitatio speciei de ultimo verbo, sed requirimus etiam species antecedentium verborum. Categoricè ergo dicetur non intervenire tunc levem memoriam intentionis, hoc enim supra refutatum, sed intervenire immediatam notitiam operationis sequentis, ad quam postea sequitur appetentia, & appetentiam usûs exteriorum potentiarum, qui actus immediatus, deseruit etiam ad artificiosa.

Dices Tertiò ex Di Cast. disput. 3. num. 96. Virtualis intentio sufficit ad continuandū meritum, alioqui etiam occupatus in attentione ipsius operis pii, & non in intentione continuandi, nihil mereretur, quod durum; sed sola operatio externa aut qualitas impressa, aut impressio imaginationis, aut applicatio potentiæ internæ, aut connexio unius operis cum alio, non sufficit ad continuandum meritum: Ergo in dictis non stat intentio virtualis. Minor probatur, quia illa omnia vel ita procedunt à voluntate libera, ut tunc quando operatur, potuerit non operari, vel non procedunt ita: si non procedunt ita; Ergò non liberè operatur, adeoque nec meritoriè; unde etiam in ebrio cessante libertate, cessat meritum; si liberè procedit & liberè durat, pugnantia dicit, nam ex uno

capite tollit actum voluntatis & intentionis, cum tollat advertentiam mentis; & ex alio capite vult esse libertatem, ad continuandum liberè, quod sine voluntate, esse non potest.

Respondetur. In nostris principiis cum detur illic actus notitiæ & voluntatis, non quidem versantis circa intentionem finis, sed versantis circa immediatè ponenda, hoc ipso salvabitur libertas, quos duos actus distingui debere, supra dictum. Ex mente aliorum dici posset, quòd sola operatio externa secundùm se præcisè, non sit meritoria, secus prout pendens ab intentione virtuali, procedentque illa omnia à voluntate non quidem libera formaliter, libera tamen virtualiter, & ratione illius primi præhabiti actûs durantis virtute, habetur hoc, quòd possit non operari: habendo enim illum actum primum, potuit illum non habere antecedenter, nec applicare executivas; & licet liberum, non possit esse sine omni actu vel formaliter vel virtualiter existente, potest tamen esse sine actu tunc formaliter existente, modo existat virtualiter, virtualitatem illius libertatis ita explicando, ut explicatur ipsa virtualitas intentionis; hæc doctrina est S. Thomæ secunda secundæ q. 83. A 4. in (.). *Ad hunc*, inquit *effectum non ex necessitate requiritur, quod attentio adsit Orationi per totum* (adesset autem, si ille actus tenuis requireretur) *sed vi primæ intentionis* (ergo non actus illius tenuis) *reddit totam orationem meritoriam.*

Dices Quartò. Quid fiet casu, quo interrumpatur ipsa executio mediorum.

Respondetur. Rediri tunc semper ad intentionem actualem, vel saltem ad actum directivum secuturæ operationis.

Dices Quintò. Admittitur à nobis notitia & volitio ad opus hîc & nunc. Ergo poterit admitti etiam actus ille tenuis.

Respondetur. Ne admittatur actus ille intentionis tenuis, obsunt rationes allatæ; ex altera parte est necessitas ponendi illam prænoscentiam ad hîc & nunc agendum, sine enim illa prænoscentia, non dabitur appetentia agendi; si non dabitur appetentia agendi, nec dabitur dominatus potentiis executricibus; si autem illis non imperetur actio, non erit actio, & hæc necessitas cogit ad ponendum illum actum. Non sufficiet autem prænotio imaginativæ; quia melius ita salvabitur actio humana; & sicut imaginatio quamvis cogitante intellectu aliquid intensè subservit intellectui, & imitativè idem facit; ita etiam intellectus alicui alteri objecto adstrictus, poterit saltem leviter attendere ad directionem potentiarum exequentium; sicut enim ex connexione imaginativæ cum intellectu, agente intellectu operatur imaginativa; ita etiam ex eadem connexione in homine agente humano modo, dum aget per imaginativam, aget etiam per intellectum, nec enim est major ratio unius quàm alterius, in homine præcipuè, sui compote.

Tertius Modus explicandi virtualem intentionem est.

Qui non requirit, ut immediatè ante usurpationem mediorum præcesserit actualis intentio, sed stat in sola usurpatione mediorum humano modo; quæ ipsa usurpatio mediorum humano modo stabit in hoc; quia vi præsentis, quam operans habet tunc, dispositionis, si interrogetur quid faciat & cur? expeditus est vi præsentis, quam habet tunc, habitudinis suæ, sine novâ indagine dicere; *hoc volo.* v. g. invitatur Sacerdos ad baptisandum, non dicit actu, volo baptisare, sed incipit illius motus ab auditione invitationis, quam prænoscit; præsentatur illi bonitas itionis, appetit illam, it; accedenti in Sacrarium occurrit species accipiendi librum, sequitur appetentia, accipit; occurrit postea species faciendæ ablutionis & prolationis formæ, abluit & profert sine actuali præsenti vel immediatè antecedenti intentione, habet tamen tunc virtualem intentionem: quia si interrogetur, cur id facis? responderet secundùm præsentem tunc dispositionem, sine novo discursu, *ut baptisem hæc facio.* Attendit hæc explicatio ad duo principia; imprimis ad proportionem cum aliis virtualitatibus: nam si quis constitutus in mortali, eliciat actum amoris Dei, dicitur habere virtualiter contritionem, eò quòd sit expeditus dolere, quia offendit summum bonum, idque vi præsentis tunc suæ habitudinis, si hoc illi occurrat, vel si de hoc interrogetur; in glandine virtualiter continetur arbor, quia vi esse quod habet, potest generare arborem; præmissæ continent virtualiter conclusionem; quia vi præsentis habitudinis, secundùm præmissas, expedita est mens inferre conclusionem; ita etiam virtualiter erit intentio, modò minister ex vi præsentis, quam tunc habet, habitudinis, sit expeditus dicere; *hoc volo.* Secundum principium: quia finis virtualiter continetur in mediis, consequenter & intentio finis, poterit in iisdem contineri, modò sit anima expedita, vi illius habitudinis, ad illam intentionem formandam, si interrogetur, vel occurrat menti. Dixi autem, non requiri immediatè in ante factam intentionem, supponendo quod requiratur saltem mediatè facta, alias nisi illa supponeretur, non posset quis intelligi expeditus ad dicendum, *hoc volo*; idque ex eo: quia si in ante elicuit actum volo hoc facere, habuit etiam speciem expressam illius actus, post quam speciem expressam, manet impressa, quæ ad interrogationem, *Quid facis?* excitatur ad concurrendum, ut fiat responsio:

Hoc volo.

Hujus

Hujus Explicationis

Ratio Prima, est ab Authoritate & Experientia: quia non desunt authores, qui immediatum actum non requirunt, licèt paulò liberalius videantur uti hoc principio; talis est Reginal. Henrq. citandi in Moralibus; imò est qui dicat sufficere intentionem v. g. in prima susceptione ordinum factam; quod in præsenti non admittitur, sed recurritur ad illum expeditum animum, & quòd non sit necessarius immediatus formalis actus. Experientia etiam est; nam interdum non meminimus ullius actualis intentionis ante usurpationē mediorum, numquidne ideo repetimus actionem sacram, & sicut immeritò dicimus adesse nobis actum tenuem intentionis, si illum non experimur, cur dicemus præcessisse immediatè actum intentionis clarum, si illum non sumus experti.

Ratio Secunda est. Tum quia sufficit, ut dixi, ad hoc ut censeatur amor Dei, esse virtualis contritio extra confessionem; quia vi illius actus est expedita anima, ad eliciendum actum doloris, si occurrat. Ergo etiam erit intentio virtualis, licet illa immediatè non præcesserit actu, si vi usurpationis mediorum expedita sit anima, ad actualem intentionem ponendam. Tum quia sufficit per Tamburinum hodie dolere, cras confiteri; ergo ille jam non requirit immediatum actum: idem sentit Lugo; sufficit item dolor inclusus in retractatione & proposito per Suar. Laym. Hurtad. probabileque putat Reginal. & Dian. quæ omnia habentur in materia morali de pœnitentia: cur ergo non sufficiet intentio inclusa in hoc, quia vi usurpationis mediorum, est expeditus Minister intendere finem si occurrat, quamvis nullum distinctum actum immediatè elicuerit. Tum quia in continuatione sufficit intentio virtualis, cur non & in inchoatione, quamvis nullus actus immediatè ponatur. Quanta autem distantia actus expliciti requiratur, spectat ad moralia; sufficerit dicere; quòd tanta distantia intercipi possit, quanta potis est salvare, esse hunc actum eundem moraliter.

Ratio Tertia. Quia non potest talis intentio, qualis est descripta, dici actualis, aliàs hoc ipso diceretur sufficiens: non habitualis; quia hæc stat in mero præcessisse actum, & non esse retractatum, hîc autem est expeditio illa habendi actualem intentionem, vi præsentis dispositionis, si occurrat, idque conjunctam actuali usurpationi mediorum: ergo hæc intentio erit virtualis; quæ enim commodius alia? & certè ut aliquid permaneat virtute, sufficit ut influat in actionem; cur autem non dicetur influere in actionem, si adsit præsens talis habitudo, ut interrogatus Minister dicat; *Hoc volo.*

Dices Primò. Nec virtualiter potest movere finis, qui ante non fuit præcognitus. Ergo hæc explicatio nulla.

Respondetur. Sufficiet fuisse præcognitum licet non immediatè, sed ita ut etiam virtualiter dicatur præcognitus finis hîc & nunc, virtualitate contenta in tali usurpatione mediorum, vi cujus paratus sit respondere; hoc volo, si occurrat, idque secundùm præsentem, quam tunc habet habitudinem.

Dices Secundò. Si non est necesse in antè immediatè præcognoscere finem, ut aliquis dicatur, cum intentione virtuali operari, sequitur nullum esse, qui propter plures aut pauciores fines operetur, quia operatio ad plures vel pauciores fines intendendos, fit à cognitione.

Respondetur. Verum esse, quòd determinatio ad plures vel pauciores fines in operando intendendos fiat à cognitione, sed falsum est, quòd fiat à sola cognitione finis actuali, cum possit fieri à cognitione virtuali finis, ita ut illos fines & solos censeatur intendere, propter quos consequendos responderet secundùm præsentem quam tunc habet dispositionem, responderet inquam quod operetur.

Dices Tertiò. Si non est requisita immediata cognitio finis, sequeretur etiam bruta operari propter finem.

Respondetur. Non operabuntur, quia illis non competit virtualis cognitio finis, nec possent rationem de se reddere cur operentur; nam responsio per Quia, nonnisi intellectualium est.

Dices Quartò. Si non requiritur ad intentionem finis virtualem, aliquis immediatus actus in ante, qui proponat finem, sequitur quod exercens, solas actiones externas v. g. baptisandi, propter solam cerimoniam sine intentione baptisandi, verè baptisaret, usurparet enim actiones ordinatas ad hunc finem, id autem negat Theologia.

Respondet Negando Sequelam. Probationem ejus distinguo, usurparet actiones ordinatas ad hunc finem, ita ut interrogatus posset dicere vi illius usurpationis, se velle hunc finem. Nego probationem: ita usurpabit, ut interrogatus dicat se facere tantùm nomine cerimoniæ, Concedo probationem; sed jam talis, non habebit virtualem intentionem finis.

Dices Quintò. Talem intentionem non distinguendam ab habituali.

Respondetur. Habitualis intentio, & præsens, quæ explicatur, virtualis, sunt in hoc pares, quòd nec hæc, nec illa, actu præcognoscat finem; in hoc tamen dispares, quia habitualis præcisè consistit in sola non retractatione; virtualis autem non sistit, sed trahit simul usurpationem mediorū, in quibus virtualiter continetur finis, & quidem usurpatione tali, vi cujus sit

expeditus ad actu appetendum finem, si occurrat: fieri tamen potest, ut casu aliquo intentio habitualis, sit intentio virtualis, scilicet cum ex habitu operans, nihil cogitando de fine, usurpat præ explicato humano modo, media.

Dices Sextò. Sequeretur quòd Sacerdos non habens immediatam actualem intentionem v.g. baptisandi, non solum baptisare deberet, sed etiam mereretur illa intentione virtuali; sed illâ non potest mereri: quia nemo potest mereri actu, quem non habet sed haberet, hoc enim esset Semipelagianisare.

Respondetur. Distinguenda sunt hîc duo: præmiaturné talis propter actum, quem non ponit sed poneret? negandumque hoc est: quia continet principium Semipelagianorum; & aliud est: præmiaturné propter actum qui tunc est, & qui simul virtualiter est actus ille ponendus? dicendumque quòd præmietur pro illo, quia præmiatur pro præsenti, licèt illius præsentialitas trahat aliquid conditionatum; unde etiam qui extra confessionem, non habendo copiam ejusdem, elicit actum amoris divini, qui est virtualis contritio, præmiatur propter aliquid præsens, nempe actum amoris, qui simul est, non positus, sed ponendus actus Contritionis, cum ille amor, sit virtualis contritio, inclusa in actu præsenti, sed explicabili per aliquid conditionatum.

Dices Septimò. Ergo etiam poterit dici aliquis intendere finem virtualiter, quia habet potentiam, nonnisi ad illam intentionem faciendam, quod tamen non potest dici.

Respondetur. Qui habet potentiam ad aliquem actum, non dicitur velle illum virtualiter, sed posse velle; velle autem actionem ordinatam ad consecutionem finis, est velle virtualiter finem; & sicut habens potentiam ad exercendam conclusionem, non censetur exercere virtualiter conclusionem, exercens autem actum amoris in morte, censetur virtualiter contritus, ob præsentem quem habet actum, jam à potentia positum; ita ob usurpationem mediorum humano modo, in quibus virtualiter continetur finis, eamque usurpationem actu positam, censebitur virtualiter velle finem; & certè de habente potentiam agendi, dici verè potest: Non agit, adeoque nec agit virtualiter; de adhibente autem media humano modo, eaque continente finem, verè dici potest: Agit, adeoque & virtualiter agit, cum agat media, quæ virtute continent finem.

DIFFICVLTAS III.

An Intentio Ministri sit pars Sacramenti?

Primus affirmavit Lugo, ut ipse fatetur disput. 2. sect. 7. idem tuetur Esparza q. 6. Negat cum antiquitate DiCast. disput. 1. num. 340.

Dicendum est; *Intentionem non esse partem, nec quid intrinsecum Sacramento.* Dixi intrinsecum; indubie enim intentio est quid extrinsecum, sed intrinsecè requisitum; quia impossibile est secundùm præsentem ordinationem, poni Sacramentum & tamen sine intentione, consequenter illa erit intrinsecè requisita, sed non erit quid intrinsecum, quia nec constitutivum; præter probationes, quæ jam sunt allatæ, ubi de Constitutivo ut sic, ubi de Institutione, quæ omnes & supponuntur hîc, & applicari mutatis terminis possunt, addenda adhuc erunt aliqua.

Punctum Difficultatis I.

Formantur Rationes.

Probatur Primò Conclusio restituendo rationes aliquas ex iis, quas sibi opposuit Esparza, coincidunt que cum jam allatis.

Prima Ratio est. Nullus effectus intrinsecè constituitur per intentionem ipsum faciendi, aut per actionem quâ fit; nulla siquidem intentio, potest velle efficere seipsam, nulla actio seipsam producere: intentio autem requisita in Ministro, est intentio efficiendi Sacramentum; actio item ab eodem exercita, producit Sacramentum; ergo ea intentio aut actio, non possunt intrinsecè constituere Sacramentum.

Respondet Esparza Objectum directè volitum à Ministrô perficiente Sacramentum per intentionem, quâ illud perficit, non est ipsum Sacramentum, secundùm suum conceptum adæquatum, sed sensibilis collatio gratiæ, per talia verba ab ipso prolata, circa talem materiam, &c.

Contra est Primò. Tum quia hoc ipsum pro ratione assumi potest, sequi nimirum ex hac sententia, quòd nunquam à Ministro perficiatur Sacramentum, sed aliquid Sacramenti, quia in Sacramento includitur intentio, quæ non perficit seipsam: hoc autem dici non potest; quia inprimis usus fidelium etiam Doctorum habet, dicendi Sacerdotem, esse Ministrum v.g. Sacramenti; non esset autem Minister Sacramenti, quia esset Minister nonnisi alicujus, quod est pars Sacramenti, non Sacramentum adæquatè sumptum. Habet item usus fidelium dicentium; accessit ad Sacramentum Eucharistiæ, ad Sacramentum Poenitentiæ quæ omnes locutiones falsæ essent, accessit enim non ad Sacramentum, sed ad aliquid Sacramenti, non enim accessit ad Sacerdotis intentionem, quæ complet adæquatè sumptum Sacramentum. Sed hæc locutio fidelium patitur etiam retorsionem; nam actus pœnitentis sunt pars Sacramenti

menti pœnitentiæ, & tamen nemo dicitur ad illos accedere, dum dicitur accedere ad Sacramentum pœnitentiæ: in tantùm ergo hic usus fidelium loquentium valet, in quantum non habetur locutio & phrasis, quæ dicat à Ministro Sacramenti tantum aliquid Sacramenti, seu Sacramentum inadæquatè sumptum perfici; unde etiam Augustinus tract. 26. in Joan. loquens de Eucharistia ait: *Qui non manet in Charitate* &c. *proculdubio non manducat spiritualiter*, &c. *licèt carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi*; ubi non dicit Augustinus, quod aliquid Sacramenti premat dentibus, sed Sacramentum, & per hoc ipsum excludit intentionem à ratione Sacramenti, quia hæc dentibus non premitur. Neque valet si recurras, quòd verba sint pars Eucharistiæ, & tamen non premuntur dentibus, nam verba nonnisi æquivalenter sumpta, sunt in facto esse, pars Eucharistiæ; in concreto autem, sunt ipsum Corpus & Sanguis Domini, quæ tamen dentibus premuntur, quid autem simile in intentione? salvo meliori judicio, puto in nullo Sancto Patre reperiri, quòd inadæquatè nonnisi sumptum Sacramentum & secundùm suum conceptum inadæquatum perficiatur à Ministro, dum intendit perficere Sacramentum. Tum quia si quæratur; quare non perficit Minister adæquatè sumptum Sacramentum, pro ratione afferetur, quia intentio deberet seipsam conficere, cur ergo non dicetur argumentum evicisse & deduxisse ad absurdum, quod vel ipse respondens agnoscit. Tum quia nulla est necessitas, ut hoc argumento evincatur nova concessio, nempe id, quòd aliquid tantum Sacramenti, & non totum adæquatè Sacramentum, à Ministro perficiatur; unde etiam in physicis quantumvis generans non producat formam rationalem, tamen non dicitur, quòd generet inadæquatè, salvaturque hoc ratione unionis, vel modalitatis determinantis; ergo & hîc quæri debet modus, qui salvet, adæquatè sumptum Sacramentum perfici à Ministro, intendente perficere Sacramentum; salvari autem ita debet, ne ostendatur perfici à Ministro adæquatè sumptum Sacramentum, quantumvis perficeret solam v.g. formam.

Contra Secundò. Quia non sufficit, quod in antè supponatur posita intentio, ut dicatur perfici totum Sacramentum, nam intentio debet habere pro Objecto totum Sacramentum, tanquam objectum ponibile, & tamen non habet seipsam pro objecto.

Contra Tertiò. Tum quia ex concessis, sensibilis collationis gratiæ, per talia verba à ministro prolata, circa talem materiam, non est pars intentio; ergo neque est pars Sacramenti formaliter sumpti, cum illud in concreto sumptum, & tamen formaliter & adæquatè sit sensibile collativum gratiæ. Tum quia reflectendo ad principia oppositorum, positis reliquis & non posita intentione, non erit sensibilis collatio gratiæ, & illâ positâ cum reliquis erit sensibilis collatio gratiæ, & tamen illius sensibilis collationis gratiæ, non est pars intentio. Ergo neque adæquatè sumpti Sacramenti erit pars. Tum quia sensibile collativum gratiæ, non dicit pro parte intentionem, quia hoc concessit Esparza de ipsa sensibili collatione gratiæ; nec est major ratio unius quàm alterius; sed esse signum symbolicum practicum Sanctitatis (quo modo definit ille Sacramentum q. 1. a. 4.) est esse sensibile collativum gratiæ, hæc enim verbis differunt; Ergo esse signum Sanctitatis symbolicum non dicit pro parte intentionem. Ergo neque Sacramentum adæquatè sumptum, dicet pro parte intentionem: indubiè enim illa definitio, est Sacramenti adæquatè sumpti.

Ex his ergo compingitur jam tale Argumentum. Si intentio esset pars Sacramenti, esset pars Sacramenti adæquatè sumpti, vel inadæquatè, non Sacramenti adæquatè sumpti, tum quia aliàs inadæquatè perficeretur Sacramentum; quod absurdum; tum quia si non est pars Sacramenti inadæquatè sumpti, nec erit pars Sacramenti adæquatè sumpti, cum utrumque ponatur, positis reliquis cum intentione, & non ponatur, reliquis positis, si illa non ponatur; tum quia si non est pars sensibilis collationis gratiæ intentio, nec erit pars sensibilis collativi gratiæ, adeoque nec symboli practici Sanctitatis, consequenter nec Sacramenti adæquatè sumpti; non Sacramenti inadæquatè sumpti: quia hoc concedit Esparza, & quia etiam in aliis intentio, non est pars ejus quod intendit operans. Neque valet, si dicas, quòd intentio non sit quidem pars sensibilis collationis gratiæ, est tamen pars sensibilis collativi gratiæ, non inquam valet, quia Sacramentum etiam inadæquatè sumptum, nõ est collatio sensibilis gratiæ sed collativum, aliàs sumens Sacramentum cum obice, non sumeret Sacramentum, non est enim tunc collatio gratiæ sensibilis, sed tantùm est collativum; Ergo Sacramentum tantùm debet esse collativum sensibile gratiæ; Ergo si hujus collativi non est pars intentio, non erit pars Sacramenti, adæquatè sumpti.

Ratio Secunda est. Contingit interdum, intentionem esse peccaminosam, Sacramentum autem nequit intrinsecè constitui per peccatum, cum Sacramentum sit causativum gratiæ.

Respondet Esparza. Quod intentio non constituat intrinsecè Sacramentum, tanquam virtus ejus, sed solum Ut Quo, tanquam pura applicatio & determinatio, & Sacramentum est opus Dei & supernaturale, secundùm virtutem causativam gratiæ, non verò secundùm conditionem & applicationem se habentem Ut Quo, ad talem virtutem determinandam.

CONTRA. Quod se habet tanquam conditio Ut Quo, & tanquam applicatio, non est pars, sed prærequisitum ad illud totum, & tamen debet defendi, quòd illa intentio sit pars. Rursus intentio non constituit intrinsecè Sacramentum, tanquam virtus in Sacramento inclusa; ergo non constituet illud, secundùm quod Sacramentum est causativum, non etiam constituet illud, secundùm quod est Signum, quia & ipsa non est sensibilis, quid ergo tertium est in Sacramento? denique licèt virtus causativa in Sacramento sit talis, ut posita intentione cum reliquis ponatur, non positâ quantumvis cætera adsint, non ponatur, nihilominus illius virtutis, non est pars intentio; Ergo neque erit pars Sacramenti.

RATIO Tertia est. Si intentio est pars, quia non subsistit Sacramentum deficiente intentione, etiam baptismus non tantum Ordinandi, sed etiam Ordinantis, erit pars Sacramenti Ordinis, omnesque alii antecedentes Characteres &c. &c. quam Rationem proposuit Di. Cast.

RESPONDET dupliciter Esparza. Quòd in Sacramento ordinis intrinsecè includatur character utriusque Personæ, non tamen characteres reliquorum antecedentes, quia solus Character ordinantis præsupponit omnia ea, quæ ad ipsum præexiguntur; deinde quòd detur in ordinante actio effectiva ordinis, quæ essentialiter ipsum characterem supponit.

CONTRA. Illa quæ supponit character essentialiter, & non sunt pars, ut supponitur; & sunt pars, quia illis præexigitis non positis, & illis positis cum reliquis, tum primum intelligitur in ordinante character. Ergo & antecedentes characteres sunt pars; deinde illius virtutis effectivæ Ordinis, & non est pars character antecedens, ut supponitur, & est, ex allata ratione.

PROBATUR Secundò; Restaurando argumentum, quod sibi objecit Lugo. Intentio non componit Eucharistiæ Sacramentum tanquam pars; ergo nec componet alia Sacramenta, est enim intentio commune quid omnibus Sacramentis.

RESPONDET Primò Lugo Eucharistiam non consistere in usu, sed in Speciebus consecratis continentibus Corpus & Sanguinem Christi.

CONTRA. Sacramentum non consistens in usu, non componitur tanquam parte intentione, licèt sine ea, &c. esse non possit; sit, illâ positâ, &c. Ergo & Sacramenta consistentia in usu, non componentur intentione.

RESPONDET Secundò idem. Non potest dari complexum ex speciebus & Corpore & Sanguine Christi, quin detur Eucharistia, & ut detur tale complexum requiritur quædam intentio defacto; cæterum si illud complexum daretur, etiam omnibus aliis deficientibus, significaret & causaret gratiam; & tamen non possunt reperiri defacto sine intentione alia Sacramenta.

CONTRA. Non est pars Eucharistiæ Intentio, quia si daretur complexum ex speciebus & Corpore & Sanguine Christi, significaret & causaret gratiam, quamvis secundum præsentem institutionem non detur. Ergo intentio non erit etiam pars baptismi; quia si daretur elevata ablutio & prolatio formæ significans & causans gratiam, esset etiam Sacramentum, quamvis in præsenti statu, ad hoc non elevetur sine intentione.

RESPONDET Tertiò Lugo. Quòd intentio immediatè non causet gratiam in Eucharistia, quia non est per se sensibilis, adeoque non est pars.

CONTRA. Etiam in aliis Sacramentis intentio non est immediatè causativa gratiæ; cur enim in aliis, non in illo? nec est unquam per se sensibilis; ergo non est pars unquam.

PROBATUR Tertiò contra Esparza ex ejusdem quæstione 66. ad quartum. Sumptio non est pars Eucharistiæ, licèt illâ positâ cum reliquis, causetur gratia & significetur in sumente, & illâ non positâ, manentibus reliquis, non significat illam in sumente, nec causat.

RESPONDET Primò. Disparitatem esse: quia sumptio non habet ullam Symbolicam proportionem, nec ullam vim ejus activam.

CONTRA etiam intentio in aliis Sacramentis, non habet ullam Symbolicam proportionem, nec apparet cur in aliis deberet habere vim causandi gratiam.

RESPONDET Secundò q. 71. a. 3. disparitatem esse; quia Sacramentum Eucharistiæ verè & realiter præexistit, secundùm essentiam ante usum.

CONTRA. Licitum erat respondenti distinguere Sacramentum in Sacramentum adæquatè sumptum, cujus intentio sit pars, & in sensibilem collationem gratiæ, cujus illa non est pars; ergo licitum erit etiam distinguere Sacramentum Eucharistiæ, in Sacramentum adæquatè sumptum, dicereque illius partem esse intentionem, & in continentiam sensibilem Corporis Christi, cujus pars non sit intentio, & tamen id universaliter negat Esparza.

RESPONDET Tertiò. Idem disparitatem esse, quia definitio Sacramenti Eucharistiæ, adæquatè verificari potest absque inclusione sumptionis.

CONTRA definitio Sacramenti Eucharistiæ adæquatè verificari potest absque inclusione sumptionis tanquam partis &c. modò ea pro posteriori ponatur tanquam applicatio causativi. Ergo etiam & definitio omnium Sacramentorum

torum verificari potest, absque inclusione intentionis tanquam partis, modò illa supponatur per modum applicationis, præ requisiti, aut efficientis moralis.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicit Primò Lugo. Illud debet esse intrinsecum alicui composito, quo ablato, &c.

Respondetur secundùm jam aliàs dicta.

Instat Primò. Non minus requiritur consensus internus in Episcopo conferente potestatem ordinis, quam in conjuge dante potestatem sui corporis alteri; ergo si hoc potesterius est compositivu m intrinsecè Sacramenti, etiam illud prius est compositivum intrinsecè.

Respondetur. Disparitatem esse: quia Consensus in Conjuge, habet rationem materiæ, sicut acceptatio, rationem formæ; jam autem intentio ex Florentino, non habet rationem materiæ, sed hæc Materia, sunt Res, nec rationem formæ, quia hæc stat in verbis. Addit etiam DiCast: aliud esse intentionem Sacramenti Matrimonii, & aliud intentionem Matrimonii contrahendi; prior illa non est pars Sacramenti, posterior autem est pars: quia importat contractum, quia est materia hujus Sacramenti.

Instat Secundò. Remissio ut remissio non constat solis verbis extremis, consequenter nec illâ forma. Ergo te absolvo, ergo illa condonatio intendit intentionem remittendi, cum eum includat omnis condonatio.

Respondetur. Intentio ipsiusmet condonationis, non erit pars condonationis, ipsa tamen volitio condonandi, erit pars condonationis, manifestæ externè; quòd si intentio condonationis non est pars condonationis, sed condonatio est illius objectum, ita & intentio non erit pars Sacramenti, sed Sacramentum erit illius objectum.

Instat Tertiò. In pœnitentia fatentur omnes includi intrinsecè ex parte materiæ, non solum confessionem, sed etiam dolorem internum de peccatis, quod falsum esset; si intentio non est pars compositiva Sacramenti, dicam enim illum dolorem requiri quidem, sed non esse partem.

Respondetur. Etiam in pœnitentia intentio dolendi non est pars; ergo nec in Sacramento intentio erit pars; dolor autem ipse est concedo per modum materiæ, nec est quid applicativum ut sit Sacramentum, sed materia Sacramenti, jam autem illa intentio habens se, sicut intentio doloris ponendi, habet se per modum applicantis. Rursus cum ad esse uniuscujusque, quod est compositum, requiratur materia, forma, & principium effectivum; si ille dolor non sit forma, forma enim est absolutio, nec se habet per modum principii, debebit se habere per modum materiæ; intentio autem habet proportionem cum efficiente morali, aut cum applicatione, consequenter non erit pars. Addo quamvis Minister in Sacramentis novæ legis, operetur ut Minister Christi, & licèt hoc non possit intelligi, nisi quatenus operatur cum intentione, & per consequens intentio illa sit aliquid integrans operationem, non erit tamen integrans per modum applicativi, per modum Ut Quo efficientis moraliter.

Objicit Secundò Esparza q. 6. præter jam allata. Unumquodq; necesse est existere existentibus omnibus, per quę ipsũ intrinsecè constituitur, nec potest deficere, quin deficiat aliquid eorũ per quæ intrinsecè constituitur, sed Sacramẽtum non necesse est existere, existentib. omnib. aliis distinctis ab intentione Ministri, idque deficit, si deficiat eadem intentio, tametsi nihil desit aliud; ergo nulla alia distincta ab intentione Ministri, sunt omnia, per quæ Sacramentum intrinsecè constituitur.

Respondetur. Stando in aliàs dictis. *Et primum* quidem stando in hoc quod quæcunque afferetur moderatio principii. Quo posito, &c. illa non erit illud ipsum, sed distinctum principium, vi cujus assumptionis, dici potest. Hæc propositio: Unumquodque necesse est existere existentibus omnibus, per quæ ipsum intrinsecè constituitur, hæc inquam propositio, vel affertur ut stabilitiva illius majoris; Pars est quo posito cum reliquis, ponitur totum; vel non ut stabilitiva; si enim non affertur ut stabilitiva. Transeat totum, tota enim lis est de intentione, in quantum infundatur illi definitioni partis, conclusio oppositorum. Pars est quo posito, &c. Si autem affertur tanquam stabilitiva illius majoris & definitionis, tunc cum apponat ly intrinsecum, quod non erat positum in illa definitione partis ut sic, jam non illam probat definitionem, sed corrigit additione termini, indubièque pars est, quo posito tanquam intrinseco cum aliis intrinsecis est totum: nam quando illa Major negabatur, ideo negabatur inter alia, quia aderant instantiæ de essentiali prærequisito, objecto, termino relationis transcendentalis, quæ non sunt partes, & tamen illis positis cum reliquis, ponitur totum; hinc dictæ instantiæ, impugnativæ illius majoris definitivæ, jam non tenebunt: quia nec prærequisitum essentiale, nec objectum, nec terminus relationis transcendentalis, sunt quid intrinsecum. Indubiè ergo pars est, quo posito; tanquam intrinseco cum cæteris &c. ponitur totum, & quo deficiente, deficit aliquid intrinsecum, licèt tamen in re

in re hoc sit pars, non erit tamen illa Major, definitio; quia est longa, quia procedit per aliquid posterius, nempe per deficere si auferatur, habetque potius methodum divisivam. Multò autem minus concludet probatio, si assumatur in argumentum indistinctio partium à toto, indubiè enim pars est quo posito tanquam parte, ponitur; sed quærere restabit quid sit poni tanquam partem? *Secundum Principium* à nobis assumptum; Quòd hæc definitio conveniat omni, sed non soli; stando in hoc principio distinguitur major. Unumquodque est necesse existere, existentibus suis intrinsecis, ita ut nunquam jam ad rationem totius constituendi requiratur aliquid extrinsecum. Nego majorem; ita ut interdum requiratur. Concedo majorem, quomodo requiritur terminus relationis transcendentalis. *Tertium Principium* assumpsimus quòd scilicet sint aliqua talia, ut illis ablatis, nec ullæ partes formales maneant, vi hujus principii distinguitur major. Unumquodque est necesse existere, existentibus suis omnibus intrinsecis, ita ut ablatio ipsorum intrinsecorum constituentium totum, non possit haberi aliquando, ratione alicujus extrinseci ablati. Nego majorem; ita ut possit haberi. Concedo majorem. Denique stando in principio in Logica assumpto, vera est major de toto absoluto, non autem de toto respectivo, cujus totalitas, stat etiam extrinseco, intrinsecè requisito.

Instat idem. Deus distribuit dona gratiæ per Sacramentum, mediante Ministro & dispensatione; voluntas autem dandi & intentio Ministri constituit intrinsecè donationem, Sacramentum item matrimonii est verus contractus, contractus autem constituitur intrinsecè intentione; ergo

Responsum supra. Intentionem dupliciter hîc sumi, primò pro Intentione quæ habet pro Objecto ipsam volitionem contrahendi, vel volitionem remittendi; hæc nunquam est pars, sed applicativum, effectum morale, &c. Secundò sumitur pro objecto illius intentionis; & hoc indubiè ex dictis, est pars. *Sed insuper*

Instat Primò. P. Morawski promovendo argumentum sui Professoris. Ergo in Entibus connotativis fieri potest ob defectum connotati extrinseci, ut idem maneat sine se ipso, poteritque aliquando realis defectus connotati extrinseci, falsificare hoc primum principium: Implicat idem esse & non esse.

Respondetur. Negando, quòd in entibus connotativis fieri possit, ut ob defectum connotati extrinseci, maneat aliquid sine ipso. Neque hoc probatur, nec probari potest ex Principiis nostris. Si enim auferatur connotatum extrinsecum, non manent constitutiva illius extrinseci, sed cum suo constituto, etiam constitutiva non sunt. Quid ergo manet ablato illo connotato? manet subjectum connotationis, & denominationis, habendæ, in circumstantia connotati, quod subjectum ita manet, ut maneant etiam constitutiva subjecti; adeoque nunquam manent constitutiva sine constituto, nec è converso; consequenter in Principiis connotantium, non falsificatur illud Principium. Impossibile est idem esse & non esse.

Sed evolvamus Probationes, quas supponit hæc illatio; nego enim illationem; sic probari ex dictis posset. Manerent constitutiva relationis, in nostris principiis, & non maneret relatio. Ergo in nostris principiis idem maneret sine ipso. Cui probationi ut ostendatur, non manere idem sine se ipso, negatur itidem Antecedens. Certè enim si manerent constitutiva Relationis, & non maneret Relatio, sequeretur aut distinctio totius à partibus suis simul sumptis, aut idem manens idem, non esset idem. Negatum Antecedens sic in Oppositorum Principiis, probatur. Maneret v. g. Entitas Patris, quæ Entitas Patris est constitutivum intrinsecum Relationis. Ergo manerent tunc constitutiva Relationis. Et hic jam conquiescit Probatio. Redit autem distinctio nostra primo præusurpata, quòd Entitas Patris, sit solum intrinsecum constitutivum Relationis, in circumstantia Termini seu extrinseci essentialiter requisiti, Concedo Antecedens. Extra hanc circumstantiam est constitutiva intrinsecè, Nego Antecedens. Quæ distinctio supponit hanc Majorem, quæ impugnari deberet, potest aliquid manere in Entibus connotativis, & non habere rationem intrinsecè constitutivi nisi in circumstantia alicujus Extrinseci essentialiter requisiti.

Indubiè in nostris principiis pro concesso habetur Terminum ita necessariò, essentialiter indispensabiliterque requiri, ut sine illo, nec esse nec concipi possit Relatio, tota est lis de eo; An debeat vocari pars? Assumitur definitio partis. Pars est quo posito cum reliquis, res ponitur, illo ablato, etiam cæteris manentibus &c. aufertur. Negatur à nobis hæc definitio partis, quæ, ut vidimus alias, probatur ab Esparza, per recursum ad intrinseca, qui recursus, non probat illam definitionem; adeoque improbatam relinquit Majorem, sed modificat definitionem, nempe quòd pars sit, quo posito tanquam intrinseco, cum intrinseco, cum cæteris intrinsecis, &c. res ponitur &c. Quæ propositio à nobis conceditur, sed relinquitur improbata Minor; nempe quòd Intentio, quod Terminus Relationis Prædicamentalis, sit id, quo posito tanquam intrinseco, cum aliis, res ponitur &c. Hinc in nostris principiis Physicè Relatio est fundamentum, ratio fundandi, Terminus, adeoque est conflatum ex intrinseco, & extrinseco, hoc est, illo Ly ad aliud; sicut ergo conflati ex intrinseco, & extrinseco, non est pars extrinsecum, hoc ipso enim extrinsecum non esset, si

pars

pars foret, quantumvis conflatum illud sit tale, ut posito intrinseco, cum aliis omnibus intrinsecis, non sit ponendum conflatum ex intrinseco, & extrinseco, ita & in præsenti idem dicendum.

Quæres An saltem relationi physicè spectatæ, sit intrinsecum ipsemet terminus: Ad quod dici potest. Cum relatio Physicè spectata, sit conflatum ex subjecto seu intrinseco, & ex ratione fundandi, & ex termino seu extrinseco. Hinc relationi dicenti illud extrinsecum, erit intrinsecum illud ipsum extrinsecum: Extrinseco enim esse extrinsecum omnino intrinsecum est. Non debet tamen eodem rigore in conflato illo, ex intrinseco & extrinseco, Extrinsecum dici pars; quia non habet proportionem cum manifesta parte; non habet enim proportionem, cum Materia & Forma, nec importat unionem Physicam aut identitatem.

Retineri etiam possunt termini quos sibi opposuit arguens, quòd extra circumstantiam connotati, constitutiva illa, sint constitutiva in actu primo, non in actu secundo. *Hinc*

Instat Secundò Esse partes in actu secundo, seu constitutiva intrinseca, in actu secundo, nihil aliud est, quàm actu identificari toti: jam verò implicat, ut aliquæ Entitates actu existentes, in aliquo casu non indentificentur actu, cum eo, cum quo identificuntur aliquando actu, neque oppositum efficere potest, defectus connotati extrinseci; quia aliàs efficeret, ut id, quod hodie est actu ipsum, cras existat, in potentia ad seipsum.

Respondetur. Per eandem ut supra distinctionem, nempe quod esse partes in actu secundo, cum ipsum habeatur ratione connotati extrinseci, etiam actu identificatio toti, habebitur nonnisi in circumstantia connotati extrinseci, ut ita proportientur inter se constitutiva, & constitutum. Unde ulterius, ut supra diximus in simili, deberet probari hæc Major. Impossibile est ut sit aliqua denominatio vel formalitas, quæ sit illud ipsum, sed in circumstantia connotati positum. Porrò hoc, quod est aliquid identificari alteri, ut aliàs etiam repetitò dictum, vel dicitur de Ente absoluto, vel de connotativo, si sit res de identificato in linea absoluti, non potest manere, quin illi competat tota denominatio, hoc ipso enim illa, non esset formalitas, denominatio, identitas, &c. absoluta; sed si res sit de identificatione denominationis & formalitatis, identitatisque connotativè spectatæ, fieri poterit, ut maneat nonnisi subjectum illius denominationis, illius identitatis connotativæ, transiturum in actum secundum denominationis, connotato posito. In concreto loquendo. Relatio, est Physicè loquendo subjectum, ratio fundandi. Terminus; ablatis Termino, vel ratione fundandi, hoc quod dicebat secundùm identitatem absolutam subjectum, manet etiam, licèt non maneat, secundùm quod illud ipsum dicebat connotationem, & denominationem ad aliud. Sic v.g. habet rationem partis in actu secundo, Materia in composito, quæ ratio partis in actu secundo, non distinguitur realiter, ab ipsamet Entitate materiæ, pereat forma, vel disuniatur, non habebit Materia rationem partis in actu secundo, quamvis ratio partis in actu secundo, non sit distincta realiter ab ipsamet materia. Hoc quod est me assidere Petro, quid est aliud nisi Ego, Sessio, (pone si placet modalitatem esse, illam Sessionem) & Petrus cum sua Sessione: nunquid quia ego possum assidere Paulo, sum jam in potentia ad me ipsum. Quæ instantia, & aliæ similes deposcunt hanc probari Majorem; Non est possibilis denominatio, quæ sit in re ipsum subjectum, sed in circumstantia alicujus distincti à se realiter.

Neque debet dici, quòd materia etiam disunita habeat rationem partis in actu secundo, certè enim debent distingui formalitates partis in actu primo, & partis in actu secundo, quæ formalitates essent indistinguibiles, si materia disunita, adhuc esset pars in actu secundo, & sicut est intellectio in actu secundo, quando est notificatio in actu secundo, idemque dic de reliquis inductionibus: Ita materia est pars in actu secundo, cum actu componit; quæ omnia in hanc Majorem resolvuntur. Actus secundus est actuale exercitium, ad quod aliquid est in potentia, consequenter Materia erit pars in actu secundo, quando potentiam componendi exercet, exhibendo se, non pro comparte in actu primo, sed pro comparte in actu secundo.

Deinde videtur imaginari arguens, quasi nos putemus, quòd aliqua Entitas, manens in sua Entitate habeat vel accessum, vel recessum suæ Entitatis, & hoc merito impugnatur tanquam lumini naturæ contrarium; sed præsens sententia, hoc solum impugnatum vellet, cur non possit esse aliqua denominatio, formalitas, connotatio, actus secundus; qui in re, sit illa ipsa Entitas, sed in tali circumstantia posita. Hinc illa propositio: Implicat ut aliquæ Entitates actu existentes in aliquo casu non identificentur actu, cum eo, cum quo identificantur aliquando actu, hoc sensu à nobis conceditur. Quia implicat ut hæc Entitas, non sit hæc Entitas, manensque, nunc sui accessum, nunc sui abscessum habeat; sed non implicat, ut sit aliqua denominatio, quæ sit in re, ipsum illud, sed in tali circumstantia positum; Negoque quod aliqua circumstantia adferre talem denominationem non possit, implicatque ut quod hodie est actu ipsum, cras existat in potentia ad se ipsum; hoc sensu quia implicat ut hæc Entitas sit in potentia ad suam Entitatem quæ jam est; sed non implicat, ut sit in potentia

ad se

ad se ipsum, hoc sensu, quod sit in potentia ad denominationem, formalitatem connotationem, quæ in re ipsâ, sit ipsum illud; sed in tali circumstantia positum. Concedo ulterius ablato Termino auferri immediatè v. g. Relationem, hoc sensu, quòd nunquam aliud mediare debeat, ut illa auferatur, sed non hoc sensu immediatè aufertur, quasi auferatur propter ablationem termini, tanquam propter ablationem alicujus intrinseci, adeoque partis. Nego enim hanc Majorem. Quod non possit auferri in priori sensu aliquid immediatè propter aliquid extrinsecum, sed intrinsecè & necessariò requisitum, adeoque propter ablationem alicujus quod non sit pars. Et ita quando perit Homo, pereunte anima, perit immediatè homo, & nullo alio mediante, sed immediatio illa conjuncta est, rationi intrinseci, neque enim anima respectu hominis est de linea Aliud; pereunte autem Termino nullo mediante perit relatio, sed non tanquam propter aliquid intrinsecum, cum Terminus comparatè ad Relationem, sit de linea Aliud.

Instat Tertiò. Vel denominatio partium, in actu secundo includit intrinsecè aliquid plus, quàm Entitates partium, secundum se sumptas, vel non includit intrinsecè plus; Si primam? habeo intentum; Hoc enim plus intrinsecum, non erit aliud, nisi id, quod tu vocas connotatum extrinsecum Si secundum. Ergo si maneant entitates partium secundùm se sumptæ, hoc est extra connotatum extrinsecum, manebunt omnia constitutiva intrinseca denominationis partium in actu secundo, adeoque manebunt partes in actu secundo, ne dicatur idem manere sine se ipso.

Respondetur. Distinguendo ut supra, nempè quod denominatio partium in actu secundo, non includat intrinsecè aliquid plus, quam entitates partium secundum se sumptas, in circumstantia connotati extrinseci, extra quam circumstantiam partes illæ secundùm se sumptæ, non habent rationem partium in actu secundo. Hinc si entitates partium secundùm se absolutè spectentur, non erunt intrinsecè partes in actu secundo, quòd si habent illæ entitates secundum se spectatæ rationem partium in actu secundo, nonnisi in circumstantia alicujus extrinseci, hoc ipso, quia illud extrinsecum, extrinsecum erit, adeoque non pars. Dico ergo requiri entitatem partium secundùm se, hoc est secundum propriam entitatem, requiri ad esse partium in actu secundo, licèt hoc illis competat nonnisi in circumstantia ejus, quod est ex linea Aliud, adeoque in circumstantia ejus, quod non sit pars. In idem recidet, si dicas, partes illas secundum se esse partes in actu secundo, non si spectentur absolutè, sed si spectentur connotativè, tunc enim primùm intrinsecè constituunt relationem. In concreto loquendo v. g. Non aliquid plus, sed entitas subjecti constituit relationem, quia nihil aliud nisi subjectum dicit intrinsecè relatio, & quidem constituit relationem entitas subjecti secundum se, hoc est non secundum aliquid sibi superadditum, sed sic sumpta secundùm se, & non reliquo superaddito intrinseco, non constituit illam, nisi in circumstantia Termini. Hinc hæc adhuc esset probanda Propositio Major: Nihil est tale, sua sola entitate, sed in circumstantia tali posita, quæ propositio coincidit cum illa alia, cujus probatio quæritur. Nulla denominatio est talis, quæ sit illud ipsum, in circumstantia talis connotati acceptum. Quærendoque probationem istius Majoris dici potest; quòd denominatio partium in actu secundo, non includat intrinsecè aliquid plus, quam entitates partium secundum se; hoc sensu, quòd tanquam intrinsecum, nihil dicat, nisi ipsas partes, sed non hoc sensu, quasi illæ partes rationem intrinsecè constituentium habeant, extra connotationem illius extrinseci.

Addo Hanc propositionem: quod est identificatum, secundùm quod est identificatum, esse in omni sensu veram; hinc enim sequitur, quia relatio est identificata subjecto, nonnisi in circumstantia termini positi, semper etiam identificari cum ponitur subjectum in circumstantia termini positum. Vera item est hæc semel absolutè identificatum, semper est identificatum, sed hæc falsa. Denominatio connotativa, quæ est ipsum subjectum in tali circumstantia, semper identificatur; hoc est semper est, nec variatur extra circumstantiam, licet denominatio connotativa, secundùm quod est ipsum in re subjectum, identificetur subjecto.

Objicitur Tertiò. Authoritas Florentini. *Hæc omnia Sacramenta tribus*, inquit, *perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & Personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

Respondetur. Mentem esse Florentini explicare hæc, quæ nisi ponantur, non erit Sacramentum quod etiam nos affirmamus, hocque significabant illa verba; si aliquid desit, non perficitur Sacramentum; sed quia ex dictis, fieri potest, ut deficiente etiam eo quod non est pars, non sit res, ideo existo ly *Desit*, & ex ly *Non perficitur*, non potest argui ratio partis; positoque quòd partes Sacramenti omnes in recto ponantur, & cum Florentinum in recto non ponat intentionem, sufficienter significatur, requiri quidem illam, sed non esse partem.

Obj. Quartò. Etiam retenta prædicta definitione, sufficienter distinguetur pars à termino v. g trelationis rtanscendentalis, idque ideo

quia

quia si per impossibile auferretur terminus relationis transcendentalis, & maneret relatio transcendentalis, adhuc salvaretur totum relatum, & tamen ablata v.g. materia quæ est pars, non maneret totum.

Respondetur. Non ostendi casum possibilem in quo maneat relatio transcendentalis sine termino, consequenter illo posito cum reliquis, est, non posito, reliquis positis, non est, & tamen terminus ita ponibilis non est pars; sed recurritur ad suppositionem impossibilem, sed ex illa nihil legitimè hic deducitur, quia ex suppositione tollente seipsam, ut notum, nihil legitimè deducitur; hæc autem est talis; tunc enim suppositio impossibilis, est tollens seipsam, quando id, quod formaliter affirmabatur, idem formaliter immediatè & per locum intrinsecum negatur; hoc fit in præsenti, & dicitur manere latio seu esse ad aliud, & non dicitur manere esse ad aliud, cùm non sit aliud. Quodsi ex hac suppositione tanquam tollente seipsam nihil legitimè deducitur, nec deducetur, quod terminus non sit id, quo posito, &c. Dicam etiam proportionaliter, si per possibile vel impossibile poneretur Relatio Prædicamentalis sine termino, ablutio item & forma Sacramentalis cum Jure causandi & significandi gratiam, adhuc mansurum totum Relatum, & totum Sacramentum.

Obj. Quintò. Pone per possibile vel impossibile poni materiam formam, unionem, & non poni necessariò prærequisita, v. g. concursum Dei, existentiam causarum, ponetur compositum; ergo per hoc sufficienter distinguetur pars à prærequisitis, quia illis per possibile vel impossibile positis sine prærequisitis, ponetur adhuc totum.

Respondetur. Sicut convenit omni parti, ly quo posito, sed non soli, ut dictum, ita etiam in præsenti dici debet, interdum partem esse talem, ut si ponatur, habeatur totum, ita tamen ut interdum habeatur totum, nonnisi ex prærequisito posito, nam posito fundamento relationis transcendentalis, ratione fundandi, & termino, non posito per possibile vel impossibile ullo concursu divino, ulla notitia divina antecedente, erit tamen relatum, & tamen illius relati erit nonnisi prærequisitum terminus; ergo sequitur non per hoc, totum & partes in illo inclusas, distingui à prærequisito, quod possit poni totum sine prærequisitis, cùm non ponatur totum relationis sine termino, qui est, nonnisi prærequisitum, ingrediens illud totum; ergo non semper haberi potest totum sine prærequisitis, nec distinguitur prærequisitum ab omnibus, quibus positis res ponitur, cum non distinguatur à seipso per ordinem ad terminum relationis transcendentalis; directè ergo respondetur distinguendo Consequens; ergo per hoc interdum distinguetur pars à prærequisitis. Concedo; per hoc semper distinguetur. Nego.

Instabis. Posita per possibile vel impossibile sine omnibus aliis, materia, forma & unione, erit compositum, nec requiritur quidquam aliud extrinsecum? ergo idem dicendum est in aliis.

Respondetur. Disparitatem esse: quia tota absoluta non indigent nisi suis intrinsecis ad suum esse, quantum quidem per locum intrinsecum; sed tota connotativa, indigent etiam extrinsecis: quia cum totum esse illorum sit ad aliud se habere, & illud aliud quia aliud est, hoc ipso extrinsecum est, ideo illud totum connotativum sine extrinseco, quia sine habente se ad Aliud, haberi non potest.

Punctum Difficultatis 3.

Notantur quædam.

Noto Primò. Posse esse hîc quæstionem de voce; si enim dicas, te non intelligere quidquam aliud nomine intrinseci & partis, nisi id, quod ita ad aliquid requiritur, ut sine illo res nullo modo possit esse, hoc sensu indubiè erit pars intentio; sed negatum supra, benè sic definiri partem; item si sumatur totum, pro quocunque tandem conflato, quale conflatum est ex causa & effectu simul sumptis, ex relatione transcendentali & termino, consequenter sumendo etiam partes, quantumvis non dicant inter se habitudinem manifestè partium, sed tantùm pro quocunque conflatum illud ingrediente, sic etiam intentio ingrediens Sacramentum erit pars, sed hîc non de tali toto, nec de parte, quæ supponat pro solo ingrediente, loquimur.

Noto Secundò. Hæc auferibilia tota, per alicujus ablationem duplicia esse; quædam tota absoluta, & quædam respectiva, accipiendo respectivum pro genere ad connotativum & ad relativum. Tota absoluta stant nonnisi solis intrinsecis, hinc illis positis habetur totum; & ratio est: quia si solis intrinsecis positis, non poneretur totum absolutum, & esset absolutum, ut supponitur, & non esset absolutum: quia præter intrinseca sua, requireret ad esse sui, aliud. Tota autem respectiva, non tantùm requirunt ad suum esse intrinseca, sed etiam extrinseca; ratio: quia & esset, ut supponitur, totum respectivum & non esset respectivum, quia haberet suam totalitatem, sine ad Aliud, adeoque Extrinseco. *hinc*

Noto Tertiò. Omnia Entia respectiva duobus constare indispensabiliter, nempe aliquo Intrinseco, adeoque intrinsecè requisito,

sito, & alio Extrinseco intrinsecè requisito.

Ratio. Quòd debeant poni intrinseca intrinsecè requisita: quia si illa non ponantur, nec ponetur ipsum intrinseum constitutum, utpote à suis constitutivis indistinctum realiter; si non ponetur intrinsecum, nec ponetur illud respectivum, nullum enim quod est, est, sine intrinseco, est enim sibi ipsi quod est, adeoque illud *seipsum*, erit intrinsecum, nullum enim *seipsum*, est sibi extrinsecum. Quòd autem respectiva indigeant etiam extrinseco, ratio est præter allatas, quia Ens respectivum est bonum ad aliud, adeoque debet esse ex integra causa, integra autem causa respectivi, est etiam aliud, ad quod est; & sicut non est totum absolutum, si desit pars absoluta seu intrinseca, eo quod partes intrinsecæ, integrent totum absolutum, ita si desit aliquid extrinsecum, non ponetur totum respectivum; quia non minus respectivum totum, non potest esse sine illo aliud, sive extrinseco, quàm totum absolutum sine parte, suntque in hoc pares, *Pars* & illud *Aliud*, in hoc, quod est indispensabiliter exigi, cum hac distinctione, quod in absolutis exigitum, sit pars, in respectivis sit *Aliud*, sit *ad quod*, adeoque Extrinsecum.

Noto Quartò. Sicut in materia de distinctionibus posuimus, quod ablato termino non maneat relatio quoad Entitatem, hoc ipso enim deberet dici manere relatio, quid enim non manet, quod, quoad Entitatem manet? ita etiam in præsenti, sublato extrinseco intrinsecè requisito Entis connotativi, non dicimus intrinsecè manere connotationem, intrinsecè enim manere connotationem, est manere connotationem, nam ly intrinsecè manet, notat identitatem, cujus autem identitas manet, & ipsum manet, sed dicimus manere nonnisi subjectum, seu id quod dicit in recto; & sicut manente subjecto, & eo quod dicit in recto album, potest non manere album; ita manente eo quòd dicit connotatio quoad subjectum, & in recto, non dicetur manere connotatio.

Noto Quintò. Si respectivum Totũ, est ex intrinseco & extrinseco, seu illo aliud, hinc fit ut esse respectivum, interdum quidẽ sit per appositionem intrinseci, sed interdum est per appositionẽ extrinseci; è converso non esse respectivi, interdum quidem sumitur ex defectu intrinseci, interdum ex defectu extrinseci, seu illius aliud *ad quod*; & ratio est: quia cum totum respectivum involvat aliud, adeoque non partem, si non ponatur illud aliud, non ponetur totum respectivum.

Noto Sextò. Posito quòd positione interdum extrinseci, ponatur suo modo totum respectivum, & desitione illius desinat, & non solum ex ablatione intrinseci; ex hoc nexu inter intrinsecum illud & extrinsecum in respectivo toto, oriun,ur phrases quædam, quarum notitia hîc tradenda. Vera est hæc locutio; Desinente termino v. g. relationis, manere subjectum relationis quoad sua intrinseca, & aliud, manere intrinsecè v. g. relationem. Prima propositio est vera, manet enim v g. paries constitutus per suam materiam & formam, ablata similitudine; sed non manet intrinsecè relatio: quia manere, ut dictum, intrinsecè relationem, est manere id, quod est idem cum relatione; manere autem id quod est idẽ cum relatione, est mane rerelationem, cum tamen certum sit, tunc illam non manere. Rursus, vera est hæc locutio; Ablato extrinseco, Ens respectivum vel concretum manet quoad id quod dicit intrinsecè. Ratio: quia adverbiale illud intrinsecè supponit pro subjecto, quod indubiè manet. Unde etiam quod dicit intrinsecè relatio, & Cui, quoad illud dicere intrinsecè, intrinsecatur etiam ablato termino, manet, quoad id, ut dixi, quod dicit intrinsecè; sed hæc est falsa; Manet intrinseca relatio, vel manet intrinsecè sine addito subjecti, seu ejus *Quod dicit*; & ratio est; quia manere intrinsecam, vel sine addito intrinsecè relationem, est manere relationem: quod enim est propositio de secundo adjacente, quæ prius debet verificari, præ propositione de tertio adjacente, in qua propositione de secundo adjacente, Copula, supponit pro existit; ita prius est manere relationem, quàm manere modificatè, hoc est, intrinsecè, vel intrinsecam; & si non manet ullo modo, nec manebit quoad intrinseca, aut intrinsecè sine addito; unde aliud est per nos manere relationem, quoad id quod dicit intrinsecè, hoc enim est verum, & supponit pro subjecto, quod indubiè manet; & alia hæc propositio simpliciter dicta; Manet intrinsecè relatio; nam hîc supponitur pro seipsa, & tamen indubiè non manet. Alia item phrasis est; Respectivum concretum de essentia exigit suum connotatum, vel; essentia talis concreti, exigit connotatum, vel; essentiale est Respectivo, habere terminum: &, Alia hæc; Connotatum vel terminus ingreditur essentiam, vel; est de essentia Entis respectivi; prior propositio est vera; quia dicit habitudinem respectivi ad aliud, ad quod *Ad*; si enim essentialiter non diceret id, nec esset essentialiter quod est, cum ad aliud, essentialiter sit ad Aliud; secunda propositio est falsa; importat enim in toto respectivo, intrinsecitatem ipsius connotati, seu illius Aliud, nullum autem Aliud, est intrinsecum ei, cujus est Aliud, hoc ipso enim non esset Aliud. Ex quo etiam salvatur à nobis aliàs prædefensa locutio, quod terminus, sit, quid intrinsecum, intrinsecè requisitum, non autem quid intrinsecum.

Noto Septimò. Nullum posse ostendi concretum, in quo extrinsecum possit esse, pars ejusdem. Ratio: quia impossibile ostendi seu verificari non potest; hoc autem fieret, si quod est extrinsecum, non esset extrinsecum; non esset

esset autem extrinsecum, si esset intrinsecum; esset autem intrinsecum, si esset pars. Ex quo deduces non tantùm cognitionis partem non esse objectum, neque enim objectum seipsum inadæquatè cognoscit, sed neque hujus concreti, quod est cognitum: porrò ipsum cognitum dupliciter sumi potest; imprimis pro termino notitiæ, & sic non est concretum ex notitia ex se, sed est nonnisi terminus illius. Secundò potest accipi cognitum jam in seipso, prout determinatum à cognitione, & jam hîc, (ut aliàs dictum,) erit necesse partiri cognitionem, quæ est activum quasi principium illius denominati, & hæc non est pars illius concreti & denominati, nulla enim causa est pars sui effectûs; secundò possumus partiri ipsam passivam respondentiam illi activo, hæc, est pars hujus concreti, cognitum, sed non est quid extrinsecum, sed ipsum esse objectivum, quod secundùm aliquid sui, seu secundùm illam rationem terminandi, est sui pars.

Quæres Primò. Quid sentiendum de doctrina Perez, qui dicit intentionem Ministri ut liberam, essentialiter requiri, non tamen ut liberam formaliter & immediatè, eò quòd sic sumpta, possit esse mala; Sacramentum autem non potest componi aliquo malo. Sed cum esse partem non pendeat à nostris conceptibus, hoc autem quod est requiri intentionem ut liberam, non tamen quâ formaliter liberam, sint nostræ intentiones; cumque illa formaliter libera, à se nec virtualiter nec realiter, ut libera distinguatur, si sic sumpta non est pars, nec aliter sumpta erit pars; deinde nescio, quare intentio ut libera, non possit esse mala, sed nonnisi quâ formaliter libera.

Quæres Secundò. Quid sentiendum sit de doctrina Rosmer, qui ex eo non esse de essentia Sacramenti institutionem docet, quia conditio, sub qua fit contractus conditionatus, non est de essentia ejusdem, jam autem institutio Christi, erat conditionata, si minister habuerit intentionem; sed hæc ratio inexplicatum relinquit, quid sit pars? & cur non possit dici, quod Christus instituerit Sacramenta, sed sub conditione debitæ materiæ & formæ? quæ tamen sunt adhuc revera pars Sacramenti.

Quæres Tertiò: quomodo conciliandum S. Trident. Sess. 14. c. 2. & ex illo Catech. Rom. p. 2. c. 1 §. 8. de Sacramentis in genere, dum non meminerunt intentionis, cum Florentino quod & Personæ Ministri, & intentionis meminit. Circa hoc dici imprimis potest, quòd si esset intentio de essentia & constitutiva, meminisset illius Trident. & Catech. Meminit autem illius Florent. quia eo loco voluit numerare ea, sine quibus non fit Sacramentum, sive illa sint constitutiva sive non. Trident. sic habet: *Materia*, inquit, *& Forma, quibus essentia Sacramenti perficitur*; ergò apparet intentione, essentiam Sacramenti non stare.

DISPUTATIO III.

De Causalitate Sacramentorum.

Præmitto Primò. *Sacramentum novæ legis non tantùm esse excitativum ad fidem, vel applicativum objecti, quod illam excitet, sed simul esse causam immediatam gratiæ.*

Ratio præmissi est authoritas Scripturæ, quæ Sacramentis tribuit sanctificationem & salutem; ut cum prima Petri 3. dicitur; *Salvos nos fecit baptisma*; & ad Titum 3. *Salvos nos fecit, per lavacrum generationis*: & Christus ipse Nicodemo affirmat: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. quod etiam docet Trident. Sess. 7. c. 5. & 6. Et aliàs sequeretur, infantibus non prodesse baptisma, cum defacto nullam habeant fidem. Præmissum hoc defendere spectat ad controversam Theologiam.

Præmitto Secundò. *Sacramenta novæ legis, non sunt tantùm conditiones dandæ gratiæ, sed vera causæ*; est præmissum contra Durandum & Gabrielem.

Ratio præmissi est: quia vi Trident. & Florent. Sacramenta novæ legis dicuntur continere gratiam, quæ continentia, cum non sit materialis, & tanquam in vase, debet esse continentia tanquam in virtute, continere autem aliquid in alio tanquam in virtute, est causari.

Præmitto Tertio. *Sacramenta novæ legis causare gratiam ex opere operato.*

Ratio præmissi est authoritas Tridentini Sess. 7. c. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta, ex opere operato, non conferri gratiam, sed solùm fidem divinæ prædestinationis, ad consequendam gratiam sufficere, anathema sit*; quos terminos usurpavit Innocent. III. lib. 3. de offic. Missæ. Albertus Magnus in Cap. 6. Joannis. S. Thomas in quartum, dist. 1. q. 115. & alibi. Etiam ipsa Scri-

ptura verba deponentia passivè sumit; ut ad Hebræos 13. Talibus enim hostiis promeretur Deus.

Praemitto Quartò. *Quid sit ex opere operato causare gratiam? quid item ex opere operantis?*

Explicat Primò Vasq. hic d.121. c.1. Coincidit Di Cast. d.2.n.48. Duo possunt in usu Sacramentorum considerari. Primò Actio, quam Christus instituit. Secundò Eadem actio, prout est ab hoc vel ab illo, qui est Minister vel suscipiens Sacramentum; itidem possunt in Sacramento spectari materia & forma, in circumstantia institutionis divinæ, & usus hujus materiæ & formæ Sacramentalis; priori modo sumptum Sacramentum dicit opus operatum; posteriori modo dicit opus operantis. Sacramentum itaque causare gratiam ex opere operato, nihil est aliud, quàm conferre eam, non intuitu aliquo meriti ipsius Ministrantis, vel recipientis Sacramentum, sed præcisè ex eo, quòd sit opus tale institutum à Christo, Adduntulterius distinctionem inter actiones meritorias præcisè ex opere operantis, & meritorias ex opere operato: quia scilicet positis actionibus meritoriis ex opere operato, confertur gratia infallibiliter ex ipsis Sacramentis omni Subjecto apto, non confertur autem per alias actiones meritorias. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit Primò. Quia videtur restringere opus operatum ad actionem à Christo institutam, & ad materiam & formam in circumstantia deputationis à Christo, cum tamen sint aliæ actiones meritoriæ ex opere operato, quæ tamen non sunt actiones à Christo institutæ immediatè; nam v.g. obligationes pro lucrandis indulgentiis sunt meritoriæ ex opere operato, si ponantur, ut docet Lugo d.4.n.2. & tamen non sunt actiones à Christo institutæ saltem immediatè, nisi in generali, dando Ecclesiæ potestatem tribuendi indulgentias, sed hoc non est instituere; aliàs dicendus esset Christus instituisse Sacramentalia, quia dedit potestatem Ecclesiæ Sacramentalia instituendi; de quo aliàs.

Non Satisfacit Secundò. Quia non explicat, quî Sacramenta magis infallibiliter causent gratiam, quàm actiones meritoriæ; nam sicut vis causativa gratiæ in Sacramentis est ex decreto Dei; ita idem decretum, promisit actionibus elicitis in gratia, meritum ulterioris gratiæ.

Non Satisfacit Tertio. Quia immeritò assumit cum fallibilitate reliquas actiones meritorias conferre gratiam: quia, vel id procedit de actionibus, quas putamus esse meritorias, & revera non sunt, vel de actionibus meritoriis, quæ sunt tales. Si procedat de illis prioribus, æquabuntur in hoc Sacramentis, quia etiam Sacramenta, si putentur esse Sacramenta, & non sint, non causabunt etiam gratiam. Si autè procedat de actionibus meritoriis, quæ sunt tales, illæ ex suppositione meritoriarum, sicut habent infallibilitatem sui, ita & infallibilitatem merendi, decreto divino ad promissam.

Explicat Secundò Lugo d.4.Sect.1. in hoc differenter à priori via: quia dicit tunc gratiam conferri ex opere operantis, quando datur solo intuitu meriti, quod ponitur ad obtinendam illam; tunc verò dari ex opere operato, quando non attenditur solum ad meritum, sed etiam ad ipsum opus, præscindendo ab eo, quòd sit vel non sit meritorium. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia etiam opus operatum ex vi operis operati, meretur gratiam; cur ergo dicitur, quod opus operatum, præscindendo ab eo, quod sit vel non sit meritorium, operetur; deinde posito præcipuè, quod etiam divinitus non possit stare amor Dei cum peccato, quæro, quid desit illi amori, ut ex opere operato sit expulsivus peccati. Rursus si impossibile est, ut docet Vasq. quòd expulsio peccati, ponatur sine infusione gratiæ, quid illi amori deest, ne ex opere operato, dicatur causare gratiam.

Quid causare gratiam ex Opere operato &c.?

Ad explicationem hujus

Suppono Primò. Terminos hos esse reflectentis & revolventis sese mentis in considerationeoperis, adeoque præsentativos operis reflexe; videt ergo intellectus duplicem habitudinem in opere, primam quam habet ad ipsum, qui opus illud producit, & appellatur opus operantis; deinde habitudinem illius operis, ut ita dicam, ad seipsum, valorisque illi ipsi, in illo ipso independenter à principio operante, annexi, vocaturque hoc opus operatum; quia verò noster intellectus, non affert primæ intentionis formalitates, sed invenit in objecto ratione fundamenti, cum hoc quod est habere formalitatem operis operantis, & operis operati, sint formalitates primæ intentionis, inveniet illas, secundùm fundamentum intellectus.

Suppono Secundò. Hanc formalitatem operis operantis, & operis operati, quas intellectus, cum fundamento in re, invenit, non debere per hoc explicari, quòd ly opus operantis dicat præcisam dependentiam à principio operante, nec nomine operis operati, venit effectus seu terminus. Ratio: quia aliàs nullum erit opus operantis, quin sit opus operatum, & nullum opus operatum, quin sit opus operantis; hoc ipso enim opus operatum, quod non sit à se, & ex se, est opus operantis; & è converso: cum impossibile sit esse operationem, sine operato, nec possibile erit dari opus operantis, quin detur opus operatum.

Sup-

Suppono Tertiò. Nomine Operis operati, non venire ea tantùm, quæ de se nullam habent rationem meriti, & tamen merentur. Ratio: quia ablutio non potest habere ullo modo rationem meriti & causantis gratiam de se, è contra contritio posita in Sacramento pœnitentiæ, habet etiam vim merendi, & tamen ex opere operato, meretur infusionem gratiæ. Illustrari hoc potest instantia morali: nam Princeps interdum mandat, ut sit coriacea moneta, interdum v.g. aurea; prior in moralibus de se non habet valorem, posterior habet, sed accessus voluntatis Principis, attollit illi etiam valorem; ita & in præsenti.

Suppono Quartò. Ut dicantur ea, quæ aliàs habent rationem meriti, adeoque dignitatem ex opere operantis, adhuc simul operari ex opere operato, dupliciter id explicari potest. Primò per istam conditionalem; quamvis v.g. dolor propter amorem Dei, non esset contrarius peccato, adhuc ex vi institutionis Christi, haberet vim expulsivam illius. Secundò explicari posset per accessum tituli v.g. Quamvis dolor propter amorem Dei, sit contrarius peccato, nihilominus posità assumptione divinâ, accedit illi titulus, ipsius assumptionis divinæ, ita, ut id præstet, duplici titulo.

Suppono Quintò. Præter titulos universales & remotos constituendi meritum in ratione meriti, quales sunt libertas, honestas, intensio, triplex adhuc titulus cogitari potest, *primus* ratione principii effectivi, prædicatorumque ex illo desumibilium, quod in creatis non aliud est, nisi creatura rationalis prout elevata, quæ quò magis sese impendit positioni actûs, eò actus est dignior, dignitate in se inclusa, sed accepta ex vi principii effectivi; & ita actus amoris intensus ut 7. elicitus à principio intenso ut 7. melior est, quàm actus intensus ut 4. elicitus à principio ut 4. *Secundus titulus* est Principii terminativi, qui reperitur in persona divina dignificante actiones Theandricas, & reperiretur forte, si daretur subsistentia supernaturalis. *Tertius titulus* est dignitas operis inclusa in ipsomet opere, idque non ratione dignitatis acceptæ à principio efficiente, sed ratione ponderis & valoris ex placito & assumptione divina contributi. *Ex his suppositis*

Explicatur. *Quid sit mereri ex Opere operantis & operato.* Illa dicuntur mereri ex opere operato, quorum dignitas & valor non æstimatur ex dignitate principii operantis, & prædicatorum exinde desumibilium, sed ex ipsa entitate, cui additus est talis vel talis divina deputatione valor, illa autem sunt merita ex Opere operantis, quæ sumunt dignitatem à principio effectivo, & ex prædicatis ipsis, de se inferentibus, talem æstimabilitatem. Nomine autem operis non venit ipsa actio, sed interdum etiam terminus, unde non actio abluendi, sed ipsa ablutio pro opere seu pro termino sumpta, causat gratiam in baptismo, ex opere operato.

Dices Primò. Ponamus, quòd lapis assumatur ad productionem amoris divini, per nos ille non esset meritorius ex opere operantis, quia nullam dignitatem sumeret à lapide sui effectivo; ergo deberet esse meritorius ex opere operato; quod videtur absurdum.

Respondetur. Ille amor rigorosè loquendo (quod illi commune cum cæteris similibus) non participaret ex genere, quod est esse meritorium, quia nec ex genere liberi, consequenter nec opere operantis, nec ex opere operato, esset meritorius; sicut planta, nec est rationalis, nec irrationalis, quia non est animal. Cæterum si ille amor positus in Petro, assumeretur ad causandam in illo gratiam, jam æquivaleret assumptioni contritionis in pœnitentia, adeoque mereretur ex opere operato, aliàs habiturus dignitatem, nonnisi à lapide, non quidem simpliciter, sed prout elevato.

Dices Secundò. In adultis suscipientibus baptismum requiritur fides, itemque in confessione dolor, quæ sunt actiones meritoriæ; ergò in Sacramentis saltem aliquibus confertur gratia ex opere operantis.

Respondetur. Distinguendo Consequens; ergo in Sacramentis saltem aliquibus confertur gratia ex opere operantis materialiter, quia scilicet aliquid meritorium, assumitur novo titulo & deputatione, ad causandam gratiam. Concedo consequentiam; ergo in Sacramentis saltem aliquibus, confertur gratia, ex opere operantis formaliter, seu dignitatem, & vim à solo principio effectivo sumendo, & prædicatis rei, secundùm quod pendentibus ab illo effectivo. Nego consequentiam.

Dices Tertiò. Supposuimus supra, quod indulgentiæ operentur ex opere operato: quia scilicet satisfactio applicatur tunc; ergo etiam si aliquis jejunet pro Petro, jejunium illud operabitur in Petro, ex opere operato.

Respondetur. Jejunium Petro applicatum & Satisfactio Christi per indulgentiam applicata paria in hoc sunt, quia utrumque horum, non est actus ejus, cui applicantur: in hoc tamen habent disparitatem: quia opus illud, quod exercetur ad lucrandam indulgentiam, non est necesse sumere dignitatem ex Persona operante, & tamen cum lucretur illud opus remissionem pœnæ, debebit illam lucrari ex opere operato; jam autem jejunium applicatum Petro, dignitatem sumit nonnisi ab operante, seu jejunante.

Dices Quartò. Sequeretur unumquemque actum amoris esse meritorium ex opere operato, idque ideò; quia secundùm suam enti-

tatem, independenter ab eo, quòd dignificetur per principium suum, est meritorius.

Respondetur. Nullam dignitatem haberi in illo actu, nisi ratione prædicatorum, sed tamen pendentium in sua dignitate à principio operante; cumque ille actus non supponatur habere superadditum sibi titulum, & vim valendi, hoc ipso non erit meritorius ex opere operato.

Dices Quintò. Etiam verba: Ego te absolvo, si dicantur à laico nihil facient, secus si dicantur à Sacerdote: Ergo sument valorem à principio operante.

Respondetur. Sumunt valorem à principio operante, hoc est, supposito quòd talis operetur. Concedo Consequentiam, sument valorem à persona operante, tanquam dante illis vim, titulum, assumptionem. Nego Consequentiam: hoc enim habent à Christo: & certè quamvis Petrus haberet characterem ordinis, si verbis illis valorem Christus non dedisset, non fuisset absolutio.

Præmitto Quintò. *Sacramenta novæ legis non causare gratiam, tantùm dispositivè.*

Ratio: quia dispositio ex sua natura debet reddere subjectum aptum formæ, & formam aptam & congruam sujecto: non apparet autem, quî Sacramenta, nonnisi aptent subjectum gratiæ, & non producant illam; & quamvis quidem baptismus habeat se, nonnisi per modum dispositionis, tanquam janua illorum, non apparet tamen, quî baptismus habeat se nonnisi per modum dispositionis, ad gratiam baptismalem: & certè cum dispositiones ad gratiam sint supernaturales, si potest causare illas dispositiones baptismus, cur non & gratiam: quando autem Scotus appellat Sacramenta dispositionem, non intelligit dispositionem rigorosam, sed intelligit, quòd Deus disposuerit & certificârit de hoc Ecclesiam, quòd suscipienti sine obice, infundenda sit gratia.

Restat ergo inquirere: An Sacramenta causent gratiam, idque an physicè, an moraliter.

QUÆSTIO I.

De Potentia Obedientiali.

ÆGrè causalitas Sacramentorum intelligi posset sine præcognitione potentiæ obedientialis, *de qua*

Præmitto Primò. *Rigorosè loquendo aliud esse potentiam Obedientialem, aliud Elevationem.* Potentia Obedientialis, est potentia, per quam creatura, est nata obedire Creatori, in ordine ad ea, quæ sunt supra suam naturam. Elevatio autem dicit completionem illius potentiæ Obedientialis; unde obedientialitas tenet se à parte creaturæ; elevatio autem à parte DEI.

Præmitto Secundò: *Certum est dari potentiam Obedientialem.*

Ratio: Quia datur in Deo potentia imperativa Creaturæ, per quam illi imperare possit omne id, quod ab ea fieri non implicat, applicativaque creaturæ, ad hoc faciendum: Ergo dabitur in creatura subjectio, visque executiva illius imperii & applicationis; Ergo dabitur & potentia obedientialis, hæc enim in præsenti pro eodem sumuntur. Quòd etiam præter obedientialem potentiam, detur elevatio Creaturæ, certum fide est; quia certum est dari actus fidei supernaturales, qui hoc ipso quòd supernaturales sint, elevationem supponunt; & ratio probat: quia sunt multa, quæ nulla creatura facere unquam viribus propriis potest, quæ postea facit; quod ipsum elevationem evincit.

Præmitto Tertiò. *Quod Potentia obedientialis, non sit aliquid merè negativum*, ut voluit Aureolus constituens eam in negatione Resistentiæ Deo Operanti.

Ratio: Tum quia docet Trident. Sess. 6. Can. 5. & 4. Liberum arbitrium divinâ gratiâ excitatum, activè cooperari ad suam justificationem; unde sic arguitur; Principium elicitivum actuum supernaturalium, non potest esse quid negativum, operari enim supponit esse, adeoq; affirmationem exclusivam negationis; sed potentia obedientialis est principium elicitivum actuum supernaturalium, non enim eos naturaliter elicimus, sed per elevationem, adeoque per potentiam obedientialem: ergo potentia obedientialis non est quid negativum. Tum quia omne negativum debet fundari in aliquo positivo: Ergo & negatio illa resistentiæ; cur ergo illud positivum, in quantùm sumitur cum prædicato assumibilis ad effectus excedentes, non erit potentia obedientialis? Tùm quia pura negatio resistentiæ, Deo operanti, convenire potest etiam iis, quibus non convenit ratio potentiæ obedientialis: nam id cui competit simpliciter non esse, ei etiam competit negatio resistentiæ Deo operanti.

Dices cum Aureolo. Omnis creatura antequam sit, est in potentia obedientiali ad essendum, quæ potentia non est aliquid, sed mera non repugnantia ad existendum: Ergo etiam potentia obedientialis, quâ Creatura dicitur obedire Deo operanti, erit mera negatio.

Respondetur. Disparitas est, quia antequam creatura existat, non habet esse, secundùm quod subjiciatur Deo, si non habet esse secundùm quod subjiciatur Deo, non habet etiam potentiam positivam istius subjectionis Capacem; sed creatura, quæ est à parte rei, habet Entitatem, adeoque habet id, quod positivè subjici possit. Quanquam rigorosè loquendo, etiam antecedens falsum est: quia potentia obedientialis, est ad agere vel pati, non autem ad existere; per hoc tamen non nego, quòd saltem ex conse-

consequenti potentia obedientialis, dicat Negationem resistentiæ Deo.

Præmitto Quartò. *Non esse ita controversum, an detur aliquo sensu potentia Obedientialis in genere causæ materialis*, nam certum est recipi ab anima & habitus & actus supernaturales, respectu quorum illa non est subjectum connaturale, hoc sensu, quia non est agens & effectivum inter agentia naturalia, quod illa, vi propria, producere possit: quia tamen addi illi potest forma supernaturalis, rectè adstruitur, hoc sensu dari potentiam obedientialem, in genere causæ materialis. Non est item ita controversum, an detur potentia Obedientialis in genere causæ formalis: quia potest divinitus una forma informare plures materias adæquatas distinctas, cum ergo habeat indebitum modum informandi, adstruitur inde potentia obedientialis, in genere causæ formalis. Nec est controversum, an detur potentia obedientialis in genere causæ efficientis, nam certum est, ut dictum supra, intellectum vi potentiæ obedientialis facere actus supernaturales. *Sed*

Praemitto Quintò. *In hoc esse specialem difficultatem*; An unumquodque, in genere causæ efficientis, assumi possit, ad producendum quemcunque effectum? Negat Vasq. Pontius, Amicus, & alii, quos videre est apud recentiores, & Suar. hic Sect. 3. §. 2. conceduntque nonnisi suapte natura operativa, assumi posse: alii nonnisi quæ habent inchoatam potentiam ad aliquid simile faciendum; unde dicunt ad actum visionis posse elevari intellectum, quia ipse elicit etiam intellectiones de Deo, visio autem est intellectio quædam: non potest autem elevari ad producendum v. g. Angelum; quia hæc productio, non est intra sphæram intellectivitatis. His ad notitiam fusius mox tractandorum præmissis, *sit*

DIFFICULTAS I.

Quid potentia Obedientialis?

Dicendum est: *Potentiam Obedientialem non esse quid superadditum Creaturæ*, sed esse ipsammet entitatem Creaturæ, prout subjectam dominio Dei, in ordine ad ea, quæ se excedunt.

Punctum Difficultatis I.

Explicatur & probatur Potentia Obedientialis.

Potentia Obedientialis necessariò est quid respectivum, obedientia enim est etiam inter virtutes ad alterum, licèt non rigorosè, cumque omne ad aliud, sit respectivum, etiam potentia obedientialis, cùm sit ad aliud, respectiva erit, quodque sit ad aliud potentia obedientialis, vel hoc ipsum probat, quia si auferatur dominium, & mandatum non erit obedientia, quòd certè aliud ab obedientia est; si autem obedientia est quid respectivum & ad aliud, necessariò plura importare debet, unum enim & aliud, semper plura est.

Porrò hæc plura, quæ importat potentia obedientialis censeri possunt, Primò ipsa Entitas creaturæ, ita ut ipsa obedientialitas importet potius primò subjectionem quàm dominatum Dei: quamvis enim pius sit dominari quàm subjici, semperque dominium præsupponitur obedientiæ, quia tamen hoc primò dicit res quod ipsa est, cumque potentia obedientialis, non sit ipsum dominium, non importabit etiam primò ipsum dominium, licèt aliquid primò importet ad dominium: & sicut servus non importat primum dominium, sed id, quod est ad dominum, ita potentia obedientialis, non importabit primò dominium, sed id, quod est ad dominium, ideoque primò importabit ipsam Entitatem creaturæ, prout subjectam. Secundò importabit potentia obedientialis dominium Dei, nomine dominii intelligendo excellentiam divinam, vi cujus sequitur potestas utendi Creatura prout voluerit, dividendo illud Prout voluerit, vel ad effectus non excedentes creaturæ conditionem, vel ad effectus excedentes creaturæ conditionem: prius illud, Posse uti prout voluerit, non spectat præcisè ad potentiam obedientialem, neque enim per potentiam obedientialem, dicitur sol cursum suum conficere, quia cursus ille non excedit conditionem illius; solùm ergò illud Posse uti ad effectus excedentes, servit potentiæ obedientiali. Quod autem potentia obedientialis importet dominium Dei, Ratio est: quia illo non posito, nulla erit potentia obedientialis; vel enim haberet cui obediret, vel non? si non haberet, non esset obedientialis, sicut nec est æquabile, quòd nulli potest æquari: si autem haberet, cui obediret, respiceret dominium, quia nomine dominii non aliud venit, quàm id cui obeditur. Tertiò, Potentia Obedientialis importat etiam voluntatem divinam, quâ velit exercere illud dominium & potestatem. Ratio: quia hic vel loquemur de potentia obedientiali proxima, in ipsoque actu secundo exercita, & sic necessariò importabit voluntatem Dei volentis in actu secundo, assumere creaturam, ad actum excedentem, cùm nihil fiat in actu secundo, sine præintellecta voluntate illius, in actu secundo; vel loquimur de potentia obedientiali remota; & hæc etiam importabit voluntatem in actu primo: quia quibus aliquid in actu secundo formalisatur, iisdem etiam in actu primo formalisatur, ut inductio notificat. Quartò, Potentia obedientialis importat etiam omnipotentiam, quæ applicatur ab illa voluntate, ad concurrendum cum Creatura ad effectum illi indebitum. Ratio: quia nisi intelligatur omnipo-

tentia, quæ applicatur, non intelligetur executiva divina, nec intelligetur principium à parte Dei concurrens: sine executiva autem divina & principio concurrente, nihil fit à parte rei, nec concipitur fieri posse. Quamvis autem tam multa potentia obedientialis importet, sitque quasi complexum horum omnium, nihilominus dicitur potentia obedientialis non esse quid superadditum creaturæ; quia in conclusione non attenditur ad ea, quæ in Obliquo importantur, sed ad ipsum Rectum potentiæ Obedientialis. *Hâc Explicatione posita*

Probatur Primò Conclusio argumento negativo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas superaddendæ potentiæ obedientialis, ut patebit solutione objectionum.

Probatur Secundò. Ponamus per possibile vel impossibile, non superaddi entitati creaturæ potentiam obedientialem, vel illa est subjecta dominio Dei, vel non; si non est subjecta, ergo nec est creatura; si subjecta, vel potest exercere hoc dominium in illam, & uti illâ prout voluerit, vel non potest; si non potest, ergo nec habet dominium illius; si potest; vel potest illâ velle uti ad effectus excedentes, vel non potest; si non potest, cur non? si potest, ergo ab ultimo ad primum, sine ulla superaddita Entitate, datur potentia obedientialis, quia sine ullo superaddito, potest Deus Entitate creata uti, ad effectus excedentes.

Probatur Tertiò. Est necesse ponere dominium Dei tàm in ordine naturæ, quàm in excedenti, quàm perfectissimum. Ergo & creaturæ subjectio quàm perfectissima; sed si non haberet Deus dominium in ordine naturæ, nisi ratione alicujus superadditi, non esset dominium Dei in ordine naturæ quàm perfectissimum, nec subjectio creaturæ perfectissima, si sine superaddito non esset subjecta, tota enim illius subjectio salvaretur ratione illius superadditi; ergo etiam, si non haberet Deus dominium Creaturæ in ordine excedenti, nisi ratione alicujus superadditi, adeoque nec creatura subjectionem in eodem ordine, nisi ratione alicujus superadditi, non esset perfectissimum dominium & subjectio creaturæ in illo ordine.

Sed possibilisne saltem erit potentia obedientialis superaddita? Videtur illa non repugnare. Tum quia nulla implicantia potest ostendi in illa. Tum quia si repugnaret, ex eo repugnaret: quia hoc, quod per suam entitatem potest esse tale, non potest reddi per aliquid superadditum tale: sed hæc ratio non convincit, quia justificatio nostra potest salvari per aliquid identificatum animæ, nempe per ipsam animam in circumstantia divini favoris, aliquo signo saltem extraneo significati, vel in circumstantia actûs amoris divini habiti, & tamen reddimur justificati per gratiam Dei supernaturalem, superadditam: posset item regeneratio nostra salvari per ipsam entitatem hominis abluti sacramentaliter, & tamen hoc non obstante datur character, supernaturalis item qualitas, constituens nos in ratione regeneratorum formaliter: ergo poterit etiam dari supernaturalis qualitas, constituens nos in ratione subjectorum formaliter. Tum quia non est ratio, cur non possit signum dari supernaturale nostræ subjectionis ad Deum, habens simul vim subdendi nos, ut faciamus quod Deus vult, habendo ad id vim consimilem prædeterminationi necessitanti; ita ut duplici tunc titulo, reddamur obedientes.

Neque valet, si dicas: Quia Petrus per suam entitatem est animal rationale, non potest reddi animal rationale per aliquid superadditum; quia albedo seipsa est alba, non potest reddi alba per aliam albedinem: ergo cum creatura sit etiam per suam entitatem subjecta obedientialiter, non poterit reddi per aliquid superadditum subjecta; & ne sit retorsionis locus de justificatione & regeneratione, dici posset disparitatem esse; quia non semper, nec pro semper sumus regenerati & justificati, benè ergò per aliquid aliud, possumus reddi regenerati & justificati; semper autem & pro semper habemus potentiam obedientialem. Non, inquam, valet si dicas, nam de animali rationali alia est ratio, cùm enim animal rationale desumatur à corpore & anima; & cum illis suppositâ unione, sit etiam idem realiter, quæro; vel præsupponetur aliud corpus & anima? & jam non hoc animal rationale erit, sed aliud; si autem præsupponatur poni idem corpus secundò & eadem anima, nihil plus habebit, quod non habuerit antè, exceptâ replicatione, & cum replicatio non faciat aliud formaliter corpus & animam, non poterit etiam facere formaliter, animal rationale aliud; potest autem ostendi, quid faceret illa potentia superaddita, nempe vim subdendi nos novo titulo. Quod attinet ad albedinem, aliter se in præsenti res habet, cùm enim albedo sit forma quædam, & quæcunque etiam superaddibilis albedo, sit forma, actum, superaddita ageret, quia in ratione formæ albedinis, nihil plus adferret: jam autem potentia obedientialis in creatura non est aliqua forma, hinc addita illi potentia obedientialis per modum formæ, nondum actum ageret; unde si supponatur aliquid substantialiter album, non repugnaret illi superaddita albedo, nam ex titulo formæ, afferret aliquid, quod non præhaberet substantialiter album, & si cætera essent paria, redderet duplici titulo album; sic & in præsenti: & licèt albedo albedinem non posset reddere album, potest tamen ipsum subjectum reddere bis album; ita quamvis potentiã obedientialem, alia potentia obedientialis non possit reddere formaliter potentiam obedientialẽ, si etiam prior

sumatur formaliter, subjectum tamen potest reddere, duplici potentiâ obedientiali subjectum. Concedo quidem non semper convenire homini denominationem regenerati, sed dico semper convenire posse habere sine superaddito hanc denominationem, si habeantur circumstantiæ, esseque semper sua entitate in actu primo talem, si sint circumstantiæ; & tamen hoc non obstante, ratio regenerati habetur per superadditum quid. Argumentum autem factum præcisè attendit: An id, quod potest salvari per ipsam entitatem in recto importatam, possit salvari per aliquid superadditum alio titulo.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur Primò. Creatura per potentiam obedientialem debet attingere effectus supernaturales; ergo implicat illam esse entitativè naturalem.

Respondetur. Potentiam obedientialem in circumstantia elevationis divinæ, & omnipotentiæ concurrentis ad effectus excedentes, attingere effectus supernaturales, non extra hæc: nego autem rem in entitate naturalem, in talibus circumstantiis, non posse attingere effectus supernaturales.

Instabis. Nulla res naturalis de se est potens ad producendum effectum supernaturalem, sed potentia obedientialis est potens ad producendum effectum naturalem; ergo.

Respondetur. Majorem esse veram de re naturali non elevata, nec ita circumstantionata, ut diximus.

Objicitur Secundò. Si potentia obedientialis esset naturalis; ergo debet illi respondere effectus aliquis.

Respondetur. Independenter ab elevatione respondere effectus nonnisi naturales, posita autem elevatione, supernaturales etiam.

Objicitur Tertiò. Si potentia Obedientialis non est aliquid supernaturale superadditum, sequitur illam, & esse quid supernaturale, & non esse supernaturale: non erit supernaturalis, quia est identificata rei naturali, hoc est, substantiæ creatæ, quæ non est quid supernaturale; erit autem supernaturalis, quia potentiæ specificantur ab actibus; cum ergo illa ipsa, sit ad actus supernaturales, & ipsa erit supernaturalis.

Respondetur. Non fore illam potentiam supernaturalem; quamvis autem potentiæ specificantur ab actibus extrinsecè, non tamen intrinsecè; intrinsecè enim specificantur sua entitate, prout illa est radix habitudinis ad actus; si autem extrinsecè specificantur ab actibus, non erit necesse in eodem ordine esse actus & potentiam; sicut quia extrinsecè ab objectis specificantur actus, possunt in alio ordine esse objecta, in alio actus.

Objicitur Quartò. Si potentia obedientialis, non est quid superadditum, sequitur eam non esse distinctam à potentia naturali, cum tamen eas potentias vel ipsi termini distinguant.

Respondetur. Potentiam obedientialem & naturalem, secundùm id quod dicunt in recto non esse distinctas, sunt enim utraque entitas creata, distinguuntur tamen ratione diversorum connotatorum; ratione voluntatis Divinæ adhoc vel illud volentis creaturâ, uti; ratione omnipotentiæ concursum excedentem vel non excedentem offerentis, &c. Dicunt alii vel per hoc ipsum, discerni illas potentias; quia in naturali, non solùm est capacitas, sed etiam exigentia suorum actuum & effectuum, in obedientiali autem, nonnisi capacitas.

Objicitur Quintò. Si potentia Obedientialis est quid naturali non superadditum, sequitur, quod angelus comprehendens substantiam lapidis, deberet cognoscere omnes res possibiles in particulari, quia omnes illæ, sunt ponibiles, per potentiam obedientialem à lapide.

Respondet Arriaga, quòd si perfectissimè cognosceretur lapis, illo cognito, cognosci possent omnia possibilia; negat autem naturaliter loquendo ea perfectione lapidem ab Angelo cognosci.

Aliter dici posset. Quamvis lapidem perfectissimè Angelus comprehenderet, non posset cognoscere cunctas res possibiles à lapide ponibiles; quia se sola potentia obedientialis, & independenter ab elevatione, non est principium adæquatum positionis illorum possibilium, non ergo in illa, tanquam in causa, posset cognoscere omnia possibilia, præcipuè cum aliunde non supponatur habere speciem omnium possibilium; sic v.g. ponamus quòd Angelus non habeat aliunde cognitum lapidem, tunc quamvis perfectissimè cognosceret intellectum hominis solum, & non attingeret speciem impressam cognitionis lapidis, vi cognitionis, quam habet de solo intellectu, non cognosceret lapidem, quia se solo intellectus non est principium completum eliciendæ cognitionis de lapide; ita etiam, cum se sola potentia obedientialis non sit principium productionis possibilium, cognita comprehensivè entitas potentiæ obedientialis, non duceret in comprehensionem omnium possibilium; & sicut beati cognoscentes intuitivè omnipotentiam, non cognoscunt omnia possibilia in particulari, sed tantùm sub generica cognitione factibilis, quod non implicat; ita nec comprehensiva cognitio

potentiæ obedientialis, ducet in notitiam possibilium; & sicut in una præmissa non potest cognosci Conclusio, quamvis præmissæ causent conclusionem, sic nec in potentia obedientiali sola, quamvis comprehensivè cognita, poterit cognosci tota possibilitas rerum, ab illa ponibilium. Retorqueri etiam argumentum potest, quomodo cùm relatio identificetur referibili, cognoscaturq; referibile, quod est homo, dicens relationem diversitatis ad omnia reliqua possibilia, neque tamen cognoscantur omnia possibilia. Quæ omnia in hoc ulterius fundantur; quia licèt cognito relato, est necesse cognosci terminum, non tamen est necesse, omnino æquè distinctè illum cognosci.

Ad explicandum autem mentem Aureoli supra positam, & quomodo creatura, cum sit essentialiter per nos obeditiva Deo, non tamen essentialiter, exigit voluntatem divinam, volentem per illam fieri effectus excedentes, & quomodo essentialiter non exigat concursum ab omnipotentia indebitum, id teneri potest. Aliam esse hanc propositionem; Potentia obedientialis, stat in sola negatione repugnantiæ, in potentia, ad operandum, hæc enim propositio est falsa, & supra refutata Alia autem hæc est propositio; Creatura est obeditiva Deo, nonnisi negativè seu permissivè, non autem exigitivè; & hæc propositio est vera: si enim esset falsa, tunc exigeret sibi indebitum concursum, adeoque exigeret aliquid supernaturale, hocque ipso illud supernaturale, jam non esset supernaturale; quando autem ad hoc se nonnisi permissivè habebit, salvari adhuc poterit, quomodo ille concursus sit indebitus, sic v.g. Quia Creatura est obeditiva Deo in hoc, ut desinat esse si velit Deus; quia tamen ad hoc habet se nonnisi negativè, non exigit ut corrumpatur à Deo, imò refugit corrumpi, quantùm est de se; cùm ergo potentia obedientialis, nonnisi negativè se habeat ad concursum indebitum, salvabitur adhuc tota ratio supernaturalitatis, in illo concursu. Et licèt omnis potentia naturalis, sit exigitiva comprincipiorum, hoc tamen est verum de Comprincipiis, quæ sunt secundùm inclinationem positivam potentiæ, & secundùm, ut dixi, exigentiam. Et verò, sicut Deus, respectu peccati nonnisi permissivè se habet, nec exigit quantum est de se, ne ponant; ita nec exiget creatura elevari, quæ se ad hoc, nonnisi negativè habet. Quodsi quæras, cur ad salvandam supernaturalitatem est necesse rem non exigi, & non est necesse, ut se, nec negativè ad hoc natura habeat? Ad hoc responderi potest per definitionem, nam in definitione supernaturalitatis ponitur, ut sit res supra exigentiam, non debita &c. & non ponitur ut se ne negativè quidem creatura ad hoc habeat; deinde quia si ne negativè quidem, ad rem supernaturalem, se deberet habere res, nihil posset fieri supernaturale, ad eum modum, quo quia ne negativè quidem se homo habet, ut sit Leo-Cervus, ne divinitus quidem fieri potest Leo-Cervus.

Positâ identificatione potentiæ obedientialis cum creatura, inquiri posset an una potentia præscindi possit objectivè ab alia? sed suppositâ doctrinâ traditâ in prima parte in materia de distinctionibus, & pluribus in Metaphysica, de iisdem præcisionibus, inferri debet hæc duo præscindi posse. Ratio. Tum quia ea præscindi possunt universaliter objectivè, quorum unum non definitur definitione alterius pro statu Metaphysico; jam autem potentia obedientialis, & potentia naturalis non definiuntur eadem definitione: factivum enim per elevationem supernaturalium, aliud est definitivè, à productivo effectuum, ordini naturæ debitorum. Tum quia potest præscindi volitivum ab intellectivo; ergo & hæ duæ potentiæ à se. Tum quia alia sunt connotata potentiæ obedientialis nempe effectus supernaturales, alia connotata potentiæ naturalis nempe actus naturales. Quod item dicit Ripalda apprehensis connotatis necessariò apprehendi connotatum alterius, id ipsum negatur, cum enim connotatum Naturalis & connotatum supernaturalis sint distincta, non tantùm realiter sed ordine, neque se habeant illæ entitates, sicut Pater & Filius, poterit unum connotatum apprehendi, quin apprehendatur aliud, ullo modo.

Dices cum Ripalda disp. 33. de Ente supernaturali. Non potest aliqua natura apprehendi vitaliter activa supernaturalium, quin apprehendatur activa naturalium ejusdem rationis, natura enim irrationalis, est incapax operandi vitaliter; ergo hæc duo non possunt præscindi.

Respondetur. Imprimis non probat argumentum, ut sonat, potentiam obedientialem ut sic, non posse præscindi à potentia naturali ut sic, in quantùm scilicet potentia obedientialis, convenit etiam aliis creaturis inanimatis. Rursùs non est ratio, cur potentia obedientialis secundùm se spectata, non possit præscindere à vitali & non vitali, & hoc vel maximè intendat nostra responsio. Cæterum quòd sub formalitate vitalis, non possit præscindi à cointellectione naturalium, potest concedi: quia vitale non potest præscindi à procedente ab intrinseco, nec potest præscindere procedens ab intrinseco, à procedente simili viribus naturæ; hocque solùm videtur voluisse vel ipse Ripalda, ut videre est ibidem, num. 15.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur alia Argumenta.

Attingentur ea quæ sibi opponit Ripalda disp. 41. à n. 49.

Obji-

Objicit Primò. Repugnat qualitas creata, per quam natura elevetur, ad omnes effectus supernaturales, sine fine possibiles: quia sicut est limitatæ perfectionis, ita debet esse limitatæ virtutis; ergo etiam repugnabit activitas naturæ creatæ, communis ad effectus supernaturales, sine fine possibiles.

Respondetur. Si non repugnat species impressa omnium possibilium representativa, quæ foret entitativè limitatæ perfectionis, sed terminativè infinitæ; ita nec repugnabit qualitas, de qua antecedens.

Instabis. Perfectio instrumenta agentis activitate sibi propria, & non virtute derivata, sumitur ex perfectione effectûs; hæc autem perfectio effectûs, est illimitata & infinita; ergo & virtus, quod implicat, deberet esse infinita.

Respondetur. Etiam perfectio effectus est illimitata & infinita non absolutè, sed syncategorematicè; ad talem autem infinitudinem, potest se extendere quid creatum; ut extendit se potentia intellectiva, ad terminos sine fine intelligendos.

Objicitur Secundò. Potentia immediatè activa formæ intrinsecè supernaturalis, debet esse intrinsecè supernaturalis; quia natura potentiæ, specificatur ab objecto & effectu quem respicit; at potentiam intrinsecè supernaturalem repugnat identificari naturæ; ergo hæc potentia immediatè activa non datur.

Respondetur. Negando majorem, quæ ad summum est vera, de potentia immediatè activa supernaturalium, & non titulo elevationis; poterit enim illud elevativum, dare vim agendi immediatè, & tamen distingui realiter, ab eo, quod elevat. Natura autem potentiæ specificatur ab objecto, sed secundùm vim agendi, quæ illic habetur, ab aliquo supernaturali superaddito: unde etiam potentia naturalis specificatur ab actibus naturalibus, supernaturales autem actus, non illam specificant nisi prout elevatam, seu ratione alicujus superadditi, hoc ipso non ratione, identificati alicujus.

Objicitur Tertiò. Activitas productiva v.g. gratiæ justificantis, est participatio Dei, secundùm esse activum supernaturale ipsius; ergo debet esse necessariò supernaturalis.

Respondetur. Activitatem productivam gratiæ justificantis, secundùm quod importat ipsum elevativum, est participatio Dei supernaturalis, secus prout importat ipsum quod elevatar: cum enim rationem producentis illud supernaturale sortiatur, ratione illius superadditi, hoc ipso non erit necesse, ut ratione sui, sit participatio supernaturalis esse Dei.

Objicitur Quartò. Magis potentia sunt Sacramenta ad efficiendam gratiam, quàm lignum; ergo non sunt potentia activitate obedientiali sibi identificata, quia hæc est communis etiam ligno.

Respondetur. Majoritatem hanc, esse præcisè, ratione tituli meritivi illius elevationis, non autem ratione præcisè potentiæ elevabilis. Quando autem Sacramenta dicuntur continere gratiam, hoc solum significatur, quia jam sunt ad hoc instituta, reliquis autem non convenit hæc institutio.

Objicitur Quintò. Activitas identificata naturæ, non est in suo genere incompleta, neque completa; ergo nulla. Non est incompleta, quia alias esset principalis, cum virtus Dei per quam in suo genere completur, principalis sit, exigeretque auxilium supernaturale ad productionem formæ supernaturulis, cum omnis virtus incompleta, suapte natura exigat compleri. Non etiam completa, quia aliàs omnis creatura, totaliter in suo genere, contineret gratiam, cum etiam instrumentis competat continere effectum; quod etiam Trident. tribuit baptismo.

Respondetur. Illam virtutem esse incompletam, completioque illa per virtutem principalis, non confert complebili rationem principalis, sed hoc ipso dejicit à ratione principalis; & sicut completio, per spirituale, corporis, non facit corpus spirituale; ita & in præsenti; nec exiget auxilium supernaturale, quia ad illas formas non inclinatur, nec exigit illas tanquam sibi debitas, consequenter nec exiget auxilium ad illas formas.

Objicitur Sextò. Virtus hæc potentiæ obedientialis deberet esse instrumentalis, cum concurrat ad effectus ordinis supernaturalis; hoc autem dici non potest; nam aqua efficiens calorem, non est causa instrumentalis, cum calor, non sit ordinis supernaturalis: deinde intellectus non est causa instrumentalis in actus intrinsecè supernaturales, qui sunt intellectio.

Respondetur. Virtutem obedientialem, non respectu omnium esse instrumentalem, sed aliquando sub aliquo respectu esse principalem, licèt nonnisi in circumstantia elevationis: diximus enim aliàs, respectu vitalitatis inclusæ in visione, causam principalem esse intellectum; respectu eorum tamen est causa instrumentalis, quæ vitaliter non operatur, nec habet respectu eorum inchoatam potentiam; unde oculus, si servata specie coloris, videret illum in absentia coloris, esset causa principalis, quia adhuc vitaliter operaretur.

Objicitur Septimò. Cum Creaturæ per potentiam obedientialem sint in actu primo activæ, non habent unde determinentur ad actum secundum.

Respondetur. Determinari à concursu divino solo, vel qualitate superaddita.

Quare autem lapis non possit elevari ad intelligendum, alibi dictum.

DIFFI-

DIFFICVLTAS II.

Quid Elevatio Potentiæ.

PRimum loquemur de ipsa elevatione, postea delabemur ad connexa illi.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

DICENDUM est Primò *Elevationem potentiæ semper fieri per aliquid superadditum vel intrinsecè, vel extrinsecè*, v. g. vel per qualitatem superadditam, unitamque principio naturali, quale principium est lumen gloriæ, habitus infusi &c. vel per solum auxilium extrinsecum, profectum ab omnipotentia divina applicata à voluntate, ad concurrendum modo indebito.

PROBATUR Primò. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione; ergo etiam implicabit transire, à non esse elevati, ad esse elevati, sine sufficienti mutatione; sed nisi ponatur aliquid vel intrinsecum vel extrinsecum superadditum, non poterit sufficiens mutatio ostendi, ad transitum à non esse elevati ad esse elevati, quid enim illud? ergo.

PROBATUR Secundò. Quia antequam res transiret à non esse elevati, ad esse elevati, non habuit aliquod intrinsecum; ergo quando etiam supponitur esse elevatum, cum nec intrinsecè, nec extrinsecè aliquid superadderetur, æquè manebit inelevatum, præcipuè cum præter intrinseca & extrinseca rei, nihil jam possit tertium inveniri.

PROBATUR Tertiò. In naturalibus transitus à non esse potentis agere, ad esse potentis agere, non salvatur nisi ratione alicujus intrinseci vel extrinseci superadditi; ergo nec in supernaturalibus salvabitur; quæ enim ratio probabit antecedens probabit & consequens.

Cæterum elevatio potentiæ materialis videtur semper perfici, nonnisi ratione alicujus extrinseci, nempe vel productione unionis, vel formæ indebitæ. Ratio. Tum quia, si ratione superadditæ alicujus qualitatis redderetur potens materia ad recipiendam formam supernaturalem, illam ipsam, vel immediatè reciperet, vel per aliam qualitatem superadditã, si immediatè; ergo & alias immediatè recipere poterit; si mediatè, dabis processum in infinitum. Neque valet si dicas, quòd sicut unio & sibi & aliis est ratio uniendi, ita illam qualitatem fore rationem & sibi & aliis recipiendi, non inquam valet; quia tunc ratio aliqua & sibi & aliis est talis ratio, quando illam aliunde constat dari, & quando contra illam rationem, non militat idem fundamentum. Et sic, si quis unionem poneret ratum Ens, illa non posset esse sibi ratio uniendi, quia pro illa, eadem ratio militat, quæ pro aliis; in præsenti autem eadem ratio militat pro formis supernaturalibus, & pro illa qualitate, nempe naturalitas materiæ, & illarum supernaturalitas, nec aliunde constat illam qualitatem dari vel necessariam esse. Tum quia potentia subjectativa in materia, est idem realissimè, cum illius entitate; de hac quæro; vel mediatè recipit illam formam supernaturalem, vel immediatè; si immediatè contra erit; quia saltem illud immediatè receptivum, immediatè recipiet; ergo per suam entitatem; quo posito sic ulterius urgetur; Quod respectu unius entis supernaturalis habet entitatem capacem subjectare formam supernaturalem etiam respectu aliarum formarum supernaturalium, habet capacem entitatem; quia etiam respectu illarum formarum habet eandem entitatem. Et certè non minus inter se, in ratione præcisè supernaturalitatis, differunt entia supernaturalia, quàm formæ naturales; & tamen supposito aliunde, materiam non esse subjectum determinatum, si potest, idque sua entitate recipere unam formam naturalem, potest & aliam; quia eandem entitatem retinet, tam respectu hujus, quàm respectu illius formæ naturalis, & aliunde non probatur esse determinata; ergo idem in præsenti dicendum. Tum quia si præter concursum, qui est ad productionem vel formæ vel modalitatis supernauralis, exigeretur adhuc aliud auxilium supernaturale, illud, utpote efficax, deberet aliquid producere, quid illud? non entitatem materiæ, quia hæc supponitur producta, non entitatem qualitatis alicujus intermediè receptivæ, hæc enim impugnata; & insuper, non esset hoc auxilium in genere causæ materialis, non etiam produceret illud auxilium quidpiam aliud; ergo apparet illud non dari. Neque valet si dicas dari quantitatem, quâ intermediâ recipiuntur formæ materiales, ergo idem dicendum de potentia obedientiali materiæ, nó, inquàm, valet; quia, qui tenemus media quantitate recipi formas materiales, non negamus posse etiam immediatè recipi; sed ad salvanda ea, quæ à posteriori sunt cognita, de quibus in physicâ, infertur concedendum esse media quantitate illas recipi, quæ necessitas quia in præsenti non urget, negamus istam intermediam receptionem, licèt concedamus, illam esse possibilem; quamvis autem elevatio in ordine efficientis perficiatur, per aliquid intrinsecum, non sequitur etiam in præsenti perfici debere; quia etiam elevatio efficientis non rarò perficitur per aliquid extrinsecum, ut mox dicetur, cur ergo hanc potius conditionem elevationis non sequetur elevatio materiæ, & sequi debere probant allatæ rationes; videantur dicta de Ente supernaturali.

Con-

Contra hæc allata de potentia passiva supernaturalium

Dices Primò ex Ripalda disp. 25. num. 14. Per possibilem ac non repugnantem intrinsecè passionem, ac susceptionem talis formæ, completur potentia passiva, sonat enim virtutem relativè respectivam & connexam cum forma absolutè possibili, hoc autem habetur per susceptionem & passionem possibilem.

Respondetur. Nomine passionis & susceptionis Ut Quo, potest venire, Unio supernaturalis, vel modalitas interveniens in receptione entis supernaturalis; & de hac non est hîc quæstio, quòd debeat esse quid superadditum. Rursùs nomine passionis venire potest, ipsa potentia, ipsum susceptivum, & nego hoc susceptivum, hanc potentiam, debere esse aliquid superadditum; & sicut ipsa modalitas interveniens in naturalibus, dum recipitur, supponit potentiam passivam identificatam susceptivo; ita & in præsenti.

Dices Secundò. Apprehensâ naturâ & apprehensâ passione supernaturali, secluso quovis alio, apprehenditur natura absolutè susceptiva formæ supernaturalis; ergo hæc duo, complent illam potentiam.

Respondetur. Apprehenditur quidem tunc natura absolutè susceptiva formæ supernaturalis, nego tamen quòd illa passivè perficiatur in ratione potentiæ quâ talis; sicut nec in naturalibus, modalitas interveniens. perficit potentiam passivam, sed est ratio Ut Quo, recipiendi, &c.

Dices Tertiò. Ab eo reddi potest natura absolutè receptiva formæ, à quo forma redditur absolutè receptibilis, forma autem redditur extrinsecè receptibilis à passione absolutè possibili.

Respondetur. Forma redditur extrinsecè receptibilis à passione, tanquam ratione recipiendi Ut Quo, quæ non negatur; sed non tanquam ab ipsa potentia superaddita.

Dices Quartò. Non positâ potentiâ materiali superadditâ, non erit ostendere subjectum in quo recipiantur actus supernaturales eliciti à peccatore.

Respondetur. Subjectum erit anima, sicut & aliorum supernaturalium habituum, mediante aliquâ determinatione supernaturali.

Dices Quintò. Datur elevatio potentiæ vitalis, ut vitalis est; ergo dabitur & elevatio potentiæ passivæ, quia vitalitas stat in producere & recipere.

Respondetur. Per nos vitalitas in sola agere; sed posito quod stet etiam in pati, sufficerit elevatio inclusa in ratione Ut Quo recipiendi, non autem præcisè in ratione potentiæ receptivæ.

De Elevatione per Extrinsecum

Dicendum Secundò. *Posse fieri elevationem in ordine ad efficiendum, etiam per aliquid extrinsecum, v.g. auxilium indebitum*; est conclusio contra Thomistas, Bann. Alvar. Cajet. Scotum.

Probatur Primò. Quia id non implicat contradictionem; ergo apparet sufficientem esse talem elevationem.

Probatur. Secundò. Primus actus fidei, qui est dispositio ad habitum fidei, non est ab habitu fidei supernaturalis, antecedit enim illam; ergo est ab auxilio solo indebito. Rursus contritio antecedens habitum infusum charitatis, non potest esse à charitate permanentis qualitatis, quia aliàs daretur effectus ante suam causam. Potest item dari visio beata sine lumine gloriæ; quo casu, intervenire nihilominus debet auxilium supernaturale; cum visio Dei, sit actus supernaturalis ergo apparet perfici posse elevationem, per solum auxilium indebitum, adeoque aliquid extrinsecè superadditum. Potest item Deus sine ulla qualitate superaddita, per solum auxilium indebitum quoad modum, una cum potentia naturali, producere effectus naturæ v.g. actum scientiæ sine habitu, item producere habitum sine actu, qui est productivus habitus; ergo poterit & in ordine supernaturali, cum solo auxilio extrinseco, idem producere; in multis quidem antecedentis partibus negativam tuentur Thomistæ, sed suppono alibi eos refutari, & ex suppositione refutationis, procedit probatio.

Probatur Tertiò. Tum quia, quod ponatur aliquid intrinsecum elevativum potentiæ, est necessarium ex mente S. Thomæ, ad salvandum nonnisi modum magis connaturalem agendi: non implicat autem, Deum non servare modum connaturalem agendi. Et certè ideo intrinsecum elevativum potest producere supernaturalia, quia habet vim eadem operandi; non implicat autem vim operandi Deum ex suo auxilio exhibere. Tum quia si Deus ponat concursum consimilem ei, quem ponit, quando per aliquid intrinsecum elevat potentiam, ille concursus vel ponet id, quod poneret cum illo intrinseco superaddito, vel non ponet? si ponet, ergo sine superaddito ullo elevari potentia potest; neque enim sine elevatione, rem supernaturalem producere posset; si non ponet; ergo non est concursus consimilis ei, qui exhibetur cum concurrit Deus, una cum qualitate superaddita; sed potest Deus ponere ejus rationis concursum, quem ponit, cum per aliquid intrinsecum elevat potentiam, hoc enim non implicat, potestque Deus præstare id solo suo concursu, quod præstat una cum creatura.

Qui ipse medius terminus sic aliter proponitur; sit potentia naturalis, sit intrinsecum elevativum, potest Deus denegare auxilium actualis

lis concursûs, ne fiet actio supernaturalis; si autem exhibeat hunc concursum, ponetur actio supernaturalis; ergo apparet in sola exhibitione concursûs, ultimo compleri rationem efficiendi supernaturalia; ergo etiam si Deus ipsi potentiæ, sine intrinseco elevativo, exhibeat hunc concursum, habebitur completa ratio efficiendi supernaturalia; sicut quamvis Deus possit facere produci hominem exhibendo concursum ad generationem, si tamen exhibeat suum concursum, ad ejus productionem, etiam sine causa creata, produceretur homo: ita & in præsenti, exhibitione illius concursus, ponetur ratio supernaturalis. Tum quia non minus auxilium Dei indebitum, est quid extrinsecum ipsi potentiæ obedientiali, quàm ipsum superadditum intrinsecum elevativum; quia illud intrinsecum elevativum; quia illud intrinsecum, nonnisi per unionem conjungitur, jam autem auxilium & concursus, conjungitur, per identitatem cum ipso actu supernaturali; nam concursus Dei cum actione identificatur; sed non obstante extrinsecitate, quam importat qualitas superaddita, possunt poni actus supernaturales à potentia obedientiali; ergo nec illa alia extrinsecitas obstabit.

Objicitur Primò. Actus secundus supponit primum completum, sed nisi fiat elevatio per aliquid intrinsecum, actus secundus non supponeret actum primum completum; quod ipsum probatur; esse actum primum completum, est denominatio formalis intrinseca; ergo debet provenire à forma intrinseca.

Respondetur. Actum primum completum, esse denominationem partim à forma intrinseca, partim à forma extrinseca; cum enim importet ipsam entitatem potentiæ obedientialis, dicet aliquid intrinsecum, cum importet dominium Dei, voluntatem, omnipotentiam concurrentem, dicet aliquid extrinsecum; imò etiam posita sententia oppositorum, adhuc actum primum, ingredi debet aliquid extrinsecum, nempe concursus Dei in actu primo. Potest etiam distingui consequens; ergo denominatio actus primi completi debet provenire à forma intrinseca, hoc est, ab aliquo conjungibili, ut per modum unius agant. Concedo Consequentiam; debet provenire à forma intrinseca, hoc est qualitate superaddita. Nego Consequentiam; porrò auxilium Dei indebitum, per modum unius, concurrit, cum potentia obediẽtiali.

Objicitur Secundò. Si elevatio potentiæ obedientialis perfici potest per solum auxilium Dei extrinsecum, non esset ratio cur non semper ita elevaretur.

Respondetur. Ex mente S. Thomæ, quòd modus connaturalis agendi exigat ut effectus procedat ab aliquo principio permanente, liberum autem est Deo, modo connaturaliori, vel non, cooperari.

Objicitur Tertiò. Non potest effectus formalis variari invariatâ formâ; ergo neque effectus formalis potentiæ obedientialis; nam ex potente remotè producere effectus vires naturæ excedentes, posita elevatione redditur proximè potens producere; ergo posita elevatione variatur, & ipsa potentia obedientialis.

Respondetur. Variationem hanc posse esse, etiam ratione extrinsecorum, sicut, homo non solum ratione complexionis variatur, sed etiam ratione situs & raturæ; præcipuè verò, quia hæc forma, quæ est potentia obedientialis, dicit etiam aliqua extrinseca, cum quibus saltem ita connectitur; ac cum possibilitate effectûs causa, quæ variatur, variata possibilitate effectûs.

Objicitur Quartò. Ex iis quæ sibi opponit Ripalda nobiscum sentiens disp. 35. Actus supernaturalis quâ vitalis est, exigit fieri à principio intrinseco sibi proportionato, sed natura sine auxilio supernaturali intrinseco, non est intrinsecè proportionata ad efficiendum actum supernaturalem; ergo actus supernaturalis quâ vitalis, exigit fieri auxilio intrinseco supernaturali.

Respondetur. Intrinsecitas duplex hîc cogitari potest, prima ex superadditione, secunda ex similium actuum in se continentia; ad salvandam vitalitatem, est necesse habere hanc intrinsecitatem posteriorem, non priorem, ut dictum in materia de supernaturali Ente.

Instabis Primò, Natura vivens, postulat determinari ab intrinseco, ad agendum suum actum.

Respondetur. Sufficit determinatio ab intrinseco, non superaddito, sed continenti, virtute sua similes actus.

Instabis Secundò. Deus providit de facto naturæ rationali auxilia intrinseca, ad agendum immanenter, quæ non providit naturæ irrationali Sacramentorum, ad agendum transeunter.

Respondetur. Universaliter falsum antecedens, quia primi actus v. g. fidei in adulto baptisando, sunt immanentes, & tamen non proficiscuntur ab habitu fidei; quando autem proficiscuntur ab habitu infuso, proficiscuntur ad connaturalius agendum, non autem indispensabiliter.

Instabis Tertiò. Non potest actus supernaturalis fieri à natura rationali ex natura rei, nisi subjectum dignè dispositum sit; Sed subjectum actus supernaturalis non est dignè dispositum absque auxilio intrinseco supernaturali.

Respondetur. Major est dubia, quia primi motus dantur etiam supernaturales in peccatore baptisando, non apparet autem, per quid disponatur, ad primos illos motus supernatura-

turales. Minor etiam non tenet, quia potest fieri receptio supernaturalium sine dispositione, & si quæ necessariò requiritur, sufficerit dispositio per auxilium elevativum extrinsecum.

Objicitur Quintò. Modus agendi naturalis causæ primæ, est, ut non efficiat solus, tanquam causa particularis, effectus, quos potest efficere per causas secundas particulares, at Deus potest efficere actus supernaturales per auxilia supernaturalia creata; ergo.

Respondetur ad salvandum, quòd sine elevatione per intrinsecum, adhuc caueet Deus actus supernaturales per causas particulares, sufficerit ponere, ipsas potentias creatas tunc concurrentes, sed elevatas aliquo extrinseco.

Dicendum est Tertiò. *Non repugnare etiam qualitatem supernaturalem, quæ sit instrumentum connaturale productivum effectuum, supernaturalium quoad modum* v. g. quæ sit principium sanandi cœcos, ægrotos &c. est Conclusio contra Suar. & Amic.

Probatur Primò. Quia talis qualitas non repugnat.

Probatur Secundò. Potest dari qualitas, quæ sit principium actuum supernaturalium, quoad substantiam, qualis v.g. qualitas, est habitus supernaturalis; ergo etiam potest dari talis qualitas, quæ sit principium producendi effectus supernaturales quoad modum, hi enim ignobiliores sunt.

Probatur Tertiò. Præter auxilium, quod sit principium extrinsecum operandi supernaturalia quoad substantiam, invenitur in Dei thesauro etiam principium intrinsecum eorundem; ergo & præter auxilium, quod sit principium extrinsecum operandi supernaturalia quoad modum, poterit id fieri etiam beneficio alicujus qualitatis.

Objicitur Primò ex Suar. Non videtur possibilis virtus, quæ producere possit tot diversos ac mirabiles effectus, cujusmodi sunt miracula Christi.

Respondetur. Hoc ipsum esse quod negatur, detur qualitas supernaturalis saltem medicativa &c. hoc enim solum sufficiet ad verificandam conclusionem, vel qualitas extendens se ad 4. vel 5. species miraculorum.

Objicit Secundò Amicus. Implicat virtus creata, naturaliter operans supra leges naturæ.

Respondetur. Si dicas fidem habitualem, quod sit qualitas supernaturalis naturaliter operari supra leges naturæ, idem dices in præsenti, unde dici posset illam qualitatem fore supernaturalem quoad entitatem, naturaliter tamen suorum effectuum operativam.

Instat idem. Implicat ut virtus creata naturaliter exigat operari, supra, aut præter id quod ipsius natura postulat; ergo implicabit qualitas, effectuum supernaturalium quoad modum, connaturaliter causativa.

Respondetur. Negando fore supra naturam ipsius illius qualitatis, operari illos effectus, sicut non est supra naturam habitus infusi Fidei, operari actus supernaturales fidei; licet ipsi actus sint verè supra naturam; sed hæc intelliguntur ex materia de supernaturalitate.

Objicitur Tertiò cum eodem. Si daretur instrumentum naturaliter productivum effectuum supernaturalium quoad modum, illud instrumentum esset causa Principalis; hoc implicat. Ergo. Sequela probatur. Quia haberet proportionem adæquatam cum effectu, in quo stat ratio causæ principalis; quod ipsum probatur; quia ratio specificans virtutem hanc, quæ deberet esse nonnisi instrumentum, esset eadem cum ratione specificante, ipsum agens principale; quod ipsum probo; quia ratio specificans virtutem illam instrumentalem & principalem, esset attingibilitas effectus, independenter à suppositione subjecti, & reliquis causis naturalibus, quæ ratio est indivisibilis; hinc non potest diverso modo specificare instrumentum, diverso virtutem principalem.

Respondetur. Si quis dicat etiam habitus supernaturales, principiativos actuum supernaturalium quoad substantiam, esse causas principales actuum suorum, idem etiam in præsenti dicere poterit; quod si id negetur de illis habitibus, totum argumentum retorqueri poterit quod proponit Amicus. Deinde dici posset, quod illa qualitas habeat proportionem adæquatam cum effectu, non tamen adæquatione excludente alias causas, cæteroqui in ordine naturæ requisitas; quodsi non excludet causam primam dabit locum subordinationi requisitæ, ad instrumentalem causam, ita ut non sit causa primò & per se requisita, & quamvis concederetur, quod idem esset ejus specificativum extrinsecum, cum causa principali, adhuc distingui possent ratione aliorum, nempe conditionis suæ in ratione agendi; præcipuè autem, quia (ex eo quod idem habeatur alicujus specificativũ,) non destruitur ratio causæ instrumentalis, nam creatura per Amicum potest adhiberi tanquam instrumentum in ordine ad efficiendum, & tamen utriusque idem erit specificativum, productio ex nihilo; & sicut sufficit specificari ab eodem, sed alio modo, hoc est, cum subordinatione, ita & in præsenti. Nec est regula dignoscendi, quòd aliquid sit causa principalis, quia habet adæquationem cum effectu, nam possunt dari duæ concausæ principales, quarum neutra singillatim sit adæquata effectui, causæ item æquivocæ non habent adæquationem cum effectu, & tamen sunt causæ principales. Addo illã qualitatem fore quoad Entitatem supernaturalem,

quoad suam enim entitatem nulli naturæ debetur; principiaturam tamen nonnisi effectus supernaturales quoad modum; quia non est necesse adæquari in omnibus principio productivo, effectum; sic Angelus est substantia intellectiva, non efficit tamen intellectiones, quæ sint substantia.

Punctum Difficultatis 2.

An in omni Elevabili supponi debeat activitas partialis intrinseca?

ASSERO Primò. *In elevabili ad operandum modo vitali, supponi debet activitas partialis intrinseca.*

RATIO: quia & esset illa operatio vitalis, ut supponitur; & non esset vitalis, quia non proficisceretur ab intrinseco, non enim in quantùm proficiscitur ab auxilio, proficisceretur ab intrinseco; nam hoc non est potentia vitalis: non etiam in quantùm proficiscitur ab illa creatura elevata; quia nullam vim intrinsecam similem, movendi se haberet.

ASSERO Secundò. *In elevabili ad operandum modo non vitali, non debet supponi activitas partialis intrinseca.*

RATIO: quia nulla ejus necessitas, nec implicat negata activitate similia operandi, adhuc eam elevari.

ASSERO Tertiò. *In elevabili ad operandum modo non vitali, supponi debet activitas partialis intrinseca obedientialis*, hoc est, quod possit elevari ut agat.

RATIO: quia & posset tale agere obedientialiter, ut supponitur; & non posset, quia involveret in se, quod non possit elevari ad hoc.

Hoc volunt hæc asserta. Sunt quædam manifestè activa, ut ignis; aliqua non manifestè activa, ut terra; utrumque hoc potest elevari ad agendum non vitaliter; quamvis in substantiis præcipuè, nullum est, quod non sit agens saltem suarum passionum; in accidentibus autem, saltem est activum suarum specierum: sed quamvis nec hoc haberet, per ordinem ad efficienda & producenda naturalia, posset habere activitatem obedientialem intrinsecam, quæ activitas intrinseca stabit in Entitate ad agendum elevabili.

DICES Primò cum Ripaldâ disp. 41. qui oppositum nonnihil videtur opinari, quamvis in re idem sentiat; ut videre est apud DiCast. disp. 42. num. 2. Actio physica, quâ efficitur forma supernaturalis non vitalis, pendet intrinsecè immediatè ab instrumento creato; ergo inest ipsi aliquid virtutis intrinsecum, à quo actio pendeat.

RESPONDETUR. Ergo inest illi aliquid virtutis naturalium similium activæ. Nego Consequentiam; inest illi aliquid virtutis intrinsecum, hoc est, Entitas sua obedientialiter activa. Concedo Consequentiam.

INSTAT Primò. Si actio adæquatè & immediatè pendet à solo Deo, mediatè à creatura, verè quidem creatura, non agit physicè v. g. gratiam.

RESPONDETUR. Ex mediato agere, non infertur rectè, non agere; cum ipsum mediatè agere, sit adhuc verè agere; unde etiam ignis mediante calore agit ignem, verè tamen agit; deinde potest immediatè agere, etiam id, quod non habet virtutem similium naturalium activam.

INSTAT Secundò. Non positâ tali virtute intrinseca activa, decerneret tantùm Deus, ut natura tantùm agat, objectum autem talis decreti, intelligi non potest esse aliud, quàm actio particularis, quæ v. g. gratia pendeat intrinsecè & immediatè ab instrumento creato, quomodo ergo non supponit vim intrinsecam.

RESPONDETUR. Objectum talis decreti est actio particularis, à qua intrinsecè & immediatè pendebit gratia, supponetque vim intrinsecam, non quidem similium naturalium activam, de qua est lis, sed intrinsecam obedientialem & elevabilem.

INSTAT Tertiò. Ab actu ad potentiam est legitima Consequentia, jam autem actu & immediatè non solùm Deus agit, sed & creatura; ergo potentia agendi non solùm est in Deo, sed & in creatura.

RESPONDETUR. Potentiam agendi esse in creatura, non quidem similium naturalium effectivam, esse tamen potentiam agendi obedientialiter.

INSTAT Quartò. Omnis passio, supponit in quovis subjecto, vim passivam subjecto intrinsecam; ergo etiam omnis actio in quovis agente, vim activam agenti intrinsecam.

RESPONDETUR. Sufficit, ut supponat vim activam obedientialem, non autem vim activam similium naturalium, concedo quòd in divinis, ex reali productione colligatur potentia realiter productiva, sed colligetur etiam hîc ex reali productione virtus productiva realis, non quidem similium naturalium effectuum, sed virtus productiva realis obedientialis.

INSTAT Quintò. Si creatura ad effectus supernaturales posset constitui potens per virtutem Dei omninò extrinsecam, etiam posset ad effectus naturales sibi debitos, & cum exigentia concursûs divini, sufficeret ut eorum esset naturaliter activa, sicut sufficit per nos in præsenti, hoc autem esset omnem activitatem intrinsecam tollere.

RE-

Respondetur. Hoc ipso, quia esset natura exigitiva concursus, supponeretur esse activa, in tantùm enim illam exigit, in quantùm agit. Rursus si diceretur etiam effectus naturalis, non agit nisi virtute extrinseca, sequeretur absurdum, nempe nullum agens, esse activum de se, Naturalium; cum tamen omne esse, sit propter agere; hoc autem esset absurdum: nullum autem est absurdum dicere; nullum dari agens naturaliter activum supernaturalium, adeoque si est activum, non est activum nisi viribus aliunde habitis.

Dices Secundò cum eodem. Natura non est agens per solam virtutem extrinsecam Dei; ergo non est potens, solùm per virtutem extrinsecam Dei. Antecedens probatur, quia aliàs solus Deus attingeret physicè effectum supernaturalem, & natura solùm per denominationem extrinsecam, ageretque nonnisi moraliter, ut agit causa moralis, per virtutem exequentem causæ physicæ.

Respondetur. Natura non est agens per solam extrinsecam virtutem Dei, quasi illa merè se passivè habeat. Concedo Antecedens: non est agens per solam virtutem extrinsecam Dei, hoc est, supponitur in illa vis, similiũ effectuum naturalium productiva. Nego Antecedens: si autem non se merè passivè habet in illo operari, adhuc physicè aget.

Dices Tertiò cum eodem. Natura est intrinseca habitudo, ut ab illa physicè & efficienter pendeat, & procedat gratia v.g. justificans, idq; titulo subordinationis; ergo intrinseca est illi aliqua capacitas agendi, quæ capacitas agendi, ab omnibus intelligitur, activitas, & virtus saltem incompleta.

Respondetur. Natura est intrinseca habitudo, hoc est entitas obedientialiter activa. Concedo Antecedens: est intrinseca habitudo, desumibilis ex similium actuum naturalium productione. Nego antecedens.

Dices Quartò cum eodem. Natura per se immediatè influxu physico efficit, v.g. gratiam, ergo non potest negari præcedere aliquid facultatis conditionatæ, ex parte naturæ, intrinsecùs, ad actionem supernaturalem.

Respondetur. Præcedere facultatem, hoc est, entitatem elevabilem, & obedientialiter activam; concedo quidem, quòd corpore secundùm se existente, non sit homo, accedente anima, sit; & quòd nomen corpus, pertineat ad essentiam hominis, ita quòd etiam pertineat ipsa natura, ad actionem supernaturalem; sed pertinet tanquam entitas elevabilis, non autem tanquam similium actuum naturalium operativa.

Instat Primò ex auctoritate S. Augustini l. 6. de Genesi ad literam. cap. 17. &c.

Respondetur. Cum ibidem dicat August. Deum posse facere de omnibus aliud, quàm seminales illorum rationes habeant, hoc ipso non requirit, universalem similium naturalium operativitatem; & quando talium modorum agendi, dicit rationes rebus creatis inditas, loquitur de natura tanquam elevabili, non autem tanquam similium operativa naturalium.

Instat Secundò. Gratia & aliæ formæ immediatè insunt naturæ, ergo etiam ab illa immediatè effici possunt.

Respondetur. Disparitatem esse, quia ad illud prius, nulla est necessaria elevatio potentiæ, ut dictum alibi; est necessaria ad hoc posterius, ita ut conjungi possit, etiam tali principio, quod de se, similium non est operativum.

Instat Tertiò. Pertinet ad perfectionem divini dominii, posse uti creaturis, ad productionem formarum non vitalium; ergo etiam ad hoc ut immediatè operentur.

Respondetur. Concedo totum, sed ad hoc non est necesse præsupponi in illis vim inchoatam, similiumn actuum operativam.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Argumenta pro elevatione nonnisi per extrinsecum.

Sparsim dicta à Ripalda hîc colliguntur.

Objicit Primò. Si posset quævis creatura agere effectum supernaturalem virtute superadditâ, possent similiter relationes divinæ, quæ ex se non sunt activæ ad extra, efficere creaturas immediatè, per actionem transeuntem, cum omnipotentia divina, possit illis assistere absque ulla imperfectione, ut assistit creaturis.

Respondebis Primò. Quòd assistentia hæc supponat potentiam obedientialem, adeoque potentiam ad subjici, hoc autem Paternitati v.g. divinæ non potest competere. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quare non potest esse illa assistentia, non ratione subjectionis & inferioritatis, sed ratione conjunctionis cum omnipotentia, quæ sicut creaturam intrinsecè non activam, potest reddere activam, cur non potest reddere activam Paternitatem? ut ita quod datur creaturæ titulo subjectionis, detur Paternitati, titulo conjunctionis. Plures alias responsiones circa idem vide apud Ripaldam disp. 41. à num. 60.

Respondet Secundò Ripalda, stando rationi improbabile non esse, posse relationes divinas, potestate absoluta reddi activas creaturarum, sicut creaturæ constituuntur per eandem activæ. *Hæc responsio*

Non Satisfacit: quia est contra communem sensum, & propter rationes mox afferendas; *hinc*

Respondetur Tertiò. Suppono, quod personæ divinæ sint productivæ creaturarum ad extra, hoc enim sibi vult illud axioma; Opera ad extra, sunt communia, toti Trinitati; quod axioma non hoc vult, quasi personæ non sint activæ ad extra, sed quòd non sit activa una, quin agat altera.

De hoc ergo in præsenti quæritur: *Cur non possit per omnipotentiam, reddi una nonnisi persona activa, cum possit reddi, una nonnisi creatura activa?* Hoc autem non posse fieri inde probatur; quia & redderetur sola illa activa persona, ut supponitur; & non redderetur sola activa: quia reddi activam solam illam personam per omnipotentiam, est reddi activam, per aliquid indistinctum virtualiter à Deitate, in ordine ad prædicata primò intentionalia. Ergo, cùm non possit sola una persona, reddi Deus, nec potest sola una persona reddi omnipotens, aut sola, & una persona agens. Rursus & concurreret illa sola Persona, ad illam actionem ad extra, ut supponitur; & non concurreret sola; quia adhuc & reliquæ essent omnipotentes, adeoque omniconcursivæ, omniconcursivitas enim, est illigata omnipotentiæ, & si non esset illigata, esset nonnisi aliquipotentia, exclusa scilicet illa concursivitate.

Item: quia & non mutaretur tunc Deus, ut supponitur; & mutaretur; quia ipsa in se persona, inciperet habere hanc assistentiam, quam ante non habuit; quæ ipsa assistentia, vel esset ratione alicujus, quod esset ad intra, ut ita dicam personæ, vel esset ratione alicujus ad extra, non primum, quia jam intrinsecum aliquid haberet in se, quod ante non habuit, consequenter mutaretur; non etiam ratione alicujus ad extra, quia ad omnes actiones, dicit rationẽ transcendentalem omnipotentia communis, non diceret autem relationem transcendentalem ad illum concursum omnipotentia communis, si illa actio, non à communi omnipotentia procederet. Addo & esset omnipotentia communis, quia & Deitas; & non esset communis, sed tunc assisteret huic nonnisi personæ. Denique identitas realis omnipotentiæ cum personis, licèt possit facere, ut reddat omnes personas actione communi ad extra activas, non tamen potest reddere unam, nonnisi personam activam, quia in divinis, & istis, quæ sunt ad intra perfectiva, quod potest fieri, jam factum est, illa autem assistentia, est perfectiva personæ ad intra, quia si Patri est perfectio esse Patrem, cur non erit perfectio ad intra esse hoc, à quo dependeat hoc ad extra, quin dependeat ab alio; ergo si non reddidit omnipotentia hanc solùm personam activam, nec reddere potest.

Objicit Secundò Cabrera apud Ripaldam, Nulla virtus propria alicujus agentis, derivatur in aliud, nisi per facultatem intrinsecam realiter illi superadditam, ut virtus calefactiva propria ignis, non convenit aquæ, nisi per calorem illi intrinsecè inhærentem; ergo & dum fit elevatio, non potest perfici, nisi per virtutem Dei intrinsecè superadditam.

Respondetur. Antecedens est verum de agentibus creatis, non autem de agente increato; & ratio est, quia virtus creata, non habet vim elevandi aliud à se, ad agendum omni possibili modo, sed ad modum agendi, quem habet, & nobis per experientiam constat, juvat, nonnisi virtute sua propagata v.g. calore recepto, non implicat autem Deum elevare omni possibili modo, inter quos modos, est elevatio per extrinsecum concursum.

Instat. Magis est potens natura rationalis ad actus vitales intrinsecè supernaturales, quàm natura irrationalis ad gratiam v. g. justificantem producendam, & tamen per Concilia, necessaria est gratia intrinseca, ad actus supernaturales vitales.

Respondetur. Negando per Patres ad actũ vitalem, necessariam esse gratiam intrinsecam, hoc est, quæ sit principium unitum & superadditum potentiæ, cum actus primus vitalis charitatis, in peccatore fiat, ratione solius concursûs excedentis; sed requisierunt gratiam intrinsecam, hoc est, gratiam illuminationis, piæ affectionis, & non solam v.g. gratiam prædicationis externæ, opportunitatisque circumstantiarum.

Objicitur Tertiò. Res intrinsecè impotens, non potest reddi potens, absque aliqua mutatione intrinseca, quoniam esse potentem, notat perfectionem intrinsecam rei; ergo si elevatione extrinseca Dei non imprimitur naturæ aliquid intrinsecum, præcedit natura, seorsim ab elevatione, intrinsecè potens.

Respondetur. Licet res intrinsecè impotens, non possit reddi potens intrinsecè, absque aliqua mutatione intrinseca, tanquam salvativa transitûs à contradictorio ad contradictorium; cur tamen res intrinsecè impotens, non poterit reddi potens extrinsecè, sine mutatione intrinseca? per merum autem concursum indebitum, redditur res, nonnisi extrinsecè potens.

Objicitur Quartò. Natura est intrinsecè potens efficere gratiam sub conditione potestatis divinæ, cùm qua intrinsecè connexa est; ergo est absolutè potens, nam absolutè connexa est, cum existentia conditionis, à qua pendet, ut sit absolutè potens; causa autem absolutè connexa, cum conditione, à qua pendet absoluta activitas illius, absolutè activa est.

Respondetur. Natura est intrinsecè potens, hoc est, habet suam entitatem sibi intrinsecam, quam non repugnat elevari. Concedo antecedens; est intrinsecè potens, hoc est, habet vires in se agendi, modo Deus concurrat.

Nego

Nego antecedens; hoc autem solum fundat esse absolutum potentis ; ad eum modum, quo quia habet vires homo, ut intelligat si Deus concurrat, absolutè dicitur intellectivus. Sed eo modo, non nos habemus, in ordine ad supernaturalia. Cur autem habens vires agendi, si Deus concurrat, dicatur absolutè potens agere hoc exinde est: quia & supponuntur vires, & ipsa exigentia concursus, & decretum Dei de concurrendo, quid ergo deest (secluso miraculo) ne dicatur absolutè potens agere ? sed circa supernaturalia res non ita habet, nam nec dantur vires, nec exigentia concursus indebiti, &c. debet ergo esse nonnisi conditionata potestas, si datæ fuerint vires , quæ ipsæ non exiguntur, &c.

Objicitur Quintò Authoritas S. Thomæ, qui pluribus locis dicit instrumenta elevata, ut Sacramenta, agere per motum Dei principalis agentis; ergo sentit imprimi aliquid intrinsecum.

Respondetur. Cum possit agere Deus tanquam principale agens, agendo per concursum extrinsecum, non sequitur debere aliquid imprimi.

Instabis Ex mente S. Thomæ, Elevatio hæc debet esse per motionem virtuosam; ergo per aliquid intrinsecum.

Respondetur. Admissâ hâc motione virtuosâ, potest illa salvari, ratione concursus indebiti, adeoque ratione elevativi extrinseci; admisso cum Cabrera, quòd motio hæc sit indistincta, à motu Sacramenti, sufficit illam stare in aliquo extrinseco; sicut & alius concursus Dei, ad actionem, non perficitur aliquo intrinseco, recepto in creatura; posito cum Soto, quòd ista motio à solo Deo derivata, informaret motionem naturalem, sicut motio naturalis, non est quid intrinsecum Sacramento, v.g. ita nec illa motio virtuosa intrinseca erit. Quod autem dicit Navarette, motionem istam esse intrinsecam instrumento, concedo interdum esse, sed nego semper esse intrinsecam instrumento. Quòd autem dicitur, instrumenta non agere, nisi prius in illa agatur; id non est verum universaliter; quid enim agit ignis in calorem, qui est instrumentum illius. Addit Ripalda, instrumenta non agere per motionem principalis, tanquam per virtutem agendi, sed tanquam per applicationem, applicando nativam illorum activitatem ad agendum; hinc si activitate nativâ, prædita non sint, nihil operantur, ut lignum non potest secare.

Argumenta contra Elevationem per intrinsecum.

Hactenus dicta, supponunt, non quidem semper, interdum tamen fieri elevationem per intrinsecum, multoque magis supponunt posse illam fieri. Examinanda erunt, quæ in contra colligit Ripalda, disp. 41. num. 10.

Objicit Primò. Hæc qualitas non potest esse materialis, cum physicè attingat formam spiritualem; nec spiritualis, cùm intrinsecè inhæreat naturæ corporeæ.

Respondetur. Non implicat rem materialem, divinitus attingere formam spiritualem, nec implicat ut qualitas spiritualis, intrinsecè inhæreat, divinitus, rei corporeæ.

Objicit Secundò. Repugnat qualitas continens virtutem ad omnes formas & effectus supernaturales: quia effectus supernaturales sunt adeò varii, ut sine fine, possint specie multiplicari; in una autem qualitate, repugnat inveniri virtutem naturalem, ad tot tantosque effectus possibiles.

Respondetur. Sicut non repugnat species impressa ad omnia noscenda supernaturalia, ita nec repugnabit qualitas ad producenda omnia possibilia supernaturalia, quæ produci non implicat, se enim certè, licèt sit supernaturalis, primò producere non potest. Deinde sufficit ad intentum, quòd possit aliquos effectus supernaturales producere.

Objicit Tertiò. Ea qualitas non potest agere virtute completa, neque incompleta; non completa, quia aliàs esset causa principalis, essetque nobilior gratia justificante & lumine gloriæ. Non etiam virtute incompleta, quia indigeret elevari & compleri à Deo, daretur que processus in infinitum in istis elevationibus, & si illa qualitas elevaretur, cur non posset elevari, ipsa natura, immediatè.

Respondetur. Potest agere illa qualitas virtute completa, non per exclusionem concursûs divini, nec per exclusionem naturæ, quam nata est elevare, sed per exclusionem aliûs principii supernaturalis exigibilis , essetque causa principalis comparatè ad alias inferiores causas, non autem comparatè ad Deum. Cur etiam illa qualitas, non posset esse nobilior gratia & homine. Deniq; non repugnat etiam à causa ignobiliori, nobiliorem produci effectum, si agat tanquam virtus potentioris principii, ut ageret illa qualitas, quæ est virtus & instrumentum Dei, ad hoc specialiter assumptum. Concesso autem, quòd illa virtus foret incompleta, deberet à Deo elevari, nec tamen daretur processus in infinitum, quia posset elevari per solum extrinsecum auxilium, per quod concedo, posset elevari ipsa natura, sed ita, ut possit elevari etiam illa qualitas, si Deus velit; sicut elevaretur qualitas, nata producere gratiam , si ad producendam unionem hypostaticam modalem assumeretur.

Objicitur Quartò. Virtus instrumentalis connaturalis , est illa, qua causa principalis, constituitur proximè activa effectûs, & talis est calor respectu ignis; non potest autem

qualitas creata, constituere Deum proximè activum formæ supernaturalis, seipso enim Deus essentialiter, est proximè potens, agendi supernaturalia.

Respondetur. Aliqua sunt instrumenta ex indigentia Causæ, & hæc constituunt causam principalem proximè activam effectûs; alia autem est causa instrumentalis, assumptibilis ex placito principalis, hæc non constituit causam principalem proximè potentem; & talis est illa qualitas, ut in simili etiam dicebamus de specie impressa Dei in prima parte.

Objicitur Quintò. Repugnat qualitas, quâ calor constituatur calefactivus; ergò & qualitas, quâ constituatur Deus, activus formæ supernaturalis.

Respondetur. Transeat Totum: quia vi illius qualitatis, non Deus constitueretur activus, sed potius natura, quæ media illa qualitate, elevaretur. Quod attinet ad antecedens, si supponatur illa qualitas novum titulum afferens calori ad calefaciendum, certè non repugnabit; si supponatur dans illi ipsi virtutem, implicabit, quia jam illam habet; est enim calor, sibi jam calor. Ripalda autem dicit, posse calorem per aliam qualitatem reddi calefactivum immediatè ac proximè: quia ut existat virtus alicujus causæ, constituens ipsam activam effectûs, sufficit, quòd causa non sit per essentiam proximè productiva effectûs; hoc autem competit calori, cum possit abesse passum, quod calefaciat, ita tamen ut illa qualitas non sit calor, sed virtus destinata ad reddendum calefactivum calorem.

DIFFICVLTAS III.

De Objecto & Subjecto Elevationis.

AGendo de Objecto Elevationis, de hoc quæretur: An ad quemcunque effectum producendum, possit elevari quælibet creatura, seu ut alii loquuntur: An quidlibet, elevari possit ad quodlibet; quæ phrasis à nulla schola admitti potest, ut sonat, nulla enim est, quæ non agnoscat repugnantiam aliquam, vi cujus, sequitur aliquid ab aliqua creatura fieri non posse. Et ita possibile est aliquid produci primò, & tamen repugnat aliquid elevari, ad seipsum producendum primò; possibilis item est actus vitalis, & tamen ad illum ponendum salva vitalitate & vitalitatis modo, non potest elevari v.g. lapis; usurpatur nihilominus prædicta locutio, quia ex usu sui, non plus importat, quàm non repugnare, ut creatura assumatur ad id, cujus nec inchoatam quidem potentiarę habet. Nomine autem subjecti elevationis, venit id, quod potest elevari.

Punctum Difficultatis 1.

An quidlibet possit elevari ad quodlibet?

DIcendum est: *Quod quidlibet possit elevari ad quodlibet, ad quod illud elevari non implicat.* Addo, ad quod illud elevari non implicat, eò quòd agnoscam aliqua jam tacta, & alibi tangenda, ad quæ agendâ, non potest elevatio extendi. Nec certè in hac propositione conclusionis ullus dissentit, sed tota erit difficultas de Minoribus, an ad hoc vel illud in particulari extendi possit elevatio: nihilominus Majorem probabimus, Minoris autem notitia, habebitur ex solutione objectionum.

Probatur Primò Conclusio. Id omne fieri potest à Deo, quod non implicat contradictionem, sed creaturam elevari ad quodlibet, ad quod elevari potest, non implicat contradictionem; quod ipsum probatur. Implicat contradictionem non posse elevari, ad quod posse elevari, non implicat contradictionem; ergo creaturam elevari ad quodlibet, ad quod elevari potest, non implicat contradictionem. Antecedens probatur, de illo, ad quod creatura potest elevari, verum esset dicere; Potest elevari, hoc enim ipsi termini conclusionis habent, verum etiam de eodem per te esset dicere: Non potest elevari, agnoscis enim in hoc implicantiam: ergo implicat contradictionem, non posse elevari creaturam, ad quod posse elevari, non implicat contradictionem.

Probatur Secundò. Non implicat contradictionem, posse elevari ad id, quod ex suo genere continetur intra sphæram activitatis rei, quæ elevatur: ergo etiam non implicat contradictionem, posse elevari ad id, ad quod elevari potest. Probatur Consequentia: quia non minus sphæra activitatis continet, tanquam aliquid ad se spectans, id quod ad suam sphæram spectat, atque posse elevari, continet id, tanquam aliquid ad se spectans, respectu cujus potest elevari: ergo sicut non implicat contradictionem, posse elevari ad id, quod ex suo genere continetur intra sphæram activitatis; ita non implicat contradictionem, elevari ad id, ad quod potest elevari.

Probatur Tertiò. Si implicat contradictionem elevari quidlibet ad quodlibet, ad quod elevari potest, implicabit etiam elevari id, quod de facto elevatum est, v.g. intellectum elevari ad producendos actus supernaturales, sed implicat non posse elevari id, quod elevatum est, ergo etiam implicabit, non posse elevari quidlibet ad quodlibet, ad quod elevari potest. Sequela probatur. Si semel id, quod est possibile, implicat contradictionem, omne quod possibile est, implicat contradictionem; & ita si semel homo sit bos, omnis homo erit bos: Ergo

Ergo etiam si implicaret contradictionem quidlibet, ad quodlibet elevari, ad quod elevari potest, etiam id quod elevatum est, implicaret elevari. Antecedens & simul Conseq. probatur; quando semel ratio aliqua communis in materia necessaria, non evincit aliquid, nec ratio particularis evincet: ita si ratio communis hominis non evincit vel semel rationale, nec particularis evincet; ergo si posse elevari quidlibet ad quodlibet, ad quod elevari potest, non evincet posse elevari; nec particulare posse elevari vel elevatum esse, evincet posse elevari.

Sed ad Minores explicandas accedendum, quod ut fiat

Objicit primò Amicus. Implicat assumi materiam ad informandum, modum ad sustentandum, actionem intrinsecè malam ad merendum; ergo & implicabit, assumi ad agendum, quod naturâ suâ activum non est.

Respondetur. Argumentum non esse contra nos, quia conclusio non dicit irrestrictè, quidlibet posse elevari ad quodlibet, sed cum addito, ad quod elevari potest; quod autem ex natura sua activum non est, non est ex iis, quæ elevari possunt, si intelligas ly ex natura sua, hoc est excludendo etiam elevationem; attendendo tamen ad mentem argumenti, & ad decernendum de objectis, quæ ponit antecedens, suntque minores, ad quas reflectendum est, antecedens conceditur negata consequentia: quia in antecedenti est implicantia, nulla autem est implicantia, ut quod in ordine naturæ non est activum, in ordine supernaturali agat, quæ enim in hoc implicantia. Et certè si materia prima assumeretur ad informandum, & esset illa subjectum primum, ut supponitur, & non esset subjectum primum, quia reciperetur in alio; esse enim informans, recipitur in informato; modus item sustentare non potest, quia sustentare pertinet ad subjectum primum: actio item intrinsecè mala, non potest esse meritoria, quia pro genere dicit meritum, actionem bonam. Cæterum per hoc non nego, quòd actio intrinsecè mala, secundùm suum esse positivum accepta, possit efficere & producere actionem, intrinsecè bonam; non nego item, quod materia assumi possit, ad producendam formam, etiam Spiritualem. Quod ipsum ulterius in hoc resolvitur; Principium hoc verum est; Impossibile est idem esse & non esse, hinc ea quæ perfici non possunt nisi ipsa Entitate, nec aliud sunt quàm ipsa Entitas, si aliquid seipso non sit tale, nec divinitus erit tale; & ita sua entitate est aliquid subjectum, formæ sustentativum, aptum mereri &c. hinc si aliquid sua entitate non sit subjectum, nec divinitus erit, consequenter nec modus erit sustentativus; si aliquid sua entitate non sit forma, nec divinitus erit forma, adeoque nec materia poterit informare &c. hoc autem quod est productio alicujus, non est ipsamet Entitas agentis; hinc si competat alicui productio, cum cæteroqui non competierit, non erit mutatio in ipsamet entitate, adeoque nec erit falsificatio illius principii; Impossibile est idem esse & non esse; unde etiam quando id quod nihil efficit ad extra, naturaliter productivè, assumetur, ad aliquid producendum, manens in sua entitate, non reddetur, non manens in sua entitate, nec invehetur, ut id faciat sua entitate, quod non est sua entitas, sed mutatio tota erit ratione actionis & efficientiæ, quæ erit condistincta ab ipsamet entitate, adeoque salva verificatione hujus principii. Impossibilè est idem esse & non esse.

Objicit secundò idem. Omnis potentia debet habere aliquid specificativum, nullum autem posset assignari specificativum, si entia suapte naturâ non activa, assumi possint ad agendum, nisi ipsi effectus supernaturales, sed effectus supernaturales non possunt esse istud specificativum: quia aliâs illa potentia esset supernaturalis quoad essentiam, quia haberet sui specificativum supernaturale, eo modo ac habitus infusi supernaturales sunt.

Respondetur. Hoc argumentum probare, quòd intellectus in quantum elevabilis ad visionem beatam, sit in entitate supernaturalis, habet enim sui specificativum supernaturale, nec est ratio, cur, quia habet sui specificativum naturale, sit naturalis: & quia habet sui specificativum supernaturale, non sit supernaturalis. Directè autem ad argumentum potest dici; potentiam suapte sponte non activam, esse terminativè & connotativè supernaturalem, intrinsecè autem propter identificationem cum ipsamet entitate naturali, esse naturalem; hinc primario illa entitas specificabitur à connexione suorum prædicatorum.

Objicit tertiò idem. Elevatio non ponit sed supponit potentiam elevabilem; ergo nisi ex se sit activa, non poterit ad agendum elevari.

Respondetur. Nisi potentia aliqua ex se sit activa obedientialiter, non poterit ad agendum elevari; poterit tamen elevari, quamvis non sit similis in genere actionis naturalis productiva, consequenter nihil potest elevari, extra sphæram activitatis potentiæ obedientialis, potest tamen elevari, extra sphæram activitatis, potentiæ præcisè naturalis.

Objiciuntur. Quædam ex Vasq. Primò. Hæc potentia & esset naturalis, quia identificata rei naturali; & supernaturalis, quia esset ad effectus supernaturales, non potest autem idem esse naturale & supernaturale.

Responsum supra illam, potentiam entitativè esse naturalem, terminativè supernaturalem. Retorqueri etiam potest argumentum, de intellectu elevato ad visionem.

Secundò. Potentia ista non est proportionata effectui; ergo illum producere non potest.

Respondetur. Negando Consequentiam: quia non implicat contradictionem, à causa improportionata, divinitùs aliquid produci, sufficitque proportio non entitativa, sed ratione elevationis, quòd etiam contingit in intellectu elevato ad visionem; quæ elevatio, quamvis rem non immutet intrinsecè, immutat tamen extrinsecè: sicut quando Deus facit decretum, de cooperando potentiæ naturali, non immutat intrinsecè potentiam, & tamen constituit eam, proximè potentem operari.

Tertiò. Intellectus non potest elevari ad amandum; ergo nec aqua ad producendam gratiam.

Respondetur. Intellectus in nostris principiis defacto amat, producitque amorem, quia est identificatus realiter cum voluntate; posito etiam quòd intellectus & voluntas sint potentiæ distinctæ realiter; antecedens si hoc sensu sumatur, quòd non possit elevari intellectus ad producendum actum, qui sit amor, quamvis non vitali modo productus, adeoque nec afferens denominationem amantis; falsum erit antecedens; quodsi procedat antecedens, de amore vitaliter producto, verum erit antecedens, sed negatur Consequentia. Disparitas est, quia ad hoc ut actus amoris afferat denominationem amantis, & ut ponatur vitali modo, debet proficisci ab intrinseco; ab intrinseco autem tunc non procederet, quia ad similes in specie actus, non se exporrigit naturaliter intellectus; hinc tota illius vis ad causandum, haberetur nonnisi ex elevatione, adeoque nullo modo ab intrinseco, vel ut loquitur Arriaga, actum amoris productum ab intellectu, non allaturum denominationem amantis, quia hæc denominatio est concretum ex voluntate & amore: quia autem gratia non indiget produci vitali modo, nec ab intrinseco, hinc fit, ut illam ab aqua produci, non repugnet; ubi ut vides, productio amoris ab intellectu, non repugnat ex prædicato productionis, sed ex prædicato talis modi productionis, hoc est, vitalis modi, quem modum productionis, non determinat sibi gratia. Quod autem dicit Vasq gratiam naturâ suâ non pendere ab aqua, consequenter nec posse facere Deum, ut ab eadem dependeat; id etiam non convincit: nam licèt gratia non dependeat ab aqua exigitivè, non enim exigit, ut ab aqua producatur, pendet tamen permissivè seu negativè, hoc est; non negat se posse ab illa produci; quod ipsum pendere permissivè ab aqua, est pendere ab aqua, secundùm potentiam obedientialem spectata, non verò ab eadem merè secundùm esse & potentiam naturalem accepta; neque tamen gratia creabitur: quia ex dictis aliàs de eductione, inferri potest, illam educi è potentia obedientiali animæ.

Objicit Quintò Pontius. Si vera esset conclusio, sequitur quòd aqua possit producere calorem, quod non potest dici; quia aliàs aliqua entitas, haberet inditam virtutem destructivam sui ipsius, calor enim est destructivus frigoris, aquæ debiti.

Respondetur. Si aqua habet vim receptivam qualitatum sui destructivarum, cur implicabit habere virtutem productivam qualitatum sibi contrariarum, idque nonnisi tunc, cum Deus vult extraordinariè operari, cum etiam jus altum in moralibus excedat & contraveniat juri basso; præcipuè verò, cum etiam habeat potentiam naturalem resistitivam illi calori, à se producto. Denique hæc propositio: Absurdum videtur, quòd aliqua entitas habeat virtutem destructivam sui ipsius, sonat, quòd non possit quicquam tanquam instrumentum obedientiale assumi, ad qualitatem contrariam sibi producendam, quod ipsum negatur, & probari debuit.

Instat Primò. Si haberet vim producendi obedientialiter calorem aqua, non posset convinci, quin connaturaliter concurrat ad ejus productionem, quando calefit aqua.

Respondetur. Non concurrit tunc ad productionem ejus caloris potentia obedientialis, quia ejus concursus supponit elevationem, sine ulla autem elevatione, fit illa calefactio; non concurrit etiam effectivè, ipsa aqua, secundùm vim præcisè naturalem, quia ille calor, non est bonum aquæ.

Instat Secundò. Sequeretur, si per potentiam obedientialem posset aqua producere calorem, quòd posset etiam naturaliter. Sequela probatur; ideo naturaliter producit frigus aqua, quia producit per virtutem innatam, & quia frigus non est altioris ordinis quàm aqua; sed etiam calor ille est producibilis ab aqua, nec est altioris ordinis, & produceretur, per virtutem innatam.

Respondetur. Quando aqua obedientialiter producit calorem, producit per potentiam innatam, hoc est, identificatam sibi realiter, secundùm id quod dicit in recto, sed non per innatam, hoc est, exigentem concursum sibi debitum, seu excludentem elevationem, ad illud autem solùm est debitus alicui concursus, quod est, vel passio illius, vel ex principiis naturæ exigit illud, ordinaturque ad illud, calor autem nec est passio aquæ, nec ad illum producendum ordinatur aqua.

Instat Tertiò idem. Si fecisset Deus decretum de non concurrendo cum aqua ad producendum frigus, sed nonnisi ad producendum calo-

calorem, vel tunc produceret naturaliter calorem, vel supernaturaliter; si naturaliter; ergo æquè petit aqua petit aqua producere calorem ac frigus; si supernaturaliter; ergo non ex eo dicenda est aqua, supernaturaliter producere calorem, quia Deus extraordinario concursu concurrit cum illa, quia illo decreto supposito, ordinariè concurreret cum aqua ad producendum calorem, & tamen nonnisi supernaturaliter illum produceret.

Respondetur. In casu allato, non habituros nos fuisse fundamentum, an supernaturaliter tunc produceretur calor, jam enim non haberemus fundamentum indagandi debitam combinationem passionesque debitas aquæ, siquidem perpetuò produceret calorem; nihilominus aquæ, cujus nunc naturam novimus, esset supernaturale, ut dicunt, quoad modum, producere illum calorem, supernaturalitate oriunda ex decreto, facto, contra inclinationem naturalem aquæ, adeoque simul applicante omnipotentiam, ad exhibendum concursum, contra naturalem aquæ exigentiam, licèt non offerendo concursum simpliciter in entitate supernaturalem quoad substantiam.

Objicit Sextò Pontius. Illi potentiæ obedientiali, & deberetur concursus Dei naturaliter, & non deberetur, deberetur quidem, quia esset potentia innata, non deberetur autem ex hypothesi.

Respondetur. Invertendo argumentum de potentia obedientiali intellectus ad videndum Deum, & sicut quamvis illa potentia sit innata, hoc est, non distincta realiter, non sequitur tamen tunc exhiberi concursum nonnisi naturalem, sic nec aliâs sequetur. Sed de hoc infra.

Objicitur Septimò. Tunc solùm causa potest influere in effectum, quando in illo respondet aliqua specialis formalitas, ratione cujus, effectus postulat influxum talis causæ; sed in gratia respectu aquæ, nulla talis respondet formalitas.

Respondetur. Negando Majorem. Si sit necesse ostendere saltem formalitatem communẽ, sufficerit ratio Entis, quæ longè aliter omnipotentiæ, aliter potentiæ obedientiali respondet: nam illi tanquam causæ primæ, nec indigenti conjunctione principii nobilioris? secus potentiæ obedientiali. Quanquam in effectu producto à potentia obedientiali, v.g. in gratia producta ab aqua, respondet formalitas specialis connotativa, producti, per potentiam obedientialem; ita, ut productioni, ipsa Entitas gratiæ, productioni autem quâ obedientiali, respondeat ipsa entitas, quâ producta obedientialiter.

Instabis primò. Ergo potentia obedientialis potest efficere effectus infinitos.

Respondetur. Finitos in infinitum, estque infinita terminativè.

Instabis Secundò. Vitalitas in actu secundo supponit vitalitatem in actu primo; ergo & activitas in actu secundo, supponit activitatem in actu primo; ergo etiam non activa in actu primo, non possunt elevari ad agere in actu secundo.

Respondetur. Quòd productivitas in actu secundo obedientialis, supponat in actu primo non naturalem, sed obedientialem activitatem. Disparitas etiam, est, supra assignata.

Instabis Tertiò. Eosdem terminos habebit omnipotentia, quos potentia obedientialis.

Respondetur. Quod non: quia ad Omnipotentiam spectat omnia posse, non omnia autem potest potentia Obedientialis; de quo autem verificatur aliquid non posse, de illo negatur omnia posse, nihil autem seipsum potest producere primò, adeoque verificabitur aliquid non posse. Rursus cum agere obedientialiter, sit agere tanquam instrumentum omnipotentiæ, non mirum videri debet, quòd latè pateat, cum tantum, quantùm illa stringitur, hoc ipso stringatur omnipotentia, quæ redigitur per illam restrictionem, ad paucipotentiam.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur reliqua Argumenta.

AD negandam universalitatem potentiæ obedientialis assumpsit hoc principium Esparza, hîc q. 21. Quod non sit possibilis virtus aliqua activa, quæ non possit reduci connaturaliter in actum secundum; *hinc*

Objicit Primò. Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum; docetque Philosoph. 1. de Cœlo in fine. Si autem virtus aliqua ex sua natura non reduceretur ad actum, daretur virtus aliqua activa, quæ ex sua natura esset frustra; ergo non est possibilis.

Respondetur. Majorem posse procedere, vel de causis necessariis, vel de causis liberis; si procedat de causis necessariis, vera est, nonnisi tunc, quando causa necessaria habet omnia prærequisita & comprincipia ad agendum; si enim tunc non ageret, frustra esset; quia non esset quod est; non esset enim causa necessaria, hoc est, positis prærequisitis ad agendum activa, siquidem illis positis non ageret. Et hoc sensu verificatur, etiam de potentia obedientiali frustra illam fore, si posita elevatione non ageret: indubiè enim agit; sed de iisdem causis necessariis non est vera, hoc sensu, quòd frustra esset, casu, quo non reduceretur in actum; non positis prærequisitis, si inter prærequisita, sit

inde-

indebitus concursus, supponaturque hic concursus deesse, non erit illa potentia frustra. Si autem procedat de causis liberis, non est frustra potentia libera, quæ non reducitur ad actum, sufficit enim quod possit reduci.

Objicit Secundò. Omnis virtus activa, omneque principium activum, est propter suâ operationem; & ita principium intellectuale, est ordinatum ad beatitudinem, ut ad ultimum finem; beatitudo autem consistit in operatione perfectissima, & ad illam pervenitur per omnes alias operationes possibiles, tanquam per media, ad eam intrinsecè ordinata. Idem est in rebus, quæ intellectuales non sunt; hæ enim non sunt gratiâ sui, sed existunt gratiâ substantiarum intellectualium, ut eas juvent ad consecutionem sui finis; juvant verò per suam operationem; ergo etiam principium non intellectuale, est propter suam operationem, tanquam propter finem intermedium.

Respondetur. Omnem virtutem activam, necessariam esse, propter suam operationem, si habeat requisita omnia, secus si non habeat; inter quæ requisita, potest esse elevatio: jam autem virtus activa libera, sufficit quod possit esse, si velit operans. Ea quæ afferuntur de beatitudine, pro nobis sunt; quia sicut potest esse homo & Angelus, non videns Deum, ut patet in damnatis, ita potentia obedientialis potest non operari, si non elevetur. Non apparet etiam quomodo homo, per omnes operationes suas possibiles, tendant ad perfectissimam operationem, quæ est beatitudo; cum in præsenti vita, inter operationes possibiles, sit odium beatitudinis vel contemptus; nec apparet, quî res non intellectuales suâ nonnisi operatione promoveant ad finem ultimum, cum promovere possint ipso esse.

Objicitur Tertiò. Tam est impossibilis virtus activa, quæ non exigat ex sua natura, ut exerceatur; quam impossibile est, dari aliquod non exigens intrinsecè, suum finem connaturalem, eiq; non adhærens innato appetitu.

Respondetur. Virtus activa necessaria, si habeat omnia prærequisita exigit ut exerceatur; secus si illis careat: inter quæ prærequisita, potest esse elevatio; quæ si non ponatur, non exigit ut exerceatur: causa autem libera, non exigit ex sua natura, ut positis omnibus prærequisitis exerceatur, sed ut possit exerceri.

Instat primò. Nemo dubitat, quin aliquæ virtutes activæ, postulent intrinsecè ex sua natura, operationem in illis contentam, ita ut ab ipsa nonnisi violenter impediantur; ergo & omnis virtus activa hoc habet: unaquæque enim, est uniformiter contentiva operationis & effectus, quatenus non transcendentis limites virtutis activæ.

Respondetur. Ex hoc ipso quòd agnoscat Esparza requiri ad agere actu, ne operatio transcendat limites virtutis activæ; inferri debet, posse illam operationem non poni, si transcendat limites. Directè dici potest, quòd nemo dubitet dari virtutes activas necessarias, quæ nonnisi in casu positorum requisitorum intrinsecè exigant operationem: sed id verum est, de causa etiam obedientiali necessaria, ut dictum; causæ autem liberæ, etiam positis prærequisitis, non exigunt ex sua natura operationem, sed possunt tantùm illam habere, si velint; estque unaquæque virtus contentiva operationis, si adsint cætera prærequisita, &c.

Instat secundò. Quia nulla est virtus activa, quæ positis requisitis ad agendum, non postulet intrinsecè positionem sui effectus absolutè boni.

Respondetur. Id verum esse de causis nonnisi necessariis; quæ ipsæ, quia inter prærequisita possunt habere elevationem; hinc si ea non detur, quid mirum, si potentia illa, non possit reduci in actum.

Instat tertiò. Quia nulla supereſt ratio discriminis inter effectus & formas, unicuique subjecto connaturales & supernaturales.

Respondetur. Per quod distinguitur effectus & forma, supernaturale item à naturali, per hoc etiam in præsenti erit distinctio; petendo scilicet illam, à prædicatis definitivis.

Objicit quartò q. 22. Nulla est possibilis virtus activa, quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum, in aliquo suo effectu: esset autem talis omnis activitas creata, si vel etiam divinitus, posset producere immediatè, posita virtus, quemlibet effectum, secundùm rationem ejus specificam.

Respondetur. Nullam esse virtutem quæ non possit reduci in actum, si omnia habeat requisita, secus si non habeat; inter quæ requisita, potest esse elevatio: sed illâ positâ, potest omnis causa obedientialis producere suum effectum. Deinde immeritò supponitur, quod propria virtute agat Natura supernaturalia. Denique sufficit ut Natura, alias suas operationes, possit exercere, independenter ab elevatione.

Instat. Manifestum est, nullam causam creatam existere defacto, cujus virtus activa possit connaturaliter exercere & reduci in actum secundum, circa quaslibet species effectuum; unde nec ex frigore calor, nec ex siccitate, fit humiditas; igitur nec de potentia Dei absoluta fieri potest, ut quælibet causa, producat propria sua virtute, quemlibet effectum.

Respondetur. Admittendo quod potentia elevabilis, cujuslibet ad quodlibet, non implicet, non hoc intenditur, quòd id propriâ virtute possit facere creatura: indubiè enim effectus aliqui, superant aliquas activitates, de qua tamen vi pro-

propria procedit argumentum, sed intenditur; An id facere possint virtute divinâ, & tanquam instrumenta à Deo, ad hoc specialiter assumpta. Rursus ex eo quòd nulla creatura, viribus propriis aliquid possit, non rectè infertur etiam per elevationem non posse, unde nullus intellectus viribus propriis potest videre Deum, potest elevatus.

Objicit quintò. Omnes causæ omnesque effectus creati, finitè tantum perfectionem divinam participant; ergo cuilibet rei creatæ & collectioni, inest necessariò defectus alicujus perfectionis; ergo nulla causa creata, nullaque collectio, potest etiam de absoluta Dei potentia, producere propria virtute, quemlibet indiscriminatim effectum secundum, unde etiam S. Thomas q. 6. de Potentia, a. 1. ad quintum dicit; quod mortuum vivificare, involvat in se contradictionem, nec etiam de potentia absoluta fieri potest.

Respondetur. Concedo totum, quia procedit de agente, non virtute sibi communicatâ, nec Deo specialiter ad id assumente, sed virtute propriâ, quod nos non dicimus; quamvis autem assumat Deus Creaturam ad quodlibet, ad quod illam assumi non implicat, adhuc erit virtutis in illo ipso, finitæ, quia non assumetur ad multa cæteroqui possibilia: ut ad sui primam productionem; ad actus vitales; modoque agendi & universalitate, erit infinitè imperfectior Deo, unde etiam nunquam ejus excludet concursum. S. autem Thomas citatus, loquitur de virtute naturali creaturæ; nec simpliciter accipi potest, aliàs nec Deus posset resuscitare mortuum.

Continuatur Solutio.

Decurrenda sunt argumenta, quæ contra Potentiam obedientialem opposuit sibi Haunoldus lib. 4. n. 582. *Apud quem*

Objicit Primò Pallavic. Id quod si existeret, esset amabile tantum in ratione Medii, toties existeret frustra, quoties daretur aliud medium indefectibile, ab eo distinctum, & æquè efficax in ordine ad eundem planè finem v. g. Si ego haberem calamum inamissibilem & optimum frustra esset mihi habere duos calamos, in ordine ad hunc finem, qui est: Me scribere; sed potentia obedientialis activa est talis. Quod Probatur. Tota bonitas hujus potentiæ, esset in ratione medii, ad hoc nempe, ut Deus posset ponere talem effectum v. g. producere gratiam in suscipiente Sacramentum, sed in ordine ad hoc, habet Deus omnipotentiam indefectibilem Ergo. Malor immediata probatur. Tota utilitas potentiæ activæ, præscindendo ab hoc, quod est *dari effectum*, consistit vel in hoc, quòd per actionem agens perficiatur ut contingit in operationibus vitalibus, vel in hoc, quòd per varias actiones creaturarum, eluceat varia participatio Entitativa, perfectionis Divinæ; & hoc bonum non haberetur in illa virtute obedientiali, quippe communi omnibus rebus.

Respondetur. Negando Majorem. Quia si datis Entibus æternaturis à parte post, non sunt adhuc frustra, Entia non æternatura à parte post, quare datis mediis defectibilibus & indefectibili, frustra erit medium defectibile. Vel certè distingui debet Major Esset frustra, hoc est non necessariò sed liberè assumibile, Concedo Majorem; Esset frustra essentialiter, Nego Majorem: Hinc si aliquis haberet calamum inamissibilem, quantumvis pro ostensione v. g. Magnificentiæ haberet tales, plures illi, non essent frustra, sed ad exercitium v. g. libertatis; ita & in præsenti, habendo Deus suam Omnipotentiam, non necessariò deberet uti potentia Obedientiali, sed ad suæ Magnificentiæ ostensionem. Illa etiam major ultima Negatur. Quòd scilicet per Potentiam obedientialem, non eluceat varia participatio perfectionis Divinæ, elucet enim & Subjectio creaturæ ad Deum, adeoque ejus Dominatus, & hoc contingit in omni elevatione extrinseca; si autem fiat elevatio per aliquid intrinsecum, sicut aliæ Qualitates supernaturales indicant perfectionem Divinam, ita & illa; præcipuè autem, quia esset alligata ad complendam Potentiam, non nisi pro certo genere effectuum. Illa etiam Positio arguentis Negatur: Quod scilicet quia illa Potentia obedientialis esset communis omnibus rebus, non eluceret in illa Participatio Entitativa perfectionis Divinæ; certè enim ipsa ratio Entis, est communis omnibus rebus, & tamen illa notificat Deum. Rursus quantumvis Potentia obedientialis sit communis omnibus rebus, quia scilicet nullum est Ens inelevabile: non est tamen hoc sensu communis, quasi ad omnia elevari possit. Hinc lapis est elevabilis ad aliquem eventum, non est elevabilis ad producendam vitaliter v. g. Intellectionem. Petrus est elevabilis ad creandum Angelum, non est Elevabilis ad creandum seipsum; habebitur ergo adhuc varia Elevabilitas, quæ erit varia participatio perfectionis divinæ.

Objicit Secundò Idem. De conceptu omnis causæ, tam principalis quam instrumentalis est, eò perfectiorem ipsam judicari, quò concurrit ad perfectiores effectus. Ergo si darentur Potentia obedientialis activa, cresceret perfectio cujuslibet creaturæ, cum quædam illimitatione.

Respondetur. Quantumvis Deus species perfectiores & perfectiores in infinitum producere possit, easque causativas, nihil exinde absurdi colligitur, semper enim erit processus in infinitum, sed cum finitudine: & si argumentum aliquid probaret, etiam in causis naturalibus talem processum impugnaret, quem quia in causis natu-

naturalibus non impugnat, nec impugnabit in Potentia Obedientiali: præcipuè cum sit ea indistincta, ab ipsismet Entibus. Deinde cum potentia Obedientialis, independenter à præparata sibi elevatione, non contineat perfectionem effectus, sitque causa æquivoca, quòd possit plus & plus, non debet in illam referri, sed in Deum elevantem.

Objicit Tertiò. De Ratione omnis effectus est, esse aliquomodo indicem suæ causæ, ad inveniendum ipsum *Cur*. Ergo debent pendere à causa, quam aliquomodo possent indicare, per specialem proportionem cum illa, quæ specialis proportio, nulla est in effectu potentiæ obedientialis.

Respondetur. Consequentiam esse falsam, in omnibus causis æquivocis, neque enim effectus cum illis habet proportionem nisi valde remotam; sed hæc valde remota, habetur etiam in Potentia obedientiali, respectu miraculosorum effectuum. Rursùs si sit ostendenda Proportio, illa habetur in potentia obedientiali completè hoc est unâ cum elevatione sumpta, cum qua elevatione sumpta Potentia obedientialis, dicit Proportionem cum effectu.

Punctum Difficultatis 3.

An Potentia Obedientialis sit essentialis omni Creaturæ?

Restat solvendum argumentum cujus meminit Arriaga, & quòd latius proponit Pontius, & est tale; Non repugnat poni à Deo creaturam, quæ sit ita limitatæ virtutis, ut non possit omnes effectus producere, & id videtur cedere in majorem perfectionem Dei; ergo dicendum est, possibilem esse talem creaturam. Hoc argumentum ut proponitur, non est contra nos, nam non dicimus irrestrictè, posse ad quemlibet effectum, assumi quamcunque creaturam. Sed posito etiam casu antecedentis, negari potest, quod id cedat in majorem perfectionem Dei, non enim propriâ id virtute agit creatura, sed virtute Dei; hinc defectus, non in aliquid ad creaturam spectans, sed in virtutem Dei rejici debet, suppositâ existentiâ & entitate illius creaturæ. Cæterum hic idem medius terminus sic proponi potest; Possibilis est creatura, non elevabilis à Deo, nec est ullum fundamentum, cur aqua v. g. non sit una ex istis non elevabilibus à Deo, in ordine v. g. ad producendam gratiam; ita ut defectus inelevabilitatis, oriatur, ex ipsa illius creaturæ essentia, non verò ex defectu à parte omnipotentiæ, oriundo. Huic argumento posset retorsione obviari; Possibilis est creatura elevabilis, nec est ullum fundamentum, cur ex istis elevabilibus à Deo, non sit aqua; ergo elevari potest. Sed etiam hæc retorsio plenè non satisfacit: quia opponi potest omnipotentiam non esse restringendam sine necessitate, nulla autem necessitas ponendi creaturas non elevabiles. Hinc ad solvendam difficultatem inquiri universaliter debet; An possibilis sit Creatura essentialiter inelevabilis?

Dicendum est. *Non posse dari talem Creaturam essentialiter inelevabilem.*

Probat Primò recentior Suar. Implicat creatura, quæ non sit obediens Deo talis Creatura non esset obediens Deo, ergo.

Responderi posset. Implicat creatura quæ non sit obediens Deo in iis in quibus potest obedire: & sicut nihil derogat omnipotentiæ, quòd non possit accipere creaturam tanquam instrumentum obedientiale, ut seipsam producat primò; quia id oritur ex conditione entitatis illius: ita nec derogabit quidquam illa inelevabilitas, orta ex defectuositate creaturæ, salva omni obedientia, quia hæc ipsa talis entitas, in suo existere, & in suo operari naturalia opera, esset dependens à Deo.

Probari posset Secundò ex Amico, accommodando in simili argumentum illius. De essentia Creaturæ est, habere aliquam potentiam vel activam, vel passivam, vel formalem, in ordine ad terminum aliquem, ad quem primò per se ordinatur; ergo etiam habebit potentiam elevabilem: quia omnis potentia naturalis, elevabilis est ex imperio Dei.

Respondetur. Hoc ipsum negari omnem potentiam naturalem, esse obedientialem.

Probari potest Tertiò. Si daretur Creatura inelevabilis, daretur Negatio Negationis, quæ dari non potest. Sequela probatur. Quia elevabilitas consistit formaliter, in negatione repugnantiæ Deo, inelevabilitas autem est etiam quid negativum; ergo daretur Negatio negationis.

Respondetur. Falsum est, formaliter elevabilitatem, consistere in aliquo negativo. Rursùs quamvis potentia obedientialis consisteret, in negativo, adhuc inelevabilitas, quamvis ex modo significandi esset quid negativum, in re ipsa entitativa exigentia, ad non elevari.

Probari posset Quartò. Si daretur creatura inelevabilis, daretur creatura imperfectissima. Sequela probatur, quia inelevabilitas adstruitur oriri, ex imperfectione creaturæ.

Respondetur. Possibilem esse creaturam aliquo respectu imperfectissimam, licèt non absolutè; & sic materia est imperfectissima in genere agendi, nihil enim agit, pati nata, jam autem aliis prædicatis attollitur, ne sit simpliciter imperfectissima: sic & illa creatura imperfectissima in ratione elevabilis, aliis prædicatis dignificaretur.

Probari potest Quintò. Ista creatura inelevabilis, esset omnium pefectissima, creatura autem

autem perfectissima, non est possibilis. Sequela probatur; Creatura, quæ perfectissimè participat divinum esse, & perfectissima; illa participaret divinum esse perfectissimè, id est, independentiam, inassumibilitatem per modum instrumenti; & hoc ipso, quia esset minus obediēs Deo, minus de prædicato Esse ab alio, haberet.

Respondetur. Argumentum multum probare, probaret enim esse imperfectionem in intellectu creato, quòd possit assumi ad videndum Deum, quod non competit lapidi, vi enim elevationis magis dependet à Deo, quàm lapis inelevabilis. Rursùs Chimæræ & non entia, erunt perfectiora elevabilibus creaturis, quia magis independentia à Deo. Deinde independentia à Deo duplex cogitari potest, *Prima* ratione perfectionis; hæc si daretur, argueret in creatura, formalitatem perfectissimæ, sed illam dari in eadem repugnat: hoc ipso enim, quia creatura est, dependens à Deo est. Alia autem independentia ex defectu, & ita lapis pauciores habet dependentias à Deo, quàm homo, nam dependet in solo gradu esse, cum homo dependeat & in gradu vivere, & in gradu sentire, & in gradu ratiocinari: quia autem independentia in creatura inelevabili, esset ex defectu, consimilis ei, quam habet lapis, ne possit elevari ad videndum Deum, fit ut hæc independentia, non arguat perfectionem. Quamvis autem sit inassumibilis illa creatura per modum instrumenti, sicut & Deus, id non arguet in creatura illa summitatem perfectionis, quamvis enim Deus sit inelevabilis per aliquid superadditum, est tamen principium ipsius elevationis, & omnium, ad quæ elevatio extendi potest, quod illa creatura non haberet. *Nihilominus*

Probari sic potest Conclusio. Tùm quia illa creatura & non esset elevabilis ut supponitur; & esset elevabilis, ut probatur. Impossibile est, ut ratio formalis, quæ in uno subjecto fundat rationem elevabilis, non fundet in aliis subjectis rationem elevabilis; si hæc ratio formalis reperiatur in alio subjecto: idem enim manens idem, semper facit idem, adeoque & fundat idem: unde etiam quod fundet in Petro risibilitatem, idem repertum in Paulo, quem forte negaret quispiam esse risibilem, fundabit in illo risibilitatem; universaliterque impossibile est habere constitutivum essentialiter rei, & non esse illam rem; sed ratio fundativa potentiæ obedientialis reperiretur in illa creatura inelevabili. Minor probatur: quia apud oppositos ratio fundativa potentiæ obedientialis, est sphæra causalitatis, quam habet res, & omnipotentia Dei, adjuvans ad indebitum effectum: sed impossibilis est creatura, non habens sphæram causalitatis, non datur enim Ens simpliciter otiosum, & saltem suarum passionum debet esse emanativum, respectu etiam omnis creaturæ Deus est omnipotens; ergo in creatura inelevabili, datur ratio fundativa elevabilitatis. Tum quia potest in oppositos onus ostendendæ implicantiæ sic retorqueri; Illa creatura & esset inelevabilis ut supponitur; & elevabilis ut probatur; Possibile est ut ratio dependentiæ à Deo, & ejus dominio, fundet in omni creatura, rationem potentiæ obedientialis: sed creatura inelevabilis, est dependens à Deo & ejus dominio: ergo hæc ratio dependentiæ poterit in creatura inelevabili fundare rationem elevabilis. Major probatur inquirendo implicantiam. Qui idem medius terminus sic aliter proponitur. Possibile est, ut præter sphæram activitatis naturalis, detur etiam sphæra activitatis obedientialis, hoc enim non implicat contradictionem. Tum quia per talem creaturam, & exaltabitur magis omnipotentia divina, præter creaturas elevabiles, ponendo etiam inelevabiles; & non exaltabitur magis, idque ratione prædicati ejusdem, hoc est, inelevabilitatis; quod ipsum probatur. Si poneretur creatura independens immediatè à Deo in agere, ut voluit Durandus, negans immediatum concursum Deo; si item poneretur creatura indigens primò produci à Deo, sed non conservari, non exaltaretur per hoc omnipotentia divina; ergo nec per creaturam inelevabilem exaltaretur: quia ratio dominii, infundata in prædicato essentiali Creaturæ, quod est abalietas, est ratio primò affectata à DEO & adamata, primoque illius ad extra exaltativa, quæ ratio quia per illas creaturas excluderetur, ideo positio illarum creaturarum, non exaltaret divinam omnipotentiam; & sicut licet varietas servorum ornet aulam Principis, non ornat servus, qui in nullo servire potest, nisi in eo quod sibi placuerit; sic nec exaltaret divinam omnipotentiam creatura, quæ in nulla re Deo inserviret, nisi quod illi ex principiis naturæ debetur. Tum quia vel inelevabilitas argueret imperfectionem vel perfectionem; si perfectionem ergo est impossibilis: quia intellectus ille, qui non esset elevabilis ad visionem beatam, non esset perfectior intellectu elevabili; causa enim, quæ non potest, nec de se, nec adjuta, effectum præstare nobiliorem, non est nobilior causa illâ, quæ illum potest præstare; Ergo si daretur creatura inelevabilis, non argueret hoc in illa perfectionem; quodsi illa inelevabilitas argueret imperfectionem infero; ergo est impossibilis: probatur illatum, quia illa inelevabilitas, est quid negativum etiam ex objecto; elevabilitas enim, ut dictum supra, est prædicatum positivum: omnis autem negatio debet fundari in aliquo positivo & exigitivo illius negativi; nihil autem ostendi potest, in quo fundetur illa negatio. Dices, fundabitur in natura illius entis; hoc ipsum quæro, in illa

natura, quod est prædicatum exigitivum illius negationis? Et sicut v. g. si Ethnicus differens cum Christiano de visionis beatificæ possibilitate, assumeret intellectum non esse ad hoc naturâ suâ elevabilem, bene à Christiano respondente argueretur, quod in intellectu nullum ostendi possit prædicatum exigitivum ne elevetur, sic & in præsenti. Et certè si inquiratur de creatura, quam constat esse elevabilem, quare sit elevabilis, præter recursum ad omnipotentiam, responderes ex natura sua esse elevabilem; quærere restat, unde constet posse esse creaturam elevabilem, & posse esse habentem talem naturam, ad quod nulla alia ratione responderi potest; nisi quia est creatura, nisi quia subdita Deo; hoc autem ostendit singularum creaturarum elevabilitatem. Imò quæcunque regula ostendetur dignoscendi, quòd interdum legitimè, interdum arbitrariè non nisi recurratur ad naturam rei; idem fundamentum ostendet arbitrariè, poni creaturam naturâ suâ inelevabilem. Tum quia si nihil implicet, debemus quàm perfectissimum dominium Dei in creaturas asserere, adeoque tribuere illi potestatem, utendi creatura, prout libuerit, si non implicet: majus autem hoc est dominium, si unaquæque creatura maneat elevabilis; hæcque sententia videtur honestiùs de Deo sentire: ad eum modum quo nesciens Miles, an suus Ductor sit victurus hostem, an non? honestiùs de Duce sentit, si victoriam illi speret & asserat: sic & nos inclinare debemus, quòd imperfectionem creaturæ ad effectus excedentes, vincere possit divina omnipotentia; cùmque videamus defacto aliquas creaturas elevari, per hocque exaltari omnipotentiam divinam, & ex altera parte implicantiam non habemus, cur elevari non possit omnis creatura, hinc non immeritò pro omnipotentia stabitur.

DIFFICVLTAS IV.

An ipsam Substantiam rei supernaturalis attingat Potentia Obedientialis?

DICENDUM est: *Quod ipsam Substantiam rei supernaturalis attingat Potentia obedientialis*; est Conclusio Suarii utriusque Vasq. & aliorum ex nostris contra Thomistas; pluribus hanc quæstionem tractatam vide apud Ripal. disp. 30. de Ente supernaturali.

PROBARI solet primò. Quia si substantiam rei supernaturalis ipsam, in efficiendo, non attingeret potentia obedientialis, nec attingeret prædicata illi identificata; hoc non potest dici; quia si non attingeret prædicata identificata, nec attingeret vitalitatem; vitalitatem autem attingere debet: quia si vitalitatem non attingeret, nulla esset potentia, quæ illi tribueret esse ab intrinseco, siquidem nulla tribuere posset illud esse ab intrinseco, nisi operando ab intrinseco; nulla autem potentia posset illam operari ab intrinseco, si ipse v. g. intellectus illam non operaretur, & tamen supponuntur aliqui actus supernaturales esse vitales.

RESPONDEBIS Primò. Vitalitatem esse denominationem extrinsecam, adeoque prædicatum non identificatum, cum unus idemque actus possit esse non vitalis.

CONTRA. Quia quamvis quoad omnia, quæ dicit vitalitas non sit identificata actui, est tamen identificata secundùm id quod dicit in recto, in recto autem dicit ipsam entitatem, quam si non attingeret, quomodo ille actus posset dici, esse ab intrinseco, ut verum sit dicere; Hæc entitas est ab intrinseco: Quæ autem dicta sunt de vitalitate, dici proportionaliter possunt de libertate actûs &c.

Prædictum Argumentum potest adhuc sic proponi. Si substantiâ actus supernaturalis v. g. intellectionis non attingeret Potentia obedientialis, quæ est in entitate naturalis; & esset verum dicere de illo actu; quod sit ab intrinseco; & non esset verum dicere: esset quidem verum dicere, quia esset vitalis: non esset autem verum dicere, quia non haberet esse ab intrinseco; siquidem illius Esse & Entitatem, non attingeret, potentia, operans ab intrinseco: si autem non habet Esse ab intrinseco, quomodo erit ab intrinseco, hæc enim videntur verbis differre; quamvis enim possit esse aliquid rationale, & nō esse à rationali, casu quo v. g. assumatur lapis ad producendum hominem; nihilominus non potest esse aliquid à rationali, & non habere esse à rationali, adeoque nec potest esse aliquid ab intrinseco, & non habere esse ab intrinseco.

RESPONDETUR Secundò. Hoc ipso quòd illa vitalitas sit supernaturalis, immediatè jam attingi non potest à potentia naturali.

CONTRA. Cur non? modo attingatur viribus illis elevatis.

RESPONDETUR Tertiò. Quòd principium remotum horum actuum, sit naturale.

CONTRA est. Hoc ipsum remotum principium, vel facit illum actum esse vitalem remotè, vel vitalem proximè; si vitalem remotè; in quo hæc stabit remota vitalitas, quæ etiam fundet denominationem intelligentis? quam si non remotè fundat, apparet quòd non remotè habeat vitalitatem; si autem facit illum vitalem proximè: ergo facit illum esse ab intrinseco proximè, ergo & habere esse proximè ab intrinseco.

PROBATUR Secundò. Et suppono quòd per actus supernaturales, nos ad justificationem moveamus, utpote qui nos merè passivè, in negotio salutis, non habemus; quo posito sic arguitur; vel actum illum amoris v. g. elicit etiam potentia nostra elevata, vel non elicit? si non

non elicit; ergo nos ad illum merè passivè habemus; si elicit, habemus intentum.

Probatur Tertiò. Quia, si illa potentia naturalis non produceret ipsam substantiam actûs, otiosa illa esset elevatio, deberet enim esse illa elevatio, in ordine ad operandum, non esset autem ad operandum, siquidem hoc, quod operati deberet, non operaretur, operati enim deberet ipsum actum, ad actum enim elevatur, & tamen ut dicis, non operaretur illum.

Objicitur Primò. Si potentia obedientialis principiaret ipsam substantiam actûs, & principiaret illam immediatè, & non principiaret immediatè; principiaret quidem immediatè ut supponitur, non principiaret autem immediatè, ut probatur; principiare potentiam obedientialem prout elevatam, non est principiare immediatè; potentia obedientialis principiat prout elevata; ergo. Major probatur; principiare parietem, prout est albus, disgregationem visûs, non est principiare immediatè, sed immediatè albedo disgregat visum; ergo etiam principiari actus supernaturales à potentia obedientiali prout elevata, est immediatè principiari illos actus ab elevatione.

Respondetur. Duplici modo rationes formales agendi aliquid, reduplicari posse, *Primò* ut importetur immediatè talis ratio formalis, quæ ipsa sit sola in se forma, & actus. *Secundò* modo reduplicari potest ratio formalis agendi, ut non importetur forma aliqua, sed utrumque in suo genere principium; quo secundo modo fit reduplicatio, si dicam: bos prout adjutus ab alio bove trahit aratrum; imò interdum etiam reduplicari potest ratio formalis agendi, ita ut ipsi reduplicato, nulla competat actio, v.g. homo prout sanus, prout pastus benè laborat, cum tamen nec sanitas laboret, nec cibus. Prior modus significatur cum dico: paries prout albus disgregat visum; secundus autem in præsenti significatur: in priori modo non tribuuntur vires agendi ei, supra quod cadit reduplicatio, sed soli formæ reduplicatæ: cum enim actio illa sit à forma, & ut ita dicam formalis, subjectum formæ, quemadmodum non est forma, ita nec illam actionem principiabit, sed in posteriori modo reduplicandi rationem formalem agendi, utrique principio tribuitur actio. Porrò ut dignoscatur, an priori, an posteriori modo reduplicetur ratio formalis agendi, hæc possunt teneri: imprimis an illud, quod reduplicatur, sit forma, vel non: deinde si illi, supra quod cadit reduplicatio, respondeat aliqua formalitas in effectu, signum erit à posteriori, etiam ipsum subjectum reduplicationis concurrere; ut in præsenti respondet vitalitas: in disgregatione autem visûs, nulla specialis formalitas, respondet parieti; denique attendendum est ad finem, ob quem ponitur conjunctio subjecti & formæ, quæ reduplicatur: si enim, sit finis, ut subjectum operetur, ne frustretur intentio illius conjunctionis, utrumque operari debebit; jam autem potentia naturalis ad operandum elevatur.

Objicitur Secundò. Elevatio illa saltem cùm fit per qualitatem superadditam, habet se per modum causæ instrumentalis: porrò in effectum instrumenta immediatè influunt, & illis mediantibus aliæ causæ: ergo etiam in præsenti, potentia obedientialis, saltem per qualitatem superadditam elevata, immediatè non influet, sed sola qualitas.

Respondetur. Duplicis generis esse instrumenta, quædam conjuncta, quædam separata: instrumenta separata excludunt in multorum sententia immediatum concursum, aut saltem illum non deposcunt: & sic accidentia operativa substantiarum, cum sint instrumenta separata, non indigent immediato influxu substantiæ, cum illis absentibus, operari possint; porrò instrumenta conjuncta naturalia, non excludunt concursum causæ, cujus sunt instrumenta: & ita species impressa, quæ est instrumentum cognitionis eliciendæ, non excludit concursum intellectus, cujus est instrumentum, & quidem immediatum. Quando etiam fit percussio instrumento, non tantum impulsum v.g. ferrum, sed etiam manus immediatè principiat, licet non nisi mediatè attingat, quia non se conjungit immediatè cum percusso: cum autem elevatio sequatur rationem instrumenti naturalis conjuncti, saltem respectu actuum supernaturalium vitalium, neque enim extra subjectum, cui tribuuntur, connaturaliter agere possunt, hinc non excludent rationem agendi ipsius subjecti.

Objicitur Tertiò. Docent Patres, totum nostrum operari supernaturale, ex Deo esse.

Respondetur. Doceri id à PP. non per exclusionem cooperationis nostræ, sed quia ipsa nostra cooperatio non poneretur, nisi poneretur elevatio, quæ cum ponitur, habet jam proportionem cum effectu supernaturali. Quæ hîc pluribus urgeri possunt, eorum solutio petatur ex materia, de prædeterminatione, & de Gratia.

Objicitur Quartò. Si potentia naturalis elevata, potest causare immediatè supernaturalem effectum quoad substantiam, poterit etiam causare potentia supernaturalis naturalem effectum; non enim potior ratio pro uno quàm pro altero.

Respondetur. Principio supernaturali quoad entitatem, connaturale est principiare actus supernaturales: quia tamen etiam illud principium supernaturale, habet potentiam obedientialem, hinc vi illius, assumi potest, tanquam instrumentum, ad productionem actus naturalis. Porrò si id Deus facere vellet, non esset necesse superaddere illi principio aliquam

qualitatem superadditam, sed solùm concurrere concursu indebito exigentiæ illius, & ponere effectum naturalem; neque inde sequitur, non esse determinatum illud principium ad producendas actiones supernaturales, est enim determinatum, quantùm est de se, & attenta entitate sua: & sicut intellectus, est naturâ suâ determinatus ad cognitionis naturalis productionem, quamvis secundùm potentiam obedientialem spectatus, possit producere etiam cognitionem supernaturalem; sic qualitas illa supernaturalis, attentâ suâ natura, est determinata ad effectûs supernaturalis productionem, fieri tamen poterit, ut per potentiam obedientialem, etiam effectum naturalem operetur.

Objicitur Quintò. Si potentia obedientialis est causa immediata effectuum supernaturalium; vel est respectu illorum causa instrumentalis, vel principalis. Neutrum dici potest.

Respondetur cum recentiori Suar. Respectu aliquarum formalitatum, esse causam principalem v.g. respectu vitalitatis: neque enim potest ostendi, quidnam primò per se requiratur ad actum intellectionis vitalem, quàm potentia vitalis: respectu autem aliarum formalitatum, potest se habere, ut causa instrumentalis; quando autem negat Trident. quòd nos respectu conversionis habeamus ut instrumentum; negat quòd nos habeamus ut instrumentum merè passivum & mortuo modo.

Objicitur Sextò. Si ponatur potentiæ obedientialis immediatus influxus in substantiam supernaturalis, sequetur quòd omnis virtus necessaria ad opus salutis, ad ipsam naturam pertineat, omnis enim virtus incompleta, quia incompleta est, exigit compleri, adeoque exigit auxilia, quæ tamen supponuntur supernaturalia.

Respondetur. Virtus incompleta habens incompletionem ad aliquid, tanquam ad perfectionem sibi debitam, exigit compleri, sed si illud sit perfectio superexcedens, dicatque ad illud virtus incompleta, solam non repugnantiam, non erit necesse, ut exigat comprincipia; si non exiget comprincipia, salvabitur adhuc comprincipiorum elevantium supernaturalitas.

Instabis. Eo ipso quòd admittatur virtus ex se immediatè activa operis salutaris, non potest elevari; nam nulla causa elevari poscit ad agendum, id quod ex se potest.

Respondetur. Si admitteretur virtus ex se, hoc est, viribus propriis activa operis salutaris, ut quid exigeretur elevatio? secus si non sit activa viribus propriis.

Objicitur Septimò. Concesso tali concursu immediato, magis esset supernaturalis habitus, quàm actus: nam habitus efficeretur adæquatè à viribus supernaturalibus; actus verò etiam à viribus naturalibus.

Respondetur. Pares fore habitus acquisitos supernaturales & actus: quia vel producuntur habitus illi à potentia elevata, vel ab actibus, quos ipsos produxit potentia naturalis, elevata. Quod autem attinet ad habitus supernaturales infusos; non erunt etiam illi magis supernaturales præ actibus: quia ille influxus in actus potentiæ naturalis, fit ratione elevationis, atque adeò, ratione alicujus supernaturalis.

Instabis. Saltem actus erit mixtus ex naturali & supernaturali, cum ejus principium mixtum sit ex utroque.

Respondetur. Non erit mixtus, quia etiam natura operatur prout elevata, adeoque viribus supernaturalibus; ex quo etiam deducetur, cur non sequatur ille actus ignobiliorem partem, hoc est; conditionem naturalis: quia scilicet potentiæ naturalis debilitatem, adjuvat principium excedens.

DIFFICULTAS V.

De reliquis Potentiam Obedientialem concernentibus.

QVÆRES Primò: *An potentia naturalis naturaliter, an supernaturaliter exigat elevationem?*

Assero Primò. *A potentia obedientiali non exigi, simpliciter supernaturaliter elevationem.*

Ratio. Si enim simpliciter supernaturaliter, illam exigeret; ergo illa potentia obedientialis, esset entitativè supernaturalis: quia illa exigentia nihil aliud est, nisi ipsa potentia. Si ergo exigentia est supernaturalis simpliciter, etiam potentia, cui illa identificatur, erit supernaturalis simpliciter. Rursùs si potentia obedientialis simpliciter supernaturaliter exigit elevationem, & esset illa exigentia supernaturalis, & non esset; esset ut supponitur; non esset autem, quia illa potentia, esset ipsamet natura: quod autem exigitur à natura, debitum est naturæ; quod autem debitum est naturæ, supernaturale non est.

Assero Secundò. *Illam exigentiam non esse simpliciter, & secundùm omnia naturalem.*

Ratio: quia aliàs & ipsa elevatio esset quid naturale, cum etiam elevatio, tanquam terminus compleat, & ingrediatur exigentiam illam.

Assero Tertiò. *Illam exigentiam esse naturalem entitativè, terminativè supernaturalem.* Quòd sit entitativè naturalis, probatur: quia idem est hæc exigentia, quod ipsa potentia naturalis. Quòd autem terminativè supernaturalis sit; Ratio est: quia elevatio, ad quam terminatur

hæc

hæc exigentia, est supernaturalis. Quanquam rigorosè loquendo, non deberet dici illa exigẽtia positiva, sed potius negativa & permissiva.

Quæres Secundò. *An potentia obedientialis, sit relativa transcendentaliter, ad actus supernaturales?*

Assero Primò. *Potentiam obedientialem sine elevatione acceptam, non referri transcendentaliter ad effectus supernaturales.*

Ratio. Tum quia potentia obedientialis sine elevatione accepta, non est causa effectuum supernaturalium; ergo nec refertur ad illos transcendentaliter: quia in tantum deberet referri transcendentaliter, in quantùm, est causa. Neque dicas esse remotè causam: quia potentia obedientialis sine elevatione accepta, & ut dicis remotè, ita se habet in ratione causæ, sicut fundamentum & terminus sine ratione fundandi, habent se in ratione relati: sicut enim complet ratio fundandi relativum esse, ita esse causæ, complet elevatio: jam autem fundamentum & terminus sine ratione fundandi, non sunt quid relatum; ergo nec potentia obedientialis, est causa sine elevatione, adeoque sine illa, nec est relatum transcendentaliter. Tum quia unica præmissa non dicit relationem ad conclusionem, nec habet rationem præmissæ, sed tantum merè propositionis, quæ est possibilis, etiamsi non daretur tertia operatio conclusiva. Ergo nec dicet relationem transcendentalem ad effectus supernaturales, ipsa potentia obedientialis, sine elevatione accepta: sicut enim impossibilis est conclusio ex una præmissa, ita impossibilis effectus supernaturalis, sine elevatione. Tum quia potentia naturalis antonomasticè accepta, non dicit respectum transcendentalem ad effectus supernaturales, ita enim accepta non est causa illorum: ergo neque ipsa obedientialis potentia, sine elevatione accepta; quia sic accepta, non est nisi mera potentia naturalis.

Dices Primò. Omnis potentia est respectus transcendentalis ad suum terminum, potentia autem obedientialis est vera potentia.

Respondetur. Potentiam Obedientialem nonnisi cum elevatione, esse veram potentiam. Major autem est vera, quando potentia habet omnia requisita ex parte actûs primi: & sicut causa, præcisô ab illa præparato concursu Dei, non est potentia transcendentaliter respectiva ad suos actus, cum sine concursu Dei non sit causa eorundem; & tamen illos respicere debet, in quantùm causa est: ita nec potentia obedientialis, exclusâ elevatione, erit respectiva transcendentaliter.

Dices Secundò. Saltem est respectus transcendentalis intellectûs ad actus supernaturales, in quantùm vitales sunt.

Respondetur. Posse quidem poni respectum rationis, sed non realem: quia illa vitalitas identificatur supernaturalitati, ad quam sine elevatione, nullus ordo realis est, tantum ordo rationis: quia ratio condistinguere potest formalitatem vitalitatis, à formalitate supernaturalitatis, ad vitalitatem autem, est ordo potentiæ naturalis.

Dices Tertiò. Ergo etiam potentiæ naturales, non dicunt ordinem transcendentalem ad suos actus.

Respondetur. Si non ponantur cum omnibus prærequisitis ad agendum tenentibus se ex parte actûs primi, v.g. cum præparato ex parte actûs primi concursu divino, tunc etiam potentia naturalis, non erit respectiva transcendentaliter.

Assero Secundò. *Potentiam Obedientialem una cum elevatione acceptam, esse respectivam transcendentaliter.*

Ratio. Tum quia tam essentiale est potentiæ obedientiali, unà cum elevatione acceptæ, esse virtutem effectivam actuum supernaturalium, ac essentiale est ipsi causæ naturali, respectu suorum possibilium effectuum: ergo utraque est respectiva transcendentaliter. Tum quia potentia obedientialis, non se habet ad effectus supernaturales, ut ad purum terminum, quomodo solent aliqui explicare relationes transcendentales. Item ita accepta potentia obedientialis, intelligi non potest sine effectibus suis, quod etiam apud alios fundat relationem transcendentalem. Tum quia sic sumpta potentia obedientialis, est respectiva ad suos actus, ordinatur enim ad illos, estque non ad se sed ad aliud; sed non est respectiva prædicamentaliter, quia potest dicere hunc respectum etiam ad non existentem terminum; ergo est respectiva transcendentaliter.

Dices Primò. Si potentia obedientialis quocunque modo sumpta, esset respectiva transcendentaliter; tunc inadæquatè accepta, exigeret elevationem; quod ipsum probatur. Cuilibet potentiæ transcendentali incompletè acceptæ, debentur comprincipia reliqua; & ita debetur naturæ concursus Dei, ad efficiendos actus naturales: non potest autem potentia obedientialis exigere elevationem; quia aliàs respectu illius, non esset supernaturalis elevatio: quia exigita.

Respondetur. Potentiæ obedientiali jam elevatæ ratione elevationis deberi concursum supernaturalem; neque enim v.g. habitui amoris supernaturalis, concursus supernaturalis ad amandum, indebitus est, vel illi ipsi supernaturali, supernaturalis; sed nondum elevatæ, sicut elevatio, ita & concursus supernaturalis est. Quamvis autem cuilibet potentiæ transcendentali, incompletè acceptæ, debeantur omnia comprincipia; si illa potentia non tantùm permissivè se habeat ad illos actus; non debentur tamen, si permissivè tantùm se habeat: jam autem potentia obedientialis inadequatè accepta,

permissivè se tantùm habet ad elevationem, & ad actus, ex suppositâ elevatione, producibiles. Et certè si se aliquid nonnisi permissivè habeat ad aliud, non potest illud dici illi debitum, ab eoque exigitum; si autem non est illi debitum, nec exigitum, comparativè adhuc ad illud, potest esse supernaturale.

Dices secundò ex Recentiori Suar. Omnis potentia, cujus respectus ad terminum, est de primo conceptu talis potentiæ, est respectus transcendentalis; sed potentiæ obedientialis respectus ad suum terminum, non est de primo essentiali conceptu: quia potentia obedientialis nullum possibile primò respicit, sed solum obedire Deo in ordine ad id quod non implicat. Quod autem hic vel ille effectus non implicet, id est, de conceptu secundario.

Respondetur secundùm dicta in logica. Nego majorem. Sed quicquid sit de Majori, Potentia Obedientialis non respicit utcunque obedire Deo, sed obedire in ordine ad producendum id, quod à se non implicat produci, consequenter etiam ex consequenti & in obliquo, respicit possibile.

Dices Tertiò. Quod semel positum non refertur relatione transcendentali, nunquam refertur relatione transcendentali: relatio enim transcendentalis, est essentialis; quod autem semel non est essentiale, nunquam est essentiale; sed potentia obedientialis potest poni & non referri relatione transcendentali; scilicet si sine elevatione accipiatur. Ergo.

Respondetur. Posse esse potentiam obedientialem, & non esse actu elevationem, sed actualis elevatio, non est necessaria ad relationem transcendentalem, sed solùm ad prædicamentalem. Sed non potest esse potentia obedientialis, & non esse elevatio in actu primo, non potest inquam esse re ipsa, licet possit non esse per rationem, non potest, inquam, re ipsa non esse elevatio in actu primo: quia illa stat in Dominio Dei; & voluntate utendi creatura ad effectus excedentes, &c. quod re ipsa est; sed potest non esse per rationem, ad quod reflectendo procedebat assertum primum.

Dices Quartò. Cum Ripalda oppositum sentiente, disp. 32. de Ente supernaturali. In oppositum esse authoritates Patrum, docentium, quòd posse rerum, ad ea quæ sunt naturalia, sit in ipsis rebus: posse verò ad ea, quæ sunt supernaturalia, sit in ipso Deo. Docent item potestatem naturæ intrinsecam, absolutè activam non esse, consequenter non esse connexam ordine transcendentali, quia esset intrinseca naturæ; quod variis authoritatibus illustrat.

Respondetur. Hoc argumento probari, nonnisi assertum primum. Concedimus enim, posse ad ea, quæ sunt supernaturalia, esse in ipso Deo tanquam principio elevativo: ita tamen, ut respondeat illi elevabile; cur ergo hoc elevabile, & quidem jam completum à Deo elevari, non poterit referri ordine transcendentali, ad actus supernaturales, ut & reliquæ causæ. Cur item potestas elevabilis, quæ est intrinseca naturæ, in accessu elevationis extrinsecæ, non erit connexa cum effectibus excedentibus? Unde per nos admittitur hoc sensu in natura virtus incompleta intrinseca ad actus supernaturales, quia admittitur virtus elevabilis, quæ est ipsa rei entitas, adeoque quid intrinsecum.

Dices Quintò. Si naturæ competeret virtus intrinseca, ordine transcendentali connexa, cum actu salutari Charitatis, deberentur illi comprincipia, quibus compleretur, ad eos efficiendos; sicut debentur comprincipia ad actus naturales, ad quos natura, est virtus intrinseca incompleta; ergo virtus naturæ, non est intrinsecè transcendentaliter, cum supernaturalibus connexa.

Respondetur. Si naturæ competat virtus intrinseca; hoc est, vis & potestas continens in se effectum, hoc ipso exigeret concursum Dei; sicq; exigit natura; sed si competat vis intrinseca, pro vi elevabili accepta, non exiget hoc ipso concursum Dei, sed permissivè nonnisi se ad illũ habebit. Sed casu quo intelligatur elevari, cur non ordine transcendentali referetur? cur non exiget concursum supernaturalem? ut illum exigit ipse habitus v. g. supernaturalis. Secundùm etiam asserta distinguitur antecedens. Si naturæ competat virtus independenter ab elevatione, exiget naturaliter comprincipia. Concedo antecedens. Secus si competat hæc virtus dependenter ab elevatione.

Dices Sextò cum eodem. Ut voluntas possit immediatè & absolutè efficere actum supernaturalem, non requiritur ordo transcendens voluntatis, in actum supernaturalem; quod ipsum probatur. Eo ipso quòd apprehendamus voluntati convenire activitatem conditionatam, in actum supernaturalem, dependenter à conditione possibilitatis actûs, & collatione auxilii supernaturalis, & insuper apprehendamus actum supernaturalem, absolutè esse possibilem, & voluntati conferri auxilia supernaturalia necessaria ad illum, sufficienter intelligimus voluntatem posse absolutè efficere actum supernaturalem.

Respondetur. Ut voluntas immediatè possit efficere actum supernaturalem, non requiritur in illa ordo transcendens independenter ab elevatione; secus dum illa habetur; quid enim deerit ad relationem transcendentalem, si apprehendatur effectus supernaturalis absolutè possibilis, & intelligatur voluntati conferri auxilium

xilium supernaturale elevativum; curque non intelligetur tunc referri ordine transcendentali? unde actualitas illius relationis probatur, quia nihil deest, ne tunc illo ordo ponatur. Et sicut Omnipotentiæ divinæ, quæ per Ripaldam habet virtutem conditionatam producendi possibilia, & aliunde creaturæ non repugnant, nihil deest quominus ad creaturas possibiles referatur per nos relatione transcendentali, ita & in præsenti; transeunteque virtute conditionata in absolutam positione conditionis, cur non intelligetur tunc relatio transcendentalis?

Dices Septimò. Actus supernaturales sunt supra ordinem naturæ non extrinsecum; ergo supra ordinem quidditativum & intrinsecum; at ordo quidditativus & intrinsecus est transcendens, quo natura sibi nectit ea, quæ sibi affinia sunt; ergo actus supernaturales, sunt supra ordinem transcendentem naturæ.

Respondetur. Esse actus supernaturales supra ordinem quidditativum & intrinsecum independenter ab elevatione, secus illâ positâ; consequenter erunt illi actus supra ordinem transcendentem naturæ, independenter ab elevatione, secus illâ positâ.

Instat ex Absurdis.

Primum est. Sequitur rem unam creatam, connecti cum omni creatura possibili, quia admittitur potentia Obedientialis, elevabilis à Deo, ad productionem cujuscunque creaturæ.

Respondetur. Tam amplam à nobis potentiam non admitti; sed ex aliis fundamentis, hic nexus concedi potest.

Secundum Absurdum. Ergo in quacunque re creata poterit Deus cognoscere omnia, quæ in se cognoscere potest & in sua omnipotentia.

Respondetur. Non omnia: quia nulla creatura v. g. est elevabilis ad primam sui productionem; ad quæ autem elevabilis est, illa, possunt in illa creatura agnosci, non quocunque modo, sed prout elevata ab omnipotentia, excedentium etiam operativa.

Tertium Absurdum. Poterit prænoscere evidenter Angelus possibilitatem Incarnationis, Trinitatis, &c. comprehendendo cognitione probabilem naturalem earum rerum; nam hæc cognitio est ordine transcendentali connexa, cum suo objecto.

Respondetur. Ex ordine transcendentali notitiæ cum Objecto, non potest inferri possibilitas objecti, quia hunc ordinem dicet notitia, etiam cum hircocervo cognito. Addo cum per nos potentia obedientialis, non dicat relationem transcendentalem, nisi elevata, cumque elevatio aliquid excedens & inattingibile ab Angelo viribus naturæ importet; cum illud excedens non attingat, nec potentiam obedientialem quâ talem attingit.

Quæres Tertiò. *Quænam sit regula dignoscendi, an hoc in particulari elevari possit?* Assero illam in duobus consistere, imprimis in possibilitate ipsius Entis producendi; & in hoc: an, si producatur ab hoc, non sint secutura duo contradictoria. Prima possibilitas appellari potest absoluta; secunda possibilitas respectiva, ad existendum ab hac causa.

QUÆSTIO II.

Quomodo Sacramenta causent Gratiam?

Præmitto Primò. *Quæ sit differentia Authorum in hac materia.* Physicam causalitatem tribuunt Sacramentis, cum S. Thoma Thomistæ, & ex nostris Suar. Valent. Bellarm. & alii. Moralem autem causalitatem tribuunt Gabriel & Occham; ex nostris Vasq. Mol. Amicus d. 4. Sect. 9. Coninck q. 62. num. 109. Pontius disp. 41. num. 47. Lugo disp. 4. Sect. 4. Qui recedit quidem in hoc à sententia Vasq. quòd putet possibilem esse causalitatem physicam, quam negat Vasq. convenit tamen in hoc, quòd neget defacto physicè causare. Di-Cast. autem dicit, interdum physicè, interdum moraliter causari gratiam.

Præmitto Secundò: *Quid sit causa Moralis*, missisque variis ejus acceptionibus; propriissimè & per ordinem ad præsens, est causa, per quam, seu vi cujus, apprehensivum agens, ita movetur, ad ponendum virtute suâ effectum, ut tamen possit non moveri, & effectum non ponere. Illustrari hoc potest instantiâ desumptâ à consulente homicidium, qui indubiè est causa moralis; nam imprimis per vim consilii, à consulente dati, movetur interfector, apprehensivus illius consilii, ad interficiendum; movetur autem, ut virtute suâ, & actu, ponat homicidium, cùm tamen possit repudiare consilium; idque videre est in aliis causis moralibus, manifestè talibus, ut quæ causant, laudando, suadendo, consentiendo. Ex qua ulterius descriptione colliges, quæ sit differentia inter causam & conditionem moralem, ita ut illud sit causa moralis, quod habet virtutem & efficaciam ad movendum illud, conditio autem non habet eam vim, licet sine ea, non moveatur efficiens, & non tam est id, quod movet agens, quàm id, non sine quo, movetur agens.

Illustrari hoc potest instantiâ; Mandat Paterfamilias Oeconomo, ut quoties se audierit jurantem, toties largiatur Eleemosynam, juramentum non est causa moralis Eleemosynæ, non enim illa exhibetur vi juramenti, sed vi dispositionis & ordinis facti à Patrefamilias, licèt illud imperium non sit obligaturum, nisi in circumstantia juramenti; consequenter imperium erit causa moralis illius Eleemosynæ, juramentum autem, nonisi conditio sine qua non; sed de hoc etiam actum in materia de Fide, ubi de motivo ejusdem.

Præmitto Tertiò. Quid sit causa physica prout condistinguitur morali? est enim illud, quod est principium determinans existentiam effectûs immediatè, causa enim moralis immediatè non dat esse effectui, sed agens, quod movetur ab illa causa morali. Rursùs Virtus illa per quam ponitur effectus, posita motione causæ moralis, non est ordinata ad bonum ipsius consulentis, consentientis, laudantis, est autem bonum, causæ, physicè operantis; quod ipsum determinare immediatè existentiam effectus, interdum fit per virtutem superadditam instrumentaliter se habentem; ut cum ignis producit alterum ignem per calorem; interdum fit sine superaddita virtute.

Præmitto Quartò. *Neminem negare quòd Sacramenta sint etiam causæ Morales gratiæ.*

Ratio: Quia nemo negat, quòd positis Sacramentis moveatur Deus, ut det concursum productivum gratiæ; & phrasis Patrum hoc significat, dicentium quòd Sacramenta contineant Sanguinem Christi, quæ continentia indubiè est moralis saltem.

Dices Primò ex iis quæ objecit sibi DiCast. disp. 2. n. 106. Causa moralis causat imprimendo species, in causam physicam intelligentem, nulla autem causa creata, potest quidquam imprimere Deo.

Respondetur. Negando Majorem, nam respectu Angelorum suasiones Luciferi, erant causa moralis peccati illorum, neque tamen imprimebat illis species, sufficit ergo ut sine specierum impressione, moveat objectivè.

Instabis. Ergo nulla discernetur causa finalis à causa morali.

Respondet. DiCast. discernetur, quia causalitas causæ finalis est ut fiat bonum; causalitas autem moralis est stans in *Quia* est, licet utrumque conveniat in causare Objectivè.

Dices Secundò. Causa moralis est causa volitionis, per quam efficiens determinat se ad operandum, nulla autem causa creata, potest esse causa actûs divini.

Respondetur. Causa moralis est causa volitionis, in quantum causa volitionis sumitur pro motivo volitionis, non repugnat autem aliquid extrinsecum Deo, esse motivum volitionis illius, sed non est causa sumpta pro influente, vel determinante ipsum esse actûs, ad existentiam.

Dices. Tertiò. Non potest ostendi, quid habeat virtutem causandi moraliter in Sacramentis; neque enim potest dici honestatem aliquam, quæ in illis sit, esset rationem causandi moraliter.

Respondetur. Esse in Sacramentis ex adjuncto honestatem, nempe ratione Christi meritorum in illis contentorum; est item illic honestas supposità deputatione & ordinatione divina, cui honestum est satisfacere. DiCast. autem recurrit ad significationem supernaturalem, quam habent Sacramenta ex institutione Christi.

Præmitto Quintò. *In hoc totam esse difficultatem*; an præter causalitatem moralem concedenda sit insuper Sacramentis, secundùm se, causalitas physica; seu quod idem est; an Sacramenta in ordine ad producendam Entitatem gratiæ, habeant se nonnisi tanquam moventia Deum, ut producat gratiam; an verò etiam ipsa influxu suo, determinent ipsum esse, seu ipsam existentiam gratiæ, secundùm esse existentiæ, ita ut non solus Deus sit causa illius existentiæ, sed simul coëffectivum instrumentum, sint Sacramenta.

DIFFICVLTAS I.

Causalitas Sacramentorum novæ legis Physicané an moralis?

Pensanda sunt primùm Argumenta utriusque partis.

Punctum Difficultatis I.

Argumenta Negantium Causalitatem Physicam.

Primum Argumentum est, quo utitur Pontius, & ante illum Conink. Si Sacramenta producerent physicè gratiam, etiam baptismus sic illam produceret, ob paritatem rationis; sed baptismus non producit physicè gratiam, quia baptismus non existit realiter, nec secundùm se, nec secundùm aliquid sui, aut aliquid ab illo productum, quod possit physicè producere gratiam; quod ipsum probatur: quia baptismus consi-

consistit in ablutione & verbis, quæ ablutio & verba fiunt successivè, nec procedit ad productionem gratiæ forma, nisi dicatur ly Sancti, jam autem tunc priora verba non existunt realiter; nec tunc cum proferuntur verba, necessariò existit ablutio, posset enim postponi; ergo tunc non existit realiter Sacramentum, nec aliquid ipsius, quod physicè possit producere gratiam; nihil enim existit ipsius, formæ v. g. nisi ly Sancti, hoc autem non habet vim producendi physicè gratiam; nam non est Sacramentum ut est evidens, & si non præcessissent alia verba, nihil produceret; ergo ex se, suppositâ etiam quacunque ordinatione divinâ, nequit producere gratiam. Addit quòd neque aliquid productum à baptismo existat tunc, quòd possit producere gratiam, ut est certum & concessum ab omnibus, nihilque ostendi potest, de cujus productione, non sit eadem difficultas, ac de productione ipsius gratiæ. Si autem Sacramentum nec in se tunc, nec in aliquo sui existit, non potest physicè causare.

Respondetur. Quod illic Sacramentum existat in aliquo sui, hoc est, in sui ultimo complemento sensibili physicè, unde existit tunc, in hac acceptione, secundùm se, inadæquatè sumptum, & secundùm se ultimò completivè; existit etiam in aliquo sui, hoc est in virtute producta, quam obedientialiter producit ipsum illud complementum, tanquam virtutem totius v. g. Formæ; & quid si adhuc diceres, à singulis particulis illam qualitatem produci? Et licèt ultima prolatio, non sit Sacramentum adæquatè, est tamen Sacramentum ultimo completivè; virtus etiam illa, non est quidem Sacramentum, est tamen virtus ejusdem; & sicut quamvis semen non sit planta, nihilominus planta generat plantam medio semine; ita & in præsenti, illa qualitas, licèt non foret Sacramentum, esset tamen virtus Sacramenti; quantumvis autem, si illud complementum non præcederent alia verba, certum sit quòd non produxisset gratiâ, sed suppositis illis & ordinatione divina, ex se produceret gratiam, non ex se, hoc est, exclusivè antecedentium particularum, sed ex se, suppositâ sui existentiâ & Dei ordinatione, unde immeritò assumit Pontius id non posse præstari suppositâ quacunque ordinatione divina; quia non repugnat ultimum illud complementum; dum existit, assumi ad causandam physicè gratiam.

Instat Primò. Quamvis illud complementum quod supponitur tunc realiter existens, causaret physicè gratiam, tamen certum est quod illud complementum non sit baptismus, nec Sacramentum baptismi.

Responsum. Multum probare Argumentum, probaret enim, quòd partus posthumi, non sit causa Patris, nam ille non existit, & ex altera parte semen, non est Pater. Rursùs calor & siccitas dum agunt ubi non est ignis, non sunt ignis, & tamen ignis dicitur agere, & sic de similibus; sufficit ergo quòd illud complementum, sit baptismus completivè, sufficit quod detur qualitas, quæ sit virtus Sacramenti, exigita à Sacramento, suppositâ elevatione, ut media illa qualitate, tanquam virtute à Deo sibi provisa, agat gratiam; unde antecedentia verba non concurrent secundùm se, concurrent secundùm virtutem à Deo præviſam, & à se exigitam, suppositâ elevatione.

Instat Secundò idem. Ex concessis, movetur Deus præexistentibus v. g. verbis, nonnisi moraliter, ad producendam illam qualitatem; ergo illa verba concurrent ad productionem gratiæ, tolùm moraliter. Ergo & illud complementum opexabitur nonnisi moraliter.

Respondetur. Cum præcedentia verba physicè non existant, moraliter nonnisi movebunt ad productionem illius qualitatis, id quia qualitas illa physicè existeret, essetque virtus antecedentium verborum, fit ut illa verba, media illa qualitate, physicè possint causare gratiam, quam etiam physicè poterit causare illud complementum, si elevetur, quia adhuc physicè existit.

Instari potest Tertiò. Quod ignis dicatur agere si agat calor, benè intelligitur; quia est virtus ejusdem, est autem virtus ejusdem quia calorem exigit ignis; sed quæ similis exigentia in verbis, ad producendam illam qualitatem, cum jam verba non existant.

Respondetur. Etiam illa verba in successiva sui prolatione (suppositò quòd ex institutione divina & debita intentione proferantur) dum existunt, successivè etiã exigant, ut producatur vicaria illorum qualitas. Ratio: quia sicut dantur exigentiæ naturales suppositò ordine naturæ, ita dantur & exigentiæ supernaturales, suppositò tali ordine elevationis; unde quasi dicunt verba Formæ; Vis ut producamus gratiam, est in nobis responsiva potentia obedientialis; sed quia non possumus statim illam producere, quia tu non ordinas, da ergo nobis qualitatem, quam tu, vel nostrum complementum producat, ut id exequamur.

Secunda Ratio Amici. Sæpe Sacramenta causant cum non sunt; ergo non causant physicè. Antecedens probat; quia quando recedit fictio, Sacramentum non est, & producitur gratia; deinde si contrahatur matrimonium per Procuratorem, qui illic intervenire poterit in tanta distantia, physica productio gratiæ?

Respondetur. In hac difficultate respici potest, vel v. g. ad Bertam, cum qua agit Procurator;

rator; vel ad Cajum cujus nomine agitur; si respiciatur ad Bertam; illius consensus physicè causare potest gratiam, si cætera sint paria, physicè enim existit. Quod si agatur de consensu ipsius Caji; respondent aliqui apud Amicum, quòd tunc gratia physicè causetur per verba Procuratoris, in quibus moraliter perseverat consensus Caji. Sed id non satisfacit: quia illi debetur productio gratiæ, qui ministrat Sacramentum, non autem ministrat Sacramentum, Procurator, sed ipse Cajus. Addit Amicus verba Procuratoris non spectare ad materiam & formam Matrimonii, hæc enim salvantur in consensu principalium contrahentium; principalis autem contrahens, non dicitur physicè agere, actione Procuratoris, quia non, est idem physicè cum Procuratore; sed de hoc mox redibit sermo.

Alii autem dicunt Consensum Bertæ, causare physicè gratiam, moraliter autem nonnisi, Consensum Caji, cùm ille nec in se, nec in virtute ulla sua existat; idque transferunt ad Sacramentum cum dictione sumptum, si illud non imprimat Characterem, cui aliqui tribuunt, ut sublata fictione causet physicè gratiam; & quamvis ille Character sit effectus Sacramenti, nec est Sacramentum, potest tamen appellari virtus ejusdem, ad eum modum, quo quamvis semen sit effectus generantis, nihilominus est aliquid ejusdem, hoc est, virtus agendi; & si concederetur singulis Sacramentis pro effectu ornatus aliquis, ille posset esse vicarium Causativum.

Si aliquis constanter tueri vellet, etiam eo eventu, physicè causari gratiam; Posset dicere Virtutem Sacramenti produci à Deo, ad exigentiam moralem, præexhibiti consensûs à Cajo, quæ virtus ubi consenserit Berta, physicè causabit gratiam, ad eum modum, quo applicans ignem, est causa moralis combustionis, instrumentum tamen ipsum, est physicè efficiens; est autem philosophicum ad Deum recurrere, præcipuè in qualitatibus supernaturalibus, & in qualitatibus de quarum aliunde constat possibilitate, quantumvis earum causæ secundæ assignari non possint; & ità per oppositos in productione gratiæ, recurritur ad solum Deum.

Posset etiam dici; Quod scilicet ex tunc cum exhibetur Consensus à Cajo, producatur ab illo qualitas proportionata assensui; & sicut assensus ille est conditionatus & pendulus ab assensu Bertæ; sic & qualitas illa erit in agendo suspensa, nec exigitiva concursûs divini, idque ratione defectûs alicujus, ad agendum requisiti, hoc est, consensus aliûs conjugis; & sicut tunc, cum existit consensus Caji non potest à Deo produci immediatè gratia in Berta, nec illa petitione causat tunc moraliter gratiam absolutè, sed pendulè, ab assensu alius conjugis; sic & virtus illa producta, dum existit, non deposcit causare gratiam physicè, nec ad hoc exigit concursum divinum, nisi in circumstantia consensûs alius conjugis; non quòd ipsa qualitas, cognoscat consensum exhibitum à Berta, sed quod Deus advertat, non deberi suum tunc concursum, nisi illa consenserit; ad divinam autem providentiam spectat, conservare illam qualitatem, usque ad positionem vel negationem conditionis, illaque posita, præbere concursum ad producendam gratiam, quo solo potest illa qualitas determinari ad agendum, utpote non discretiva, an consenserit Berta. Hoc autem proportionaliter deberet dici, casu, quo cum fictione recipiantur Sacramenta, quod scilicet similis producatur virtus.

Posset denique dici, quòd scilicet consensus Procuratoris elevetur physicè à Deo ad illam qualitatem, quam producere postulabat consensus Caji, idque ex eo; quia sicut non implicat contradictionem, ut assumatur consensus Caji, ad producendam illam virtutem supernaturalem sui in agendo vicariam; sic etiam assumi potest consensus à Procuratore, nomine Principalis factus, ad producendam illam virtutem, cum respectu, & vicario modo, ad consensum Principalis; & sicut licèt consensus Procuratoris per modum materiæ & formæ non intret Sacramentum illud Matrimonii, intrat tamen tanquam conditio, cur ergo ille assumi non poterit, ut per modum principii physici perfectivi, concurrat ad productionem virtutis, per se, debitæ principali consentienti; neque enim de ratione instrumenti est, produci ab eo, cujus est instrumentum, cumque non proprio nomine producat Qualitatem illam Procurator, non censebitur gratiam ministrare, nisi is, cujus est ille procurator.

Tertium Argumentum est Lugo. Gratia ex natura sua postulat produci efficienter à solo Deo, à quo solo infunditur extra Sacramentum; quando autem aliquis effectus ex se petit produci ab aliqua causa & non ab alia, non debemus invertere hunc ordinem, sine urgenti necessitate, ideo enim non ponimus defacto speciem impressam Dei, non ponimus animam Christi fuisse productam, non solum à Deo, sed etiam à Beata Virgine, quantumvis per hoc Mater Dei, magis dignificaretur. Non ponimus item humanitatem Christi efficienter concurrere ad producendam gloriam Sanctorum, quantumvis hoc pertineret ad ejus dignitatem. Universaliter autem singuli effectus, dicendi sunt proficisci ab illis causis, à quibus naturaliter petunt produci, ne fingantur absque necessitate miracula, propter quam etiam causam, colligit Ecclesia, in conversione Eucharistica, perire substantiam panis

panis & vini, quià non possunt sine novo miraculo absque speciebus manere, cum ergo gratiam produci efficienter ab alio quàm à Deo, esset magnum miraculum, & contra exigentiam ipsius gratiæ, non est hoc affirmandum, nisi ad id aperta ratio cogat.

Respondetur. Si hoc argumentum procedat de facto, Transire potest; quanquam tueretur se aliquis, adesse necessitatem, ut physicè Sacramenta producant gratiam, idque ob rationes afferendas, quæ non militant, ut ponatur assumi Beatissima, tanquam instrumentum, ad creandam animam Christi, &c. Si autem procedat argumentum de possibili, non concludit; quia etiam poterat secundùm dicta aliàs, assumi creatura, adeoque & Beatissima ad creandam animam Christi, virtute instrumentali; ille terminus; Gratia ex natura sua postulat produci à solo Deo, est ambiguus: si enim supponat, pro ly Essentiale est gratiæ, nonnisi à solo Deo, produci, concluderet quidem quòd ne divinitus possit id facere aliquod instrumentum; nam Deus nihil facere potest contra Essentias rerum, sed in tali sumptione termini, neganda erit propositio; si autem supponat, quòd gratia à solo Deo sit producibilis tanquam à causa principali, vera erit propositio, sed non excludet, quominus Sacramenta, ad id etiam physicè præstandum, per modum instrumenti assumi possint.

Quartum Fundamentum Est ex iis, quæ impugnant vel restringunt potentiam obedientialem.

Prima Ratio est. Implicat per potentiam Obedientialem creari aliquid, sed gratia creari debet, ex prima secundæ quæst. 110. a. 1.

Respondetur. Negando Majorem, si procedat de Creare Instrumentali. Minor etiam est falsa, quia quæ educuntur de potentia subjecti, non creantur; gratia autem educitur è potentia obedientiali animæ, sine qua, nec jus primi Esse, nec jus ad conservari habet. S. autem Thomas cum dicit gratiam creari, non accipit id præsè, sed nonnisi, quòd per illam fiant homines nova Creatura, seu in novo supernaturali Esse ex nihilo, hoc est, non ex meritis constituti.

Instant. De ratione instrumenti est agere aliquid prævium, ante principalem effectum; ergo debebit supponi subjectum in quod inducitur effectus illius Instrumenti; quod si supponatur subjectum, hoc ipso jam deficiet illa actio à creando.

Respondetur. Etiam suppositâ veritate Majoris, dicemus illam gratiam educi de potentia animæ, quam supponit illa eductio. Major procedit de artificialibus instrumentis, quæ ante principalem effectum exercent aliquem motum, vel demendo ut serra, vel addendo ut penicillus, antequam ponatur totum artificiatum; sed de instrumentis naturalibus, vel quasi naturalibus non tenet; nam species visibilis, est instrumentum visivæ, vel objecti nihil tamen producit prævium ante positionem visionis, & universaliter nullum instrumentum, quod requirit simultaneum concursum causæ Principalis, natum est producere aliquid, ante effectum principalem, hoc ipso enim non exigeret simultaneum concursum. Quanquam etiam posset ostendi, quòd Sacramenta aliquid prævium operentur, v.g. prævia est in baptismo ablutio, antequam ponatur effectus Sacramenti; & in Eucharistia ipsa prævia manducatio, posset censeri prævia operatio.

Secunda Ratio. Implicat etiam per potentiam obedientialem agere in distans, si autem Sacramentum physicè causarent gratiam operarentur in distans.

Respondetur. Negando Majorem: quia tamen illa vera est, si aliquid non sit conjunctum etiam virtute suâ, jam ostendi debebit qualitas vicaria, quæ sit conjuncta ei, in quo, producit physicè gratiam.

Tertia Ratio. Sacramenta vel producunt gratiam prout elevata, vel non producunt gratiam prout elevata; si secundùm ergo gratia illa non est supernaturalis; si primum. Ergo non agunt Sacramenta secundùm virtutem propriam; jam enim illis virtus, superaddi debebit, illi virtuti altera virtus, & sic in infinitum.

Respondetur. Produci gratiam à Sacramentis prout elevatis, agent autem illa non secundùm virtutem propriam, sed vel per concursum indebitum supernaturalem, qui in se indebitus, & supernaturalis, non indigebit per aliud supernaturalisari, vel agent per virtutem, hoc est, qualitatem supernaturalem, quæ itidem quia supernaturalis est, aliâ virtute non indigebit.

Quintum Argumentum sumitur ex Authoritate Patrum.

Prima Authoritas est, quâ utitur Amicus ex S. Cypriano Serm. de Baptismo Christi ad initium. *Ipsi*, inquit, *soli* (supple Spiritui S.) *cujus efficientiæ privilegium manet*, & infra; *Propria sibi omnipotentia Dei, retinet hunc effectum.*

Respondetur. Agere illic Cyprianum de efficientia in genere causæ principalis, non est autem novum in Scriptura, ut effectus Principali soli tribuatur; ut cum dicitur; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus, &c. vel certè id vult; quia hoc ipsum, quòd Sacramenta causent physicè gratiam, tribui debet Omnipotentiæ divinæ elevanti, ad eum modum, quo actiones nostræ gratiosæ, dicuntur esse dona Dei, quia ad illa operanda nobis confert Deus gratiam;

gratiam; unde etiam ibidem S. Cyprianus verborum solennitatem & visibile Sacramenti, attribuit contradistinctivè Sacerdotibus, cum tamen certum sit, ad ista etiam Deum concurrere: & sicut in eo quod Sacerdotibus attribuitur, stare potest ne excludatur Deus; sic & in illo quod Deo attribuitur, stare potest ne excludatur Creatura, imò si simpliciter & ut sonant verba accipiantur, probarent etiam causalitatem moralem, denegari debere Sacramentis, soli enim Spiritui S. privilegium hoc manere debet. Quo etiam modo explicari debet authoritas. Ambrosii ex libro de dignitate Sacerdotali. cap. 5. Nam illic etiam non plus vult, quàm quòd simul & principaliter concurrat Deus, & quòd productio gratiæ Sacerdoti tribui non debeat, nihil autem ait illo loco expressè de Sacramento, & eodem modo explicari debet Hieronymus in 4. Isa. Augustinus Ep. 23. ad Bonifacium, & alii.

Secunda Authoritas Est Bernardi Serm. de Cœna Domini, dicentis; quòd sicut Episcopus investitur per annulum, Abbas per baculum; ita diversæ gratiæ traditæ sunt in Sacramentis; jam autem investituræ, sine dubio, non physicè causant gratiam.

Respondetur. Loqui hîc Bernardum de Sacramento sub genere Signi: quæ signa ita inter se discerpuntur, sicut distinguuntur annulus & baculus. Quòd autem ibi non agat de ratione Causativi, vel exinde probatur; quia aliàs nec moraliter Sacramenta causarent gratiam, nam etiam investituræ illæ, non causant illas dignitates, sed nonnisi significant; nec in istis similitudinibus, debet esse in omnibus proportio.

Tertia Authoritas Est Trident. quod Sess. 6. c. 7. assignans causas nostræ Justificationis, Efficientem assignat solum Deum, Meritoriam Christum, Instrumentariam baptismum; ergo baptismus non est causa efficiens.

Respondetur. Dantur instrumenta concurrentia in genere causæ efficientis, poterit ergo & baptismus, esse quidem causa instrumentaria, physica tamen.

Punctum Difficultatis 2.

Fundamenta asserentium Causalitatem Physicam.

Duplicia erunt, quædam ab Authoritate quædam à Ratione.

Fundamenta ab Authoritate.

Primum Fundamentum Est ab Authoritate Trident. citati. Ubi dicet Baptismum esse causam instrumentalem nostræ Justificationis; ergo est causa physica; ita enim appellatur Baptismus Causa Instrumentalis sine addito, sicut causa Efficiens, Deus, Formalis, gratia, & gloria, Causa Finalis, hæc autem reliqua, sunt causa physica.

Respondetur. Cùm in illa enumeratione causarum, non de solis causis physicis agatur, aliàs excludi deberet meritoria, nisi aliunde constet, quòd illud instrumentum physicè causet, non inferetur clarè, quòd ratio instrumenti sequatur potiùs conditionem causæ physicæ; & certè mens Trident. fuit, explicare naturam justificationis, ad quam explicandam nihil refert, quòd à baptismo, in genere causæ moralis, vel in genere causæ physicæ producatur gratia. Multi etiam ex Oppositis dicunt; quòd gloria Dei & Christi, causet nonnisi moraliter justificationem, item quòd passio Christi & merita, physicè causent justificationem, per virtutem humanitatis Christi, & tamen illis inibi tribuitur ratio causæ moralis seu meritoriæ.

Inferes. Aliunde debere constare, quomodo unaquæque ex illis causis, concurrat.

Instabis. Nisi Baptismus esset causa instrumentalis physica, non posset intelligi, quomodo sit instrumentum Dei producentis principaliter gratiam; quia instrumentũ morale, illius solùm debet dici instrumentum, quod per illud movet, non autem ejus, quod per illud movetur; unde Syngrapha non est instrumentum Thesaurarii, quia illa movet Thesaurarium, non autem Thesaurarius per illam movet; sed est instrumentum voluntatis Domini, per illam moventis Thesaurarium, ut det; ita & in præsenti, Baptismus, esset quidem causa instrumentalis Christi, nam per illum operatur Christus, sed non Dei; quia ille tantùm moveretur, ad dandam gratiam; hoc autem dici non potest, ex 4. ad Titum.

Respondet Primò Vasq. Respectu Dei, Sacramenta habere rationem causæ moralis instrumentariæ, quia gratiam à Deo impetrant.

Non satisfacit Hæc responsio: quia aliàs ut advertit Lugo, is qui consulit vel imperat alicui, esset instrumentum ejus, cui consulit vel imperat, quod absurdum, nec ab ullo dicitur.

Respondet Secundò Lugo. Quod Deus ipse, fuerit primum movens Humanitatis Christi, ut communicaret talem virtutem Sacramentis.

Non Satisfacit. Ut enim adverti solet, motio illa proveniens à Deo, est motio causæ primæ, per modum gratiæ excitantis; talis autem motio, non facit, ut aliquid dicatur morale Dei instrumentum, alioqui justi qui moventur à Deo,

à Deo, essent nonnisi causæ morales & non efficientes suorum actuum.

Responderi potest Tertiò. Quòd ratio instrumenti, quantùm ad propositum, interdum accipitur pro eo, quod virtute alius agit seu quo utendo aliquis, effectum operatur; deinde accipi potest, pro medio, quamvis sine ullo motu instrumenti; & sic v.g. respectu ejus, qui habet syngraphan regiam, illa syngrapha, est illi medium seu instrumentum acquirendæ pecuniæ, & authentica media, dicuntur esse instrumentum Procuratoris, est autem in hoc sensu Sacramentum instrumentum Dei, quia Sacramentis mediis, Deus justificat homines, tribuitque illis gratiam, quasi dicat; Si usurpabis hæc media, gratiam acquires; unde diverso respectu Sacramenta sunt instrumentum seu medium, per quod Deus movet, licet diverso respectu moveatur illis, ut signis, ex institutione Christi. Quando autem ex Aristotele secundi physicorum textu 30. & 31. supponitur, quòd instrumentum spectet ad causam efficientem, id non convincit, quia ipsa causa efficiens, potest esse vel efficiens physicè, vel efficiens moraliter.

Quod attinet ad Florentinum, cujus authoritas affertur, in quantùm docet, quòd Sacramenta non tantùm significent, sed insuper causent gratiam; si autem physicè non causarent illam, non haberent aliam vim nisi significativam, scilicet movendo ad causandam gratiam Deum, & quasi revocando in memoriam, promissionem divinam; sicut annulus Principis, moveret ad dandos aureos promissos, si ea intentione consignaretur alicui.

Ad hanc auctoritatem dici potest: Quòd Sacramento, nunquam ita competat ratio causativi, quin illi competat ratio signi: sicut homini, nunquam ita competit ratio sensitivi, quin competat ratio viventis: licet ergo nunquam possit ostendi, quòd Sacramenta causent gratiam aliter quàm simul significando, falsum tamen est, quòd tantum significent, hinc distinctæ sunt hæ propositiones. Sacramenta nonnisi significant gratiam, & hæc: Sacramenta nonnisi significando, causant gratiam: prior illa propositio est falsa, posterior vera; & ratio est: quia cum ratio signi, ingrediatur etiam rationem definitivam Sacramenti, si Sacramentum causat, non potest aliter causare, nisi simul significet. Annulus autem ille, censetur nonnisi habere tunc rationem signi.

Secundum Fundamentum est ab authoritate Patrum.

Prima sit Chrysostomi homil. 4. in Joan. & Cyrilli Alexandrini in Julianum circa finem, qui docent inexplicabile esse, quomodo regeneretur homo in baptismo. Si autem Sacramenta moraliter tantum causarent gratiam, nullam hoc haberet difficultatem.

Responderi potest. Adhuc habendam difficultatem, quæ enim est connexio in eo, quòd exteriùs abluatur corpus, & tamen vi illius ablutionis, teneatur Deus mundare animam. Rursus non attenderunt Patres ad modum, quo Sacramenta causant gratiam, sed nonnisi ad substantiam, quòd causent illam, hoc autem ipsum difficile capitur. Addo si facile est dicere, quòd Sacramenta moraliter causent gratiâ, hoc ipso nullum argumentum erit, quod facessat difficultatem, & tamen hoc habet difficultatem, non ergo causabunt Sacramenta moraliter gratiam.

Secunda Authoritas sit Nisseni de Baptismo; ubi Baptismum similem dicit virtuti formativæ fœtûs.

Tertia Authoritas est Sylvestri Papæ apud Nicephorum lib. 3. cap. 32. *Hæc aqua*, inquit *Imperator*, *divinâ virtute*, *per invocationem vivificæ Trinitatis concepta*, *sicut exterius corpus hominis abluit*, *ita interius animam hominis mundat*: ergo cum virtus formativa fœtûs, ablutio item corporis agant physicè, & Sacramenta agent physicè.

Respondetur. In Exemplis non requiri omnimodam similitudinem. Rursus hoc voluêre Patres, quòd generatio spiritualis, & emundatio interna, perficiatur baptismo; independenter ab hoc, quo id modo fiat; est ergo illud *Sicut* comparativum substantiæ regenerationis, & substantiæ ablutionis, non autem comparativum, modi regenerationis, & modi ablutionis.

Tertium Fundamentum est, quô utitur Hamber apud Pontium desumptum ex phrasi Ecclesiæ, formis Sacramentorum, & benedictionibus; unde in consecratione aquæ baptismalis, dicitur quod aqua fœcundetur, quod in illam descendet virtus Spiritus S. in consecratione olei petitur, ut S. Spiritûs ei admisceatur virtus.

Responderi potest: Neque oleum, neque aquam ante usum sui esse Sacramentum, nullamque habere antecedenter virtutem Spiritûs S. ante usum, estque ille descensus & fœcundatio ante usum moralis, cur non ergo erit, etiam in usu, causalitas nonnisi moralis.

Instabis Primò. Sacramenta dicuntur nos sanctificare, mundare, producere in nobis gratiam & cætera similia; quæ omnia simpliciter accipienda sunt, si nihil obsit.

Respondetur. Obesse in oppositum argumenta allata & afferenda.

Instabis Secundò. Quando dicitur sine addito, aliquid esse causa, debet accipi pro causa physica; dictum enim sine addito, accipiendum est, pro principaliori significato: jam autem Sacramenta dicuntur à Patribus, esse causa nostræ justificationis; dicuntur causare gratiam ex opere operato: Ergo physicè; causari enim gratiam aliquo physicè posito, est

causari gratiam physicè, causari autem gratiam in Sacramentis ex opere operato, est causari gratiam aliquo physicè posito, seclude enim à Sacramentis opus illud physicum, quid gratiæ conferetur?

Respondetur. Dictum sine addito debet accipi pro principaliori, si nihil obsit, obsunt autem argumenta in oppositum. Rursus ex mente Patrum Sacramenta sunt causa sine addito, significando scilicet hoc nomine, id de quo erant tunc solliciti, erant autem solliciti, non de causalitate physica, sed ut ostenderent illa non esse merum signum & conditionem, ut fuerunt Sacramenta vetera, salvabiturque adhuc quod ex opere operato causent gratiam Sacramenta, quamvis causent moraliter: quia semper involvunt aliquid physicum, quamvis illud moraliter nonnisi causet, eritque physicum in Esse, non in Modo operandi; unde causare ex opere operato, commune est sive physicè, sive moraliter causantibus; & ita Iris, est quid physicè positum, non tamen causat physicè, carentiam diluvii.

Instabis Tertiò. Formæ ipsæ Sacramentorum ostendunt physicè operari Sacramenta; nam imprimis Forma consecrationis ostendit physicè causari transsubstantiationem, idque desumitur ex doctrina Ambrosii. 4. de Sacramentis. *Si enim tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis est operatorius sermo Dei, ut quæ erant, in aliud commutentur.*

Respondetur. Ambrosium loqui de Christo in quantum Deo, quia in quantum Deus dixit; Fiat lux, & facta est lux, & de eodem etiam verbo dicit, quod possit res commutare, consequenter attendit ad actionem Dei, non ad actionem Sacramenti. Rursus respexit Ambrosius, nonnisi ad hoc, quod illic fiat conversio, adeoq; ad substantiam Sacramenti, sed non respexit ad modum, quo id facit Sacramentum, estque Christus sub illo Sacramento cibus, non per imitationem physici cibi, per physicam causalitatem, sed per imitationem, quòd scilicet Eucharistia, sit refectio spiritualis.

Ex Forma etiam Absolutionis id ita deduci solet; Forma hæc, Ego te absolvo, fundatur in illis verbis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, ad quorum verborum veritatem Concilium Constantien. Sess. 45. requirit, ut ipse Sacerdos absolvat; ergo etiam ut physicè causet gratiam, quia aliàs non esset censendus absolvere Sacerdos, sed Deus loquente Sacerdote, neque enim in prolatione illorum verborum aliter se haberet sacerdos, quàm se habeat creditor, ostendens thesaurario Syngraphan, ad solutionem debiti, à Domino contracti, qui tamen creditor non solvit sibi.

Respondet Lugo requiri quidem, ut sacerdos suis verbis operetur gratiam, sed non requiri, ut operetur physicè, neque enim minùs verè dicere potest: Ego te absolvo & libero à reatu pœnæ æternæ, quàm, Ego te solvo à reatu culpæ, & tamen à pœna, non liberat physicè: & sicut dum dicit Episcopus: do tibi potestatem offerendi Sacrificium, licet physicè non producat illam potestatem, cum presbyterium, præter characterem & gratiam, nihil supponat productum physicè, cùm tamen neutrum illorum sit potestas. Paritas de Syngrapha non tenet: quia Syngrapha non ponit causam solutionis illius moralis, sed illa causa, est voluntas regis; Sacramenta autem dicuntur causare moraliter; cæterum si diceret Rex: do potestatem Paulo, ut cui scripserit syngraphan, ei detur mille, casu quo sibi scriberet, esset causa moralis illius mille; ita & in præsenti: & sicut judex verè absolvit, quamvis nihil physicum producat; sic & Sacerdos.

Fundamenta à ratione & ex mente & de mente S. Thomæ.

Prima Ratio est, quâ utitur Soto & Isamber apud Pontium. Instrumentum Causæ Principalis agentis physicè, nunquam est morale, & tamen Sacramenta sunt instrumentum respectu Dei, qui est causa principalis physicè producens gratiam.

Respondetur. Distinguendo Majorem. Instrumentum causæ principalis agentis physicè, quod est instrumentum, etiam in modo agendi, causæ principalis, non potest esse morale. Concedo Majorem. Instrumentum, si sit instrumentum nonnisi ad substantiam effectûs, non potest esse morale. Nego majorem. Sufficit autem, ut Sacramenta sint instrumenta Dei respectu substantiæ effectûs, hoc est, gratiæ producendæ; & sicut potest esse Causa principalis moralis, instrumentum autem, esse causa physica; ut si mandet Judex Lictori, ut amputet caput reo; ita potest esse causa principalis physica, & instrumentum nonnisi morale.

Secunda Ratio. Possibilis est causalitas physica Sacramentorum; ergò defacto datur, quia debemus, si nihil obsit, dignificare Salvatorem, major autem esset dignitas, si Sacramenta physicè causarent gratiam; sicut & ipsa Sacramenta, si physicè causarent gratiam, magis dignificarentur. Fundatur ulteriùs hæc ratio in hoc, quia si nihil obsit, dignificanda sunt ea, quorum dignitas redundat, in dignitatem Salvatoris; ex quo principio multa deducunt Theologi, ut Immaculatam Conceptionem, excessum gratiæ Virginis, &c.

Respon-

Respondet Lugo. Quòd sicut non conduceit ad dignitatem Sanguinis Christi, ut causet physicè salutem nostram, sic nec conducet ad dignitatem Sacramenti; quid enim refert, an physicè vel moraliter causet, modo infallibiliter causet: & sicut parum curabit cœcus, sive Sanctus miraculo restituens visum operetur physicè sive moraliter, sic & in præsenti. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Negabunt enim oppositi, quòd Sanguis Christi ratione virtutis Humanitatis Christi physicè non producat gratiam, negabuntque quòd per hoc magis non dignificetur; denique quamvis cœco non referat, quod physicè causetur ille visus à Sancto, nihilominus magis dignificaretur Sanctus, qui suâ actione physica, restitueret visum, quam qui solâ impetratione; sic & Sacramenta, physicâ causalitate magis dignificantur, licet ipsi nostræ saluti & gratiæ parum interesit, an physicè à Sacramentis causetur.

Respondet Secundò Pontius. Dubium sibi esse, quod perfectius sit causare physicè quàm moraliter, quando causatio physica, non argueret quod haberent aliquam perfectionem, in natura sua majorem, quam non haberent, si causarent tantùm moraliter, non argueret autem hoc majorem perfectionem in natura Sacramentorum: quia hoc causare physicè, non oriretur ex natura ipsorum, sed ex concursu supernaturali, vel qualitate physica supernaturali, adeoque non ex natura ipsorum Sacramentorum. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia si per perfici in natura, intelligatur acquirere perfectionem naturalem, hæc tunc non acquireretur à Sacramentis. Si autem per perfici in natura, intelligatur reddi principium perfectius, ex connexione cum alio principio vel auxilio, in hoc sensu perficerentur Sacramenta causalitate physica. Tum quia per dicta probaret Pontius, non esse perfectionem intellectûs, quando cum auxilio speciali, vel lumine gloriæ producit visionem, quod nemo dicit. Tum quia dicam non perfici materiam à forma, eo quod sit illa materiæ extrinseca, hoc est, non entitas illius.

Quod si quæras. An perfectiùs sit causare physicè, an moraliter? Si ipse effectus sit ignobilis, meliùs est illum causare moraliter, quàm physicè: & ita melius est esse Judicem, qui moraliter punit reum, quàm esse lictorem. Si autem sit effectus nobilis, melius est illum producere physicè, Ratio: quia id ostendit inductio; & sic melius est esse physicè aurum, quàm moraliter, ut si pro auro, detur æs æquivalens; melior esset regalitas physica, quàm moralis; melior item esset Syngrapha, quæ non tantùm moraliter conferret ad solutionem debiti, sed etiam esset physicè solutiva debiti. Moralis item Deitas, quam ratione potestatis & legationis tribuunt Christo Arriani, non est ita bona, atque physica Deitas, stans in hoc, quòd sit Consubstantialis Patri. Tum quia sicut in naturalibus physicè causare, importat vel in ipsâ entitate, vel in entitate & adjuncto, continentiam virtualem totius perfectionis effectûs, adeoque nobilitatis paris, vel majoris in causa; ita etiam attolletur dignitas Sacramentorum physicè causantium; hoc enim ipso, cum sibi adjunctis, supponentur continere in se, tanquam in causa, perfectionem gratiæ. Tum quia id, à quo est dependentia, idque quoad ipsam acceptionem esse, fundat majorem in illo perfectionem; unde ex dependentia Nostri à Deo, dependentia radii à sole, infertur perfectio Dei & solis, consequenter etiam & dependentia sine addito erit dependentia major: hoc autem haberetur, si Sacramenta physicè causarent gratiam.

Respondetur Tertiò. Debere nos dignificare Sacramenta quantùm possumus, si nihil obsit, obsunt autem rationes in oppositum.

Tertia Ratio est Mens S. Thomæ. Plura sunt ejusdem locâ.

Primus sit hîc q. 62. a. 1. in ⊙, ubi rejicit sententiam eorum, qui consimilem tribuunt Sacramentis causalitatem, ei quam habet denarius plumbeus, quo monstrato, accipit aliquis aurum, eò quòd talis modus, non transcendat rationem Signi. Additque Sacramentis concedendam esse causalitatem causæ instrumentalis, suscipiendo modum quendam à principali agente.

Respondetur. Quòd S. Thomas solùm velit significare Sacramenta, non habere meram rationem signi vel conditionis, ut illud plumbum, cumque detur aliqua vera causalitas moralis, adhuc per illam, distinguentur ab illo plumbeo nummo, qui est nonnisi conditio, vel signum dationis.

Secundus Locus est ex q. 60. a. 4. ubi ponit in Sacramentis virtutem quandam spiritualem superadditam, eamque dicit necessariò ponendam, si Sacramenta instrumentaliter causent gratiam; ubi etiam refellit S. Thomas eorum opinionem, qui dicebant, Sacramenta ideò causas esse gratiæ, quia ad illorum præsentiam Deus operatur gratiam.

Respondetur. Nomine motûs suscepti in Sacramentis, sufficit intelligere deputationem passivam, & elevationem illorum, ut causent moraliter, illaque elevatio & deputatio, erit virtus illa superaddita, habebuntq; peculiarẽ operationem sed moralem, ratione cujus operationis moralis, non dicetur solus tantùm Deus causare gratiam, qualis operatio moralis non habetur in solis signis; quæ vis etiam Orationi tribueretur, si elevaretur specialiter, tanquam signum ad causandum moraliter.

Tertius Locus est in quartum. dist. 1. q. 1. a. 4. ubi rejicit eos, qui virtutem Sacramentis inditam, volebant esse relationem, idque rejicit ex eo, quia relatio non potest esse principium actionis.

Respondetur. Virtus Sacramentorum non debet esse sola relatio, salvabitur autem causalitas in Sacramentis, quantumvis illa non causent physicè, cum sit vera causalitas, causalitas moralis.

Quartus Locus ex eo est, quia S. Thomas eandem causalitatem tribuit Sacramentis, quam tribuit humanitati Christi, ut videre est Prima Secundæ, q. 112. a. 1. ad secundum; & hic q. 62. a. 5. vult autem ille humanitatem Christi, physicè concurrere, ad gratiam.

Quinta Authoritas est, Quia oppositi hanc vim tribuunt humanitati Christi ad patranda miracula, quam Sacramentis per ordinem ad producendam gratiam: jam autem S. Thomas, in ordine ad facienda miracula tribuit humanitati Christi vim physicam, ut intelligere est ex istis, quæ habet tertia parte, q. 13. a. 2.

Respondetur. Utrique authoritati S. Thomam tribuere non eandem causalitatem Sacramentis quoad modum, quam tribuit humanitati, adeoque non tribuere physicam, sed sufficit ut tribuat eandem, quoad Substantiam effectûs.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum?

Dicendum est Primò. *Suppositâ potentiâ obedientiali, esse possibilem physicam causalitatem Sacramentorum.*

Probatur Primò Argumento negativo, quia id non implicat contradictionem, ut colligi potuit ex solutione argumentorum.

Probatur Secundò. Potest elevari Sacramentum, ut sit causa moralis gratiæ, & non solum conditio: ergo etiam poterit elevari ad causandam physicè gratiam; ne autem sit ratio à minori ad majus, viâ affirmationis, id solùm interditur, in ordine ad causare gratiam est elevabile Sacramentum, ut attingat substantiam effectûs: ergo etiam poterit elevari ad modum causandi, qui est physicè causare, eo quòd nulla sit specialis in hoc repugnantia.

Probatur Tertiò. Quia datur potentia obedientialis, nec est ratio, cur illa extendi non possit, etiam ad causalitatem physicam gratiæ.

Dicendum est Secundò. *Si Sacramenta causarent physicè gratiam, quòd illam non semper causarent physicè, est probabile.*

Probatur Primò. Quia ex una parte ex eo quod aliquid sit possibile, non sequitur illud de facto, vel semper dari; ex altera parte, in iis quæ sunt fidei, attendendum est, an id sit revelatum, vel habeatur universaliter ex phrasibus Patrum, nihil autem habetur clarum de ista physica causalitate, præcipuè cùm illa in multis eventis salvari non possit, sine multiplicatione miraculorum; nam si causarent per qualitatem materialem, illa utpote improportionata, deberet iterum elevari; si per qualitatem spiritualem, deberet per intermedia corpora usque ad subjectum deferri, quod ipsum est multiplicare in tali eventu miraculum: nam res corporea rei spiritualis supernaturalis, non est subjectum connaturale &c. &c.

Probatur Secundò. Quia saltem eo casu quo Matrimonium per Procuratorem contrahitur, sine multis, arbitrariè nonnisi dictis, causalitas Sacramentorum physica, salvari non poterit.

Probatur Tertiò. Quia non est ulla revelatio de producta qualitate, exspectante v. g. consensum Bertæ, non est ulla revelatio de elevatione, quæ fiat circa actum aliquem Procuratoris ad producendam illam qualitatem vel gratiam; ergo saltem eo eventu, non causabit physicè Sacramentum.

Dicendum est Tertiò. *Non constare quòd Sacramenta unquam physicè producant gratiam, nec constare quod nonnisi moraliter semper.* Ratio: quia id deberet constare nonnisi ex revelatione, quæ nulla circa hos terminos versatur; unde ut vides nihil de hac causalitate asseritur, quia quod asseretur, suspicio potius erit; ne enim dicantur Sacramenta moraliter tantùm causare, obsunt faventes oppositis locutiones sacræ; ne autem dicantur causare physicè, obsunt multiplicationes miraculorum, ut autem nunc physicè nunc moraliter causent, obest sicut stabilitas Sacramentorum, ita & stabilitas, quæ convenit in modo operandi, non esset autem stabilitas, si nunc physicè, nunc moraliter causarent gratiam.

Di Cast. disp. 2. num. 148. dicit; si solum philosophicè ageretur, quòd Sacramenta causent moraliter; quòd autem causent physicè, tenet ut faciliùs explicetur causalitas Sacramentorum. *Hinc ille*

Objicit Primò locum S. Pauli ad Titum; *Secundùm misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; ex quo (conformiter ad jam præobjecta) urget; Causalitas in Sacramentis admittenda est, quæ sufficiat non solum ut Christus, sed etiam Deus ut Deus est, dicatur conferre gratiam per Sacramenta; ad hoc autem non sufficit causalitas moralis:

nam

nam ille, qui ex præcepto aut consilio alterius aliquem occidit, non dicitur eum occidere per causam præcipientem, aut consulentem, sed potius moralis causa, nempe consulens aut præcipiens dicitur aliquem occidere per causam exequentem, qua movet ad homicidium, & sic de reliquis instantiis: ergo causalitas moralis, non est sufficiens, ut causa physica exequens, dicatur propriè per illam operari.

Respondetur. Quòd hoc Argumentum non afferat revelationem factam de Causalitate physica, adeoque stabit assertum. Rursùs supra dictum est, quo sensu Sacramenta sint causa Instrumentalis; denique non est inductio universalis, quasi instrumentum morale non sit idem, per quod fit: quia si velit aliquis apud Rempub. aliquid efficere, utitur alicujus ingenio, authoritate, suasionibus, &c. certè ille suadens est, & tamen dici bene potest, per illum hoc effectum esse, ad exitum &c. dux militiæ est causa moralis victoriæ obtentæ, exhortando, animando, instruendo aciem, & tamen per illum, rex dicitur obtinere victoriam; præcisa ergo ratio instrumenti, potest conjungi cum suasivo. Sed quamvis causa moralis non designaretur per particulam Per, significaretque semper causalitatem physicam, ea hìc ostenderetur, non quidem per ordinem ad gratiam causandam physicè, sed per ordinem ad ponendum aliquid physicè, & physicum, quo posito Deus & Christus, causat gratiam; talis est physica ablutio, physica prolatio formæ: præcipuè autem, quia illis Sacramentis, vim impetrandi ipse DEUS contulit, rationeque hujus collationis Divinæ, aptabitur illis non immeritò particula Per.

Objicit Secundò. Moralis causa ad effectum concurrit objectivè, movendo causam exequentem, ac proinde quadam ratione ante physicam executionem, quapropter si propriè loquamur, moralis causa operatur per causam exequentem.

Respondetur. Etiam Sacramenta concurrunt objectivè, ante physicam executionem, Deo & Christo ponente gratiam; per illa tamen vicissim operatur Deus, tanquam per instrumenta, hoc est tanquam per media, ut explicatum supra; & quia quoad suas physicas actiones benè potest in illis servari ratio instrumenti. Addo illud Per, quod dicitur de Sacramentis, simpliciter & ut sonat, accipi non potest, propter dicta superiùs, aut salvari debet per hoc, quòd illis Deus tribuerit, vim movendi.

Objicit Tertiò idem. Ignis corporeus concurrit physicè ad cruciatum Dæmonum: ergo idem dicendum de Sacramentis.

Respondetur. Negando Consequentiam: Quia pro Antecedenti stat sensus Doctorum, qui non invaluit pro consequenti; nec sequitur, quia Deus decrevit, sic in una circumstantia operari, operari illum similiter in alia; deinde quia ignis ille, non torquet nisi præsens physicè, adeoque plus habet de jure causalitatis physicæ; sæpe autem non habent præsentiam Sacramenta, dum operantur; per quod etiam responderi debet, cur humanitas Christi fuerit instrumentum divinitatis, ad opera supernaturalia. Reliqua solvuntur ex dictis suprà.

De hac difficultate ita discurrit Esparza q. 24. & dicit quòd Sacramenta non causent physicè gratiam producendo eam aut agendo in illam immediatè, aut per qualitatem aliquam supernaturalem illis communicatam, sunt tamen causæ physicæ instrumentales gratiæ, quatenus sensibiliter conferendæ, adjuncta videlicet per vim illorum, illustratione, & erectione, & excitatione peculiari animi, ad considerationem intimiorem ad faciliorem ipsius gratiæ & effectuum, quos eadem gratia præstat suscipienti unumquodque Sacramentum. *Hæc doctrina*

Non Satisfacit. Tum quia contra Patres non jam Sacramenta causabunt gratiam habitualem, sed erectionem illam animi. Tum quia jam in parvulis & amentibus &c. baptismus &c. non causabit gratiam, quia in illis non datur locus illi lustrationi. Tum quia, si illa Sacramenta causant illustrationes, ut supponitur, supernaturales, cur non poterunt causare etiam gratiam? Tum quia, fidelis ex consideratione Sacramenti, quod non suscipit, habet illustrationem & erectionem animi, neque tamen causatur in illo à Sacramentis gratia, quid ergo plus habet recipiens Sacramentum? Tum quia non accipit hæc doctrina phrases Patrum, ut sonant, ut cùm dicunt Sacramenta continere gratiam, extortè diceretur, quòd contineant illustrationes: deinde docent Patres Sacramenta causare gratiam sine addito, ergo ly gratia, non supponit pro erectione animi; verba item illa Augustini; Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & animam abluat, non possunt intelligi de ablutione per illustrationes & erectionem animi.

Punctum Difficultatis 4.

Supposito quòd physicè causarent Sacramenta gratiam, per superadditamne qualitatem causarent?

NOmine Virtutis superaddendæ Sacramentis, intelligi potest Virtus superaddita, ad illam qualitatem supernaturalem producendam, quâ mediâ, tanquam instrumento, agitur; & hæc virtus non datur, sufficitque ipse concursus Dei elevativus, ut dictum in simili in prima parte. Rursus nomine virtutis intelligi potest qualitas, quâ mediâ tanquam instrumento agant Sacramenta, ad eum modum, quo datur habitus supernaturalis, ut producatur actus gratiosus; & de hac virtute in præsenti quæritur; quâ virtute concessâ etiam actu, non erit necesse concedere prædeterminationem, sed sufficiet, si ponatur principium supernaturale actuum gratiosorum.

ASSERO Primò. *Probabilem esse qualitatem talem.*

RATIO: Tum quia non implicat. Tum quia est omnimoda proportio inter habitus supernaturales infusos, effectivè productivos gratiæ, & inter hanc virtutem; ergo si illa priora non repugnant, nec hæc virtus repugnabit. Tum quia possibile est Sacramenta causare physicè gratiam; ergo & possibilis est vis, per quam physicè causent.

ASSERO Secundò. *Supposito quod Sacramenta causent physicè gratiam, debet concedi talis virtus.*

RATIO: Tum quia ita S. Thomas hîc, q. 62. a. 4. in ⊙, & q. 27. de veritate a. 4. *Non operantur*, inquit, *Sacramenta ad gratiam per virtutem propriæ formæ, sed per virtutem Principalis agentis, scilicet Dei, in illis receptam*; & ait: Non aliter hanc virtutem inexistere Sacramentis ad operandam gratiam, quam inexistant species coloris in aere ad movendum visum. Tum quia nisi concedatur hæc virtus, non explicabitur, quî antecedentes partes formæ, producant physicè gratiam, quî consensus Bertæ absentis, causet physicè gratiam in Cajo. Tum quia nihil causat physicè, nisi in se vel in aliquo sui existat: ergo cum frequenter subjectum distet, in quo producenda est gratia, debet producens physicè conjungi illi, hoc autem non apparet quid sit, nisi virtus illa.

ASSERO Tertiò. *Non repugnat hanc qualitatem esse materialem.*

RATIO. Tum quia non implicat. Tum quia potest esse in homine, unio materialis, unitiva formæ spiritualis; ergo & potest esse virtus materialis, quamvis instrumentaria, productiva tamen entitatis spiritualis. Tum quia non repugnat Ens materiale supernaturale, nec repugnat illi conjungi effectionem rei spiritualis, per elevationem.

ASSERO Quartò. *Si hæc virtus esset materialis, indigeret elevatione ad producendum Spirituale, quantumvis supponatur illa virtus materialis, esse supernaturalis.*

RATIO: Quia non habet proportionem cum producendo effectu: ergo debet ad illum proportionari per elevationem; antecedens probatur: quia in materiali, quod est ignobilius genere, non potest præcontineri spirituale, quod est de se nobilius.

ASSERO Quintò. *Non repugnare etiam ut hæc qualitas sit spiritualis.*

RATIO: Quia non implicat.

ASSERO Sextò. *Qualitatem hanc spiritualem magis esse proportionatam gratiæ producendæ.*

RATIO: Quia ex una parte supponetur illa qualitas habitura vim causandi, & ex alia parte Spirituale & Spirituale magis secum conveniunt. Addo quamvis proportionaliùs sit ut materialia Sacramenta materialem virtutem producant; quia tamen, quid debeat & quale producere, spectari debet penes effectum & finem actionis, censenda erit talis virtus produci, quæ sit illi effectui proportionata, effectus autem iste est, Gratia, quæ est quid spirituale: unde etiam materialis ponitur modalitas in homine, quia finis, qui intenditur tunc, est ipsum compositum, quod non est spirituale, sed materiale: est quidem verum, quòd si eleventur Sacramenta materialia, ad illam producendam qualitatem spiritualem supernaturalem, duplici titulo indigeant elevari; & titulo, quia producerent qualitatem spiritualem, & titulo, quia supernaturalem, tamen attento fine illius qualitatis, ad quem producitur, & qui regulat conditionem virtutis producendæ, debet esse spiritualis.

ASSERO Septimò. *Non constare qualisnam de facto sit hæc Virtus.*

RATIO: Quia neutra potest asseri, quin simul debeant poni, vel nova miracula, vel novæ elevationes. Si ponatur materialis illa qualitas, indigebit, ut dictum, de novo elevari; si spiritualis, & hoc fine, vel miraculo, vel recursu ad Deum, non poterit salvari; de quo Præmisso quinto infra.

Explicatur hæc qualitas.

PRÆMITTO Primò. *Quod possit aliquid agere physicè quamvis in se non existat, modò existat in aliquo sui*, hoc est, virtute agendi sibi subordinatâ, & à Deo provisâ.

RATIO: Quia planta dissita generat aliam plantam, per suum semen; ignis dissitus alium ignem per calorem: & ratio est; quia prius est esse quàm causare; ergo si aliquid non sit, nec causabit: ergo cum non est in se, cum possit esse in vir-

in virtute sua, etiam causare poterit in sua virtute; certèque si ponatur aliquid causare in virtute sua, non dicetur adhuc causare nihil.

Præmitto Secundò. *Sicut in physicis, ad hoc ut dicantur aliqua causare, sufficit si existant in aliquo sui, ita sufficiet, ut existant Sacramenta in sua virtute.*

Ratio: Quia non est major ratio unius, quàm alterius.

Præmitto Tertiò. *Virtutem illam non recipi connaturaliter in ipso Sacramento, sed ab ipso produci.*

Ratio: Quia virtus illa est per modum principii, quod conjunctum subjecto, producat in illo effectum, tale autem principium non indiget recipi in agente, sed in subjecto, aliàs agens per nihil conjungeretur subjecto, cumque illa virtus non præstet suum effectum in ipso agente, sed in subjecto, in illo etiam recipi debet, ostenditque hoc inductio; quia calor v. g. per quem disponitur lignum, non est in igne, sed producitur in ligno seu subjecto, idem dic de aliis.

Præmitto Quartò. *Si illa virtus non recipitur in agente sed in passo, cum passum sit distans, si ponatur hæc virtus materialis, necessariò transmitti debet per medium.*

Ratio: Quia aliàs sine miraculo, non posset conjungi subjecto seu passo; cujus etiam in præsenti hæc ratio dari potest; quòd illa virtus sit quædam participatio divinæ virtutis, quæ ubique est, & est simul participatio virtutis humanitatis Christi, nam virtus instrumenti separati, est participatio quædam instrumenti conjuncti, jam autem virtus humanitatis Christi per omnia loca & tempora sparsa est per S. Thomam.

Transmissio hæc virtutis ponitur ordinariè non absimilis transmissioni lucis, transmissioni Virtutis Magneticæ, transmissioni influentiarum cœlestium in mineralia; & sicut virtus illa non operatur in medio, nisi in disposita materia; ita nec operatur illa virtus Sacramentalis, nisi in subjecto, ad quod transmittitur; & sicut species visibilis; sic & virtus Sacramentalis, est hujus Sacramenti.

Et certè quod attinet ad determinationem hujus virtutis, illa spectari potest vel in ordine ad non agendum, nisi in subjecto apto, vel in ordine nonnisi ad hoc subjectum seu recipiens. Quoad primum; requiret illa virtus subjectum aptum, quia illud requirunt etiam reliqua agentia & virtutes; quod attinet ut illa virtus sit determinata ad hoc Sacramentum, ratio est: quia cum illa virtus sit supernaturalis, non potest ab unoquoque principio provenire, sed nonnisi quod Deus elevaverit, supponitur autem Deus elevare nonnisi hoc Sacramentum.

Major est difficultas, unde oriatur determinatio illius virtutis, nonnisi ad hoc passum seu subjectum in individuo; consentiant enim duæ fœminæ distantes Cajo ad Matrimonium, non operabitur illa virtus, nisi in ea, cui Cajus consenserit; unde ergo habebit determinationem illa virtus, ut in hac potius causet gratiam, præcipuè autem, quia etiam aliæ virtutes, non determinant sibi nonnisi hoc passum; unde etiam & species visibilis Petri, non determinat sibi nonnisi oculum Pauli, cum possit Petrus etiam à Jacobo videri. Posset id ita explanari, nempe quòd Sacramenta, requirant intentionem, idque circa determinatam etiam materiam, determinatione interdum formali supra explicata, interdum determinatione materiali, ut constat in Sacramento Matrimonii; hinc nemo ducit, nisi Bertam, in individuo volitam; quodsi requirunt Sacramenta determinatam intentionem, ab illa intentione determinata, participant determinationem, nonnisi ad hoc subjectum ex vi Sacramentalis intentionis; ostendit hanc determinationem virtutis ad hoc passum inductio; quia v. g. in Sacramento, pœnitentiæ, virtus illa versatur circa reum se accusantem; & sicut sententia judicis non absolvit quemcunque reum, sed hunc vel hos in individuo; ita & virtus Sacramentalis, idem præstabit. In contractibus personalibus, habetur similis determinatio; nam si Petrus promittat se serviturum Paulo, non satisfacit, si sui loco substituat Andream, sic etiam cum in Matrimonio fit contractus personalis, fit ut virtus Sacramentalis hanc nonnisi Personam sibi determinet. Addo recurri etiam hîc debere ad oblationem concursus divini, una cum illa qualitate concurrentis, ad agendum in hoc subjecto.

Præmitto Quintò. *Casu quo hæc virtus sit spiritualis, non potest illa educi ab ipsomet Sacramento, è potentia obedientiali Subjecti dissiti, in quo producenda est gratia.* Ratio: quia cum illic non sit Sacramentum physicè, ubi est subjectum distans, nec etiam illic est in aliquo sui, quia tum primum illud aliquid sui produceret, nempe dictam virtutem, fit ut illic physicè non possit agere, & educere illam virtutem. Non potest etiam dici, quòd Sacramenta connaturaliter educant illam qualitatem è potentia sua obedientiali. Imprimis quia aliàs deberet transmitti per medium materiale, ut dictum supra, quod non est capax naturaliter qualitatis spiritualis, hoc enim convenit soli corpori humano, respectu animæ ad se essentialiter ordinatæ, non potest autem dici illa qualitas essentialiter ordinata, ad illud medium. Deinde cum non petat illa qualitas esse tanquam in subjecto in ipso Sacramento, ob Præmissum tertium, & tamen educi; respicit connaturaliter id, è quo educitur, tanquam subjectum, ideo connaturaliter non potest educi illa qualitas, è potentia obedientiali Sacramenti. Denique

quia si dicas illam qualitatem non transmitti, sed modo spiritualibus debito, pertransire à termino ad terminum sine medio, id etiam commodè dici non potest: non enim id præstare potest ipsa qualitas seipsâ ut faciunt Angeli, quia cum illa qualitas sit inanimis, non poterit illi virtus motiva competere. Non potest etiam recurri ad impulsum, quia hic fortè etiam in Angelis si ponatur, requireret transitum per medium, eo quòd non videatur convenire alteri transire ab extremo ad extremum, sine medio, nisi mobili spirituali animato; multiplicabuntur etiam istæ virtutes spirituales, producendæ à materiali. Quodsi recurras ad Angelum translaturum illam qualitatem, id etiam innaturale est.

Planiùs dici posset; quòd educat ipse Deus illam virtutem spiritualem è potentia obedientiali subjecti gratiam recepturi, licèt id faciat Deus, ad exigentiam supra explicatam complementi Sacramentalis, pro tunc physicè existentis. *His præmissis,*

Explicatur illa Virtus. Non repugnat ut aliquid non existens in se, existens autem in aliquo sui causet physicè, ut dixi Præmisso primo; consequenter sufficiet ut Sacramenta existant in aliquo sui, seu virtute, ut dixi Præmisso secundo; quam virtutem erit necesse recipi in subjecto gratiam accepturo, ut dixi præmisso tertio. Si autem sit qualitas illa materialis, & non educatur è potentia subjecti recepturi gratiam, transmitti debebit per medium, ut dixi Præmisso quarto. Si autem sit spiritualis, commodius dicetur eam educi à Deo, ad instantiam complementi Sacramentalis, idque educendo illam è potentia obedientiali ipsius subjecti, gratiam recepturi.

Punctum Difficultatis 5.

Defenditur hæc Qualitas.

Dices Primò. Impugnando, quòd illa qualitas non sit spiritualis. Ut dicatur aliquid causare in aliquo sui, debet illam virtutem producere illudmetipsum, præcipuè si sit instrumentum separatum; & sic semen deciditur à planta, calor producitur ab igne; ergo virtus illa nec est spiritualis, quia produceretur à materiali, nec potest produci à Deo, ut dictum.

Respondetur. Non repugnare, ut aliquid materiale, si elevetur producat qualitatem spiritualem. Rursus negatur quod instrumentum debeat produci à principali: frænum est instrumentum Equitatoriæ, non producitur ab Equite; quod etiam procedit de instrumento separato, nam quando attritu duorum lignorum producitur calor, ille calor est instrumentum separatum ignis, & tamen non ab igne, sed à lignis producitur, nec apparet quare talis productio, deberet esse de ratione instrumenti.

Instabis Primò. Si qualitas illa esset spiritualis, non tantùm in effici, sed & in recipi, penderet ab aliquo materiali, nempe à medio; ergo illa qualitas non esset spiritualis.

Respondetur. Non repugnare ut spirituale divinitus recipiatur in materiali, sufficitq; ut ex natura sua, non exigat subjectum corporeum: & ita gratia est spiritualis, licèt divinitus possit poni in lapide. Deinde negatum supra, hanc qualitatem si sit spiritualis, in medio recipiendam.

Instabis Secundò. Non apparet quomodo id, quod dicitur esse spirituale, educi possit è potentia subjecti extensi & corporei, non sit quoque divisibile & extensum.

Respondetur. Educi per nos, illam qualitatem è potentia obedientiali animæ gratiam recepturæ; deinde id quod fit elevata virtute, potest se accommodare conditioni naturali Agentis, non subjecti.

Instabis Tertiò. Posito quòd virtus spiritualis etiam divinitus pertransiret medium materiale, vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte medii, vel pars in parte, tota in toto. Non primum, quia id soli animæ debetur. Non secundum; quia supponitur illa qualitas non habere partes.

Respondetur. Immeritò assumi quòd soli animæ tribuatur ille modus existendi, cum etiam Angelus, divisibilem locabilitatis suæ sphæram occupans, sit totus in tota sphæra, & totus in qualibet ejus parte; sed quidquid sit de hoc, negatum supra, talem virtutem transituram medium materiale.

Dices Secundò. Urgendo quòd illa virtus non possit esse materialis, idque ex eo, quia est supernaturalis.

Respondetur. Ordinari illam qualitatem ad aliquid spirituale, sed cum indigentia ulterioris elevationis; repugnat autem elevari aliquid materiale, ad producendum spirituale. Addo anima rationalis non est corporea, licèt essentialiter ordinetur ad Corpus, phantasma etiam ordinatur ad impressam speciem spiritualem, & tamen est materiale.

Instabis Secundò. Illa qualitas æquè esset materialis ac Sacramenta; ergo si Sacramenta non sunt operativa gratiæ, nec illa virtus operabitur.

Respondetur. Non ex eo Sacramenta immediatè non producunt gratiam, quia sunt materialia, sed ex eo, quia non existunt physicè simul in se.

Instabis Tertiò. Non constare quòd ab aliquo materiali possit produci etiam divinitus spirituale.

RE-

Respondetur. Constare negativè, per: Non implicat.

Dices Tertiò. Impugnando universaliter qualitatem superadditam. Non est necessaria hæc qualitas.

Respondetur. Esse necessariam, casu quo concedas causalitatem physicam, ut dictum supra.

Instabis. Virtus Sacramenti Eucharistiæ non distinguitur realiter ab ipso Sacramento; ergo neque Virtus aliorum Sacramentorum.

Respondetur. Disparitatem esse, quia cum non agat Eucharistia nisi conjuncta recipienti, & existens tota simul in se, continetque in seipsum fontem gratiæ, non indigebit virtute superaddita; interdum autem Sacramenta, non sunt conjuncta in se recipienti, tumque indigebunt virtute superadditâ.

Instabis Secundò. Posita hac virtute, vel adhuc ipsa Sacramenta unà cum illa virtute moventur ad producendam gratiam, vel non moventur; si non moventur, ergo sola virtus, & non Sacramenta producunt gratiam; si moventur; ergo supervacanea est illa Virtus.

Respondetur. Retorquendo argumentum: An scilicet agente calore, dum extinguitur ignis, agat ignis, & an mortua planta agat, dum agit ejus semen. Directè dici potest; Quod partes præcedentes quæ non sunt, non agant physicè, agunt tamen denominativè, quia actiones virtutis vicariæ, attribuuntur causæ, cujus illæ agunt vices; complementum tamen significationis Sacramentalis existens physicè, majorem titulum habet.

Instabis Tertiò. Illa virtus non potest esse substantialis, quia est supernaturalis & adveniens, non accidentalis, quia deberet esse in prædicamento qualitatis, quod solet negari. Non potest esse permanens, quia S. Thomas Virtutem patrativam miraculorum nolebat esse in Christo permanentem; non transiens: quia non est motus, neque tempus.

Respondetur. Illam virtutem non esse substantialem, quia nullum hujus fundamentum; sed ex eo quod sit supernaturalis, non repugnat eam esse substantialem; nam licèt implicet substantia supernaturalis, non tamen implicat aliquid substantiale supernaturale qualis est unio hypostatica apud Modales, & per multos, subsistentia supernaturalis distincta non implicat. Rursus non ex eo quòd illa virtus habeat se per modum advenientis, præcisè infertur, non posse esse illam substantialem; nam differentiæ in Logicis concipiuntur per modum advenientis, & nihilominus in se sunt substantiales; erit tamen illa qualitas, ut dixi, accidentalis, ut ita magis proportionetur aliis virtutibus, quæ etiam sunt accidentales; erit autem transiens, nam si sit materialis, procedit ab uno extremo ad aliud, adeoque imitatur motum; si autem sit spiritualis, erit transiens; quia non recipitur in eodem principio, à quo producitur; & quia instantaneè operatur gratiam, ad quam producendam ordinatur de se. Quando autem negatur illam virtutem esse qualitatem, negatur in quantùm qualitas supponit, pro aliquo non activo.

Instabis Quartò. Sufficit poni virtutem humanitatis Christi. Supponit instantia, quòd agnoverit S. Thomas virtutem humanitatis Christi, per omnia loca & tempora sparsam, causativam omnium donorum supernaturalium, datam quidem in ipso instanti conceptionis, tanquam proprietatem quandam, debitam unioni hypostaticæ, licèt illâ non sit usus Christus, sicut nec qualitatibus glorioſi corporis, nisi post resurrectionem; hanc virtutem significant illa verba; Data est mihi potestas in cœlo & in terra. Objectum illius virtutis est, causare dona supernaturalia; hinc illa ante Incarnationem Christi dependebant à solo Deo, post ejus resurrectionem, etiam ab illa virtute; ad eum modum quo solaris radius dependet à Sole, inciperet tamen dependere à Luna, si ad hunc effectum à Deo assumeretur, & secundùm hanc virtutem humanitatis, verificabitur illud; De plenitudine ejus accepimus omnes.

Respondetur. Quidquid sit de hac virtute, adhuc admitti debet virtus Sacramentorum, suppositâ causalitate illorum physica; quia etiam in humanis, alia est virtus instrumenti conjuncti, instrumentum autem conjunctum est humanitas; alia virtus instrumenti separati, quale instrumentum, est Sacramentum; cumque illa virtus humanitatis, esset nonnisi assistens Sacramentis, non apparet quî per illam, ipsa Sacramenta dicerentur causare.

Instat Quintò Coning. Illa qualitas non se haberet per modum instrumenti, sed per modum causæ principalis; sicut intellectus unà cum lumine beatifico, non producit visionem ut instrumentum Dei, sed ut causa principalis.

Respondetur. Si res sit de Sacramentis comparatè ad Deum, erunt causa instrumentaria gratiæ; comparatè ad illam virtutem, erunt causa principalis, nec id repugnat; sicut non repugnat ut ignis, comparatè ad applicantem, sit causa instrumentalis, comparatè ad calorem, sit causa principalis; quod etiam concedi potest de ipso intellectu, qui in ordine ad vitalitatem est causa principalis, in ordine ad Deum, est per modum instrumenti. Quod autem attinet ad ipsam virtutem Sacramentalem, illa in productione gratiæ non se habet ut intellectus in productione visionis; quia intellectus

nulli

nulli creato intellectui in hoc subordinatur, illa autem qualitas, subordinatur ipsi Sacramento.

Instabis Sextò. Si esset aliqua qualitas, quæ posset producere gratiam, vel maximè id faceret actus Caritatis, sicut naturales actus, producunt suos habitus; ergo cùm actus, non possint producere gratiam, nec qualitas aliqua poterit.

Respondetur. Etiam actus Caritatis, posset elevari, ad producendam gratiam, non enim implicat; haberetque ille actus in ratione Entis, utpote spiritualis, majorem proportionem cum gratia spirituali, præ Sacramentis, quæ sunt materialia; sed in ordine elevabilitatis, non attendit Deus ad proportionem in ratione Entis. Unde major est proportio Angeli ad Deum, quàm hominis ad eundem, & tamen elevata est natura humana ad dignitatem hypostaticam, non autem Angelica. Quòd autem defacto actus Caritatis, non sit ad hoc elevatus, exinde est: quia elevatio pendet à mera libertate Dei, circa id autem dicitur Deus usus suâ libertate, quod ostendit authoritas Sacra, vel ratio: nihil horum duorum stat pro actu Caritatis, stat autem suppositâ causalitate physicâ Sacramentorum, stat, inquam, ratio pro hac qualitate; quia sine illa, non possent Sacramenta physicè producere gratiam.

Instabis Septimò. Vel illa qualitas habet ex natura sua, in se sufficientem vim, ad producendam simul cum Sacramento gratiam; sicut lumen gloriæ, unà cum intellectu habet vim sufficientem ad producendam visionem, vel non habet. Si primum dicatur, sequitur aliquam creaturam, scilicet compositum ex illa qualitate & Sacramento, posse naturaliter hominem justificare, hoc autem est absurdum & inter Catholicos inauditum, qui dicunt solum Deum, ut causam principalem, posse hominem justificare; quodsi dicatur secundum, dabitur processus in infinitum in elevationibus.

Respondetur. Imprimis retorquendo argumentum, quod probat gratiam non esse qualitatem supernaturalem justificativam, quia haberet vim expellendi peccatum; & si non est inauditum apud Catholicos id de gratia, nec erit impossibilis qualitas efficiens illam gratiam; inter Catholicos hoc solùm inauditum, quòd aliqua Creatura, intra ordinem naturalem, possit justificare, & quod habeat vim per modum causæ principalis dimittendi peccata.

Dices Quartò cum Esparza. Quia talis qualitas non apparet, quî possit communicare Sacramentis suum effectum formalem proprium; ideoque non redderet Sacramenta causativa gratiæ.

Respondetur. Sicut Calor, quo mediante producit ignis ignem, non tribuit effectum suum formalem igni, sed passo, quod calefacit, ita & virtus illa, secundùm quod à nobis defenditur; deinde cùm non recipiatur in Sacramentis illa virtus, non potest illis tribuere effectum formalem. Nego tatem quod non redderet illa virtus, Sacramenta causativa, si producerentur vel ab illo minimo Sacramenti, vel ad instantiam illius à Deo.

Dices. Quintò cum eodem. Perfectio specifica propria gratiæ sanctificantis, in nulla qualitate, quæ non sanctificans, potest contineri.

Respondetur. Perfectionem formalem specificam propriam gratiæ sanctificantis, in nulla qualitate, quæ non sit sanctificans, contineri; hoc ipso enim esset sanctificativa, si haberet perfectionem formalem gratiæ, esset enim etiam formaliter gratia; sed nego repugnare ut perfectio specifica gratiæ, causaliter contineatur in aliquo, quod non sit forma sanctificans, nisi causaliter, unde illa etiam qualitas, erit sanctificans effectivè, licèt non formaliter.

DIFFICULTAS II.

De Causalitate Sacramentorum veterum.

Præmitto Primò. *Divisos esse authores*; An scilicet Sacramenta vetera, nominatim Circumcisio, produxerit gratiam ex opere operato, vel non? Produxisse gratiam ex opere operato docet Suar. Valent. & antiquioribus Scotus, Aureolus, quibus accessit Pontius disp. 41. n. 10. Non produxisse autem gratiam ex opere operato, docet Vasq. Coning. Amicus, disp. 4. n. 3. Lugo mediam viam videtur iniisse disp. 5. Sect. 3.

Præmitto Secundò. *Sacramenta veteris legis, non causasse gratiam ex opere operato.*

Ratio Prima Authoritas Florent. quod assignans distinctionem inter veteris & novæ legis Sacramenta; *illa*, inquit, *non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt*; ubi ly *Solùm* excludit à ratione causæ simpliciter, Sacramenta veteris legis.

Ratio Secunda Authoritas Trident. Sed supponenda est doctrina Lutheri, cujus meminit Bellarm. qui in libro de Babylonica Captivitate; Error, inquit, est, Sacramenta novæ legis, differre à Sacramentis veteris legis, penes efficaciam significationis, id est, quod nostra efficaciter significent, faciendo quod figurant, non illa. Huic doctrinæ ut se opponeret Trident. decrevit Sess. 7. c. 2. Sacramenta novæ legis non differre à Sacramentis antiquæ, per hoc solum quia sunt diversæ Cerimoniæ & ritus externi. Ex quo loco sic urgeri posset. Differentia

rentia inter Sacramenta novæ legis & veteris non stat ratione Cerimoniarum tantùm ; ergo ratione aliûs. Ergo in ratione causandi gratiam, quia Sacramentum nihil plus dicit, quam rationem Signi & rationem causæ. Ergo si præter rationem Signi differunt Sacramenta, debent differre in ratione causæ, seu non habere rationem causæ.

Respondet. Pontius Concil. tam Trident. quàm Florent. agere de Sacramento antiquæ legis, non autem de Sacramento Circumcisionis ; quod solum inter omnia conferebat gratiam; præcipuè cum Circumcisio, non reputetur propriè Sacramentum veteris legis; quia licèt habuerit valorem in illa lege , tamen quia erat inceptum tempore Abrahæ, non erat propriè Sacramentum illius legis. *Hæc responsio*

Non satisfacit. Tum quia quod est verum de Universali, verum est etiam de particularibus in illo contentis ; sed vera est hæc Universalis Negativa : Nullum Sacramentum veteris legis causabat gratiam ; ergo etiam vera erit de particularibus in illa Universali contentis; sed Circumcisio continetur in illa Universali; quod ipsum probatur : Tum quia consentiunt omnes circumcisionem esse Sacramentum legis antiquæ. Tum quia quod in ante fuerat instituta non obest ; quia cum erat instituta Abrahamo, non habebat fortassis rationem Sacramenti, nam & Matrimonium, est institutum in ratione Sacramenti à Christo, quamvis in ante, Matrimonium, fuerit. Tum quia hæc explicatio textui claro Florentini repugnat ; quod non meminit legis scriptæ sed antiquæ ; nomine autem legis antiquæ, venit & scripta & naturalis lex. Addit Lugo quia quamvis Circumcisio non fuerit primò instituta in lege Moysis, in ea tamen lege positum est Sacramentum Circumcisionis, ut habetur Levitici 12. Eamque appellat Christus ex lege Moysis esse Joan. 7. *Si circumcisionem accipit homoin sabbatho ; ut non salvatur lex Moysis.*

Ratio Tertia ex locutionibus Scripturæ & Patrum. Quod ad Scripturam attinet Paulus ad Ephes. 4. Sacramenta antiqua appellat infirma & egena elementa. Ad Hebr. 10. tota lex vocatur umbra, quæ non potuit facere perfectos accedentes ad se. Quod ad Patres attinet, Primus sit Ambrosius , qui in illum locum ad Rom. 4. Signum accepit Circumcisionis , signum Justitiæ, Fidei ; sic post plura ait ; *Non ergo Circumcisio aliquid habet dignitatis , sed signum est tantum.* Similia habet lib. 1. de Sacramentis cap. 4. & 6. lib. de iis qui initiantur cap. 8. & 9. lib. de Abrahamo cap. 4. Consonat Chrysost. hom. 27. in Genes. *Ad justitiam*, inquit, *ipsa circumcisio nihil conducit* ; plura loca vide apud alios, ea quæ in oppositum dici possent, stant authoritatibus, quarum aliquæ fundantur in illo Gen 17. *Masculus cujus præputii caro præcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo*; sed ex authoritate plurium interpretum , agitur ibi nonnisi de hoc , quod incircumcisus, esset separandus à populo, tanquam profanus.

Præmitto. Tertiò. *In præsenti de hoc esse difficultatem* , qui Sacramenta legis antiquæ à nostris diverso modo causarint gratiam. Ratio dubitandi, quia tam posità circumcisione justificabatur parvulus, quàm nunc justificatur posito baptismo ; quomodo ergo differunt hæc Sacramenta.

Explicant Primò aliqui , quod Circumcisio causarit gratiam nonnisi moraliter , Baptismus autem physicè. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit Primò. Quia multi negant causalitatem physicam , omnes autem agnoscunt differentiam ob præcitatas authoritates , & agnoscentes causalitatem physicam, non ubique illam ponunt , salvâ tamen semper distinctione.

Non Satisfacit Secundò. Quia non inquiritur hic diversitas in modo causandi, sed in substantia , scilicet de ipso causare gratiam ; & sicut qui tenet interdum physicè, interdum moraliter Baptismum v.g. cum fictione sumptum, causare gratiam, non eo ipso ponit differentiam inter Baptismum & Baptismum ; ergo nec in præsenti poneretur ; nec ad quæstionem unius prædicamenti, respondendum per quæstionem, aliûs prædicamenti.

Non Satisfacit Tertiò. Quia Florent. antiquis Sacramentis tribuit nonnisi rationem Signi, jam autem præsens Explicatio tribuit illis, etiam rationem Causæ moralis ; & sicut ii, qui docent Sacramenta nonnisi moraliter causare gratiam, per hoc non asserunt, quòd Sacramenta habeant nonnisi rationem Signi ; sic nec ista explicatio tribuet illis (ut tribuere deberet) solam rationem Signi, sed etiam tribuet, rationem Causæ moralis.

Explicant Secundò alii. Quòd licèt gratia fuerit semper data infantibus circumcisis , & nonnisi circumcisis ; loquendo de infantibus Hebræorum, dabatur tamen gratia, solùm propter actum fidei, cujus protestatio erat circumcisio, non tamen justificabantur absque circumcisione, &c. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia difficultatem de ipsâ Circumcisione proponi solitam , transfert ad ipsam fidem, vel potius ad complexum ex Fide & ex circumcisione, restatque quærere, quomodo hæc distincta fuerint à nostris Sacramentis, parumque refert, quòd illa Fides non fuerit in se sensibilis ; nam etiam dolor de peccatis , sufficit quod sit sensibilis, per actus externos pœnitentis; nec valet si recurras quòd Circumcisioni non fuerit alligata promissio justificationis ; sufficit enim , quòd ipsi complexo fuerit alligata.

Ex-

Explicat Tertiò Lugo Circumcisionem ex sua institutione, nullam vim habuisse justificandi, sed solum fuisse Signum Judaismi; cum hoc tamen stat, quòd in circumcisione & per circumcisionem parvuli regulariter justificarentur; quia remedium legis naturæ, quod appellari debebat aliquo Signo externo, quod esset protestatio Fidei internæ de Christo venturo, regulariter etiam applicabatur per ipsam Circumcisionem, ut una & eadem actione duplici præcepto satisfieret. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit Primò. Quia non respondet ad punctum difficultatis universim; nam posito etiam quòd circumcisio per se sit instituta ad discernendum nonnisi populum, & quòd ipsa fides justificare debuerit, quamvis hoc vel illo actu externo manifestata, adhuc de illa fide prout ita manifestatâ, & de illo toto Complexo quærere restat, quid distinctionis habuerit, à nostro Baptismo, debet autem habere ob præcitatas phrases Sacras.

Non Satisfacit Secundò. Quia per multos mera est divinatio, quòd ex libertate Israëlitarum, assumpta sit circumcisio in protestationem Fidei, & quod id, non sit institutum à Deo.

Non Satisfacit Tertiò. Sacramenta, quorum magis explicitam materiam & in individuo determinare spectabat ad Ecclesiam, non sunt per hoc distincta à Sacramentis, quorũ in individuo determinavit Christus materiam; ergo nec Sacramenta legis antiquæ, v. g. Circumcisio, distincta erit à Baptismo, quamvis in Individuo Israëlitæ protestationem fidei, determinarint ad Circumcisionem; nam etiam circumcisio, videtur esse determinata in universali seu formaliter, quia determinavit Deus Signum aliquod eligendum, ad protestandam fidem. Et sicut quamvis contractus matrimonialis præfuerit Sacramento, adhuc est Sacramentum, quia præstat in suo genere, quod alia Sacramenta præstant in suo: ita quamvis in ante fuerit institutum signum externum fidei internæ, si circumcisio id præstat, quod præstaret actus externus protestativus fidei, adhuc circumcisio erit Sacramentum; & quæritur; quî distinctum? *Ut hoc explicetur*

Præmitto Primò. *Dictum sine addito, primò & per se, de Substantiali intelligitur, in illo genere*; dictum enim sine addito, supponit pro principali, principale autem, est ipsa substantia rei; dixi in suo genere, id est sivè in ordine physico, sive in ordine morali, habeat se illud pro substantiali, & præcipuo Moralitatis; unde cum dicitur vetera Sacramenta non causasse gratiam, accipi debet primò & per se, de ipsa substantia Sacramenti; consequenter cum substantia Sacramenti stet signo & causalitate, absolutè negandum erit, habuisse causalitatem Sacramenta vetera, per ordinem ad gratiam.

Præmitto secundò. *Quòd dictum simpliciter, interdum ex usu humano, importet etiam nonnisi conditionem & aliquid connexum*; sic ad interrogationem, quare hæc vestis combusta; responderi solet, quia est approximata igni? ubi combustio attribuitur approximationi seu conditioni, consequenter poterit etiam aliquid, Sacramentis aliquibus tribui, substantialiter, vel certè, tanquam conditionibus.

Præmitto Tertiò. *In dubio, an dictum simpliciter sit accipiendum pro ipsa substantia rei, an pro aliquo connexo, decerni debet ex circumstantiis dicti simpliciter prolati*; & sic motâ quæstione philosophica, quid sit causa combustionis, recurretur ad ignem, positâ autem vulgari interrogatione, recurretur ad proximationem.

Præmitto Quartò. *Patres in diversis Circumstantiis egisse de circumcisione*: nam interdum agebant cum Judæis, majus æquo pondus, in circumcisione ponentibus; & dicebant Sacramenta legis antiquæ vacua fuisse, & quod inillis fides interna, principatum habuerit; interdum agebant contra Pelagianos, negantes originale, & alios hæreticos, qui negabant parvulis provisum esse sufficiens remedium, vel quod parvuli ante usum rationis baptisari possint, ut se his opponerent, dicebant baptismum succesisse circumcisioni, quæ tamen die octavo siebat; dicebant Circumcisione remissum fuisse originale; & ita Innocentius III. Cap. Majores de Baptismo, dicit originalem culpam remissam per circumcisionis mysterium. Illustrat hoc Amicus, quemodo circa eandem rem secundum diversas circumstantias diversa statuta sint dogmata, nam Arausicanum II. Can. 2. definit: *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum*, & nihilominus Pius V. & Greg. XIII. damnant hanc propositionem Baji *Liberum arbitrium sine gratia & Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*, & tamen prior propositio est vera, quia procedebat in circumstantia, in qua Pelagius liberum arbitrium, dicebat, se solo esse sufficiens ad salutem; posterior etiam est vera, quia procedit in circumstantia, in qua Bajus voluit, quod nec ad bonum naturale honestum, habeat vim, sine gratia supernaturali, homo.

Præmitto Quintò. *Etiam posito quòd non circumcisio, sed fides interior habeat rationem principalis in Sacramentis legis Scripturæ, quære adhuc restat, per quid distinguatur illud v. g. Sacramentum à Sacramento baptismi*, recurrique ulterius debet ad hoc, quia Sacramenta antiquæ legis habeant se nonnisi per modum conditionis, ad justificationem. Sacramentum autem novæ legis habet se aut per modum causæ physicæ, & tunc non esset quærenda ulterior differentia, aut per modum causæ moralis.

Sed

Sed quo hæc duo distinguuntur, scilicet conditio, & causa moralis, de quo jam dictum supra. Insuper imprimis suppono distingui debere hæc duo, nam datur in physicis ratio causæ, & conditionis physicæ; ergo datur etiam in moralibus ratio causæ moralis & conditionis moralis; & ratio est: quia datur definitio causæ, datur & definitio conditionis; hinc primum illud, applicatum in moralium linea, ostendit causam moralem, posteriùs, ostendit conditionem moralem; hoc supposito ex dictis illud erit causa moralis, quod in genere moris (supple rogando, movendo, imperando) habet vim determinandi ad existentiam alicujus; conditio autem est id, sine quo Non effectus, seu, quod cum non habeat vim moraliter producendi aliquid, requiritur ad hoc, ut producatur aliquid. Cujus ipsius ratio est, quia causa ut sic rectè definitur per dictam vim determinandi; ergò & causa moralis, per vim determinandi moraliter ad existentiam gratiæ: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita tale ad tale; ostendit hoc proportio cum manifestè causa, & cum manifestè conditione, ita ut illud sit causa moralis, quod accedit ad manifestè causam, illud autem conditio moralis, quod accedit ad manifestè conditionem; & ita Syngrapha data, accedit ad manifestè applicationem: sicut enim applicatio applicat principium effectivum, quod est v. g. vis, ita illa syngrapha applicat & voluntatem Regis, & voluntatem thesaurarii, qui est physica causa dationis, jamque delaberur difficultas ad minorem, quæ in hoc erit; Etiam nostra Sacramenta poterant habere nonnisi rationem conditionis sine qua Non ad justificationem, ut ergò dicantur habere rationem causæ, recurri debet ad authoritatem, quæ ostendit sic voluisse Deum, & quidem quod est nonnisi Signum, indubiè non est causa moralis, sed conditio moralis sine qua Non; jam autem Sacramentum veteris legis per Florentinum, est nonnisi signum gratiæ, nostra autem etiam illam causant; illa appellantur egena & vacua, nostra autem dicuntur continere gratiam quam significant; quæ omnia si non possint intelligi de causalitate physica, saltem debent intelligi de causalitate morali. Illustratur hoc instantiâ; Nummus enim v. g. plumbeus dupliciter se habet, vel enim est signum dandi centum, vel valet pro centum ob deputationem Principis ita instituentis; priori modo se habens, est conditio dationis centum, posteriori autem modo, est suo modo causa habitionis centum, habet enim vim sibi tributam, valoris centum: ita quia sibi habent valorem hunc tributum, quantumvis moralem Sacramenta novæ legis, ideo erunt causa gratiæ moralis, quem valorem cum non habeant Sacramenta veteris legis, ideo erunt nonnisi conditio dandæ gratiæ.

Ex his præmissis

Explicatur. Differentia inter Sacramentum novæ & antiquæ legis; Quòd scilicet dictum sine addito supponat pro substantiali adeoque principali, ut dictum Præmisso primò; hinc cum Patres enuntiabant Sacramenta antiquæ legis nihil valuisse, debet id accipi de Sacramentis veteris Legis, in ratione Signi, Causativi Gratiæ, spectatis, hoc enim, quod est esse Signum Causativum gratiæ, est principale quid, in Sacramentis. Quia tamen id quod est natum designare nonnisi substantiale quid, designat interdum conditiones, ut dixi Præmisso secundo; ideo quamvis interdum dixerint Patres, quòd Circumcisio abstulerit Originale, intelligi poterit de circumcisione tanquam conditione; ut autem intelligatur, an aliquid verificetur tanquam de conditione, an simpliciter sine addito, pensandum est ex circumstantiis, ut dictum Præmisso tertio; quid autem servandum in præsenti, dixi Præmissio quarto. Quodsi causare gratiâ non conveniat secundùm substantiam suam spectatis & Fidei & Circumcisioni, sed tanquam conditionibus, cum id nostris Sacramentis competat tanquam causis, ut dixi præmisso quinto, adhuc sufficienter different. Breviter Sacramenta antiquæ legis & novæ sunt distincta simpliciter, quia in prædicato complente substantiam Sacramenti, nempe in ratione causæ, differunt, eo quòd nec fides, nec circumcisio justificationem causarit, sed solùm erat conditio, quâ positâ Deus justificabat homines.

Dices Primò. Cum Lugone, quia Phrases Conciliorum & Patrum aliquid plus videntur intendisse, quam negare solam causalitatem & relinquere rationem conditionis sine qua Non; quia quod attinet ad suscipientium utilitatem, parum refert, quod baptismus causet gratiam & Circumcisio habeat se per modum conditionis, si utrumque affert infallibiliter justificationem; hinc Florent. non solùm rationem causalitatis excluśit à Sacramentis antiquæ legis, sed omnem omnino utilitatem, seu modum conducendi ad gratiam, hoc enim sonant illa verba, solùm figurabant gratiam postea dandam per Christi passionem, quod si erant conditiones, infallibiliter afferentes gratiam, non posset absque illorum injuria dici, quòd solum erant figuræ gratiæ futuræ, & nobis dandæ.

Respondetur. Negando plus intendisse Patres, quia distinctio Sacramentorum novæ legis & antiquæ, non spectabatur in effectu quocunque modo sequi nato. De fide enim est, etiam Sacramentum antiquæ legis, institutum ad auferendum originale, non reliquisse subjectum suum non justificatum ab originali, cæteris paribus; debet ergò aliunde taxari. Concilium ergò Florentinum, hoc ipso quia Sacramentis tribuit rationem, ut supponitur, signi infallibilis, tribuit illis etiam utilitatem in ratione signandi, licèt in ordine ad producendam gratiâ,

utilitatem in illis non agnoscat; & sicut si Princeps ordinaret, ut detur eleemosyna Pauperi; quoties gallus cantaverit, potest dici sine injuria illius cantûs, quòd non ditet pauperem, eo quòd non sit causa & principium illius eleemosynæ: ita & in præsenti; & sicut sive Princeps nummum plumbeum velit esse signum dationis centum, sive valere centum, utrobique est idem eventus habitionis centum, sed tota diversitas est, quòd in priori sit conditio habitionis centum, in posteriori, ipsa ratio habendi: sic & in præsenti.

DICES Secundò cum eodem. Argumentum quo utuntur Patres ad probandam inutilitatem circumcisionis, quòd fœminæ non tali remedio justificatæ fuerint, eodem modo probat, non fuisse conditionem necessariam ad salutem, quia illo remedio caruissent fœminæ.

RESPONDETUR. Argumentum Patrum probat non fuisse circumcisionem necessariam ad salutem, quoad utrumque sexum, sed non probat, quòd non fuerit conditio necessaria, respectu Masculorum Israelis; unde etiam comparativè major est utilitas baptismi, quia universalior.

DICES Tertiò. Sacramenta legis antiquæ non causabant gratiam ex opere operantis, quia aliàs effectus circumcisionis, qui est ita necessarius, hoc est, justificatio ab originali, dependisset à conditione multis periculis obnoxia; ergò causare debuit gratiam ex opere operato, quia nihil medium datur, inter duo illa extrema; ergò circumcisio non erat sola conditio, sed vera causa.

RESPONDETUR. Quod ad hoc ut aliquid ad alterutrum divisionis membrum spectet, opus sit participare de illo genere quod dividitur; & sic planta, neque est homo, neque brutum, quia non participat ex genere, quod est animal; unde etiam Sacramenta legis veteris neque causabant gratiam ex opere operato, neq; ex opere operantis, quia non participabant ex genere, quod est causare gratiam, causabant tamen ex opere operato sanctitatem legalem & habebant, erantque conditio sine qua Non justificationis, ita ut esset conditio sine qua Non, ut ita dicam ex opere operato, habendo scilicet aliundè sibi tributam vim, ut esset conditio, & quidem infallibiliter talis.

DIFFICULTAS III.

De Sacramentis Statûs Innocentiæ, Legis Naturæ eorumque Causalitate.

QUÆRES Primò. *Quid sit sentiendum de Sacramentis status innocentiæ?*

ASSERO Primò. *Pro statu illo brevissimo potuisse institui à Deo aliqua Sacramenta, non fuisse tamen instituta.*

Prioris partis RATIO est. Quia non implicat, & institutio Sacramentorum pendet à mera Dei libertate, qua non est ratio, cur Deus tunc uti non potuisset, si voluisset, stabilitasque ut dictum supra, non est de ratione Sacramenti.

Quod autem pro statu illo brevissimo non fuerint ulla Sacramenta instituta, RATIO est, quia hujus nullum fundamentum, ex ratione, vel Patribus habetur.

ASSERO Secundò. *Casu quo ille status duraſſet, & Adam non peccaſſet, adhuc futura fuiſſe Sacramenta.*

RATIO prima asserti est; Quia casu quo Adam non peccasset, verbum incarnatum fuisset, ergò & applicasset fructum suæ incarnationis, quæ applicatio convenientiùs præstari non potuit, quàm per signa visibilia.

RATIO secunda est, invertendo oppositorum fundamentum quod sumunt ex S. Thoma hic de Minis. Sacrament. art. 2. in (·). Quia scilicet non esset contra rectitudinem status innocentiæ, si anima perficeretur per aliquid corporale, cui soli fundamento innituntur oppositi, non fuisset autem hoc contra dictam perfectionem, probatur. Tum quia non fuisset contra perfectionem illius statûs, imò secundùm conditionem esse hominis, quantumvis in pluribus scientiis, & saltem illa experimentali, dependissemus à sensibus, adeoque ab externis & corporalibus, sicut non fuit contra perfectionem ipsius Christi, dependere in scientia experimentali à corporeis. Tum quia adhuc eo casu, ex suppositione quòd Christus venisset, pro illo statu, ut dictum est in materia de Incarnatione, dependisset ille status ab aliquo corporeo, quod adhuc tunc fuisset caput influens in membra, nempè à Christo, qui sumptus pro toto hypostatico, importat etiam corpus, tanquam partem substantialem physicam, naturæ humanæ.

RATIO tertia est. Quia de facto status ille innocentiæ, dependebat à corporalibus in gratia & in scientia. Quod ipsum probatur quia conservatio gratiæ, pendebat in primis Parentibus, ab aliquo, cum esse corporeo conjuncto, hoc est, à voluntate non comedendi vetitum pomum, quæ voluntas erat connexa cum aliquo corporali, hoc est Pomo. Addo statum innocentiæ non in hoc fuisse, quòd non dependisset & dependere non potuisset anima à corporalibus, aliàs ut dixi, debuisset in illo statu cognitio saltem experimentalis non dependere à sensibus, sed stabat in subjectione & dominio, secundùm quod, pars superior, dominabatur sensitivæ, & parti superiori ratio, & rationi Deus. Discutit pluribus hanc quæstionem Di Cast: in duplici suppositione sententiæ de Verbi Incarnatione, si Adam non peccâsset; consule eundem Disp. 1. num. 223.

DICES. Homo tunc non indigeret Sacramentis

tis Medicinalibus, quia tunc liber esset à peccato, nec ordinatis ad animæ perfectionem, nam propter subjectionem hominis Deo, & passionum homini, facile uniri posset homo, Deo.

Respondetur. Imprimis non esse certum, quòd in eo statu, non essent peccaturi homines; sed quidquid sit de hoc. Quia varias vias Deus habet hominem uniendi sibi, esset adhuc modus uniendi sibi eum, per Sacramenta.

Assero Tertiò. *Quòd defacto pro illo statu statuta fuissent sacramenta ejusdem rationis cum nostris, certò decidi non posse.*

Ratio asserti est. Quia ipsi pro illo statu nemo peccaturus fuisset, non forent necessaria Sacramenta, quæ connecterentur per se cum ablitione peccati ut v. g. Pœnitentiæ Sacramentum: vel quæ supponunt debilitatem in voluntate resistendi, qualis est v.g. confirmatio. Cæterum si futura fuissent peccata etiam pro illo statu, potuissent à Deo poni remedia ad illa. Quod attinet ad Sacramenta non connexa cum peccato, quamvis v. g. Eucharistia non habeat connexionem cum peccati suppositione, sed cum sola suppositione excessivi amoris divini, quia tamen liberè hunc amorem Deus monstrat, nec erat obligatus ad illum hoc medio monstrandum, nec habetur fundamentum in Patribus id asserendi, hinc mera divinatio est, asserere, quod in illo statu, futurum fuisset Sacramentum Eucharistiæ aut alia, ejusdem rationis cum nostratibus.

Quæres Secundò. *Quid sit sentiendum de Sacramentis legis Naturæ*, quæ appellatur lex naturæ, non quòd careat omnibus bonis supernaturalibus, aliàs ex illa lege, nullus salvus fuisset, nam salus datur in præmium actuum supernaturalium; sed appellatur naturalis, quòd sicut natura est principium agendi ab intrinseco, sic gubernatio illius legis, dependebat ab interna inspiratione, & directione externa Parentum vel aliorum, quæ tamen nulla publica lege, sancita fuerunt à Deo. *Et de Sacramentis hujus legis.*

Assero Primò. *Fuisse in statu Naturæ remedium pro originali.*

Ratio Prima est auctoritas August. lib. 5. contra Julian. cap. 9. & Innocent. III. Majores de Baptismo.

Ratio Secunda est. Quia nihil obstat, & ex alia parte congruebat hoc infinitæ Dei misericordiæ.

Ratio Tertia est. Quia oppositum asserentes (quorum tacito nomine meminit Vasq.) non possunt simpliciter accipere illam propositionem: Deus vult omnes homines salvos fieri, & neminem perire vult: si enim parvulis nullum remedium est provisum, cum multi ex illis morerentur, perire illos voluisset, illaque sententia nonnisi restrictè ab illis accipi potest, hoc est restringendo vel ad adultos, vel ad statum legis scriptæ & legis gratiæ. Indubiè autem ex dictis supra, illa Sacramenta, Deus interna inspiratione instituit, determinavitq; saltem materialiter

Respondebis. Quod defacto illis qui in utero moriuntur, nullum sit provisum remedium etiam in statu gratiæ, ergò etiam parvulis pro illo statu, potuisset non provideri.

Contra est. Quia infantibus etiam in utero matris existentibus quantùm est ex parte Dei & Sacramenti sufficienter provisum, nam etiam ad illum statum puerorum extendit se Sacramentum, si qua ratione applicari possit, jam autem si in lege naturæ nullum fuisset provisum remedium, etiam ex parte Dei, & ex parte ipsius modi justificandi, defectus fuisset, & si non applicetur nunc remedium, defectus non applicationis, non orietur ex natura Sacramenti, sed per accidens: ad eum modum, quo aliquis destitutus confessario in articulo mortis, cum sola attritione, non salvatur, nec id est ex defectu Sacramenti, sed ex defectu applicationis ipsiusmet Sacramenti pœnitentiæ.

Assero Secundò. *Hoc remedium fuisse fidem parentum parvulis applicatam.*

Ratio est. Quia nihil commodiùs assignari potest, & est conforme illi dicto: Impossibile est sine fide placere. Hæc autem fides debet esse actualis, contra quam sentit Abulensis, & non est sola habitualis; aliàs etiam in utero Parentum, filii justificati fuissent, habuissetque illa fides majus privilegium quàm legis scriptæ.

Hæc ipsa fides supernaturalis debebat esse Ratio communiter assignari solet, quia justificatio, non tribuitur, nisi fidei supernaturali, ut constat ex materia de Fide. Sed hæc ratio non convincit, quia illa fides non esset causa justificationis etiam dispositiva, consequenter non esset necesse ex hoc capite, esse illam supernaturalem. Commodiùs hæc ratio assignari potest, quia fides illa, quantumvis nonnisi per modum conditionis se haberet ad justificationem, nihilominus ex parte sua, magis esset proportionata supernaturalis, ad hunc effectum supernaturalẽ. Quod autem dicunt aliqui sufficisse naturalem ex parte elicientis, quantumvis foret supernaturalis ex parte objecti, idque ideo; quia incerta admodum fuisset illa justificatio; id non convincit, quia etiam in confessione requiritur attritio supernaturalis, nec sufficit naturalis, & tamen inde non sequitur, dubiam reddi confessionem, idque ex eo, quòd sicut in rebus naturalibus positis requisitis ad agendum non subtrahit Deus suum concursum, tanquam auctor naturæ, sic circa supernaturalia, positis requisitis & cæteris paribus, non subtrahit Deus concursum, tanquam causa supernaturalis prima.

Nec debebat esse hæc fides charitate formata. Ratio est, quia hæc conditio non constat ex Scriptura, vel auctoritate, cõsequenter infertur, illam fidem non habuisse rationem meriti de condigno; quia nemo alteri meretur gratiam

de condigno, ut dictum est in Materia de Incarnatione: non de congruo, quia etiam de hoc non constat.

Neque dicendum est, illam fidem fuisse ea ratione meritoriam, eò quòd eliceretur nomine Ecclesiæ, nam hoc elici, fuisset ex deputatione Ecclesiæ, & mandato, ut constat in omnibus, nomine aliûs agentibus, in lege autem naturæ, non constat de tali deputatione. Quare autem exigita fuerit à Deo hæc Fides, quantumvis non esset meritoria, congruentiam assignat Lugo, quia non est novum, quòd ad aliquam gratiam obtinendam, exigatur aliqua actio, quæ secundùm se & ex objecto, sit bona, licèt in particulari, & in individuo, non fiat honestè, ita tamen ut per illam obtineri possit effectus; sic Pontifex concedit indulgentiam visitantibus talem vel talem Ecclesiam, & tamen id fieri potest, malè veniali-ter.

Cæterum hæc fides legaliter loquendo, debebat à Parentibus applicari, quamvis in casu necessitatis, potuisset applicari ab aliis: sicut & baptismus legaliter à sacerdote applicari debet, in necessitate autem à quocunque.

Assero Tertiò. *Præter fidem parvulis applicatam, probabilius est, etiam intercessisse signum aliquod externum, quamvis quod illud fuerit in particulari, non constet.*

Ratio est. Tum quia talis modus agendi est magis proportionatus, esse humano, à corporeis & sensibilibus, dependenti. Tum quia aliàs potuisset etiam infantibus mortuis in utero antequam morerentur applicari; quod non potest concedi, aliàs liberaliùs Deus providisset in illo statu infantibus, quàm in lege gratiæ, iis, qui contenti in utero matrum baptisari non possunt, casu, quo eos aqua, nullo modo contingere possit. Tum quia sequitur absurdum, nempe actu interno unius, justificari omnes parvulos in mundo, quæ sequela probatur; nam actio interna non exigit propinquitatem sui termini, ergò ad quoscunque distantes extendi potuisset. Quando autem S. Th: & August: de sola fide loquuntur, id faciunt, quia illa sola est, determinatum quid, signa autem protestandæ illius fidei in ordine ad justificationem, nulla erant stabilia.

Assero Quartò. *Quod illa fides signo externo manifestata, fuerit verum Sacramentum.*

Ratio asserti est. Tum quia August. lib. 5. contra Julian: cap. 9. ita sentit. Tum quia illi fidei ita manifestatæ, nihil deerat ad Sacramentum quia & significabat, & simul habebat rationem causæ, in ordine ad sanctitatem imperfectã, aggregando scilicet infantem visibili Ecclesiæ. Neque obstat, quòd illud signum fuerit indeterminatum, erat enim determinatum formaliter, quòd scilicet deberet esse convenienter protestativum fidei, licèt non foret determinatum materialiter, per ordinem ad hunc vel illum modum protestandi, qualis determinatio Christi, intercessit in Sacramento ordinis & Matrimonii.

Discutiunt hic aliqui: An facilior fuerit justificatio in statu illo naturæ, quam in præsenti, statu gratiæ? Ratio autem dubitandi est, quia faciliùs quocunque modo potest fieri protestatio fidei & ejus actus, quàm semper invenire aquam, quàm semper nonnisi concepta verba formæ pronuntiare & cætera similia: pro altera autem parte ratio dubitandi est, quia multo difficilior erat fides actualis & exercita Messiæ, quàm nunc est aqua & verba formæ; sed hæc ratio non convincit, nam quamvis expresse dicat Augustinus lib. 2. de Nupt. cap. 12. *Eadem* inquit *fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis*; nihilominus non exprimit qualisnam illa fides debuerit esse, explicita an implicita; quod-si sufficiebat implicita, non ostenditur, qui illa difficilior fuerit. Rursùs cum dixerimus in materia de fide quòd fides explicita incarnationis non sit de necessitate medii, idem proportionaliter huc transferri debet & probabiliter docet Amicus disp. 3. n. 82 sufficisse implicitam fidem. Congruentiam assignat; quia aliàs non fuisset sufficienter parvulis de medio salutis provisum, pauci enim poterant habere illam explicitam fidem; concedi posset, quoad quid, faciliorem fuisse in statu Naturæ significationem, sufficere tamen, quòd in statu gratiæ difficilis non sit parvulis, non ut æque facilis, præcipuè in circumstantia aliarum prærogativarum baptismi, quibus excellit & præcipuè majori infusione gratiæ. Rursùs facilitas est major in Ecclesia habendi baptismi, quàm in lege naturæ, justificationis, spectata universalitate hominum, quia in Ecclesia, major est institutio, & illic major fuit ignorantia Dei.

Assero Quintò. *Præter illud Sacramentum probabiliter dici potest, quòd etiam sacrificium Melchisedechi, fuerit verum Sacramentum.*

Ratio est. Quia & habebat rationem signi & simul rationem causæ, respectu sanctitatis legalis; nam inprimis non se excusasset Melchisedech prima fronte ab offerendis illis panibus, nisi putasset sanctos illos esse; non est item probabile, quòd ex spoliis hostium, non potuerit habere panem Abraham. Tum quia non est probabile quod ille panis utpote Deo consecratus, sit ad usum Abrahami datus, purè prophanum & secularem. Cæterum Sacerdotium illud Melchisedechi, non erat verum Sacerdotium, pendebat enim nonnisi ab ordinatione humana, ut expresse testatur Anacletus Papa in Epist. 2. decretali.

Quæres Tertiò. *Quid sit sentiendum de horum Sacramentorum causalitate.*

Assero. *Ita illa causasse gratiam, ac causabant Sacramenta veteris legis.*

Ratio. Quia causare gratiam, est causare aut vere

verè causando, aut causare per modum conditionis & signi; non causabant verè ob dicta, ergò per modum signi, non enim tertium medium datur per Patres. Ergò causabant illa, ut Sacramenta antiquæ legis, nam etiam hæc causabant ut signa.

QUÆSTIO III.

Quando Sacramenta causant Gratiam.

Sive Sacramenta causent physicè sive moraliter Gratiam, de utraque causalitate proponi potest præsens quæstio; nam posita morali causalitate inquirere restat: An in tempore, an in instanti, moveant Sacramenta Deum: de ipso item Deo inquiri potest, an ad instantiam Sacramentorum, causet gratiam in instanti, an in tempore; multoque magis est id quærere, supposità causalitate physicâ.

Punctus difficultatis in hoc est. Materiæ & Formæ Sacramentorum sunt divisibiles: nam quamvis Matrimonium perficiatur consensu, & acceptatione interna, utriusque conjugis; nihilominus hæc acceptatio, cum debeat esse Sacramentalis, adeoque externè sensibilis, ex eo quia est sensibilis, supponitur etiam esse divisibilis; idemque proportionaliter de Eucharistia dici potest, transferendo difficultatem ad ipsam conjectionem Sacramentalem, seu conversionem transsubstantivam, cujus etiam Forma, hoc est, Verba consecrationis, est divisibilis, quamvis conversio sit indivisibilis. Quod si materiæ & formæ Sacramentorum sunt divisibiles, ponuntur actione successivâ per se, nam in instanti nemo profert; Ego te baptiso; quòd si formæ ponuntur actione successivâ, commensurantur necessariò tempori divisibili; quod si commensurantur tempori divisibili, quærere restat, quandonam causant Sacramenta illa gratiam? non causant in tempore, quia gratia est Ens indivisibile, adeoque tota simul producitur, consequenter non successivè. Rursùs non causant Sacramenta gratiam in instanti, quia cum sint Entia successiva, habent prius & posterius, si habent prius & posterius non sunt tota simul; si non sunt tota simul, non possunt causare in instanti, tunc enim causant, cùm sunt.

Tota hæc quæstio manca erit, nisi præcognoscantur ea, quæ dicuntur in physicis de compositione continui.

DIFFICULTAS I.

Proponuntur Explicationes Causalitatis Sacramentorum in instanti.

Aliqui dicunt causare Sacramenta gratiam in instanti extrinseco, alii in instanti intrinseco; *Sit*

Punctum Difficultatis I.

An Sacramenta causent gratiam in instanti extrinseco?

Explicat Primò Vasquez & alii, qui docent gratiam produci à Sacramentis in instanti extrinseco, scilicet in instanti, in quo primò non sunt Sacramenta & immediatè ante fuerunt. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit Primò. In sententia causalitatem physicam ipsis immediatè Sacramentis tribuente: nam ut dictum est in physicis, ne divinitus quidem fieri potest, ut id quod non existit sive in se, sive in virtute sui, possit tamen aliquid causare physicè.

Non Satisfacit Secundò. In sententia causalitatem moralem Sacramentis tribuente. Tum quia, si causatur gratia in illo instanti extrinseco, quæro, an cum Sacramentum est jam completum quoad omnia sua intrinseca, vel si mavis dicere; quæro ante illud instans extrinsecum, vel est jam homo baptisatus, vel non est baptisatus; si non est baptisatus; ergò illud instans, & est extrinsecum, ut supponitur, & non est extrinsecum, quia in illo, est adhuc esse baptismi, quia esse facientis tunc baptisatum; baptismo enim redditur aliquis baptisatus; ubi autem est esse alicujus, illud illi non est extrinsecum, sed intrinsecum, ut notum est ex materia de inceptionibus; ergò ulteriùs, cum baptismus quoad sua intrinseca stet ablutione & prolatione formæ, erit adhuc illic, in illo instanti extrinseco, ablutio & prolatio formæ, quia adhuc erit in illo instanti baptismus faciens baptisatum, adeoque non est illud instans succedens immediatè positioni baptismi, sed adhuc in illo durat baptismus. Si autem homo ante illud instans est baptisatus, ergò & antè illud instans justificatus; quia qui baptisatus fuerit, salvus erit, ergò non in illo instanti extrinseco, sed ante illud producetur gratia. Tum quia suppono; cum verum est dicere; nunc primò non est Sacramentum, & immediatè ante fuit, falsa est hæc alia: Nunc adhuc est Sacramentum, quo supposito, sic formatur argumentum; Pro illo instanti quo dicit Sacerdos; hoc est corpus meum & cum verum est dicere, nunc est Sacramentum quoad omnia Sacramenti, vel pro eo instanti, est jam Christi corpus positum, antecedenter ad illud extrinsecum, vel non est positum? si est positum; ergò & gratia ponetur ab aliis Sacramentis ante illud instans extrinsecum; si autem non est positum; ergò & postea non ponetur; quia quod dum est, non causat causalitate, ut supponitur verâ, nec postea causabit; ergò ulterius pro illo instanti, non erat vera forma; quia si etiam in instanti extrinseco, non poneretur corpus, esset falsa forma pro instanti extrinseco;

ergò etiam est falsa pro illo Nunc intrinsecorum Sacramenti. Quod ulterius in hoc fundatur: quia veritas, est conformitas cum objecto, si ergò defacto ex objecto, non est tunc positio corporis Christi, defacto pro tunc falsa est propositio, positionem illam corporis Christi affirmans; quod si pro tunc, cum est illa propositio quoad sua omnia intrinseca, est falsa; ergò forma à Christo instituta, est falsa, quod absurdum, nec unquam veritatem suam habebit, si illam cum est, non habet, cui enim cum est, non competit esse album, cum jam non est, quomodo est album; præcipuè autem, quia veritas temporanea, dependet à veritate præsentis, unde in tantùm verum est dicere, erit albus, inquantum cum præsens est, albus est, cumque ipsum præsens, sit origo reliquorum, unde de quo nunquam verificabile est, *Est*, de eo nunquam verificabile est, *Erit* & *fuit*; ergò si de præsenti cum est illa propositio completa, non habet veritatem, nec postea habebit. Tum quia ponamus, quòd causetur gratia in tempore extrinseco Sacramento, consequenter quòd positio corporis Christi, fiat in tempore extrinseco, durationi, ipsius formæ, eo casu non esset verum dicere: hoc est, corpus meum, sed hoc erit Corpus meum. Ergò & in præsenti idem dicendum; tam enim illud tempus, est futurum, quàm illud instans extrinsecum, est futurum, quia succedens; ergò utrobique sequetur verificari nonnisi de futuro illam propositionem, sed hoc est absurdum; ergò etiam absurdum erit, de futuro, seu in instanti extrinseco, causari gratiam.

Respondet DiCast: Quamvis verba sint vera de præsenti, non id ita intelligi debet, ut verificari debeant toto illo tempore quo proferuntur, nam etiam per nos Sacramentorum verificatur forma, quando consummatur, sed sufficit ut verificentur, quando fuerint omnia necessaria finita, quod verum est in illo instanti, in quo primò est verum dicere, finitum fuisse totum: unde non debet esse simultas physica seu mathematica, sed sufficit moralis, sufficitque ut effectus Sacrtmenti sit omnino simul cum ipsa consummatione Sacramenti; quod illustrat instantiis, nam illa locutio testementaria: Instituo hæredem, est vera, licèt id non habeat vim, nisi post mortem Testatoris.

Contra. Tum quia quamvis non debeant verba formæ verificari toto tempore, quo proferuntur, intelligendo verificationem ante prolationem omnium verborum, quia ante prolationem omnium verborum nondum est forma, adeoque nec debet esse veritas formæ; sed nego non debere verificari cum jam est forma, ob rationes allatas, est autem, ante illud instans extrinsecum; ergò & causabit ante illud. Tum quia concedo per nos verificari formam quando consummatur, sed nego illam non consummari ante instans extrinsecum, cum in illo instanti extrinseco, nihil jam sit formæ. Tum quia concedo verba omnia debere finiri, ut sequatur effectus formæ, sed nego non finiri illa, ante instans illud extrinsecum, nego item ita debere finiri, ut illi ipsi fini, non coexistat productio gratiæ, negoque hunc finem non esse, quando dantur intrinseca Sacramenti, hoc est, ablutio & forma. Tum quia si ponatur gratia tunc, cum verum est dicere; Finitum est totum, ita tamen ut positioni intrinsecorum Sacramenti coexistat gratia, id concedemus; non autem cum ita sunt finita, ut jam nihil sit intrinsecorum Sacramenti. Tum quia nego, quòd positionis intrinsecorum Sacramenti, non debeat esse Mathematica simultas cum positione gratiæ, eo quòd intrinseca Sacramenti, sint causa necessaria gratiæ. Tum quia per oppositos, & erit effectus Sacramenti omnino simul cum ipsa consummatione Sacramenti, ut supponitur; & non erit, quia jam post consummationem intrinsecorum Sacramenti, in instanti extrinseco poneretur gratia. Tum quia, illud institutio Testamentarium, non est causa necessaria in seipso præcontinens illum effectum, jam autem v. g. Baptismus, est causa necessaria, in seipso, ex institutione divina præcontinens effectum; ergò cum dantur intrinseca Sacramenti, dabitur & gratia, dantur autem ante instans extrinsecum; & sicut si esset ignis locutivus & ignitivus, diceretque ignio, tunc cum diceret, igniret, & non in aliquo extrinseco instanti; ergò idem dicendum de Sacramentis.

Non Satisfacit Tertiò. Sacramentum debet causare gratiam cum jam habet sua intrinseca, v g. sufficientem ablutionem, sufficientem prolationem formæ; ergò non debet causare in instanti extrinseco, sequente, positionem sufficientem intrinsecorum. Antecedens probatur. Tum quia, ut urget Lugo, Supponamus durare vitam alicujus, nonnisi cum durant intrinseca Sacramenti, talis verè esset baptisatus, neque enim baptisatur, cum non est jam baptismus, & tamen non reciperet gratiam, quia supponitur in instanti illo extrinseco, non vivere. Tum quia præscindendo à terminis, qui in ente successivo difficultatem habent, nempe ly primò, ly ultimò, ly quoad omnia &c. quæro an ante illud instans extrinsecum, sint intrinseca Sacramenti, vel non? si sunt, cur non erit gratia respondens tanquam effectus; si non sunt intrinseca, quî est illud, ut urgebatur supra, instans extrinsecum; natum sequi positionem intrinsecorum Sacramenti; quæ ipsa pars non occurrendo ad dicta superius, sic probatur; Si cum est sufficiens applicatio materiæ & prolatio formæ, non producitur gratia, sequitur & esse illam sufficientem, ut supponitur, & non esse; quia non sufficeret ad productionem gratiæ. Tum quia sive Sacramenta sint causæ physicæ, sive morales, causare debent necessariò; ergò non in instan-

instanti extrinseco, nam etiam aliæ causæ necessariæ, non producunt effectum, cum non sunt primò; nam ignis non tunc producit calefactionem, cum primò non est, nec pondus producit motum versus centrum, cum primò non est, & sic de aliis; ergo etiam idem dicendum est de Sacramentis.

Respondent primò Aliqui ex Soto, quòd talis non sit recepturus gratiam, quod etiam refert potiùs ex illa Vasquez quàm sequitur.

Contra erit. Ergo aliquis baptisatus salvus non erit; concedo quidem, quòd talis pro illo instanti extrinseco jam mortuus, non sit in in statu meriti, sed sequitur tamen ubsurdum, aliquem baptisatum, cum est pro statu meriti, non recipere gratiam, nempe dum vivebat. & & coexistebat sufficienti applicationi materiæ, & prolatione formæ.

Respondent secundò alii; hunc casum supposita præsenti ordinatione, implicare, esto id absolutè fieri possit; jam enim tenebitur ita baptisati vitam, conservare Deus, ne decedat sine gratia.

Contra. Concedo, quia supposito quòd ordinaverit Deus, ne baptisatus careat gratiâ, & supposito quòd ordinaverit, ut illam recipiat nonnisi in instanti extrinseco, debebit jam ex suppositione decreti, conservare vitam talis hominis; sed arbitrarium est dicere, fecisse Deum decretum de danda gratia, nonnisi in instanti extrinseco, quæ enim hoc docet authoritas sacra.

Respondent tertiò DiCast; Si ly, Accepit homo totum & integrum Sacramentum faciat sensum; Omnes partes fuisse absolutas Sacramenti, in tali homine, falsa est propositio & repugnans entitati successivæ: quidquid enim successivè fit, & successivè continuò desinit, tunc tantum factum est, quando jam non est, & ipsius factum esse, & ipsius non esse.

Contra. Tum quia non admittimus aliàs compositionem continui successivi ex partibus in infinitum divisibilibus, sed adhuc supposità hac compositione, non concludet responsio, sub aliis enim terminis restabit respondere, an ante instans illud extrinsecum, præcesserit sufficiens applicatio materiæ & formæ; si præcessit; ergo & causatio gratiæ præcessit; si non præcessit, ergo adhuc non debet dici, primò non est applicatio, & prolatio formæ sufficiens, sed adhuc illam esse. Tum quia in instanti illo extrinseco verum est dicere; nunc primò Sacramentum non est, immediatè ante fuit; accipio istud ly immediatè ante fuit & quæro; comparatè ad illud verificativum, immediatè ante fuit, vel verum est dicere, est quoad omnia sua intrinseca Sacramentum, vel non est verum dicere; si non est verum, ergo neq; verum erit dicere; immediatè ante fuit, sed potius non fuit, cum tantùm, aliquid ejus fuerit, quærereq; restabit, quomodo transitum est ad illud *Fuit*, & non per medium *Est*; si erat verum dicere, ergo etiam verum erat dicere, omnes partes, esse in ante absolutas. Tum quia non obstante conditione Entis successivi, potest dici; nunc primò non est res successiva; ergo etiam poterit dici; nunc ultimò est: sicut enim successivum ultimum esse, est non ultimum esse, ita dicam; successivum illud primò non est, esse non primo non esse; illa autem propositio; tunc tantùm est factum esse successivorum, quando jam non est, si procedat de facto esse transacto, vera est; si procedat de facto esse præsenti, falsa est; & cur præsenti illi facto esse, non respondebit effectus, qui est gratia? quomodoque ad istud factum esse præteritum, transitur sine præsenti factum est, cui præsenti factum est, cur non respondet gratia tanquam effectus, cur ipsi *Fit* præsenti, quod jam non est, in instanti extrinseco, non respondet passivum *Factum*, ante idem instans extrinsecū.

Punctum Difficultatis 2.

An Sacramenta causent gratiam in instanti Intrinseco?

Explicat secundò Suar: Gratiam produci in instanti intrinseco, ultimò terminativo Sacramenti, seu dum ultimò est, significatio sensibilis Sacramentalis. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit Primò. Quia aut supponit aliquis dari puncta, sive terminativa, sive continuativa, aut non supponit dari; si non supponit dari, ergo inconsequenter loquitur, talia puncta significationis Sacramentalis admittendo; si autem supponit dari talia puncta & indivisibilia, redibunt argumenta in physicis proposita, contra hanc doctrinam, & hæc principaliter in præsenti urgeri debent.

Non Satisfacit Secundò. Tum quia causativum gratiæ Sacramentaliter, debet esse sensibile humano modo, & tamen nullum indivisibile, est sensibile humano modo, ut supponitur communiter; quî ergo cohærebunt hæc duo in communibus principiis, nempe; causari gratiam ab aliquo sensibili humano modo, & nihilominus ab indivisibili seu puncto terminativo. Tum quia cùm hæc explicatio supponat per multos, quòd illa indivisibilia, non sint realiter distincta à divisibilibus, sed solùm formaliter, aut ratione connotationis, cum tantùm in re ipsa sint divisibilia, quî fiet ut ratione connotati vel formalitatis, physicus effectus indivisibilis, à divisibili & successivo realiter producatur? physica enim productio non pendet à formalitatibus: sed ab aliquo reali; hinc illa propositio; Termini eo ipso quia termini sunt, debent esse indivisibiles formaliter, & ratione connotatæ negationis ulterioris extensionis, concedo propositionem; debent esse indivisibiles ratione

Entitatis. Nego; & tamen ratione Entitatis, quæ sola habet rationem potentis physicè causare, deberet salvari illa causalitas. Tum quia urgendo ex concessis, ex hac sententia sequitur nunquam causari gratiam à Sacramentis. Sequela probatur: non causatur imprimis gratia ante illud instans, ut concedunt adversarii; ergo neq; causatur posito illo termino & indivisibili; quod ipsum probatur: ideo gratia non causatur ante illud instans, quia ante illud instans, non est adhuc complete sensibile humano modo Sacramentum, sed etiam adveniente illo instanti terminativo, non est sufficienter & completè sensibile humano modo Sacramentum, quod probatur: quia tam Suar: quàm alii utentes hac explicatione, ordinariè assumunt pro principio, quod indivisibile additum indivisibili, non faciat majus; ergo ne faciet magis sensibile sufficienter, consequenter nec indivisibile; additum divisibili, faciet sufficienter sensibile humano modo. Tum quia urgeri solet exemplo supra allato; Quid fieret de illo infante, qui moreretur in instanti illo terminativo; nam & foret ille baptisatus, cum illum contigerit ita sensibiliter aqua, & fuerit pronuntiata ita sensibiliter forma, ut nihil sensibile jam desideretur, quia nec divisibile, sed solum desideratur illud indivisibile terminativum, quod non sentitur, ut supponitur; non foret autem baptisatus: quia illo instanti, quo tu dicis infundi gratiam, jam mortuus supponitur; jam autem docet fides, neminem baptisari, sine obice, quin simul habeat gratiam, quem autem obicem ponit infans. Tum quia ex concessis, si ante illud instans non causassent Sacramenta gratiam, ideo non causassent, quia antè, non esset finita significatio Sacramentalis, sed negatur non esse finitam: quia significatio Sacramentalis finita, est finita humano modo, sic autem non est finiri per indivisibilia: nam illa, vel non sunt, (ut supponitur communiter) sensibilia modo humano, vel si supponantur auferri, adhuc habebitur tota ratio sufficienter sensibilis, & ulterius non extensi, adeoque finiti.

Respondetur. Casu quo infans moreretur in instanti terminativo Sacramenti, susceptum quidem infantem tantùm materiæ & formæ, quantùm requiritur ad esse Sacramenti, verum susceptum in esse fluenti & transeunti, non autem in esse completo & terminativo seu permanenti, quod tamen ad rationem Sacramenti requiritur; alioqui posset dici absolutus pœnitens, quamvis inchoatam absolutionem non perfecerit Sacerdos, quod est absurdum; jam verò nullus effectus, potest causari ab Ente successivo consequenter nec à Sacramento, quamdiu h. e. in esse fluenti & in transitu, & ante suum completum esse; quamdiu enim aliquid transit & fluit, implicat illud finitum esse, siquidem transire & fluere, est ipsum fieri rei, & ipsum accedere ad finem; non est autem ipsum finitum esse, aut in fine esse; unde non est in hoc, inquiunt oppositi, par ratio Sacramenti & vocum, quia voces dum fiunt, successivè possunt operari & emittere species, neque exspectare suum esse completum, alioquin non perciperentur successivè, sed confusè; Sacramenta autem non possunt gratiam operari instantaneè, quando sunt in fluxu & transitu, eò quòd necesse habeant operari gratiam instantaneè, non antequam finita sunt; siquidem successivum quod non est operativum, nisi in quantùm est finitum, æquè requirit completum ac terminatum suum esse, atque operans requirit subsistentiam, quæ est ultimum naturæ complementum.

Contra. Tum quia quamvis non causetur gratia, antequam sit finitum Sacramentum, hoc est; si non ponatur pars aliqua illius sensibilis, sed non est necesse, finitum esse, finitione instantaneâ terminativâ. Tum qtia quod est in esse fluenti, & accessivo ad finem, si necdum omnes illius partes sensibiles sint positæ, non censeatur esse finitum, secus si supponantur partes jam positæ secundùm suum esse fluens: atq; adeò, licèt non absolvatur quis, si ponatur esse fluens ipsius ly Absolvo, sed cur non absolvetur ante instans terminativum, si ponatur jam sufficienter sensibile, esse fluens, ipsius etiam Te. Tum quia quòd natura non possit operari sine subsistentia, referri id debet in id, quia vi subsistentiæ natura acquirit rationem in se perfectæ, prius autem est, habere perfectionem sui, quàm operari: jam autem posita sufficienti sensibili applicatione materiæ & prolatione formæ, ita ut nihil desit sensibile, nihil deerit perfectionis Sacramentalis, antecedenter ante instans terminativum, consequenter ante illud, operari poterunt Sacramenta.

Respondet secundò DiCast: d. 2. n. Quod regulariter in indivisibili illo producatur gratia, & in illo instanti physicè illam causant Sacramenta, quod si non produceretur in illo indivisibili, gratia, & nihil Sacramenti physicè tunc existeret, deberet jam moraliter nonnisi causari gratia.

Contra. Hoc ipsum suaderi deberet efficaciter, quod in illo indivisibili producatur regulariter gratia, oppositum enim probant allatæ rationes potiùsque illa causalitas, deberet tribui, ultimis illis, antecedentibus ipsum terminativum instans.

Non Satisfacit tertiò. Quia restaurari possunt argumenta, quæ oppositi conantur solvere.

Primum est. Quia tenent oppositi, entia successiva, qualia sunt Sacramenta, desinere in instanti extrinseco, seu per primum non esse; ergo si causant dum finiuntur, debent causare in instanti extrinseco non intrinseco.

Respon-

Respondebis primò. Quod Sacramentum in ratione motus & actionis, sit quid successivum, non tamen ratione sui permanentis, quæ est gratia, per motum producta.

Contra est. Tum quia hæc responsio confundit duo; quia confundit terminum motûs cum ipsa actione, non enim quæritur quando incipiat, vel quando desinat illud ens permanens quod est gratia, sed quandonam agat ipsũ illud agens, quod est successivum, quando item agat ille motus successivus; unde sic restauratur difficultas; Sacramenta agunt, in quantùm illis competit actio & motus; si agunt, in quantùm illis competit actio, & tamen agunt cum habent complementum, agent nonnisi in instanti extrinseco, quia tunc nonnisi habent complementum, utpote actionis successivæ. Tum quia Sacramenta vel causant, antequam sit completa illorum significatio, vel postquam est completa; si antequam sit completa; ergo absolvitur quis v. g. ante totam formam absolutionis; si causant postquam completa est significatio, quæ indistinguitur ab illis ipsis significantibus; ergo cum ipsa significantia, quæ sunt quid successivum, non compleantur nisi per instans extrinsecum, in instanti illo extrinseco, causabunt gratiam: Tum quia illa Sacramenta vel causant gratiam à sua parte, secundùm quod sunt Ens successivum, vel alio modo; si secundùm quod sunt ens successivum, ergo nonnisi in instanti extrinseco, quia causant, dum finitam jam habent suam significationem, finitur autem hæc per illos, per instans extrinsecum; si per aliud, quod illud, cùm nullam significationem habeant, nisi successivam, & tamen significando causant.

Respondebis secundò ex DiCast: n. 287. id verum esse de ente successivo ut successivum formaliter est, ut scilicet desinat per instans extrinsecum, ens tamen quod per accidens est successivum, potest non ita desinere; hujusmodi autem sunt Sacramenta, quorum forma in sono vocum consistit.

Contra. Probari hoc ipsum debuisset, quòd forma v. g. Sacramentorum sit Ens successivum per accidens, probari item debuisset, quòd forma in sono vocum consistens, non sit per se successivum, sicut & ipsæ voces; sed posito etiam quòd forma Sacramentorum sit per accidens quid successivum, adhuc urgetur difficultas, quod est per se Ens successivum, debet per se desinere in instanti extrinseco; ergo etiam quod per accidens est Ens successivum, per accidens debet participare, ut desinat in instanti extrinseco, quia etiam calor de se est disunitivus, & tamen si per antiperistasim frigidum calefaciat, per accidens dissolvet.

Respondebis tertiò cum eodem. Quod significatio, ut ille dicit, num. 277. quæ est formalis ratio Sacramenti, non producatur successivè per partes, sed tota simul, quia in indivisibili consistit, quod etiam extendit ad alia, quæ per accidens sunt successiva, n. 282. cujus rationis, est qualitas soni, qui habet rationem Entis successivi, quia motus localis, qui ad ejus productionem requiritur, successivus est: unde etiam talium partes priùs productæ, cum posterioribus conservari possunt.

Contra. Quia significatio potest duplex cogitari, una activa quodammodo, idq; in ipsismet verbis inclusa, & hæc indubiè, cùm non sit quid distinctum realiter, in circumstantia institutionis, ab ipsis entibus successivis, necessariò & essentialiter successiva erit: alia autem significatio, est passiva, quæ est perceptio intentionalis illius significationis, hæc quidem, tanquam actus mentis, est indivisibilis, sed non est causativa gratiæ; sed illa prior; aliàs cogitatio mea, non Sacramentum, causaret gratiam, & tamen significatio illa activa, est quid successivum, sicut & ipsæ voces. Deinde videtur impossibile esse naturaliter; ut partes soni prius productæ, conserventur unâ cum posterioribus partibus soni: si enim priùs proferatur C. non simul est sonus ipsius B. Denique si potest fieri in Entibus successivis per accidens, fieri etiam posset in successivis per se; nam etiam in successivis per accidens, debet per accidens salvari ratio essentialis successivorum; alioqui quod sunt Entia per accidens, illud non essent quod sunt, si non servarent per accidens, naturam successivorum.

Secundum Argumentum. Ante illud instans terminativum Sacramenti, vel fuit Sacramentum vel non? si fuit, cur ergo ante illud instans non causabat gratiam? si non fuit, ergo cum Sacramentum, ultra instans sui terminativum, non duret, sequitur Sacramentum in eodem instanti primò & ultimò esse, quod videtur impossibile.

Respondetur. Sacramentum ante instans sui terminativum, fuisse in esse inchoato, non autem in perfecto; addunt Sacramenta ante instans sui terminativum causasse quoque proportionaliter, siquidem tunc causabant virtutem causativam gratiæ: sicut quando causatur calor & siccitas in stupa, dicitur in esse inchoato causari ignis; & licèt non possit aliquid primò & ultimò esse respectu eodem, potest tamen diverso respectu; illud enim instans comparativè ad reliquas partes, non sensibiles modo humano, est primum, ita ut sensus sit, nunc est instans terminativum & immediatè ante non fuit; ly autem ultimò est, sumi debet per respectum ad consequens tempus, ita ut sensus sit; Nunc est, immediatè post non erit.

Contra est. Tum quia redit argumentum supra factum, cur in esse fluenti, non possit Sacramentum causare gratiam, si nihil desit, quod fluere debeat Sacramenti, tanquam exigitum ad sensibilitatem humano modo, & hoc repetito interrogandum venit. Tum quia si ex eo

dicitur

dicitur in antecedenti ante illud instans, inchoativè produci gratia, quia producitur qualitas, quâ, mediatè producitur gratia; id non solvit difficultatem, sed aliò transfert: quia etiam illa qualitas, cum non sit producibilis, nisi post completam significationem, si hæc non habetur nisi in instanti, etiam productio illius qualitatis, non erit nisi in illo instanti, quod tamen jam impugnatum. Rursùs quamvis ostendatur diversitas respectûs, salvans ultimum esse & primum Sacramenti, potest tamen ostendi etiam identitas, tunc enim verum est dicere; primò est significatio Sacramentalis, quia ante non existit, verum etiam erit dicere, ultimò est, quia postea non existet. Tum quia, ut urgebatur supra, accessus illius instantis ad illud esse fluens, non faciet illud magis sensibile: ergo antecedenter ante illud, est sufficiens sensibilitas, adeoque & vis exercibilis hîc & nunc causandi.

Punctum Difficultatis I.

Fundamenta in oppositum.

DICES primò. Eo modo convenit causari gratiam à Sacramentis, qui est conveniens rei permanenti & carenti contrario, hic autem modus est causari illam instantaneè.

RESPONDETUR. Eo modo convenire causari gratiam, quî convenit rei permanenti & simul convenit ipsi causæ & modo causandi ipsi debito; jam autem rei successivæ non convenit causare in instanti; hinc attendi hîc debet, non tantum ad terminum causationis, qui est quid permanens &c. sed & ad ipsam prolationem formæ, & applicationem materiæ, quæ est quid successivum.

DICES secundò. Tunc causatur gratia, quando non sequitur ante vel post completum Sacramentum, causari gratiam, id autem non sequetur, si ponatur quod causet Sacramentum gratiam, in instanti terminativo:

RESPONDETUR. Negando quòd non causaretur gratia post completum Sacramentum, si causaretur in instantibus terminativis, quia ante instantia terminativa, habetur jam sufficiens sensibilitas illorum, humano modo.

DICES tertiò. Tunc convenientissimè dicuntur Sacramenta causare gratiam, quando ultimò sunt completa, sed in instanti terminativo sunt ultimò completa; ergo.

RESPONDETUR. Majorem indigere limitatione, quia si quis ultimam syllabam prolationis formæ musicè cantaret, vel ablutionem produceret, nondum prolatio formæ, aut applicatio formæ, diceretur terminata, & tamen non suspenderetur effectus Sacramenti, usque ad desinentiam v. g. cantandi. Quodsi dicas, materialiter tunc non esse finitam prolationem formæ, formaliter autem jam esse finitam, redibitur ad idem fundamentum, quòd scilicet ante instans terminativum, jam habeatur completa significatio Sacramenti, adeoq; & ratio termini habetur ante illud instans terminativum, quia ipsa ratio termini, stat in illa sufficienti sensibilitate Sacramentorum, humano modo.

DICES quartò. In productione Sacramentorum necessariò deveniri debet ad instans, in quo verum sit dicere; Sacramentum est; quod ipsum probatur: quia Sacramentum realiter est; ergo existit, non existit autem, quam diu nondum est, completum, & aliquid illius restat.

RESPONDETUR. Non est verum dicere; Sacramentum existit, quamdiu restat aliquid apponendum necessariò, tanquam sensibile humano modo, sed nego id non haberi ante quodcunque instans, ante quod supponuntur posita, quæ requiruntur, idque posita cum sensibilitate humano modo.

DICES quintò. Posset adhuc addi aliquid post pronuntiatam formam, destructivum formæ; ergo causatio illa debet suspendi, nonnisi ad instans terminativum formæ.

RESPONDETUR. Etiam post instans terminativum formæ, posset addi aliud verbum destructivum formæ; & si oppositi recurrent hîc ad intentionem, etiam nos recurrere poterimus; quandonam autem additio vitiet formam, de hoc in materia morali.

DIFFICULTAS II.

Proponuntur Explicationes Causalitatis Sacramentorum in tempore.

EXPLICANT primò Aliqui quod Sacramenta causent gratiam in tempore indeterminato. Hanc explicationem vide impugnatam apud Lugo disp. 4. num. 107. & apud DiCast: citatum hîc, num. 513. Insup. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT propter dicta in materia de inceptione rerum, & de compositione continui. Tum quia, si causant Sacramenta in tempore indeterminato; ergo Deus interrogatus, quandonam concurrerit ad productionem gratiæ? dicere debebit, nescio; si enim sciret quando, sciret determinatum tempus, tu autem dicis in nullo determinato tempore illam produci. Tum quia indeterminatio tunc tantum tenet, quando utrumque æquè aptum est ad aliquid præstandum, sed non sunt plures partes temporis aptæ, ut in illis producatur gratia; neq; enim ad hoc aptæ sunt partes antecedentes vel consequentes, sed nonnisi hæ quæ fluunt, dum est sufficienter sensibile Sacramentum; cur ergo hoc sensibile, non determinabit certum tempus, sicut electio, determinat certum calamum ad scriben-

scribendum? & sicut nemo scribit indeterminato calamo, ita & nullum agens sensibile, causabit, in tempore indeterminato, aliàs & causaret in tempore indeterminato, aliàs, ut supponitur, præcipuè cum causaret rem spiritualem, & non in tempore indeterminato, quia nullum agens, multò magis sensibile, in tempore indeterminato agit; sicut nec calamus scribit indeterminatus, vel in tempore indeterminato, licèt scribere potuerit indeterminatè, quia non alligatus, ad hoc nonnisi tempus. Tum quia suppono gratiam indivisibiliter produci & totam simul, secundùm unum gradum, hoc ipso enim non esset indivisibilis, si divisibiliter produceretur; quæro, illi productioni respondens tempus indeterminatum, seu duratio illa extrinseca, respondens durationi intrinsecæ productionis, aut est major præ duratione intrinseca, aut minor, aut æqualis, aut omnino quid improportionatum; quid enim ultra? si major; ergo duratio intrinseca, quæ est instantanea productio gratiæ, & duratio extrinseca non commensurantur; non minor: quia cum duratio intrinseca productionis gratiæ sit indivisibilis, & indivisibili non detur minus, nec potest minor esse duratio extrinseca præ intrinseca; si autem istud tempus indeterminatum, est æquale durationi intrinsecæ productionis gratiæ, quæ duratio intrinseca est indivisibilis, etiam tempus illud indeterminatum, h. e. duratio extrinseca, erit indivisibilis, quia æqualis illi alteri indivisibili.

Explicat secundò Lugo. Quòd gratia conferatur non quidem in instanti ultimo intrinseco vel extrinseco Sacramenti, nec in tempore indeterminato ante ultimum instans, sed in tempore aliquo determinato, post aliquod instans continuativum.

Non Satisfacit primò hæc explicatio. Quia supponit, quòd in compositione vel permanentis, vel successivi continui, reperiantur puncta continuativa, quod refutatum in physicis.

Non Satisfacit secundò. Quæro enim, an in illo tempore determinato sit vera hæc propositio; Nunc gratia producitur primò, vel non est vera; si est vera; ergo cum illud *Nunc* productionis rei indivisibilis, non possit esse nisi instantaneum, fit ut gratia non tantùm instantaneè, sed & in instanti producatur, adeoq; quòd non producatur in tempore; si autem illud *Nunc* non est instantaneum, quomodo producetur illa gratia tota simul; supponit autem argumentum, quod debeat esse vera hæc propositio; Nunc gratia primò producitur, quia etiam in simili, verum est dicere; Nunc primò Angelus producitur; nunc primò anima creatur.

Non Satisfacit tertiò. Accipiamus illud ipsum determinatum tempus immediatè sequens post instans continuativum, de hoc tempore quæro, an per totum illius durationis tractum, producatur primò, gradus ille unus gratiæ, vel non per totum? si per totum, quî id salvari potest in productione rei indivisibilis? quæ est nata, poni tota simul; & sicut non potest primò produci Angelus in tempore determinato, ita ut prima illius productio, coexistat tempori, ita nec in præsenti hoc dici poterit; si autem non durat prima illa productio per totum tempus, cur dicetur determinato tempore produci? sed deberet dici, in aliquo temporis, produci illum gradum; de qua ipsa parte temporis redit argumentum, vel illa pars est divisibilis in infinitum, vel non? si non est divisibilis in infinitum, supponis ex illatione, quam faciunt communia principia, quòd quantitas componatur ex punctis; si est divisibilis in infinitum; ergo illa productio gratiæ durat per partes proportionales infinitas, quî ergo in sequentibus partibus primò producitur? cum aliàs debeat tota simul produci; ergo ulterius sequitur gradus illius gratiæ, esse in infinitum divisibiles, cum respondeant partibus proportionalibus temporis & tamen supponitur, uni gradui gratiæ, id non convenire; & si tandem recurras, quòd illa pars determinata temporis sit indivisibilis, hoc ipso nõ in tempore, sed in instanti dices illam produci. quia per te producitur in parte indivisibili.

Colliges. Præsentes impugnationes in hoc versari; Sacramenta non possunt causare gratiam in instanti, quia causant illam, dum sunt sufficienter sensibilia humano modo, sunt autem sufficienter sensibilia humano modo, ante quodcunq; instans; illorumq; terminatio, perfectio, completio &c. est sufficiens sensibilitas humano modo partium Sacramenti. Non possunt etiam Sacramenta causare gratiam in tempore quocunque; Ratio: quia quodcunq; tempus semper est divisibile, adeoq; improportionatum in quo producatur gratia, quæ tota simul petit produci; inimaginabileque est, quomodo instantaneè producatur gratia, & non producatur in instanti; porrò procedit difficultas de prima productione gratiæ, idque secundùm unum gradum spectatæ, non autem vel de pluribus gradibus, vel de conservatione; quia plures illi gradus & conservatio continuata admittit successionem, hinc hoc titulo, non excluderet etiam commensurationem, cum tempore.

DIFFICULTAS III.

Quid tenendum?

Præmitto Primò. *Quantitatem per nos non componi ex indivisibilibus; videtur etiam non componi ex partibus in infinitum divisibilibus; quid si diceretur eam componi ex minimis physicis*; quæ per hoc distinguuntur ab indivisibilibus, quia habent duas medietates, adeoque divisibilitatem, licèt in Minori, quam sit illud minimum divisibile, ne quidem Divinitus salvari possit quantitas.

Præ-

PRÆMITTO Secundò. *Dupliciter considerari posse Causalitatem Sacramentorum*, vel respectu termini, qui est gratia, vel respectu ipsius actionis Sacramenti, compositi ex minimis physicis.

PRÆMITTO Tertiò. *Durationem actionis quæ est productiva gratiæ, dupliciter posse considerari*, nempe durationem intrinsecam & extrinsecam; intrinseca duratio, est duratio ipsiusmet actionis in se spectatæ, duratio autem extrinseca, erit duratio, quæ se habet per modum mensuræ, extrinsecæ ipsi duranti. *His Præmissis*

ASSERO Primò. *Dari Minimum Significationis Sacramentalis sensibilis humano modo, in hoc stans*; ut si illi aliquid auferas, jam non sit sensibile humano modo; si aliquid addas, jam ante illud additum, erit sufficienter sensibile humano modo. Hoc assertum est conformè iis, qui admittunt minimum materiæ consecrabilis; iis qui admittunt minimum materiæ exigitæ ad formandum Corpus saltem organicum expresèq; illud admittebat meus in Theologia Magister, quod postea translatum est à nobis, ad compositionem Quantitatis, cùm ille tenuerit illam componi ex partibus proportionalibus.

RATIO asserti: quia illa significatio Sacramentalis, est significatio sensibilis, & quantitate affecta; ergo si ipsa quantitas componitur ex illis minimis, etiam significatio sacramentalis componetur minimis; quod autem minimum illud significationis Sacramentalis in hoc consistat, petitur ex ipsa ratione Minimi: non esset enim Minimum, si in minori contineri posset significatio sensibilis, & si illi addas, jam non est minimum, sed plus minimo.

ASSERO Secundò *Attendendo ad modum quo Sacramenta sunt instituta, debet dici, produci gratiam in illo minimo.*

RATIO, quia alterutrum ex his principiis falleret, vel hoc; Sacramenta non causant gratiam nisi sufficienter sensibilia, vel hoc; Si sunt sufficienter sensibilia, hoc ipso causant; quæ principia non tenerent, si in minimo Significationis Sacramentalis sensibilis humano modo, non produceretur gratia.

ASSERO Tertiò. *Ut salvetur, quòd causet illud totum minimum gratiam*, dici potest quòd pro priori medietate minimi, ultimò non sit gratia, in posteriori autem parte primò est gratia; quòd pro priori parte minimi, ultimò non sit gratia. Ratio est: quia hoc ipso non supponeretur causari gratia in altera medietate, ut supponitur causari; quod autem facere, ut ultimò non sit gratia, sit causare, ratio est; quia vi hujus Minimi, determinatur illud ultimum non esse gratiæ; ergo causatur, estque quædam inceptio esse gratiæ, saltem extrinseca, ultimò non esse gratiæ, quod perficitur, à prima illa medietate minimi.

ASSERO Quartò. *Ipsam gratiam produci in altera parte illius Minimi.*

RATIO: quia producitur gratia, cum primum Sacramenta habent sufficientem sensibilitatem humano modo, habent autem nonnisi in secunda parte Minimi, aliàs hoc ipso potius illud primùm se solo esset minimum significationis, & non complexum illarum duarum medietatum.

ASSERI Quintò posset. *Minimo illi Significationis Sacramentalis correspondere minimum motûs cœlorum*, seu temporis physici.

RATIO: quia sicut quantitas permanens componitur ex minimis permanentibus, ita & continuum successivum componitur ex minimis, ita ut si minimum motûs eo sensu, quod nonnisi in hoc potest jam salvari ratio motûs, ita ut si illud dividas, jam non sit futurus motus, sed quies.

ASSERO Sextò. *Quòd, causante gratiam Minimi medietate posteriori, ponatur ab illa medietate actio Spiritualis, si datur illius causalitas physica.*

RATIO: quia talis actio est proportionata rei spirituali, instantaneæque productioni.

ASSERI Septimò posset. *Illi instantaneæ productioni gratiæ, nihil respondere proportionatum in tempore physicè sumpto, sive motu cœlesti.*

RATIO jam prætacta: quia si responderet aliquid proportionatum illi productioni instantaneæ, illud vel esset majus, vel minus, vel æquale; si majus, ergo plus aliquid in tempore duraret, quàm in se, & si non potest aliquid duabus horis durare in tempore, & in se nonnisi quadrante, ita nec potest esse instantanea & indivisibilis productio gratiæ, & tamen mensurata majori tempore; non respondet minus; quia nihil est minus indivisibili; non respondet æquale, quia instanti nihil est æquale, nisi instans; hinc cum in tempore, ut alibi probatur, non sit instans, nihil respondebit in tempore æquale illi instantaneæ productioni, consequenter nihil proportionatum respondebit. Dixi non respondere in tempore physicè sumpto quidquam proportionatum, quia accipiendo tempus pro *Nunc* Mathematico, seu ut inquit Aristoteles, pro tempore, quod est in anima, respondet instantaneæ illi productioni, *Nunc* Mathematicum, sed hoc *Nunc* non reperitur in motu cœlesti, *Nunc* enim excludit prius & posterius; prius enim, *Erat Nunc, non est Nunc*, & posterius, *Erit nunc, non est nunc*, & tamen motus cœlestis utpote successivus includit definitivè prius & posterius, adeoque est exclusivus *Nunc* Mathematici.

DICES Primò. Supponatur quis mori in prima parte medietatis minimi, sequitur idem absurdum, quod supra repetitò urgebatur, talem non recepturum gratiam.

RESPONDETUR. Non erit absurdum, si illam non recipiat, quia non supponitur ante illud quoad utramq; partem sumptum minimum, esse humano modo sufficienter sensibile, illud Sacramentū; jam autem ante quodcunq; instans, est

est jam humano modo sensibile: neque enim sensibilitatem affert unum indivisibile; ultimoq; non est gratia, pro priori parte medietatis, quantum ex vi Sacramenti, si cætera v. g. vita adesset.

Instabis. Ante instans supponitur per nos significatio Sacramentalis habere sufficientem sensibilitatem; ergò & ante illud minimum.

Respondetur. Disparitatem esse, quia ante instans terminativum habetur jam v. g. Absolvo te, adeoque haberi poterit etiam sensibilitas sufficiens, jam autem ante minimum sensibile v. g. Te, ne quidem habetur inchoatio ipsius Te, inchoaret enim à parte minimi, si non habetur inchoatio, multominus habebitur, sufficiens sensibilitas, humano modo.

Dices Secundò. Additio instantis terminativi non facit sensibile Sacramentum, ergò nec additio illius minimi.

Respondetur. Disparitatem esse; quia additio instantis terminativi, est additio indivisibilis, indivisibile autem non supponitur sensibile; jam autem additio minimi, est additio divisibilis in duas medietates, adeoque additio alicujus sensibilis.

Instabis. Si ponatur prima pars medietatis minimi, nondum est pro illa medietate sensibile Sacramentum, erit autem primò sensibile, posità altera medietate, quæ ipsa medietas est indivisibilis, quomodo ergo potest facere Sacramentum sensibile humano modo.

Respondetur. Quidquid sit an illa medietas habeat partes licèt non divisibiles, ad eum modum, quo materia in multorum sententia, spoliata quantitate, retinet partes Entitativas non tamen divisibiles: & sicut ex actuali non continere quantitatis, evadunt illæ partes materiæ non divisibiles; ita ex eo, quia se solâ, illa medietas non est contentiva quantitatis, non participabit etiam divisibilitatem; sed quidquid sit de hoc, dici potest, quòd illa pars posterior minimi, se solâ non possit reddere Sacramentum sensibile humano modo, possit tamen reddere una cum præcedenti parte minimi, quod etiam ad hanc sensibilitatem Sacramenti requiritur; quia hæc sensibilitas est successiva, adeoque habent prius & posterius, consequenter & fundativum, ut sit illud Sacramentum sensibile, non debet rationi sui, sed & ratione antecedentis esse sensibile, quia etiam ratione antecedentis, est successivum.

Dices Tertiò. Per hanc explicationem non salvatur, quî producta sit gratia successivè & sensibiliter humano modo, imperceptibile enim est, quod successivè sit producta gratia, si non ponatur pars illius produci à parte, & tota à toto.

Respondetur. In istis principiis non dici quòd producatur successivè rigorosè loquendo, sed instantaneè, ab aliquo tamen successivo, quia à parte posteriori illius Minimi: quæ ipsa, quia est in aliquo divisibili & successivo, nempe in illo Minimo, adhuc denominativè dicetur produci ab aliquo successivo; dixi, quòd gratia non dicatur rigorosè successivè produci; nam latiori modo producitur successivè, quia à priori parte Minimi causatur, ut dictum, ultimum non esse gratiæ, causante tamen ipsam gratiam secunda parte Minimi, denominativè dicetur, idq; proximè, etiam antecedens pars Minimi illam causare quia sine antecedenti, non fuisset sensibilis proximè, illa altera medietas humano modo, & quia illa secunda medietas, est complementum existens illius medietatis minimi, quæ transiit.

Dices Quartò. Ergò tantum à medio & non à Minimo significationis producitur gratia.

Responsum. Pro illa priori medietate Minimi, non incipit intrinsecè gratia, quia Christus assumpsit Sacramenta ad causandam gratiam, quando habetur significatio Sacramentalis completa, pro prima autem parte minimi nondum est completa; hinc minimo, ut dictum, denominativè tribuetur toti, causatio gratiæ, vel titulo illius concreti, ex ultimo non esse gratiæ & primo esse, quod ultimum non esse, causatur à priori parte minimi, ut dictum.

Dices Quintò. Datur minimum significationis Sacramentalis sensibilis; ergò dabitur etiam minimum temporis; ergò in tempore æquale quid illi minimo respondebit.

Respondetur. Illi quidem minimo respondebit æquale in tempore physicè sumpto, sed non instantaneæ productioni gratiæ.

Hæc sint dicta sine præjudicio sententiæ melioris, pertentamus potius viam quam pandimus. Unde etiam Asserto quinto & septimo, addita diminuens particula Ly posset, ut ostendam me id non docere, sed tantùm proponere discutiendum.

DISPUTATIO IV.

De Effectu Sacramentorum.

DUplex Sacramentorum est Effectus, primus Gratia, secundus Character. Primus effectus singulis Sacramentis novælegis convenit, secundus aliquibus.

QUÆSTIO I.

De effectu Sacramentorum qui est Gratia.

NOn est difficultas in hoc, quod Sacramenta omnia conferant gratiam sanctificantem, est enim hoc de fide ut vult Suar. disp. 7. Sect. 2. Nec salvari posset effatum Concilii, quòd Sacramenta contineant gratiam quam significant; nec est in hoc difficultas, quòd Sacramenta habeant proprias Sacramentales gratias, quas efficiunt, in qua etiam re conveniunt omnes Theologi, ut videre est apud Suar. citatum, Sect. 3. Rationemque dat, quia Sacramenta omnia ad diversos fines ordinantur, frustraque fuissent multiplicata, si non afferrent proprias gratias. In hoc est difficultas, in quo differat hæc gratia sacramentalis, ab habituali.

Invaluit sententia quæ non tenet gratiam Sacramentalem, aliud superaddere gratiæ communiter dictæ, quàm quòd addat aliud speciale auxilium gratiæ, ordinatum ad proprium finem Sacramenti; ita docet Suar. Vasq. Val Lugo, Di Cast. Tann. Hurt. estque communis; unde negant quod gratia Sacramentalis addat aliquid habituale.

Gratiam autem Sacramentalem addere aliquid habituale, est Conclusio Paludani in quartum disp. 2. q. 3. Capreoli in quartum dist. 4. q. 1. a 3. ad quartum; dicit tamen illorum sententiam, jam diu à schola meritò rejectam esse Vasq. eo quòd multiplicentur gratiæ absque fundamento & necessitate; videndum ergò erit an sit necessitas, has gratias multiplicandi.

DIFFICULTAS I.

Suadetur permanentia Gratiarum Sacramentalium distincta à Gratia habituali.

PRIMA RATIO est ab Authoritate. Prima Authoritas est Concilii Florent. *Per Baptismum*, inquit, *renascimur; per confirmationem roboramur in fide, & augemur in gratia; renati autem & roborati, nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia; per pœnitentiam spiritualiter sanamur.*

Secunda Authoritas est Trident. Sess. 7 c. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta, semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.*

Ex quibus duabus Authoritatibus sic formatur Argumentum; Est de Fide per Florentinum, dari gratias proprias istorum Sacramentorum, quia illas numeravit Florentinum, ergò illæ gratiæ debent esse habituales; quod jam probatur ex Tridentino. Si istæ gratiæ propriæ Sacramentorum non essent habituales, non esset de illis verum dicere; dantur semper in collatione Sacramentorum, sed tantùm dantur interdum, aut dabuntur; hoc non potest dici per Tridentinum; ergò. Sequela probatur: quia jam illæ gratiæ Sacramentales essent actuales, ut fatentur oppositi, sed gratiæ actuales non dantur semper, ergò non dantur gratiæ Sacramentales semper, quod est contra Trident. Minor probatur, quia fieri potest ut recipiat aliquis baptismum infans, vel adultus perpetuò tamen amens, qui tamen non sunt capaces actualis auxilii tunc oblati, ritè tamen per omnes hæc Sacramenta recipiunt, aliàs illis administrari non deberent; idè contingit, si homini extra se posito conferatur extrema unctio, quia etiam hic, incapax est, actualis auxilii; ergò illi tunc non confertur gratia Sacramentalis, quod non est conforme Tridentino.

RESPONDEBIS. Sufficit dari, vi illius infusionis gratiæ habitualis per Sacramentū, jus ad gratias.

CON-

CONTRA Tum quia Concilia loquuntur non de jure ad gratias, sed de gratiis: ergò explicatio illa non accipit phrases, ut sonant Conciliorum. Tum quia, jus quidem ad gratias, est præsens, sed gratiæ non frequenter præsentes; ergò non ostenditur gratias semper & omnibus dari Sacramentales, si ritè Sacramenta suscipiantur, quod voluit Trident. Tum quia, sicut quando confertur vi baptismi jus ad recipienda alia Sacramenta, non censentur ex eo conferri tunc Sacramenta; ergò etiam ex eo, quòd conferatur jus ad gratias actuales, quæ per oppositos sunt Sacramentales, non censebitur conferri tunc illas gratias; & tamen illas gratias dari definit Tridentinum, exigitque hoc natura causæ necessariæ, operantis semper, dum adsunt prærequisita, Sacramenta autem sunt causæ necessariæ.

TERTIA AUTHORITAS est S. Thomæ, clareque consentit Valentia S. Thomam id docuisse indistinctionibus, sed aliud sensisse in tertia parte, sed an etiam in tertia parte aliud senserit, mox videbitur.

PRIMUS Locus est in quartum dist. 1. q. 1. a. 4. quæstiuncula 5. ubi opponit sibi hoc argumentũ. Videtur quòd gratia, quæ est in Sacramentis, non differat ab illa, quæ est in virtutibus & donis, gratia enim, quæ est in Sacramentis, est gratia gratum faciens &c. hæc autem est una tantùm &c. ex unitate subjecti, &c. & ex unitate effectûs, quod est, Deo acceptum facere. Respondet S. Thomas Gratia gratum faciens prout est in essentia animæ, est una, sed secundùm quod fluit, ad defectus potentiarum tollendos, & potentias perficiendas, multiplicatur.

Ex quo loco sic arguitur; Si Gratia Sacramentalis non esset aliud, nisi ipsa gratia prout dicit ordinem ad varia Dei auxilia, non posset dici gratia multiplicata, sed ut volunt oppositi eadem, & tamen per S. Thomam est gratia multiplicata; & sicut habente se uno relationis subjecto, ad diversos terminos, non dicitur ipsum fundamentum multiplicari, ita nec dicetur multiplicari gratia, dicens diversos ordines, aut auxilia, & tamen per S. Thomam, multiplicatur, quantùm ad defectus potentiarum tollendos, & potentias perficiendas Sacramentaliter.

SECUNDUS Locus est S. Thomæ ibidem ad tertium; proposuit enim sibi tale argumentum. Idem est motus in natura à termino ad terminum, sed gratia Sacramentalis ordinatur contra peccatum, gratia autem vivorum, ad perficiendam animam & Deo conjungendam; ergò est una gratia in Sacramento. Ubi respondendo S. Thomas, non dicit esse unam gratiam, ut per oppositos est una, sed dicit recessus à peccato, prout opponitur virtuti, & accessus ad perfectionem virtutis, pertinet ad eandem gratiam; non autem recessus à peccato secundùm quod vulnerat animam, quia respicit specialem medicinam, sicut in morbo etiam corporali patet.

Ex quo hoc sic arguitur; Per oppositos gratia Sacramentalis sanativa, pertinet ad eandem gratiam, non pertinet per S. Thomam. Rursùs; non ita se habet gratia Sacramentalis sanativa vulnerum animæ, sicut se habet gratia, in quantùm dicit recessum à peccato & accessum ad virtutem; ergò cum hæc gratia sit distincta nonnisi ratione diversi ordinis, dicti ab eadem Entitate gratiæ, gratia Sacramentalis non erit distincta per hos solos ordines, sed habebit specialitatem suam, non in ordine supernaturalis, quia hanc specialitatem dicit etiam gratia secundùm se; ergò specialitatem Entis, sicut specialitatem medicina habet, per ordinem ad distinctos morbos.

Tertius locus est ibidem in (·) Gratia gratum faciens est una, & est in essentia animæ, sicut in subjecto, & ab illa fluunt virtutes & dona ad perficiendum potentias animæ, sicut etiam potentiæ fluunt ab essentia; & similiter etiam illa gratia quæ est in essentia animæ, effluit aliquid ad reparandum defectus, qui ex peccato inciderunt &c. Gratia Sacramentalis &c. non potest esse sine gratia, quæ respicit essentiã animæ, sicut virtutes, sed tamen gratia, quæ est in essentia animæ, non potest esse sine virtutibus &c. potest autem esse, sine gratia Sacramentali, & ideo gratiæ Sacramentales, connexionem habent.

Ex quo loco sic arguitur; Magis distinguitur gratia, ab ea gratia, sine qua esse potest, quam ab illa gratia sine qua esse non potest; ergò si à virtutum gratia, sine quibus gratia esse non potest, si inquam ab illis in communi sententia distinguitur realiter, multò magis distinguetur realiter à gratia Sacramentali, & si per S. Thomam gratia, quæ est in essentia animæ, non habet connexionem cum gratia Sacramentali, nec habebit identitatem, quam tamen adstruunt oppositi.

Quartus locus ex tertia parte q. 62. a. 2. in (·) Ubi reassumit S. Thomas proportionem gratiæ Sacramentalis cum virtutibus, ergò si hæ distinctæ sunt realiter, ut supponitur, etiam gratiæ Sacramentales distinctæ erunt realiter; hinc si putetur S. Thomas in libros sententiarum scribens, tenere alietatem realem gratiæ Sacramentalis, à gratia habituali, etiam hic dicendus est tenere, cùm idem fundamentum repetat. Inibi ponit hæc verba; *Ordinantur autem Sacramenta ad quosdam speciales effectus*, hic autem ad primum repetit, *quantum* inquit *ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana requiritur Sacramentalis gratia.*

Ex quo loco sic formatur argumentum. Distinctio realis principiorum arguitur ex specialitate effectuum, si cætera adsint, unde etiam distinctio elementorum, habituum, ex actibus

& effectibus dignoscitur; ergò cum speciales effectus habeant gratiæ Sacramentales, & cum aliunde constet eas distingui, distinguentur realiter.

Quintus locus est ex Respõsione ad tertium. Objecit sibi sic S. Thomas; Omnis, inquit, additiõ, vel subtractio in formis variat speciem, si ergò gratia Sacramentalis addit aliquid supra gratiam virtutum & donorum, sequitur quòd æquivocè dicatur gratia. Respondet S. Thomas, quod, inquit, ratio Sacramentalis gratiæ, se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus; ubi, ut vides, struit S. Thomas Categoriam gratiæ; ponit ut sic gratiam, postea gratiam habitualem, & gratiam Sacramentalem.

Ex quo sic arguitur; Nulla species est indistincta realiter ab alia specie; ergò si gratia Sacramentalis, ad gratiam habitualem habet se, sicut species conveniens in ratione communi gratiæ, necessariò distincta erit realiter.

Respondebis. Admitti distinctionem realem ratione auxiliorum, non autem ratione ipsius gratiæ.

Contra. Quia ut dictum supra, ipsum auxilium non potest esse gratia Sacramentalis; ergò si datur distinctio realis gratiæ Sacramentalis ab aliis gratiis, illa non erit ratione auxilii. Rursùs hæc quæ sunt remediativa ad defectus potentiarum tollendos, censentur esse habitualia, neque enim id actibus convenit propriè; ratio item medicinæ aliquid permanens significat; proportio cum potentiis animæ effluentibus, in sententia, ut supponitur S. Thomæ requirit permanentiam, &c. Virtutes item profluentes è gratia, cum quibus gratiæ Sacramentales dicunt proportionem, sunt quid permanens.

Probatur Secundò. Est certum dari infallibiliter gratias Sacramentales accedentibus sine obice; certum est has gratias Sacramentales esse distinctas ab habituali; non implicat item habitus gratiæ Sacramentalis, condistinctus à gratia justificante, cur ergò potiùs non dicatur gratias Sacramentales in se ipsis distingui. Rursùs gratia donorum, est gratia distincta ab habituali realiter, ut communiùs tenetur; ergò & gratia Sacramentalis erit distincta realiter.

Respondebis ex Lugo. Deberent dari hæ gratiæ distinctæ, quod tamen non videtur admittendum.

Contra. Cur non deberent admitti, cum ita faciliùs explicetur, quòd à Sacramentis conferatur specialis gratia.

Probatur Tertiò. Tum quia si gratia Sacramentalis non esset gratia realiter distincta à gratia habituali, esset ipsamet gratia habitualis, prout dicit ordinem ad auxilia specialia nunc hæc, nunc illa, sed gratia Sacramentalis, non est gratia habitualis dicens ordinem ad diversa auxilia; quod probatur: quia vel esset illi hic ordo essentialis & intrinsecus, vel esset ex intentione Dei, dantis hanc gratiam, hac intentione, quid enim tertium? Neutrum autem tenet, quia si hic ordo est essentialis & intrinsecus, jam erit distinctio realis inter gratiam Sacramentalem & habitualem: quia quorum unum dicit unum ordinem intrinsecum & essentialem, & aliud non dicit, distingui debent realiter, conveniunt enim illis prædicata diversa, eaque primò intentionalia & physica; si autem hic ordo, est nonnisi ex intentione Dei dantis hanc gratiam, ut dicat hunc ordinem, non potest intelligi, quî faciat Deus suâ intentione, ut illa gratia dicat ordinem, cùm ordo ille sit intrinsecus, nec quid distinctum realiter à gratia. Tum quia ille ordo in re nihil aliud est, nisi exigentia dationis illorum auxiliorum, quomodo autem dicet in se illam exigentiam, per solam extrinsecam intentionem Dei, eâ intentione illam dantis; & quî sola obligatio Dei, obligantis se ad hoc, non est gratia Sacramentalis, hæcque obligatio ad gratiam Sacramentalem connotat aliquid futurum, cum tamen sit de fide, dari illam sine obice suscipientibus, non autem dandam esse; & si ponatur illa gratia esse complementum decreti Dei decernentis dari auxilia talia, jam illud complementum, utpote per multos essentialiter connexum cum tali decreto, deberet in sua essentia aliquid habere, quod non habet gratia habitualis, quæ de se, non est hoc complementum. Non poterit item ostendi diversitas in ipsa gratia in hac sententia, sed tota diversitas erit penes actus divinæ voluntatis hac vel ea intentione dantis gratiam, jam autem per fidem debet esse diversitas in gratia Sacramentali. Tum quia sicut cum dat Deus gratiam, primùm intuitu attritionis Sacramentalis, & dum dat gratiam intuitu contritionis, est quidem diversitas in intentione divina secundùm intuitus illos operantis, sed non est diversitas in gratia, & tamen diversitatem in gratiis Sacramentalibus agnoscunt omnes.

Respondebis ex Lugo. Omnis gratia Sacramentalis de se exigit auxilia ad resistendum tentationibus; quare poterit Deus dare hanc gratiam generali quidem intentione propter omnem operationem bonam, peculiari autem propter operationes honestas in hac materia.

Contra. Quia redit argumentum; vel hic ordo ad alias operationes est intrinsecus vel non? Rursùs ostenditur intentio Dei alia, sed hæc non est gratia Sacramentalis præsens.

Quanquam videtur hæc responsio esse pro alio argumento, non pro hoc directè.

DIF-

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT primò Suar: Quia vel talis habitus esset in essentia animæ, vel in potentiis. Non primum; quia ad sanctificandam animam sufficit gratia. Non secundum, quia in potentiis solùm infundatur habitus, qui sint principia supernaturalia supernaturalium actuum, sed per virtutes Theologicas & morales sufficienter ad hoc providetur.

RESPONDETUR. Cum per nos Anima à suis potentiis indistinguatur realiter, omnes illi habitus reciperentur in essentia animæ; quod si quæras, ad quid ordinetur illa specialis gratia, non ad dandam constitutionem in esse filii Dei, quia hæc habetur à gratia habituali, nec ad operationes illas honestas, quia ad has providit Deus habitus virtutum, erit ergò gratia illa Sacramentalis qualitas quædam divina & supernaturalis, exigitiva illorum auxiliorum de se, quæ auxilia ponit communis sententia, non referendo illam exigentiam in ipsam gratiam habitualem, ob rationes allatas, non in intentionem Dei ob dicta ibidem, sed referendo id in ipsam, quæ vi ipsius Sacramenti de præsenti infunditur, gratiam; vel si vis, (quod commodius est propter inferiùs dicenda) pone qualitatem, quæ est regeneratio spiritualis, & erit hæc gratia baptismalis; pone qualitatem spiritualem roborativam, Nutritivam &c. breviter referendo id in qualitates, quod numerat Trident. sub nomine gratiarum Sacramentalium.

OBJICIT Secundò Vasq. Hæc sententia absque fundamento & necessitate multiplicat hos habitus.

RESPONDETUR. Esse necessitatem, ut ostendatur gratia Sacramentalis, quæ de præsenti conferatur accedentibus sine obice, & ob aliàs allata.

OBJICIT Tertiò Lugo, Authoritatem S. Bernardi, qui Serm: de Cœna Domini dicit, diversas gratias respondere diversis Sacramentis, & in speciali Eucharistiæ, quòd non sentiamus vehementes iræ, invidiæ, &c. motus, quod ipsum non facit Eucharistia nisi mediatè, mediantibus scilicet auxiliis.

RESPONDETUR. Hunc effectum non esse primarium Eucharistiæ: quia ille non haberetur in infante, si illi daretur Eucharistia; & tamen illa deberet habere eundem effectum, quem id adulto; esset que hic effectus futurus, non præsens, cum scilicet occurrent tentationes, & tamen per Trident. ostendendus est effectus præsens.

INSTAT Primò. Suffecerit dicere gratiam Sacramentalem esse moraliter diversam, propter titulum quem affert ad peculiaria auxilia.

RESPONDETUR. Debere esse diversam physicè: quia nisi hæc diversitas ponatur, non ostenderetur, quî causetur de præsenti, gratia Sacramentalis, sed recurri debet ad mentem Dei hac intentione dantis gratiam, quæ mens Dei, non est gratia Sacramentalis; vel recurri debet ad aliquid futurum.

INSTABIS Secundò, ex iis quæ affert Lugo. Quia illa gratia Sacramentalis, ex eo deberet esse distincta specie ab habituali; quia diceret ordinem, quem non dicit gratia habitualis: sed id non probat distinctionem specificam, quia lumen gloriæ unum, non differt specie ab alio, licèt habeat determinatum ordinem, ad videndas has creaturas.

RESPONDETUR. Etiam lumen, si haberet ordinem ad has in individuo præsentandas Creaturas, distingueretur specie ab alio lumine; & licèt relatio ad unum principale faciat aliqua indistingui formaliter, id tamen tunc contingit, quando in cæteris est solùm per accidens differentia; ordo autem ille non esset per accidens, sed essentialis, quia respondens Sacramentis, quorum unum non est aliud.

INSTABIS Tertiò ex eodem. Si gratia Sacramentalis esset distincta specie à gratia habituali, sequeretur non posse ex utraque resultare unam gratiam intensam.

RESPONDETUR. Per Sacramentum duplex datur gratia, & habitualis, ut est de Fide, hæcque auget præcedentem habitualem; & datur etiam gratia Sacramentalis, quæ non intendit quidem per se habitualem, intendit tamen sibi similem, v.g. Eucharisticam, si præcesserit; unde etiam S. Thomas, ut vidimus supra, non posuit connexionem inter gratiam habitualem & Sacramentales.

OBJICIT Quartò. Tannerus per habitus gratiæ & virtutum, sufficienter informatur anima ad sanctitatem, & potentia ad rectè operandum; ergò non requiritur ulla alia gratia.

RESPONDETUR. Licèt ipsa gratia & habitus virtutum deposcant auxilia à Deo actualia, nihilominus ponit alias distinctas gratias Sacramentales Tannerus; ita poni poterit & qualitas distincta gratiæ Sacramentalis; hinc Sacramentalem perficientiam v. g. nutritionis spiritualis Eucharistia, proportionaliterque alia Sacramenta exigent; gratia autem esse filii Dei, & virtutes in esse operativi constituent.

OBJICIT Quintò Di Cast: Sufficit ut gratia Sacramentalis, à gratia communi distinguatur per curationem animæ.

RESPONDETUR. Hoc ipsum salvari non poterit, nisi ponatur gratia Sacramentalis distincta entitative, nisi referendo hanc gratiam in aliquid futurum contra Tridentinum, vel referendo hanc gratiam in aliquid extrinsecum, hoc est, decretum Dei, quod non est gratia Sacramentalis.

OBJICITUR Sextò ex Hurtado. Si gratia Sacramentalis, est, ut dictum, specialis exigentia talium auxiliorum, illa vel sunt efficacia, vel sufficientia; non efficacia, quia aliàs habens gratiam extremæ unctionis, nemo moriens in tentatione deficeret; non sufficientia; quia non satis aptè institueretur peculiare instrumentum, quo applicarentur merita Christi ad auxilium, quod nullum est habiturum effectum.

RESPONDET Primò Hurtado. Sacramentalem gratiam esse exigentiam specialem efficacium auxiliorum; unde etiam Trident. Sess. 13. c 2. tribuit Eucharistiæ præservationem à mortalibus, quod non fit, nisi auxilio efficaci: ita tamen Christus annexuit auxilia efficacia, ut non conferantur infallibiliter, sed tantùm pro libitu Dei:

NON SATISFACIT hæc Responsio: quia non est conformis Trident: si enim pro libitu Deus dat illa auxilia; ergò non semper, nec unicuique sine obice suscipienti; & si per Hurtado, non satis essent commodè instituta Sacramenta, si merita Christi applicarentur ad dandum auxilium, nonnisi sufficiens, ita nec essent debitè instituta, si ordinarentur ad auxilia efficacia, sed nonnisi pro libitu Dei danda, tam enim non facit actu operari auxilium sufficiens, quam non facit auxilium efficax, si pro libitu non detur.

RESPONDERI potest secundò ex Lugo. Per gratiam Sacramentalem non dari specialem exigentiam auxiliorum efficacium, aliàs confirmatus nunquam negaret fidem; non sufficientium, quia exigentia auxiliorum sufficientium est communis unicuique gratiæ habituali, sed datur tantum jus ad uberiora auxilia. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT: Quia non supponit distinctam gratiam Sacramentalem ab aliis, & quia illam exigentiam refert in merum decretum Dei, quod alias impugnatum.

RESPONDETUR Tertiò. Posse concedi, sicut in diversis virtutibus diversæ dantur exigentiæ gratiarum, ita & hic dari diversas exigentias gratiarum Sacramentalium; unde salvabitur imprimis præsens effectus Sacramenti, nempe infusio qualitatis illius gratiæ, præsens item exigentia auxiliorum, licèt non pro præsenti; præcipuè autem, quia ista exigentia non est primarius effectus gratiæ Sacramentalis.

OBJICITUR Septimò. Inexplicatum relinqui in quonam primariò stent illæ gratiæ Sacramentales.

RESPONDETUR. Stant in illo (Theologicè respondendo) quod numerat Florentinum, id est in renascentia spirituali, in roboratione & nutritione, &c., scholasticè.

Explicatur ratio harum Gratiarum.

PRÆMITTO Primò. *Vt rebus corporeis & sub sensus cadentibus proportionentur spiritualia, oritur id ex eo.* Imprimis quia cum intellectivum nostrum, sit essentialiter ordinatum ad corpus, etiam operativum nostrum proportionatum ipsi esse, dependens est à corporeis, ex qua dependentia imbibita, nullum actum potest formare mens suo principio inaccommodatum, hoc ipso enim vel supra sphæram, vel infra ageret, adeoque nec ageret; nihil enim supra se, vel infra se est, adeoque nec supra, nec infra se (nisi fortè elevata aut moraliter facit,) unde fit ut etiam spiritualia non cogitet, nisi conformando sese materialibus & corporeis; sed talis accommodatio noscibilium spiritualium ad proportionem sensibilium, oritur ex ipsa imperfectione principii, essentialiter ad corpus ordinati; experimur hoc si utamur inspiciliis viridibus, omnia enim tunc aspicienti viridia videbuntur, discernitque rubrum, sed, ut ita dicam, viridatum: sic etiam in præsenti; discernit quidem mens quod spirituale, non sit materiale, hoc ipsum tamen spirituale, ob imperfectionem sibi allinitam ex ordine ad corpus, non percipit aliter, nisi sub conditione proportioneque corporei.

PRÆMITTO Secundò. *Ex alio etiam fonte transferri materialium proportionem ad spiritualia*, scilicet ex exigentia ipsius Objecti spiritualis facientibus scilicet id spiritualibus, quòd facerent materialia & sensibilia, sed eminentiori longè ratione; sic v. g. inter materialia est extensio localis, hanc habent etiam, sine ulla materialitate Angeli; motus item localis in nobis est materialis, neque enim anima motu spirituali progreditur in corpore, à termino ad terminum, & tamen & sphæra locabilitatis, & motus localis tribuuntur Angelis.

PRÆMITTO Tertiò. *Etiamsi spiritualibus ea quæ sunt materialia & sensibilia proportionatè tribui possint, non tamen omnia*; & sic, nemo ponit seminum spirituale, aut hyemem in angelis.

PRÆMITTO Quartò. *Dandam esse regulam, quænam possint illis tribui, ex proportione ad materialia*; & prima quidem est Negativa, ut id non implicet. Secundò ut contineant perfectionem spiritui etiam consonam, adeoque in concepru secundùm se non involvant corporeitatem & materialitatem. Ratio: quia & posset tribui exigentia illius perfectionis Spiritui, ut supponitur, de hac enim loquimur; & non posset tribui; quia exigentia Spiritûs, non potest esse, nisi ad sibi proportionata, non autem ad imbibentia nonnisi corpus, quia illis imbibentibus ita essentialiter materialitatem, nec adesse suum intelligent spiritualia, hoc ipso enim non essent spiritualia, nec adoperari, quia extra sphæram operarentur; & ita altissima spiritualitas est in Deo, & tamen reperitur in divinis generatio, eo quòd conceptus illius, non imbibat in se, materialitatem aut sexum.

PRÆMITTO Quintò. *Assumendo hoc principium;*

pium; Spiritualia præstant hoc & exhibent altiori modo, quod præstant & exhibent corporalia, & principium Non implicat; sic dici posset; Non repugnat qualitas spiritualis sacra, quæ præstet hoc, quod præstat renascentia materialis; quæ enim in hoc est implicantia? accedit authoritas Florentini dicentis per baptismum nos spiritualiter renasci, & si invenitur nascentia spiritualis, cur non renascentia, & quidem sub titulo renascentiæ; & hæc gratia renascentiæ spiritualis erit gratia baptismalis stans in hoc, quod penetratis illius qualitatis prædicatis deveniatur, quod hæc qualitas sit nata dari, tanquam iteratum donum, post amissam in capite innocentiam. Non repugnat item gratia, quæ hoc præstet Spiritui, quod roborativum, quod nutritio corporalis; respondebitque gratia confirmationis & Eucharistiæ. Nec repugnat qualitas spiritualis, quæ datis defectibus, qui sint morbi spirituales, sit eorum sanativa; & hæc erit gratia propria pœnitentiæ. Qualitas item spiritualis potestatis; nam etiam Angeli appellantur Potestates, & hæc erit qualitas Ordinis, vi cujus habetur potestas in Corpus Christi Mysticum & reale; nec repugnat qualitas spiritualis animativa ad pugnandam in agone; & hæc erit gratia Unctionis, eritque distincta à gratia roboris; sicut in humanis, aliud est esse robustum, aliud animosum; vel dic distingui illas gratias objectis, nam gratia Confirmationis respicit difficultatem circa professionem Fidei coram Tyranno, hæc respicit difficultates agoniæ, & insidias dæmonis, in illo puncto. Deniq; qualitas, affectione alligativa duorum quantum ex illa, & hæc erit gratia Sacramentalis Matrimonii; licèt ad has gratias consequantur postea auxilia Dei. Erunt autem hæ gratiæ distinctæ ab ipsis characteribus quos imprimunt ipsa Sacramenta, quia illæ gratiæ non dantur iis qui accedunt cum obice, datur character. Rursùs character est signum actionis Sacramentalis peractæ circa se, & recepti Sacramenti, illa autem gratia, est effectus peracti Sacramenti, &c. denique character non deletur, de gratiis autem Sacramentalibus hoc non asseritur. *His præmissis*

Explicatur Gratia Sacramentalis. Per res corporeas cognoscimus spirituales, interdum ex imperfecto modo nostro operandi, ut dixi Præmisso primo; interdum ex exigentia Objecti, transferendo materialia ad spiritualia, ut dixi Præmisso secundo, quæ translatio non potest in omnibus fieri, ut dixi Præmisso tertio; sed in istis quæ non implicant, & materialitatem in se imbibitam non habent, ut dixi Præmisso quarto; quia autem non repugnat gratia quæ sit spiritualis renascentia, spirituale robur, refectio spiritualis; ideo gratiæ Sacramentales, erunt tales gratiæ & tales qualitates, adjuncta sibi exigentia actualium auxiliorum. Et si est tanta varietas in ipsis laureolis & characteribus, ita ut Character baptisati ex multorum sententia non sit character confirmati, poterit etiam dari varietas in gratiis Sacramentalibus, ita ut gratia renati, quà talis, non sit gratia confirmati quà talis.

Addo per has gratias Sacramentales non reddendam evanidam gratiam habitualem & virtutum, quia prior illa erit constitutiva in esse Filii Dei, adeoque & auxiliorum sub hac formalitate exigitiva; gratiæ autem virtutum, erunt principia ab intrinseco operandi, auxiliorumq; ad hoc exigitiva sibi proportionatorum, v. g. virtus humilitatis non exigit concursum nisi subdendi se excellentiæ; indubiè tamen aliquæ virtutes, erunt subservientes, gratiis Sacramentalibus, in ordine ad eventus gratiosos; v. g. fortitudo, gratiæ Sacramentali roborativæ.

DIFFICULTAS III.

Respondetur quibusdam quæsitis.

QUÆRES Primò. *An omnia Sacramenta æqualem conferant gratiam?* Procedit quæsitum universaliter de Sacramentis diversæ rationis, v. g. non tantùm de duobus baptismis inter se comparatis, sed etiam de baptismo comparato ad alia Sacramenta.

ASSERO Primò. *Sacramenta ejusdem rationis æqualem, quantùm est ex illis, conferre gratiam*; est assertum contra Paludanum, Gabrielem, Cajet: Scot: & alios, qui censent majorem dari gratiam ex benevolentia Dei, devotione Ministri, vel ex prædestinatione ad majorem gloriam.

RATIO asserti, quia hæc Sacramenta à solo Christo habent efficaciam, quam quòd voluerit esse mutabilem & variam, nec ratione, nec authoritate suadetur; & sicut hostia sive à bono, sive à malo Ministro consecretur, æqualitatem habet, ita & in præsenti. Rursùs collatio majoris gratiæ prædestinatis, non contingit nisi per media ad hunc finem accommodata, hoc est per merita; hic autem agitur de Sacramentis nonnisi secundùm se, & non prout habent conjunctionem ad opus suscipientis; & si prædestinatis ad majorem gloriam, daretur major gratia, hoc quidem fieret in collatione Sacramenti, sed non à Sacramento, aut ex vi Sacramenti, sed ex vi liberalitatis divinæ. Addit DiCast: ad convenientem modum divinæ providentiæ spectat, ut singulæ causæ habeant certos effectus, non haberent autem in præsenti.

ASSERO Secundò. *Sacramenta ejusdem rationis, plus conferre gratiæ, magis disposito.*

RATIO asserti est authoritas Trident: Sess. 6. cap. 7. Ubi docet Trident: secundùm men-

suram dispositionis conferri gratiam; ergo magis dispositus, plus acquiret gratiæ à Sacramento causatæ; sed casu quo uterque v.g. suscipiens baptismum æqualem attulerit dispositionem, æqualis causabitur gratia, quod intendit assertum primum.

Assero Tertiò. *Probabilius est quantùm ex vi Sacramenti Eucharistiæ, quòd illa conferat de se plus gratiæ, quam alia Sacramenta.*

Ratio: quia id convenit, cùm hoc Sacramentum ipsum gratiæ fontem contineat; & cum in hoc Sacramento magis eluceat bonitas divina, convenit etiam ut liberalitas eluceſcat.

Quæres Secundò. *Vtrum omnia Sacramenta conferre possint primam gratiam*; non procedit quæstio de baptismo & pœnitentia, de his enim constat; sed de aliis Sacramentis.

Assero Primò. *Non posse certò affirmari quod alia Sacramenta etiam per accidens conferant primam gratiam*; est assertum Suarii disput. 63. Sect. 1.

Ratio: quia id pendebat ab intentione instituentis Christi, quæ intentio in hoc genere, neque nobis revelatione, neque authoritate Patrum, neque deductione innotescit.

Assero Secundò. *Casu quo mortale retractetur per attritionem, quæ invincibiliter reputetur contritio, probabile est usu Sacramentorum conferri tunc per accidens primam gratiam.*

Ratio asserti, est authoritas Doctorum; ut S. Thomæ hîc q. 79. a. 3. in (.). Alensis, Victoriæ, Richardi, Soti, quos sequitur Suarez; & habetur fundamentum in Trid: quod Sess. 13. cap. 5. agens de Eucharistia. *Si quis dixerit*, inquit, *vel præcipuum fructum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo, non alius fructus provenire, anathema sit*; ubi supponere videtur Trident: non præcipuum, secundarium tamen fructum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum. Ratio in oppositum non convincit, nam quòd dicunt Sacramenta non tollere obicem, sed sublatum supponere, & quòd eo casu non auferatur obex, eò, quòd illum non auferat attritio, id non convincit; nam obex non est tunc peccatum, sed conscientia peccati, hæc autem conscientia tollitur, quando bonâ fide acceditur. *hinc*

Assero Tertiò *dici posse quòd Sacramenta ex secundaria intentione, sint instituta ad tollendum obicem.*

Ratio: quia si ex dictis probabile est, de facto per accidens à Sacramentis conferri tunc primam gratiam, etiam dici debet probabile esse, vi illorum auferri obicem; nec inde ulterius sequetur, quòd cum cognita attritione, possit aliquis accedere ad talia Sacramenta; quia est obligatio, ne quis cum conscientia peccati mortalis accedat: qui autem conscius est peccati mortalis, & scit se nonnisi attritionem habere, scit se esse in peccato mortali, non enim attritione illud remittitur; ergo non poterit cum illa sola cognita, accedere ad Sacramentum.

Quæres Tertiò. *Daturne melior gratia secundùm quòd melior est Minister Sacramenti?*

Assero Primò. *Non datur melior habitualis, seu justificans gratia.*

Ratio, Authoritas S. Pauli 1. ad Cor. 1. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptisati estis*; certè autem in nomine Ministri baptisaremur, si melioritatem illius, sequeretur melioritas gratiæ justificantis. Est assertum commune contra Cajet. Gabr. Scotum.

Assero Secundò. *Propter melioritatem Ministri, datur melior gratia excitans.*

Ratio ex DiCast: quia si unus potest mereri alteri gratiam excitantem de congruo, ergo & intuitu illius conferri poterit, dum conferetur baptismus.

Assero Tertiò. *Gratiam illam conferendam quidem dum confertur Sacramentum, non dandam tamen vi Sacramenti.*

Ratio: quia cum ipsa Persona Ministri, & ejus Sanctitas, non intret Sacramentum, tanquam pars ejusdem, ergo gratia illis titulis data, non erit gratia, vi Sacramenti data.

QUÆSTIO II.

De Effectu Sacramenti in sumentibus cum obice.

ALii appellant id reviviscentiam Sacramentorum & de illa quærunt; porrò obex Sacramentorum duplex cogitari potest; Primus qui simul est invalidativus Sacramenti, ut si adultus baptisetur, & ipse nolit baptisari, sed ad illudendum hominibus faciat. Secundus, si quis ponat impedimentum, soli nonnisi infusioni gratiæ; ut si v. g. adultus, non doleat de peccatis, & tamen baptisetur.

Assero Primò. *Baptismum cum obice sumtum revivisce re.*

Ratio asserti; doctrina Ecclesiæ, quæ docet hæreticos, etiamsi adulti baptisentur, non esse rebaptisandos; expressit doctrinam Ecclesiæ Augustinus lib. de Baptismo, contra Donatistas. cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. ita habet primo loco loquens de baptisato in hæresi; *Non iterum*, inquit, *baptisandus est, quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus, in unitate prodesse jam incipiat Sacramentum, quod acceptum in Schismate, prodesse non poterat.*

Assero Secundò. *Quando per pœnitentiam obex ille tollitur, remissio & culpæ & pœnæ, peccatorum ante baptismum commissorum, respondet ipsi Baptismo & non pœnitentiæ.* Est assertum contra Scotum,

Scotum, Almainum, & alios, qui eo casu, baptismo, nonnisi remissionem pœnæ temporalis tribuunt.

Ratio: doctrina Ecclesiæ ab Augustino expressa, quæ illam justificationem Baptismo tribuit: & si remissio pœnæ tribuitur Baptismo, cur non remissio culpæ?

Respondet Vasq. Illam justificationem in tantùm tribui Baptismo, in quantùm Baptismus reddit fictè baptisatum, idoneum ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, per quod gratia confertur; vel quia facit, ut contritio ficta baptisati, sit vera contritio, utpote supponens in re, vel in voto baptismum.

Contra. Tum quia hæc responsio non accipit simpliciter verba Augustini. Tum quia non plus tribuit Sacramento quàm fiat, si quis etiam non baptisatus actum contritionis & amoris haberet, nam etiam hujus amor & conversio ad ultimum finem, includit implicitè votum baptismi, & tamen videtur plus debere tunc tribui Baptismo. Tum quia eodem jure dici poterit, posita remissione peccati, causata à Sacramento pœnitentiæ, causari illam à Sacramento Baptismi, quia Baptismus reddit capacem hominem illorum Sacramentorum.

Assero Tertiò *hujus doctrinæ commodè rationem reddi*, quia scilicet Baptismus in re vel in voto, est necessarius necessitate medii ad justificationem, tam ab originali, quam ab actualibus ante baptismum commissis, ut teneat locus: Nisi quis renatus fuerit &c. ergo cùm hic baptismus semel acceptus iterari non possit, debuit dari aliquid aliud ratione cujus Baptismus præstet illum effectum, & hæc est illa reviviscentia Sacramenti ablato obice.

Respondent Vasq. & Coninq etiam pœnitentiæ Sacramentum esse necessarium in re vel in voto ad justificationem à peccatis, post baptismum commissis; casu tamen quo aliquis per contritionem, vel amorem Dei, sed disponat ad justificationem, in quibus includitur etiam implicitè pœnitentia; nihilominus eo casu, Sacramentum aut ejus votum, non concurrit, ad efficaciam illius contritionis, illudq; votum pœnitentiæ, implicitum in actu amoris, nihil aliud est, quàm amor, cui connexum est propositum servandi omnia præcepta, inter quæ est confessio.

Contra est. Nego quòd tunc non concurrat votum pœnitentiæ, cum concurrat ipse amor, qui est ipsum votum; sed in casu asserti, non concurreret ipse baptismus ad justificationem, ut conceditur; non etiam votum illius, quia hoc non est ejus quod præteriit, ut præteriit baptismus, consequenter contingeret justificatio sine Baptismo vel ejus voto, cum tamen remissio peccati post Baptismum, non contingeret, siae pœnitentia in re vel in voto.

Illustrat hoc Lugo; Sicut transacto Jubilæo potest aliquis absolvi à votis, à quibus oblitus erat petere dispensationem, idq; vi Jubilæi antecedenter dati, ita & auferuntur peccata vi baptismi, ante collati.

Dices primò. Ergo tali homini dabitur plus gratiæ, quia dabitur gratia & intuitu amor tollentis obicem, & intuitu Sacramenti.

Respondetur. Concedo totum.

Dices Secundò. Ergo sumens cum obice, referet commodum ex suo Sacrilegio.

Respondetur. Non tam referet commodum ex suo Sacrilegio, quàm potius Sacrilegio non impedietur, quominus gaudeat effectu illius juris, quod per baptismum acquisivit; vel certè per accidens id continget, & non ratione, Sacrilegii, sed efficaciæ baptismi: ad eum modum, quo per accidens contingit, ut communicans propter vanam gloriam, accipiat nihilominus gratiam Sacramenti; & quòd post peccatum absolutus, accipit gratiam majorem priori.

Dices Tertiò. Ergo is qui cum obice veniali recipit Sacramentum baptismi casu quo moreretur extemplò, adhuc ab illo justificari poterit, vi baptismi.

Respondetur. Concedendo totum, aliàs baptismus non mutaret hominem in aliam Creaturam: quomodo autem hæc remissio perficiatur, dictum in materia de pœnitentia, ubi de actu requisito ad remissionem peccati.

Assero Quartò. *Etiam alia Sacramenta imprimentia Characterem, sublata fictione, tribuunt suum effectum*; est assertum communius S. Thomæ in quartum dist. 3. a. 2. ad tertium; est autem contra Vasq.

Ratio est: quia Character ille, ut supra innuimus, est quasi virtus Sacramenti relicta, potens eo casu causare effectum Sacramenti.

Assero Quintò. *Etiam alia Sacramenta non imprimentia Characterem, ablato obice, producunt gratiam, excepta Eucharistia & Pœnitentia*; est assertum Suar. Lugonis & aliorum.

Ratio quoad primam partem; quia extrema unctio, stante eadem ægritudine, & matrimonium vivente conjuge, reiterari non possunt; & tamen indiget homo specialibus gratiis adstrictis illi Sacramento, nec est necesse remittere hominem, ut id compenset oratione; quia id non convenit bonitati divinæ facilitanti salutem per Sacramenta; unde sufficienter ipsa Contritio deleviset mortale, & tamen provisum Sacramentum pœnitentiæ; facilitativum illius remissionis.

Quod attinet ad Eucharistiam est assertum contra Scotum & Cajetanum, docet tamen illud Lugo disp. 5. Sect. 6.

Ratio: quia ex una parte non dictat id doctrina Sacra, ex altera parte, resumptibilitas Eucharistiæ, facit ut damnum illud compensari possit, quæ iteratio, non habetur in extrema unctione & Matrimonio ut dictum.

Quod

Quod attinet ad Poenitentiam.

Ratio est: quia quotiescunq; ponitur obex Mortalis, toties non ponitur Sacramentum, consequenter nec habet jus causandi gratiam, neque enim admittimus Sacramentum hoc validum, sed informe.

Assero sextò. *Perfectiori dispositioni tollenti obicem, respondet plus gratiæ.*

Ratio asserti est Authoritas Tridentini, Sess. 6. cap. 7. Ubi docet secundùm mensuram dispositionis, conferri gratiam; præcipuè quia ut dicit DiCast: Sacramenta operantur in omni suscipiente ad modum Entis quodammodo naturaliter operantis, jam autem naturale agens, secundùm dispositionem Subjecti operatur.

Assero septimò. *Posita dispositione, quæ unica pro utroque deserviat, v. g. quæ serviat & ad baptismum & ad pœnitentiam, singula Sacramenta causabunt tantam gratiam, atque si pro singulis, separatim illa dispositio facta fuisset.*

Ratio: quia effectus unius Sacramenti, non restringitur effectu aliûs Sacramenti; nec obstat, quod illa dispositio sit finita, adeoque divisa per plura, non possit tantùm, quantùm uni attributa, non inquam obest; quia illam dispositionem non est necesse dividi, sed tota pro utroque Sacramento deservire potest: ad eum modum, quo v. g. gradus caloris iidem serviunt, ut inducatur siccitas & ignis; & quomodo in sententia admittente formas partiales, eadem dispositio sufficiens est, ad formam partialem, & formam totalem.

QUÆSTIO III.

De effectu Sacramenti qui est Character.

Hic effectus non est communis omnibus Sacramentis sed nonnisi aliquibus; *de illo sit*

DIFFICULTAS I.

An detur Character?

Dicendum est, *Dari Characterem.*

Probari primò solet ratione, quâ utitur etiam Amicus: quia dantur aliqua Sacramenta quæ iterari non possunt ex constanti Ecclesiæ traditione, qualis & Baptismus, Confirmatio & Ordo; ergo præter gratiam imprimitur aliquid in anima, quod semel impressum, nunquam deletur, eò quòd illa maneant semper in suo effectu, reliqua verò præter gratiam, quæ remitti augerique potest, nihli imprimunt in anima suscipientis, repetique possunt.

Respondet primò Lugo; hanc probationem non esse efficacem; nam licèt ex impressione characteris arguatur benè, non posse iterari illa Sacramenta, prout intulit Trident: non tamen è contra videtur benè argui, ex eo, quòd iterari non possint, quia imprimunt Characterem; non consecratio Calicis vel Ecclesiæ, ac etiam prima tonsura iterari non possunt, & tamen non imprimunt Characterem.

Contra est: Quia ex una parte non affert rationem, cur eò, quia iterari non possunt Sacramenta, non arguatur ea imprimere Characterem; ex alia parte instantiæ allatæ non convincunt; nam quòd consecratio Calicis, vel Ecclesiæ iterari non possit, id pendet ex mera dispositione Ecclesiastica, potuisset enim ordinare Ecclesia, ut pro singulis vicibus nova fieret consecratio Calicis vel Ecclesiæ, sicut pro singulis diebus dominicis ordinavit aspersionem solennem, jam autem illa non iteratio Sacramenti non potest referri in placitum Ecclesiæ, ergo debet referri in aliquid aliud, hoc autem non aliud est, quam ex eo iterari non posse, quia imprimitur Character.

Responderi potest secundò. Male ex iteratione Sacramenti inferri positionem Characteris; quia oleum & Chrisma cùm benedicuntur, non imprimitur illis character, & tamen Ecclesia non potest facere, ut non maneant ulterius benedicta; ergo non rectè infertur, quia aliqua Sacramenta non possunt repeti, illa ex eo imprimere Characterem, cujus etiam responsionis meminit Lugo.

Contra. Redit argumentum factum quod oleum non benedicatur repetitò, est merum placitum Ecclesiæ; non est autem merum placitum, quòd Sacramenta reiterari non possint, & cur id ex eo non inferetur, quia imprimunt Characterem. Deinde, quod oleum illud, postquam est benedictum, id exinde est, quia habere rationem benedicti, non plus importat, quàm destinationem olei vel Chrismatis solennem ad esse Sacrorum, hæc ipsa destinatio perficitur actu designativo; hic actus designativus quando præteriit, non potest non esse præteritus, consequenter & oleum v. g. benedictum, non potest facere non benedictum; sicut & facta designatio non potest non esse facta, licèt non repetitio illius benedictionis, ut dictum, referri debeat in placitum Ecclesiæ.

Responderi potest tertiò. Quamvis Matrimonium iterari possit cum alia v. g. conjuge, non tamen potest iterari cum eadem, & tamen non imprimit Characterem saltem limitatum respectu illius conjugis; ergo non iterabilitas, non arguit impressionem Characteris; & ex alia parte, non implicaret, quòd Matrimonium cum hac conjuge, imprimeret Characterem, per ordinem ad hanc conjugem, & Matrimonium cum alia, imprimeret characterem, per ordinem ad aliam conjugem; sicut subdiaconatus imprimit Characterem Ordinis, inquit Lugo, & tamen Subdiaconus potest iterum recipere Sacramentum ordinis, in Diaconatu & Præsbi-

Præsbiteratu, quia illi Characteres, non sunt homogenei, sed heterogenei, in ordine ad diversas functiones.

Contra est. Quia etiam similiter quærere restat, cur ex initerabilitate absoluta quæ amplior, argui non possit Character, licèt non arguatur ex initerabilitate cum hac. Quod autem non possit ex initerabilitate Matrimonii cum hac, argui Character ad hanc, referri in id potest: quia etiam non posito Charactere, initerabilitas Matrimonii cum hac, referri potest in essentiam contractûs Matrimonialis, stantis traditione ad quam sequitur acceptatio: traditio autem, primâ quidem vice habet effectum, si illi annectatur absoluta acceptatio, sed secunda vice, non est jam traditio, traderetur enim quod jam habetur, quod ipsum non est tradere, nihil autem simile ostendi potest in aliis Sacramentis, in quod referatur initerabilitas; deinde si daretur Character per ordinem ad hanc conjugem, tunc illa mortua casu contractus cum altera, esset conjunx duarum conjugum, quod absurdum; & hoc absurdum probat initerationem Matrimonii cum eadem conjuge in Characterem refundi non posse, adeoque nec characterem talem dari, nihil autem simile in aliis Sacramentis initerabilibus; ergo initerabilitas illa referri debet in Characterem, cum in aliud referri non possit.

Cæterum hæc probatio plenè non convincit, certè enim in libertate Christi fuit, etiam aliis Sacramentis tribuere vim producendi Characterem temporaneum saltem, consequenter ex charactere, non potest per locum intrinsecum inferri initerabilitas, adeoque initerabilitas non in characterem referri debet, sed in placitum instituentis.

Probari solet secundò Ratione, qua etiam utitur Amicus: quia per hæc Sacramenta homo fit habilis ad aliquid, ad quod antea non erat; nimirum per baptismum, ad recipienda aliqua Sacramenta; per Confirmationem, ad tuendam religionem adversus Tyrannos; per Ordinem, ad obeundas actiones sacras; ergo per aliquid intrinsecum permanens: quia sicut Deus amando facit objectum amabile, & simul potens redamare, per aliquid intrinsecum & permanens in eo productum, ita habilitando, facit subjectum habile ad operationes, quas antea non poterat facere, per aliquid intrinsecum, in eo impressum; & licèt homines, nonnisi extrinseca authoritate, suos Ministros, designent ad publica munia obeunda, Deus tamen cujus perfecta sunt opera, facit id, per intrinsecam potestatem & virtutem.

Responderi potest. Rationem hanc non convincere, absolutè enim loquendo fieri potuisset, ut hæc omnia sine impressione Characteris fierent, debet ergo dari fundamentum, cur de facto fiat cum impressione Characteris. Rursùs sicut non est necesse ut homo, per aliquid positivum impressum reddatur capax Baptismi, ita posset reddi capax aliorum Sacramentorum sine Baptismo. Deniq; ratio multum probat: quia probaret etiam in Matrimonio imprimi Characterem, itemque in collatione extremæ unctionis; quia etiam vi illorum Sacramentorum, homo fit habilis ad aliquid, ad quod antea non erant. Addit Lugo quòd non detur potestas Confirmato ad aliquid, ad quod non habet potestatem non confirmatus, nec Diaconus aut Subdiaconus recipit potestatem aliquid faciendi, quod validè laicus exercere non possit; ergo apparet exinde non argui characterem.

Probat tertiò Lugo. Sicut in exercitu vel familia Principis, ii qui designantur ad peculiaria officia vel obsequia, designari etiam solent peculiaribus signis; ita congruum fuit, ut in familia & exercitu Christi, ejus famuli & milites peculiaribus signis notarentur; hinc ulterius deducit, quare alia Sacramenta non imprimant Characterem, quòd scilicet per illa non designetur ut Minister vel famulus Christi, sed solùm accipit gratiam Sacramentalem, ad aliquas particulares necessitates.

Responderi potest, nec hanc congruentiam convincere, cur non enim in extrema unctione constituetur homo Minister Christi, obstitutus difficultatibus mortis, sicut Confirmatus obstitit difficultatibus Tyranni. Ostiariibus item & Exorcista, sunt etiam officia & ministeria Christi, & tamen non imprimunt Characterem; denique Matrimonium constituit specialem classem, itemque votum virginitatis, & tamen hæc non imprimunt Characterem. *Hinc aliter*

Probatur Conclusio Authoritate sacra, novissimè Trident. Sess. 7. Can. 9. definientis Tria esse Sacramenta, quæ Characterem imprimunt, nimirum Baptismum, Confirmationem & Ordinem. Hujus definitionis fundamentum desumitur ex Scriptura, quæ licèt in alio sensu explicari possit, nihilominus attendendo ad traditionem Ecclesiasticam, etiam pro Charactere accipi debet. Talis est locus ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Consimilia sunt ad Ephes. 1. & secunda ad Cor. 1. Patres autem fusè citat Bellarminus lib. 2. de Sacramentis c. 8. Neq; valet si dicas quod Tridentinum ex Charactere collegerit, non posse Sacramenta aliqua iterari, neque enim id collegit, ex vi & natura Characteris, sed ex ordinatione Christi, conjunctum esse Characterem volentis, Sacramento initerabili.

Objiciuntur primò in oppositum Paritates aliquæ.

Prima est Calix & Ecclesia sufficienter sacrantur sine Charactere; ergo & homines.

Respondetur. Si argumentum tenet, probat mul-

multum: quia probat etiam gratiam in Sacramentis non conferre, quia etiam calici nihil simile confertur; directè disparitas est: quia non constat Ecclesiæ, quòd ordinaverit Deus, ut aliquid vel spirituale, vel materiale producatur in illa consecratione; constat autem Ecclesiæ de voluntate Christi circa productionem Characteris.

Aliam disparitatem dat Amicus: quia Calix & Ecclesia, non sunt capacia consignationis internæ, & quia eorum consecratio fit ab homine, qui non habet virtutem mutandi res intrinsecè, homines autem consecrantur à Deo mediis Sacramentis. *Hæc disparitas*

Non Satisfacit. Quia quamvis non sint capacia naturaliter, consignationis internæ spiritualis, Materialia, sunt tamen capacia consignationis materialis supernaturalis, consimilis laureolis, & tamen hæc consignatio in calice non datur; & sicut consignat Deus mediante Sacramento, ita dicam benedicere Deum calicem, mediante benedictione hominis, præcipuè cum Ecclesia, sicut potestatem v.g. Ordinis conferendi, ita & potestatem benedicendi habeat à Deo.

Secunda Paritas. Quia homines destinant ad sua officia alios sine ulla productione Characteris interiori; ergo & Deus.

Respondetur. Disparitatem esse: quia habet Deus libertatem & potestatem, ut id faciat; & quod sit usus hac libertate, constat nobis ex doctrina Conciliorum; jam autem homo non habet potestatem aliquid internum producendi in alio, & externum Signum noluit deputare, singulis officiis.

Objicitur secundò. Nulla est necessitas hujus Characteris, sufficitq; gratia, præcipuè cùm Character nullam physicam vim agendi tribuat.

Respondetur. Nullam esse necessitatem absolutam Characteris, suffecisset que habuisse gratiam & deputationem externam, est tamen necessarius ex suppositione, quòd Deus se liberè determinârit, ut illo consignaret; nec obest quod vim agendi physicè non tribuat, quia illam nec laureolæ tribuunt, & tamen dantur.

Aliter ad illud, quòd character non sit principium operandi, respondet Amicus, quòd scilicet character non requiratur ut forma habilitans physicè, requiritur tamen ut forma habilitans moraliter: quia nec sine Charactere Baptismi, reliqua Sacramenta essent valida. *Hæc doctrina*

Non Satisfacit. Suppono enim quòd ponatur Baptismus; & Deus ex placito non concurrat ad productionem Characteris, vel subtrahat concursum conservationi ejusdem, non videtur ex doctrina Ecclesiæ sequi, illum hominem non fore capacem aliorum Sacramentorum: non diciturque Character Baptismi, esse janua Sacramentorum, sed baptismus.

Objicitur tertiò. Si daretur Character, conferri deberet tunc, cùm non confertur gratia; hoc autem non convenit: nam non decet actu peccanti, Deum infundere sua dona.

Respondetur. Sicut homini peccanti non est indecens offerri à Deo auxilia supernaturalia, ita nec erit indecens offerri Characterem: indignitasque peccatoris non evacuat liberalitatem divinam, quam liberè decrevit, etiam tunc manifestare.

DIFFICULTAS II.

Quid Character?

POnentur imprimis Explicationes, postea ostendetur, quid rei sit ipse Character.

Punctum Difficultatis I.

Definitur Character.

Prima Definitio est, quâ utitur Lugo, *quòd sit Signum spirituale & indelebile in anima impressum. Hæc definitio*

Non Satisfacit: quia non est Universalis, non enim implicat Character delebilis. Rursùs, differentia qualitatum non decet accipi à subjecto in quo recipiuntur: subjectum enim ad hoc nonnisi materialiter se habet; unde si ponerentur materiæ distinctæ specie, calor præsens in utraq; positus non differret per hoc specie; & quamvis, si qualitas nonnisi ad hoc subjectum ordinaretur, esset distincta specie à qualitate, quæ ad aliud subjectum ordinaretur, tunc tamen non à subjecto desumeretur differentia, sed ex ordine illo intrinseco, & essentiali, non autem præcisè ex subjecto recipiente; &, si ponatur illud Signum spirituale, hoc ipso supponetur illud in anima recipi, neq; enim rei Spiritualis subjectum connaturale aliud esse potest. ut quid ergo ponitur in definitione characteris, quòd recipiatur in anima, & sicut signum materiale non rectè per hoc definiretur, quod sit signum materiale in materia receptum, ita & in præsenti, non rectè definitur Signum Spirituale, per ly, in anima receptum. Denique, ut suppono, non implicat contradictionem aliqua qualitas materialis & tamen supernaturalis, quæ tamen qualitas habeat rationem Signi; ergo adhuc illa definitio, non est universalis, nec conveniens ut sic Characteri.

Secunda Definitio est Esparza. q. 31. Ponit ille, *quòd Character sit signum Potestatis spiritualis in ordine ad cultum Dei*; vel certè est qualitas practicè indicativa potestatis spiritualis ad cultum Dei; hoc autem munus nulla alia qualitas tam benè præstat, quam species impressa. Unde concludit cum Altisiodoren. & Salaz, quòd Character Sacramentalis, sit species impressa

impressa supernaturalis infusa à Deo, dependenter à Sacramentis, & indicativa destinationis ad finem peculiarem, nec non potestatis peculiaris ad cultum Dei; hæc doctrina & definitionem tradit, & simul, quid rei Characteris. *Cæterum*

Non Satisfacit. Tum quia habent Angeli speciem impressam, quod hic homo habeat jus ad recipienda Sacramenta, potestatem ad sacrificandum, neque tamen per hoc Angeli habent characterem; ergò apparet, quòd iste character non sit species. Tum quia species impressa est comprincipium, vel completivum intellectionis eliciendæ; si tale completivum non est character, quî erit species: si autem character est tale completivum, quæro, cujusnam intellectum compleat: non aliorum extra suscipientem Sacramentum: quia species dissita non potest concurrere, nec complere intellectum dissitum, ut suppono, non intellectum habentis characterem, quia ad nihil ultra valeret hîc character quàm ad cogitandum, quod quis sit renatus, confirmatus, ordinatus; & tamen quod non ad cogitativam ordinetur character, tenet communis apprehensio fidelium; urgendoque ex proportione ad characteres humanos: sicut Balteus militaris, non est species impressa, ut quis cogitetur esse miles; ita & in præsenti. Tum quia laureolæ non sunt species impressa; ergò nec character. *Hinc*

Tertia Definitio Characteris Theologici ut sic, est; *Quod sit qualitas consignativa supernaturalis.* Quodsi rationem genericam proximam; velis habere communem tribus characteribus Sacramentalibus, erit qualitas spiritualis, consignativa supernaturaliter; quodsi velis adhuc inferiorem divisionem habere, adde terminum Indelebilis. Denique in particulari, character Baptismi erit qualitas spiritualis consignativa supernaturaliter hominis renati. Character confirmationis erit qualitas spiritualis, consignativa supernaturaliter hominis in militem Christi; denique character ordinis, erit qualitas spiritualis, consignativa supernaturaliter hominis in cultum DEI.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Dices Primò. Si definitio characteris non involvit diversitatem subjecti, etiam non importabit prædicatum supernaturalitatis.

Respondetur. Importabit: quia ratio supernaturalis includitur in ipsamet Entitate qualitatis, hoc autem quod est recipi in subjecto, non includitur ita.

Dices Secundò. Tridentinum loquens de charactere, meminit indelebilitatis, qui terminus à nobis non ponitur.

Respondetur. Quòd Tridentinum meminerit indebilitatis in definitione in specie characteris, non tamen in definitione ut sic, qualis à nobis traditur.

Dices Tertiò. In definitione characteris non debet assumi ly Qualitas; nam qualitates sunt habitus & dispositio, potentia & impotentia, passio & passibilis qualitas, denique forma & figura; nihil autem horum est character.

Responderi potest. Quòd quamvis ad nullam harum qualitatum speciem reduceretur character, posset adhuc habere rationem qualitatis; quia Aristoteles has tantùm qualitates numeravit quas agnovit, tantùm autem agnovit qualitates ordinis naturalis; sed etiam revocari potest character diverso respectu ad illas qualitates: nam in quantùm posita fictione in susceptione Sacramenti, est postea character principium vicarium Sacramenti, in ordine ad causandam gratiam; revocabitur ad potentiam; item in quantùm character movet Deum, ut taliter signato conferat auxilia, Sacramento debita; revocabitur etiam ad potentiam: in quantùm autem est qualitas difficilè mobilis, immò indelebilis; revocari potest ad passibilem qualitatem; revocari item potest ad habitum: quia licèt non in genere agendi proprio, tribuat facilitatem, tribuit tamen impropriè, inquantum habenti characterem, faciliùs est habere auxilia Dei titulo Sacramenti. Revocari etiam potest ad figuram; figurat enim & ornat animam: multoque magis revocari potest ad formam, cum sit forma signativa.

Dices Quartò. Sufficit ut dicatur cum durando characterem esse relationem, est enim signum, signum autem, est relatio.

Respondetur. Non sufficere ut character sit relatio: quia Tridentinum definit characterem, quòd sit qualitas; signum etiam universaliter non est relatio, quia nec hedera est relatio, sufficietque signum esse relatum, non autem relationem formaliter.

Dices Quintò. Probabile est, quòd character maneat in damnatis, nullum autem supernaturale convenit manere in damnatis.

Respondetur. Quid sentiendum sit de indelebilitate characteris etiam post hanc vitam; vide DiCast. disp. 2. num. 447. Cæterum indelebilitatem characteris exinde colligere possumus: quia qualitas non habens contrarium, est de se permanens, jam autem characteri nihil est contrarium: vel maximè enim illi esset

contrarium peccatum, & tamen illum peccato non deleri, constat sensu Ecclesiæ; hinc quia etiam post mortem non habet contrarium character; ideo non est ratio, cur Deus conservationi illius subtrahat concursum; hinc etiam non esset necesse reviviscentem vel reordinari, vel re baptisari, inquit Amicus, licèt ille putet nõ esse de Fide, characterem manere in damnatis; disp. 7. num. 63 Et licèt non sit conveniens manere in damnatis donum supernaturale, quod sit principium agendi supernaturalia; potest tamen aliquid supernaturale manere in damnatis, præcipuè quod valet etiam ad illorum pœnam: sicut enim eadem vestis, quæ viro honorato decus est, potest esse supplicium & activum pudoris; ut si Judicium mandet, in tali honoris veste, eum suspendi; ita & ille character, qui olim erat decus, auget pœnam in inferno. Attingunt autem illum characterem sua cognitione damnati, non quæ sit intuitiva; quia illa ipsa actio deberet esse supernaturalis, neque enim intuitiva cognitione naturali noscitur quidquam supernaturale, sed noscent illum characterem cognitione abstractiva.

Punctum Difficultatis 3.

Quid in re iste Character?

QUòd ille character non sit species impressa, superiùs dictum. *insuper*

ASSERO Primò. *Characterem esse potiùs qualitatem realem quàm modalem.*

RATIO: Quia sicut in istis, quæ cadere possunt in productionem, nihil est negandum omnipotentiæ divinæ, nisi id implicet; ita neque negandum, quod illud in se solo conservare & producere possit, nisi id implicet, ne ita constringatur omnipotentia in sua conservativa; si autem iste character esset quid modale, restringeretur conservativa divina; non enim posset etiam divinitus servari sine subjecto; quia tamen non sunt multiplicanda entia sine necessitate, consequenter nec realisanda, concordari hæc duo debent; nempe ne restringatur omnipotentia in sua conservativa, & ne dignificentur entia sine necessitate; quæ duo per hoc videntur complanari posse, ut dicatur, illud esse Ens modale, si scilicet ex fine, qui tunc intenditur, inferatur exigentia essentialis determinationis entitativæ, adeoque entitas modalis; & ita ad finem unionis non conferret Entitas realis, neque enim esset sufficiens determinativum, consequenter debebit esse Entitas modalis: quia autem ad finem, qui est consignare, non exigitur essentialiter inseparabile signativum, cùm multa sint verè signa, & tamen sunt realitates, ideo concludendum erit pro Omnipotentia ne restringatur, dicendumque illum characterem esse rem & conservabilem miraculosè à Deo, etiam independenter à subjecto.

ASSERO Secundò. *Probabilius esse quòd non ex solo placito divino, sed merè ex natura sua character sit consignativus.* est assertum Salaz, Lugo, docetque cum restrictione DiCast.

RATIO: Quia ex una parte qualitas ex natura sua significans est possibilis; ex alia parte quòd sit talis qualitas character, probabile est: quia nullibi ex doctrina sacra, appellatur signum ad placitum DEI, sed signum semper sine addito; signum autem sine addito, significat pro principali, principale autem signum, est signum ex natura sua.

Circa hoc assertum sic discurrit DiCast. disp. 2. num. 484. Docet ille quòd character non sit signum ita connexum cum re significata, ut sit quoad existentiam connexum cum illa, unde etiam damnati non censentur esse deputati, ad hoc, quod consignat character; docet rursùs quòd homo sit capax cum charactere, gratiæ & auxiliorum, soli voluntati & ordinationi divinæ ita statuenti, tribuendum esse; docet tamen quòd Character ex natura sua habeat proportionem, ad illa ipsa, ad quæ significanda assumitur. Circa hanc doctrinam hoc dici potest; si dicatur quòd quantum ex vi sua, non consignet renatum v. g. character, falsa est propositio. Ratio: quia omne est, quod est, in illo in quo est: quia ergò ille character est consignativus, quantum ex illo, consignabit etiam damnatum; & sicut calor, dum non calefacit, quantum ex illo, calefactivus est, est enim quod est, adeoque est quantum ex illo, calefactivus, licèt aliunde & ob impedimenta non sit calefactivus; ita & in præsenti. Rursùs non apparet, qui si soli ordinationi divinæ tribuatur hæc deputatio, quomodo tamen haberet de se capacitatem ad hoc character, quod tamen concedit DiCast. certè enim, si habet de se ad hoc proportionem, jam non soli ordinationi divinæ tribuendum: ad eum modum, quo quia homo habet proportionem ad eliciendum actum visionis, si elevetur ratio vitalis visionis, non soli ordinationi divinæ tribuenda. Cæterum si per ordinationem divinam hoc intelligatur, quòd scilicet in hac exigentia, sit impedibilis Character, quod non impediatur, tribui poterit Deo soli: & sicut ex natura sua, est capax fumus ut significet ignem, non debet hæc significatio tribui soli ordinationi divinæ, licèt quòd non ponatur fumus miraculosè sine igne, tribui id debeat soli ordinationi divinæ; ita & in præsenti.

ASSERO Tertiò. *Characterem non esse merum ornatum animæ, distinctivum hominum à cæteris;* quod non sit ornatus.

Ratio est: quia Trident. sub nomine potiùs signi characterem concipit; & licèt character sit distinctivus à cæteris, hoc tamen non est primum quid in charactere priùs est enim esse, postea distinguere; & de hoc ipso esse characteris quæritur, quid sit?

Assero Quartò. *Characterem non esse qualitatem, quæ sit principium recipiendi* v. g. aliquem effectum externum, ordinatum ad causandum in anima effectum supernaturalem.

Ratio: Quia non apparet quid intelligatur per effectum externum: si enim intelligatur aliquid materiale & sensibile, quî qualitas spiritualis, erit hoc principium aptum recipiendi.

Assero Quintò. *Non rectè poni, quòd Character Baptismi sit passiva aptitudo, ad recipiendam per alia Sacramenta, justificantem gratiam*; nec characterem confirmationis, esse aptitudinem passivam, ad exercendos actus supernaturales, necessarios ad professionem fidei; nec characterem ordinis, esse aptitudinem passivam, ordinatam ad reverentiam servandam, in exercitio ordinis; est assertum contra Di Cast.

Ratio est: Tùm quia ut dictum alibi, non est necesse poni quidquam superadditum habilitans, ad receptionem alicujus supernaturalis. Tùm quia ad recipiendam hanc ipsam qualitatem characteris, non indiget anima aliquo superaddito, conferente passivam aptitudinem. Tùm quia in non renatis, acquiritur gratia actu amoris Dei, ad quam recipiendam, non ponitur ullus prævius character; ergò nec in renatis poni debet.

Quid in re sit character, sic proponitur; Quæ proportio est moralium inter se, itemque physicorum, ea interdum est proportio supernaturalium: sicut enim moralia spectant ad laudabilitatem, respiciuntque conformabilitatem ad rectam rationem; ita & supernaturalia habebunt rationem moralium, quando principabunt rationem laudabilium, conformatorumque ad rectam rationem; titulo etiam speciali, supernaturalia proportionantur physicis, quia ab istis visibilibus, transferre nos vult Deus ad invisibilia, ordinatque supernaturalia, ad perficienda naturalia; hinc fit, ut proportionentur naturalibus supernaturalia, tanquam cognoscibile invisibile, cognoscibili visibili, & tanquam perfectivum, perfectibili.

Quia autem in physicis, est aliud esse, & aliud tale esse; in moralibus etiam, aliud est habere moralis statûs substantiam, ut ita dicam; & aliud, decora moralia & elevativa; unde aliud est, esse genere nobilem, capacemque dignitatis cujuslibet patriæ, aliud, officio esse Palatinum: ideo etiam ex proportione ex supernaturalibus, aliud est habere esse supernaturale, & hoc habetur à gratia, quæ est specialis participatio esse divini; & aliud habere officia, deputationes, assumptibilitatesque supernaturales.

Porrò in Moralibus horum officiorum habetur interdum Signum; & ita portatio Clavæ, est signum regiminis militaris; fumus etiam in physicis, signat ignem; ita & in spiritualibus, dari possunt ex proportione consignativa.

Quia verò ista consignativa in naturalibus quædam sunt intransitiva, & potiùs habentia vim notificantium; & ita talis compositio corporis, signat hominem, intuenteque angelo substantiam animæ, notificat se illi anima, quod sit substantia incompleta, ordinata ad corpus, & alia transitiva, ut cum Balteus significat militem: ita etiam in supernaturalibus sunt quædam signa intransitiva, vel potiùs quædam signa notificativa; tale notificativum est v. g. gratia, cujus cognitio si detur, manifestat habentem, esse Filium Dei: & alia sunt consignativa transitiva, quæ consignant, ut hæc persona, habeat hoc officium, functionem, deputationem, & hæc signa transitiva sunt characteres Sacramentales.

Natura ergò & res illius characteris breviter loquendo, in hoc erit, ut sit quid consignativum supernaturale, talis personæ, in republica christiana; v. g. character baptismi consignat quòd sit iste renatus, licèt renascentia, sit gratia baptismalis. Character confirmationis consignat hunc in militem specialem, in causa profitendi fidem; character ordinis, signat personam cùm jure in corpus physicum & mysticum Christi. Primaria ergò ratio characteris, est signare personam reipublicæ christianæ, ad quam consignationem sequitur imprimis, cum ille character non sit titulus sine vitulo, ut appellant, & merum titulare; hinc ipse etiam character, si cætera sint paria, exigit etiam auxilia Dei, & deinde importat distinctionem ab illis, qui hunc characterem non habent; videtur hæc esse explicatio in re Suar. & Vasq. desumiturque ex S. Thoma hîc, q. 63. a. 1. in (*). Ubi dicit Sacramentum novæ legis characterem imprimere, in quantum deputamur ad cultum Dei.

Dices Primò. In oppositum esse S. Thomam loco citato; ubi ad quartum dicit; quòd character habeat rationem Signi, per comparationem ad Sacramentum sensibile, à quo imprimitur, sed secundùm se consideratus, habet rationem principii.

Respondetur. Etiam per nos, non est de primo essentiali conceptu characteris, significare Sacramentum, à quo imprimitur, sed potiùs consignare personam & in ordine consignandi, habet rationem principii, cui, ut dictum, adjungitur exigentia auxiliorum.

Dices secundò cum eodem. Qualitates Spirituales essentialiter sunt propter perfectionem Substantiæ spiritualis, ut illa scilicet, per qualitates spirituales, aliquid assequatur, quod sine illis non haberet, alioquin inutilis omnino esset.

Respondetur. Etiam hæc qualitas inutilis non erit, & ut sit perfectio animæ, sufficit ut designet Personam, eamque esse talem in republica Christiana indicet: erit autem saltem secundariò, principium operationis rectæ, ob exigentiam auxiliorum, quam dicit.

Dices tertiò. Ergò hic Character nullo distinguetur à laureolis.

Respondetur. Distinguendum inter alia per hoc, quia laureolæ signant, *Quia est*, character consignat *ut sit*; laureolæ non sunt ex suppositione Sacramenti collati, est Character; illæ sequuntur virtutes, hic autem Sacramenta.

DIFFICULTAS III.

Quæ Sacramenta imprimant Characterem quod Efficiens & Subjectum ipsius.

Quoad primum

Assero Primò. *Baptismum, Confirmationem, Ordinem imprimere Characterem.*

Ratio. Definitio Tridentini recitata.

Assero Secundò. *Etiam supposito, quòd Circumcisio fuerit Sacramentum, non impressit tamen ullum Characterem*; est assertum communius contra Scotum & Gabrielem.

Ratio prima asserti est, quam assignat Amicus: quia Character habilitat subjectum vel ad participanda, vel ad communicanda bona spiritualia, quæ ex opere operato per Sacramentum recipimus.

Responderi potest, id verum esse, nonnisi de charactere novæ legis; deinde non est ratio, cur præter sublationem originalis peccati, vi illius Sacramenti, non habuerint justificati, speciale jus præ aliis, ad auxilia etiam spiritualia, cujus juris posset esse Signum, Character.

Ratio secunda ejusdem. Quia non minus fœminæ quàm mares participes erant salutis, sed fœminæ nullum habebant Characterem, quia nec recipiebant Circumcisionem.

Responderi potest. Etiam pro fœminis erat Signum sensibile Sacramentale; & de hoc redit quæstio, cur non potuerit imprimere Characterem.

Ratio tertia Communis, cujus etiam meminit Amicus. Si circumcisus habuisset Characterem non potuisset baptisari, cum nequeat baptismus conferri habenti Characterem.

Responderi potest. Baptismum non posse conferri habenti Characterem ejusdem rationis, sed conferri posse, si habeat Characterem diversæ rationis; si v. g. non potest conferri baptisato baptismus, potest conferri Confirmatio, alium Characterem imprimens; possetque dici ex Charactere Circumcisionis & Baptismi, conflandum fuisse unum totalem: sicut ex Charactere Diaconatûs & Præsbyterii &c. conflatur unus Character. Quod autem dicit Amicus, & Circumcisionis & Baptismi Characterem consignasse Subjectum DEO, adeoque non fuisse illos diversæ rationis, id non convincit; probaret enim quod Diaconatûs & Præsbiteratûs v. g. non imprimat Characterem diversæ rationis: quia uterque consignat subjectum DEO; & certè non obest, ut consignatio subjecti DEO, fiat per signa diversæ rationis. Quod item dicit effectum illum Characteris indivisibilem esse, adeoque perfectè poni, nonnisi ab uno Charactere, id etiam non convincit, est enim ille effectus indivisibilis in Entitate, non est tamen indivisibilis in modo significandi, nec est exclusivus plurium modorum characteris.

Ratio potior asserti est. Quia an debuerint Sacramenta, sive legis naturæ, sive scriptæ imprimere characterem, vel non, pendebat id à sola libertate divina; hinc an defacto usus fuerit DEUS, circa hoc sua libertate, indagari hoc debet, ex authoritate sacra, vel ex deductione, quæ non sit suspicio mera: in præsenti autem non habetur vel authoritas, vel deductio, quæ id suadeat.

Dices. Non minus circumcisio erat janua salutis, sicut & Baptismus; ergò imprimebat characterem, sicut & Baptismus.

Respondetur. Cum possit aliquis habere januam apertam. Sacramentaliter, sine ullo charactere, non sequitur ex eo, quia aliquid janua est, jàm deposcere Characterem; ex altera parte non constat nobis de voluntate divina, circa impressionem characteris, sequentem, circumcisionis positionem.

Quoad Secundum. *De causa efficiente Characteris.*

Assero Primò. *Causam efficientem Characteris in baptismo, esse quemcunque Ministrum.*

Ratio: Quia in casu necessitatis, quicunque homo est Minister hujus Sacramenti, consequenter ponens totum, quod secum trahit ex ordinatione divina Baptismus, qui etiam trahit secum characterem, idque indicant locutiones Patrum, qui indefinitè enuntiant à Baptismo imprimi characterem.

Assero Secundò. *Characterem aliorum Sacramentorum, non posse à quocunque imprimi homine.*

Ratio

Ratio: Quia etiam Minister Sacramentorum illorum non potest esse quicunque homo.

Assero Tertiò. *Quod Minister nonnisi mediatè sit causa efficiens Characteris.*

Ratio: Quia etiam gratiam immediatè causant Sacramenta ipsa; ergò causabunt immediatè etiam Characterem.

Quoad Tertium. *Quodnam sit subjectum Characteris?*

Assero Primò. *Subjectum Characteris connaturale, posse esse quamcunque creaturam rationalem.*

Ratio: Quia non implicat contradictionem, etiam respectu Angelorum dari aliquos Characteres.

Assero Secundò. *Subjectum defacto Characteris esse non nisi homines.*

Ratio: Quia non constat de ullis Characteribus respectu Angelorum.

Assero Tertiò. *Christum non habuisse ullum Characterem*; est assertum contra Mayronium.

Ratio: Quia Christus est insignitus eminentiori Charactere, unionis cum Verbo.

Assero Quartò. *Probabile est Beatissimam habuisse Characterem Baptismi & Confirmationis.*

Ratio: Quia verè illa Sacramenta recepit, & nihil obest quominus dicatur illum effectum posuisse prædicta Sacramenta: non traxerunt quidem secum remissionem peccati, quia nullum habuit, sed cur non traxissent Signum Spirituale.

Assero. Quintò. *Characterem recipi in anima.* Quia est qualitas Spiritualis; & potentiæ, quæ aliàs illum recipere deberent sunt distinctæ ab anima.

TRACTATUS II.

De Eucharistia.

Missis Sacramentis Baptismi & Confirmationis, quæ nonnisi materias morales habent, aliàs tractandas, accedemus ad speculativas Eucharistiæ. sit

DISPUTATIO V.

De Partibus Eucharistiæ.

QUÆ hanc materiam concernunt, præsupponi debent ex Philosophia, ut de Conversione, de unius Cprporis in pluribus locis positione, de productione secunda suiipsius, quæ inibi suis locis explicata, licèt à pluribus hoc loco tractentur; nos ea attingemus, quæ sunt hujus materiæ propria.

QUÆSTIO I.

Quid & quando importet Eucharistia?

PRÆMITTO 1. *Si nomen Eucharistiæ spectes, Græcum est*, idem significans quòd Latinis Bona gratia, Gratiarum actio, benedictio; id postea usus Ecclesiæ transtulit ad significandum Sacramentum, à Christo per modum spiritualis refectionis institutum: quia scilicet & Deo offertur in gratiarum actionem, & ipsum fontem Gratiæ in se continet. Si autem rem Eucharistiæ seu definitum ejusdem spectes, est Corpus & Sanguis Christi & species panis & vini consecratæ, significans & causans spiritualem animarum refectionem.

PRÆMITTO Secundò. *Sacramentum hoc esse distinctum à reliquis aliis.*

RATIO præmissi: Quia Eucharistiam tam Florent. quam Trident. numerat inter septem Sacramenta; quod etiam inde declaratur; quia scilicet nullius aliûs est Sacramenti, augere & conservare spiritualem vitam animæ, & eum modum, quo cibus naturalis servat vitam, auget vires, &c. quod officium nulli alteri Sacramento convenit; quamvis enim etiam alia Sacramenta augeant gratiam, id tamen non faciunt per se, sub formalitate augmenti, sed sub alia, idque ponẽdo etiam, quòd non dentur habituales gratiæ Sacramentales distinctæ à justificante; sic v. g. Matrimonium postulat gratiam causare, sed non sistit in hac formalitate ut augeatur gratia, sed restrictè & limitatè ut augeatur gratia, per ordinem ad munia Matrimonii. Confirmatio item, licèt respiciat augmentum gratiæ, respicit illud nihilominus materialiter, & non formaliter; quia sicut forma determinat materiam, ita illa restrictio, determinat ipsum illud augmentum, nempe per ordinem ad resistendum difficultatibus, in professione Fidei; jam autem respectu Eucharistiæ, augmentum illud, non se materialiter, sed formaliter habet, quia ipsum illud augmentum non restrictim, sed sub ratione augmenti, importat.

DICES primò cum Esparza. Quod Sacramentum istud, sit per modum cibi & refectionis, explicat magis rationem symboli quàm symbolisati, & symbolisatum ipsum significat ad modum alterius, & ut subest symbolo.

RESPONDETUR. Negando quòd explicet rationem potiùs symbolisati allata illa explicatio, cùm ipsum Symbolisatum, sit refectio spiritualis, & augmentum vitæ spiritualis; idq; S. Thomas q. 73. a. 1. in (·) *Oportuit*, inquit, *in Ecclesia DEI esse Eucharistiæ Sacramentum, tanquam animarum spirituale alimentum.*

Di-

DICES secundò cum eodem; definire Eucharistiæ Sacramentum per ordinem ad refectionem spiritualem, esse quid obscurum.

RESPONDETUR. Hanc proportionem, ad refectionem corporalem, quâ utitur Florent. S. Thomas, & alii passim, clarificare hanc definitionem.

DICES tertiò cum eodem. Quòd sola Eucharistia afferat augmentum gratiæ formaliter, pro libitu & falsò dicitur, quia in quovis Sacramento conferente augmentum gratiæ, is effectus est præcipuus inter alios, adeoque intentus & collatus formaliter, ut talis est, seu ut augmentum est: Deus enim necessariò intendit magis meliora, quâ meliora sunt.

RESPONDETUR. Negando id dici pro libitu, cum passim sacra phrasis habeat, Eucharistiam esse spiritualem refectionem, quod ipsum, est illud argumentum, ex proportione cum refectione corporali; effectus quidem præcipuus uniuscujusque Sacramenti, est augere gratiam, sed non sistendo in augmento illius, quâ tali, sed restrictè ut dictum. Quòd Deus intendat necessariò meliora quâ meliora, supponit Deum necessitari ad optimum, cujus oppositum aliâs visum: sed etiam posito, quòd intendat meliora quà meliora, idq; intentione necessaria, cum sit melius, ut Sacramentum Confirmationis afferat augmentum, restrictè ad obsistendum difficultatibus in professione fidei, adhuc Deus intendens conferri Sacramentum Confirmationis, intendet melius, si intendat illud augmentum restrictè.

PRÆMITTO Tertiò. *Quamvis in pluribus servet Eucharistia analogiam cum refectione corporali, non est tamen necesse, ut illam servet in omnibus*; unde cibum corporalem, vertimus in substantiam nostram, cùm tamen Eucharistia, vertat sumentem, in seipsam; non erit tamen necesse in reliquis etiam esse convenientiam; quia proportionatum in uno, non est necesse, esse proportionatum in omnibus. His præmissis enucleanda erit definitio Eucharistiæ tradita, & simul materia & forma ejusdam attingenda.

DIFFICULTAS. I.

An importet Eucharistia essentialiter etiam species?

PRÆMITTO Primò. *Ipsum Corpus & Sanguinem Christi, non esse solùm id, quod essentialiter importat Eucharistia.* Est præmissum contra Valdensem.

RATIO: quia aliàs Christus dum vivebat hîc in terris, & modo localiter positus in cœlis, deberet esse Eucharistia; quia continet id totum, quod solum per te essentialiter dicit Eucharistia; deinde de essentia Sacramenti est, esse signum sensibile; jam autem corpus Christi sub speciebus, sine speciebus non est sensibile; ergo se solo Corpus Christi in Eucharistia, non est Sacramentum.

RESPONDEBIS. Contritio non est sensibilis, & tamen spectat ad Sacramentum pœnitentiæ; ergo ex eo, quod Corpus Christi non sit sensibile, non debet rejici à ratione Sacramenti.

CONTRA. Concedo totum, nihil enim est contra præmissum: nam non ex eo rejicitur à ratione Sacramenti Corpus Christi, quia non est sensibile; sed ex eo, quia non est sensibile, rejicitur à ratione totalitatis Sacramenti, eò quòd essentialiter, totalitas Sacramenti, non stet in solo Corpore & Sanguine, sed debet aliquid dicere in se sensibile, cum debeat dicere rationem Sacramenti; jam autem Corpus Christi & Sanguis se solis, non sunt in Eucharistia quid sensibile, immò ex responsione, stabilitur argumentum præmissum: quia si aliquis nonnisi in contritione reponeret totalitatem Sacramenti pœnitentiæ, benè vel ex hoc ipso argui posset, quòd sola contritio non sit sensibilis, consequenter nec Sacramentum: & sicut non juvat contritionem ut sit Sacramentum, quòd sit Deo vel alicui spirituali cognoscitivo noscibilis; sic nec juvabit Corpus Christi, ut sit Sacramentum se solo, quamvis in cœlo existens, sit in se sensibile.

DICES. Patres appellant Eucharistiam Corpus & Sanguinem Christi sine addito, quod facere non deberent, si Eucharistia includit etiam species: sicut homo non rectè dicitur anima rationalis, cum includat etiam Corpus.

RESPONDETUR, à Patribus appellari Eucharistiam Corpus & Sanguinem Christi appellatione desumptâ à principaliori, & attendendo in quantum species habent formalitatem continentis. Corpus autem & Sanguis habent formalitatem contenti. In usu autem humano, per se attenditur nonnisi ad contentum; & sic non dicimus; dedit illi marsupium, in quo supponimus fuisse aurum, sed; dedit illi aurum, eò quòd contentum principale sit. Lugo etiam addit à Patribus appellari Eucharistiam, nonnisi Corpus & Sanguinem Christi; quia nonnisi Corpus & Sanguis, potest dici in recto de Eucharistia, sed non negant, quòd solum illud importetur intrinsecè, quæ duo sunt distincta.

PRÆMITTO Secundò. *Corpus & Sanguinem Christi, pertinere ad rationem Eucharistiæ essentialiter.*

RATIO præmissi principium Theologicum, hoc est, articulus fidei, qui Sacramentum Eucharistiæ, docet esse Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi.

PRÆMITTO Tertiò. *Solas species, non esse id solum, per quod essentialiter constituitur Eucharistia.*

stia; est præmissum post alios contra Pontium disp. 44. num. 2.

RATIO prima præmissi est, quia vel solæ simpliciter species, vel prout continentes & in obliquo importantes Corpus Christi, sunt id solum, quod dicit essentialiter Eucharistia. Non Primum: quia alias separatio quæcunq; miraculosa accidentium panis & vini foret Eucharistia. Non etiam Secundum: quia expressè ipse Christus Eucharistiam appellat Corpus suum, Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita; ergo supponit Eucharistiam non solum esse species continentes se, sed esse, etiam Corpus suum. Et certè quando dicis Eucharistiam, esse species continentes Corpus Christi in obliquo importatum, quæro an Eucharistia, dicat intrinsecè illud Corpus, vel non? si non dicit; quî allegata Christi locutio, vera erit? si dicit; habetur intentum: nam etiam album, in obliquo dicit albedinem, & tamen album, intrinsecè constituitur albedine.

RATIO secunda. Quia quæcunque in oppositum afferuntur, non plus probant, quàm quòd species id solùm sint, quod in toto Eucharistico habet rationem Sacramenti tantùm; sed non probat, quòd præter species nihil aliud ingrediatur essentialiter totum illud Sacramentale, quod est Eucharistia; & sicut quamvis absolutio & confessio externa, in Sacramento pœnitentiæ, sola sit sensibilis; nihilominus hoc non obstante, etiam contritio quæ non est sensibilis, quamvis non constituat Sacramentum tantùm, essentialiter tamen constituit totum Sacramentale, quod est pœnitentia; ergo & hîc idem dicendum.

RATIO tertia est, Restitutio Argumentorum quæ sibi opposuerat Pontius.

PRIMUM ARGUMENTUM est. Consecratione fit hoc Sacramentum, ut docent Patres, sed consecratione non fiunt species; ergo aliquid aliud nempe totum conflatum ex speciebus & Corpore Christi, consequenter non solæ species, sunt hoc Sacramentum, sed illæ, & Corpus Christi.

RESPONDET Pontius. Non esse species secundùm se hoc Sacramentum, sed species consecratas.

CONTRA. Tum quia communi Doctorum phrasi, dicitur etiam fieri consecratio Corporis Christi; ita habetur apud Ambrosium lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. *Vbi accesserit consecratio, de pane, fit Caro Christi*; respicit hoc illa usitata oratio Ecclesiæ; *Ego volo celebrare missam & conficere Corpus & Sanguinem Christi*; si ergo Eucharistia dicit species consecratas, cur non dicet Corpus & Sanguinem Christi, quæ etiam consecrantur. Tum quia quæro, quid dicunt in re & pro præsenti Species consecratæ, præse absolutè spectatis? non ipsam solam transactam prolationem formæ consecrationis, hæc enim jam præteriit; ergo importare debent ipsum etiam Corpus Christi, ne pro præsenti, physicè, solæ species sint totum Sacramentale Eucharisticum; ergo ulterius dicere, quòd species consecratæ sint Eucharistia, est dicere etiam Corpus Christi importari essentialiter ab Eucharistia. Tum quia si attendatur, ut dixi, quid sit Sacramentum tantum in Eucharistia, id sunt species consecratæ, sed non de hoc quæritur, ut dictum.

SECUNDUM ARGUMENTUM est Authoritas Patrum, qualis est Ambrosii, libro de iis qui initiantur cap. 9. *Sacramentum*, inquit, *quod accipis, Christi sermone conficitur, & in illo Sacramento Christus est, quia Corpus est Christi*; ubi etiam Pontius recitat authoritatem Gregorii.

RESPONDET Pontius: quia aliud est, quod Eucharistia contineat Corpus Christi, aliud verò quòd Eucharistia, quâ Sacramentum est, sit Corpus Christi propriè, licèt vocetur Corpus Christi, quia continet illud, unde etiam adoratur Sacramentum. quia continet Corpus Christi, non quòd Corpus Christi sit pars intrinseca Sacramenti, quâ Sacramentum est.

CONTRA est: quia hæc responsio confundit Sacramentum tantum, cum toto Sacramentali, de quo quæritur, an illius pars intrinseca, sit Corpus Christi; deinde species continent Corpus Christi, non figuratè sed realiter, adeoque intrinsecè, cur ergo physicè, realiter, & intrinsecè, totum illud Sacramentale, non dicet etiam Corpus Christi.

TERTIUM ARGUMENTUM est. Illud est Sacramentum Eucharistiæ quod nos pascit & nutrit spiritualiter, per communicationem gratiæ, sed non solum species id faciunt, sed etiam ipsum Corpus Christi, contentum sub speciebus; hinc ipse Christus dicit; Caro mea verè est cibus. Innocentius etiam III. Cap. Martha, sicut docet species consecratas esse Sacramentum tantùm, ita Corpus Christi docet esse rem & Sacramentum.

RESPONDET Pontius; sed ejus responsio, ut jam annotavi, confundit Sacramentum, cum toto Sacramentali.

ADDO. Quòd nomine Sacramenti Eucharistiæ, accipiendo Sacramentum tantùm, in hoc sensu solæ species sunt Sacramentum, quia solæ sunt per se sensibiles: accipiendo autem Sacramentum Eucharistiæ pro omni eo, quo intra se intrinsecè ambit, in isto sensu etiam Corpus Christi, dicitur intrinsecè ab Eucharistia. Quæstio autem in præsenti procedit, in secundo sensu; aliàs deberet dici, quòd v. g. ad Sacramentum pœnitentiæ essentialiter non spectet contritio; quia non est Sacramentum tantum; & certè in opposita doctrina, & excusari possunt & admitti, aliquæ propositiones, quæ tamen sine ulla restrictione, vel negari vel affirmari deberent; sic v. g. ista propositio simpliciter

negari

negari deberet; Eucharistia non est Corpus Christi, quæ tamen propositio excusari potest, in principiis oppositorum: quia scilicet Corpus Christi, non est Sacramentum propriè & rigorosè. Rursùs contradictoria illi; Eucharistia est Corpus Christi, debet simpliciter admitti, cùm tamen ab oppositis restrictè admittatur, quòd scilicet Eucharistia sit Corpus Christi, sed non intrinsecè.

Argumenta in oppositum.

Dices Primò cum Pontio. Omne Sacramentum, est Signum sensibile nobis, ex natura sua, Corpus autem Christi, ut est in Sacramento, non est sensibile.

Respondetur. Majorem esse veram de Sacramento tantùm, non autem de Sacramento accepto pro toto Sacramentali; unde etiam & contritio, licèt non sit in se sensibilis, includitur in Sacramento pœnitentiæ; quando autem dicit Corpus Christi contineri in Sacramento hoc, cum non contineatur in seipso, id non convincit: quia quando dicitur Corpus Christi contineri in Sacramento hoc, accipitur Sacramentum pro toto conflato ex Speciebus, & ex Corpore & Sanguine Christi; quo posito, non jam Corpus Christi continebitur in seipso, sed in toto quod componit; & sicut quamvis in homine contineatur anima, non sequitur ab homine non dici intrinsecè animam: ita ex eo, quia Corpus Christi continetur in hoc Sacramento, non sequitur Corpus Christi, non esse partem intrinsecam Eucharistiæ; non fracto etiam in seipso Corpore Christi, dicitur frangi Eucharistia, quia ratione partis denominatur totum, franguntur autem species.

Dices secundò cum eodem. Quia Berengarius dum revocaret suam hæresim, profitetur, quod post Consecrationem maneat non solùm Sacramentum, sed ipse Christus; qui modus loquendi discernit Sacramentum à Christo, consequenter & à Corpore Christi; præterea Innocent. III. Cap. Martha, ait Species esse Sacramentum tantùm, & Corpus Christi, esse rem & Sacramentum; rem verò tantùm, esse gratiam; ergo solæ species sunt Sacramentum, sine Corpore Christi.

Respondetur. Sensum revocationis Berengarii hunc esse, quòd scilicet ille assereret Eucharistiam esse Sacramentum, sed non continere verè & realiter Corpus Christi; hinc ut huic errori opponeret sese Ecclesia, voluit ab illo agnosci particulatim, quod illic sit Corpus Christi. Authoritas Innocentii pro nobis est, nam solùm negat, quòd Corpus Christi sit Sacramentum tantùm, sed si concedit quòd Corpus Christi sit res & Sacramentum, hoc ipso affirmat, esse illud Sacramentum. Quamvis autem ipsis speciebus, tanquam parti Eucharistiæ tribuatur, quod sit Sacramentum, non sequitur, quod illæ solæ sint Sacramentum; nam etiam de Corpore Christi dicunt fideles, quòd in Eucharistia sit Sacramentum: & sicut in homogeneis pars habet denominationem totius, homoq; habet denominationem animalis; licèt animal sit illius nonnisi pars: ita & in præsenti pars Sacramenti, potest appellari Sacramentum. Quod ipsum in hoc resolvitur: quia potest dari ratio communis Sacramenti, ita vasta, quæ singulis suis speciebus conveniat.

Instabis. Species dicuntur esse Sacramentum tantùm, ergo jam Corpus Christi non erit Sacramentum.

Respondetur. Ly tantùm, non esse construendum cum ly species, redderet enim hunc sensum; Nihil aliud est Sacramentum, nisi solæ species; sed construi debet ly tantùm, cum ly Sacramentum, ut scilicet sensus sit; speciebus non competit, ratio Signati in Eucharistia, sed nonnisi ratio Signi.

Præmitto Quartò. *Etiam species, pertinere ad esse intrinsecum Sacramenti Eucharistiæ.*

Ratio: quia ut dictum, Innocentius III. docuit, species, esse Sacramentum tantùm: jam autem Sacramentum tantùm, est pars intrinseca hujus totius, quod est Sacramentum; & certè si non sunt quid intrinsecum species in Eucharistia, posset illa salvari sine speciebus adeoq; sine esse Sacramenti: quia sine ratione sensibilis, solæ enim species sunt sensibiles, quæ per te non spectant intrinsecè ad Sacramentum.

Præmitto Quintò. *Ex locutionibus Patrum constare debere, quòd & species & simul etiam Corpus & Sanguis Christi constituant Sacramentum.*

Ratio: quia pro utraque parte sunt illorum locutiones, & ad neutram partem additur particula exclusiva.

Dicendum est. *Quòd Eucharistia, stet intrinsecè Corpore & Sanguine Christi & simul speciebus.*

Probatur ex dictis Conclusio: quia scilicet Eucharistia, non tantùm importat species ex dictis, sed & Corpus & Sanguinem Christi; ergo importat utrumque intrinsecè; sed ultra procedendo, *sit*

DIFFICULTAS II.

Quid in Recto importet Eucharistia?

Præmitto Primò. *Non rarò à Patribus appellari Eucharistiam in recto Corpus & Sanguinem Christi*; sic Cyprianus lib. 2. Ep. 3. *Obtulit*, inquit, *Christus panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem.* Ambrosius de Sacramentis lib. 4. cap. 4. *Panis est*, inquit, *ante verba Sacramentorum, ubi accesserit Consecratio de pane, fit Corpus Christi*; & infra; *post Consecrationem dico tibi, quòd jam Corpus est Christi*; & infra; *Non otiosè dum accipis, tu dicis, Amen,*

jam

jam in Spiritu confitens, quòd acceperis Corpus Christi, &c.

Dices Primò. *In oppositum esse Paritates aliquas.*

Prima est: quia Entia artificialia dicunt in recto omnes partes integrantes; ergo etiam Sacramentum, debet dicere in recto omnes partes sui, adeoque etiam species.

Respondetur. De istis Entibus artificiatis, quomodonam importentur dictum supra; in præsenti conceditur totum, præmissum enim non negat importari in recto species, sed affirmat Corpus etiam Christi, secundùm phrases Patrum importari in recto.

Secunda Paritas est. Quando aliqua habent se per modum partium in aliquo toto, non est major ratio, cur unum debeat dici in recto & aliud in obliquo; ergo tam species quàm Corpus & Sanguis Christi, debebunt dici in recto, cum sint partes Eucharistiæ.

Respondetur. Concedendo totum: quia præmissum non excludit species, sed indeterminatè loquitur; major etiam universaliter est falsa, ut aliàs visum.

Tertia Paritas. In reliquis Sacramentis partes intrinsecæ omnes significantur in recto; ergo & in præsenti.

Respondetur. Concedendo totum, quia præmissum de exclusione specierum non loquitur. Disparitas etiam assignari posset: quia in aliis Sacramentis, non comporatur una pars ad aliam, ut continens ad contentum.

Instabis. Per hoc ipsum, quòd dicant Patres sine addito Eucharistiam esse Corpus Christi, sufficienter significant, exclusionem specierum; & sicut hæc prædicatio; homo est anima, est falsa; quia plus dicit homo quàm animam; & si esset vera, hoc ipso non plus diceret homo, quàm animam: sic etiam, si sit vera hæc propositio; Eucharistia est Corpus & Sanguis Christi, hoc ipso sufficienter innuitur, quòd species non possint dici in recto.

Respondetur. Propter authoritates infra citandas retorqueri posse argumentum, cum dicant Patres, Eucharistiam esse Species consecratas; quare autem non possit dici; homo est anima; possit autem dici de Eucharistia; Est Corpus & Sanguis Christi, rejici id debet in usum, qui voces gubernat, & in dicenda Præmisso tertio. Posset etiam hæc ratio assignari: quia scilicet in prædicationibus physicis, ut vera sit propositio; attendi debet ad identitatem adæquatam physicam, prædicati cum subjecto, identitas autem non est inter ista, quorum unum, hoc est subjectum, plus dicit quàm aliud, hoc est prædicatum; cum ergo homo plus dicat quàm anima, non potest de homine prædicari anima, prædicatione legitimâ; quare autem possit verè de homine dici, animal; quantumvis animal sit pars Metaphysica hominis, in Logicis dictum; jam autem in prædicationibus Theologicis verificandis, non attenditur ad hoc, ut sit identitas adæquata, sed solùm ut sit identitas secundùm certam acceptionem; sic v. g. vera est hæc propositio; Christus est Filius Dei, & tamen ly Christus importat etiam naturam humanam, quæ secundùm se, non est filius Dei, sed est subjectum Personæ, Filii Dei, nec entitas naturæ humanæ, est entitas Filii Dei, seu Personalitatis divinæ: sic etiam Patres prædicant in recto de Eucharistia Corpus Christi, quantumvis Eucharistia dicat etiam species; quia accipiunt Eucharistiam pro eo, quod illa dicit pro principaliori; & certè suppositio illa, potest fundare inter subjectum ita acceptum, & inter prædicatum, identitatem, adeoque & verificationem.

Dices Secundò. Trident. Sess. 13. c. 3. dicit commune esse Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, ut sit symbolum rei Sacræ; ergo debet importare species.

Respondetur. Concedendo totum, sed inde non sequitur, in recto non posse dici ab Eucharistia, Corpus & Sanguinem Christi.

Dices Tertiò. Posita veritate præmissi sequitur quòd Eucharistia sit in cœlo, verus enim est hic Sillogismus; Corpus & Sanguis Christi est Sacramentum, Corpus & Sanguis Christi est in cœlo; ergo Sacramentum est in cœlo.

Respondetur. Negando sequelam, negando ulterius Consequentiam: constat enim syllogismus particularibus; nec enim inter alia, habet accommodatam distributionem, vi cujus sequatur, Omne quod est Corpus & Sanguis Christi, esse Sacramentum; committiturque fallacia accidentis, transeundo à veritate in certa suppositione, ad veritatem in alia suppositione, eorum, quæ cæteroqui sunt idem realiter.

Præmitto Secundò. *Etiam species dici in recto ab Eucharistia.*

Ratio: quia ita habet Authoritas Sacra; imprimis citatum Tridentinum prædicat de Eucharistia quòd sit Sacramentum in recto adeoque quòd sit signum sensibile in recto, consequenter & species, quæ sunt ipsissimum sensibile signum. Augustinus Epist. 23. ante finem, inquit; *Sicut ergo secundum quendam modum, Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei, fides est*; quæ verba procedunt de speciebus, non de ipso Corpore Christi; nam de his solis potest dici, quòd sint quodammodo Corpus Christi, non autem de ipso Corpore Christi. Irenæus lib. 4. cap. 34. & alii Patres docent Eucharistiam duabus constare rebus, terrenâ & cœlesti.

Responderi potest primò Augustinum agere non de Eucharistia sed de pane benedicto, olim dari solito Catechumenis.

Contra

CONTRA est: quia expresè illum panem appellat Corpus Christi.

RESPONDERI potest secundò ex Lugone Condistinguendas esse has duas propositiones; Species sunt Eucharistia; &, species sunt Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi; prior illa non usurpatur saltem ordinariè; posterior autem non plus vult, quàm quòd species sint Sacramentum, hoc est; Signum Corporis & Sanguinis Christi.

CONTRA: quia ad intentum sufficit, quòd saltem interdum dicatur Eucharistia esse species consecratæ; deinde etiam posterior locutio prædicat in recto species.

PRÆMITTO Tertiò. *Quænam sit ratio hujus varietatis in phrasi Patrum?* Et est, diversa suppositio; in quantùm enim Sacramentum supponit pro seipso vocabulariter sumpto, dicet species in recto: quia Sacramentum, supponit pro Signo sensibili, hoc autem sensibile sunt species; in quantùm autem supponit Sacramentum, pro principaliori, à quo ordinariè fit denominatio, sic importat in recto Corpus & Sanguinem Christi. Rursùs, potest esse locutio de speciebus, prout continentibus Corpus Christi, & de Corpore prout contento, & tunc si principaliter attendatur ad contentivum, in recto dicentur solæ species, v. g. Eucharistia sunt species continentes Corpus & Sanguinem Christi. Ratio: quia tunc propositio illa, attendet ad suppositionem contentivi, illud autem dicitur in recto, pro quo tunc supponitur. Si autem procedat propositio de contento quâ tali; tunc in recto dicetur Corpus, in obliquo species; v. g. Eucharistia est Corpus & Sanguis Christi sub speciebus; sed si sumatur Eucharistia purè pro toto hoc, quod Sacramentum Eucharistiæ importat, & secundùm quod numeratur inter septem Sacramenta, sic

DICENDUM est. *Quod Eucharistia dicat in recto tam species quàm Corpus & Sanguinem Christi.*

PROBATUR Conclusio. Quia adsunt phrases Patrum utrumq; hoc enuntiantes in recto.

DIFFICULTAS III.

An ab Eucharistia verba importentur intrinsecè?

NE excrescat difficultas, partienda erit; ut ita examinentur rationes utriusque partis.

Punctum Difficultatis I.

Argumenta Partis negativæ.

PRIMUM ARGUMENTUM est ab Authoritate Florentini, quod docet per verba confici hoc Sacramentum, *quia ipsorum*, inquit, *virtute, substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur*; ergo hoc Sacramentum, potius est effectus verborum, quàm constitutum ex ipsis; non enim dicit Florent. verbis constitui, sed confici hoc Sacramentum.

RESPONDERI potest, id quod est Causa efficiens, diversò respectu interdum potest habere rationem etiam formæ; nam v. g. Causa effectiva nutritionis est anima, & simul est forma ejus, quod jam transiit in substantiam aliti; & si diverso respectu consensus unius conjugis, est forma, & diverso respectu est materia, simulque est principium effectivum gratiæ; cur ergo & in præsenti, diverso respectu verba non possunt habere rationem Efficientis, & diverso respectu rationem formæ. Rursùs totum punctum difficultatis vertitur nonnisi in ly *Conficit*, ex quo arguitur, per illud significari rationem Efficientis; sed etiam ly *Conficit*, significat interdum rationem Partis; unde dicitur Medicina confici ex hac & illa specie; jusculum ex hoc & illo ingrediente; ubi ly *Conficit*, notat rationem componentis intrinseci & cæterorum similium. Adde ex Lugo; Sacerdos sua benedictione conficit aquam benedictam, & tamen hoc non obstante, benedictio, habet rationem formæ.

SECUNDUM ARGUMENTUM est. Sacramentum quà tale, debet causare gratiam, verba autem quà talia, non causant illam, sed solùm immediatè & proximè, significant & causant Corpus Christi; quod quidem longè majorem difficultatem habet in sententia concedente causalitatem physicam Sacramentis; quomodo enim verba quæ non sunt, agent physicè?

RESPONDERI solet primò. Sacramentum quà tale, secundùm partes quas dicit in recto, causare gratiam, non secundùm partes intrinsecas, quas dicit in obliquo. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Nam aliqui ita respondentes docent, quòd species nonnisi in obliquo importentur, & tamen tenent species elevari, ad causandam gratiam; ergo negatio causalitatis, non debet peti, ex dici, in obliquo. Rursùs nullum fundamentum assignatur, cur ea quæ dicuntur in obliquo, non causent gratiam; item Confessio per aliquos ita respondentes, non causat gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, sed sola absolutio; & tamen à Pœnitentiæ Sacramento, dicitur in recto Confessio; denique hoc quod est dici in recto vel in obliquo, pendet à nostris intentionibus, causare autem vel non causare gratiam, pendet ab elevatione divina & deputatione; ergo istud non causare gratiam, rejici non debet in istud obliquum; poterat enim Deus destinâsse, ut illud etiam obliquum causaret gratiam.

RESPONDETUR itaque aliter. Ad hoc, ut dicantur Sacramenta causare gratiam, non

esse

esse necesse ut causent quoad omnes sui partes, sed sufficit, ut denominativè dicatur causare totum Sacramentum, licèt nonnisi causante una parte. Si velis autem causari gratiam ab omnibus partibus, adeoq; verbis; pone illic qualitatem vicariam, conformiter ad ea, quæ superiùs dicta. Denique dici potest; in aliis Sacramentis causari gratiam à signis sensibilibus, non autem in Eucharistia, ubi indistans ipse Author gratiæ, causare eandem potest.

Tertium Argumentum est, quo utitur Amicus, Coninck, & alii. Eucharistia est Sacramentum permanens, ut docet Tridentinum Sess. 13. can. 7. ergo nequit constitui ente successivo, ut formâ intrinsecâ, quia ens permanens, perseverat, corrupto successivo; ergo aliam formam habere debet & non successivam; quod ipsum aliter sic proponit Amicus. Aut verba constituunt essentialiter Eucharistiam, aut non? si secundum, habetur intentum; si primum, ergo illis corruptis, non manet integrum Eucharistiæ Sacramentum. Hoc argumentum pluribus modis proponit Lugo.

Solutiones aliorum ad Principale argumentum.

Respondet primò Suar. Perseverare Eucharistiam, quia permanet quoad aliquam sui partem, licèt non quoad omnes: & sicut res successiva dicitur manere, quia aliquid illius manet; sic & hoc Sacramentum, quod constitutur ex aliquo permanenti & aliquo successivo, dicitur perseverare, quam diu aliquid illius perseverat. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit primò. Quia non est phrasi Trident. accommodata, quæ simpliciter appellat hoc Sacramentum permanens, non autem partim permanens, partim successivum.

Non Satisfacit secundò. Quia ut dicatur Ens successivum manere, licèt maneat aliqua nonnisi illius pars, exigit hoc essentia successivi; sed non ostenditur exigere essentiam Eucharistiæ, ut maneat, nonnisi in aliquo sui.

Non Satisfacit tertiò. Quia cùm dicitur perseverare Eucharistiam, quia perseverat in aliquo sui; vel ita perseverat ut habeat illic aliquid formæ; vel ita perseverat, ut illic nihil sit formæ? si ita perseverat ut sit illic aliquid formæ, ergo transactis verbis, est aliquid verborum; ergo & sunt transacta, ut supponitur, & non sunt transacta; si autem ita perseveret Eucharistia, ut nihil perseveret formæ, vel verborum, quomodo ergo in aliquo sui perseverat forma? si autem non est illic perseverantia ulla formæ, inferam; ergo non est forma, pars Sacramenti Eucharistiæ, cùm sine illa, possit esse Eucharistia.

Respondet secundò Lugo. Sacramentum Eucharistiæ permanere transactis verbis, quoad id, quod dicit in recto, non verò quoad id, quod dicit in obliquo; sufficit autem manere id quod includitur in recto, ut dicatur perseverare Sacramentum; sicut etiam nunc dicitur manere domus antiqua, licèt modo non existat id, à quo denominatur antiqua, scilicet durationes annorum præteritorum. Addit non posset manere concretum aliquod adæquatè, ut tale concretum est, nisi maneant omnes ejus partes, negat autem post verba consecrationis, perseverare totum concretum Sacramenti adæquati. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit primò. Quia non accipit simpliciter verba Trident. absolutè enuntiantis Eucharistiam esse Sacramentum permanens; ille autem dicit, eam manere, nonnisi secundùm id, quòd dicit in recto, negat idem perseverare totum Sacramenti Eucharistiæ, adæquatè sumpti.

Non Satisfacit secundò. Tum quia principale punctum inexplicatum relinquit; dicit enim, quòd Eucharistia non maneat secundùm id quod dicit in obliquo: quæro enim, quid dicit Eucharistia in obliquo? respondebit: dicere, verba: ergo non manere Eucharistiam secùndum id quod dicit in obliquo, est non manere secundùm verba, de quo ipso est difficultas; quî si illa verba non maneant, sint forma & pars intrinseca Eucharistiæ. Tum quia si potest dici existere & permanere Eucharistiam, quia permanet aliquid illius, dicam ante prolationem formæ, integram existere Eucharistiam, eò quòd maneat in aliquo sui; quod etiam Lugo in simili urgebat contra Suarium. Tum quia quòd dicitur permanere domus antiqua, quamvis non permaneant durationis antiquitatem invehentes, id inde est: quia permanentia illa antiquitatis, præter Entitatem domus, est sola denominatio extrinseca; jam autem permanentia seu habitio simultanea omnium se constituentium debita Sacramento Eucharistiæ, non est merum nomen extrinsecum: sicut non est denominatio extrinseca, habere quantitatem permanentem.

Non Satisfacit tertiò. Nam posito quòd verba sint forma Eucharistiæ, quæ in obliquo dicuntur; redit adhuc difficultas, quî Sacramentum permanens, possit constitui, idque intrinsecè, aliquo successivo?

Responderi potest tertiò. Verba esse quid intrinsecum Sacramenti Eucharistiæ, quod est Sacramentum permanens: quia scilicet aliquid subrogatur pro verbis illis præteritis, nempe verba ipsa moraliter seu virtualiter permanentia: hæc autem permanentia stat in carentia revocationis verborum. Hanc responsionem pluribus impugnat Lugo. *Sed insuper*

Non Satisfacit primò. Quia non minus implicat aliquid permanens constitui per aliquod successivum, quàm implicet ut physicum & posi-

& positivum constituatur per aliquid morale & negativum: tam enim tollit se morale cum physico, negativum cum positivo, quàm successivum cum permanenti; sed Eucharistia est quid physicum, negatio revocationis est quid morale, ut dicunt respondentes; Eucharistia est quid positivum, negatio revocationis est quid negativum; ergò Eucharistia, non poterit institui per negationem revocationis, tanquam formam intrinsecam.

Non Satisfacit Secundò. Quia non respondet ad punctum difficultatis; quæro, Eucharistia componiturne intrinsecè verbis? Respondetur, componitur; quæro, entis permanentis nonne debent esse partes permanentes, & tamen verba illa non sunt permanentia? Respondetur, succedere negationem revocationis verborum; sed hac responsione positâ urgetur; Eucharistia quæ est Sacramentum permanens non potest componi re transacta, hoc est, verbis formaliter acceptis; ergò neque componi potest negatione revocationis; quia negatio illa revocationis, essentialiter importat verba præterita & ab illis formalisatur; ergò si verba præterita non possunt componere intrinsecè Ens permanens, nec poterit componere intrinsecè Eucharistiam negatio revocationis, quæ essentialiter & pro formali, dicit verba præterita.

Non Satisfacit Tertiò. Quia negatio hæc revocationis, vel potest spectari respectu consecrantis, non revocantis seu verba, vel respectu Christi quâ hominis, vel respectu Dei primarii & principalis Sacramentorum institutoris. Non primum; quia etiamsi Sacerdos post consecrationem revocaret sua verba, adhuc maneret Sacramentum; ergò negatione revocationis, ponendæ à consecrante, non constituitur Eucharistia. Non secundum; quia ut dictum supra, ipsa institutio Christi activa, non est pars intrinseca Sacramenti Eucharistiæ. Non tertium; quia in illa negatione revocationis ex parte Dei spectata, duo considerari possunt; Primò in quantùm aliquid dicit in recto, & sic est ipsemet Deus non revocans. Secundò in quantùm illa negatio revocationis, dicit aliquid ex parte creaturæ, in qua, ut supponitur, mutatio debet fieri, ratione cujus ab esse revocantis transeat, vel potiùs, stetur, in esse non revocantis: ergò ulteriùs componi intrinsecè Eucharistiam negatione revocationis, non aliud est formaliter, quàm componi illam intrinsecè corpore Christi, cum illa revocationis negatio, non aliud dicat, ut explicatum est, quàm corpus Christi, positum propter prolata verba. Si autem recurras ad corpus Christi, jam non ostendis, quòd verbis formalibus intrinsecè componatur Eucharistia.

Addo negatio revocationis duplex spectari potest: vel negatio revocationis subsequens positionem corporis Christi sub speciebus; vel negatio revocationis antecedens positionem corporis Christi sub speciebus. Neutra ex his componit intrinsecè Eucharistiam; non prior: quia si Deus hodie revocaret institutionem factam à Christo, non hoc ipso Eucharistia heri consecrata, desineret esse Eucharistia; nam illa revocatio, non aliud esset, quàm ablatio potestatis consecrandi; hæc autem non se extendit ad Sacramentum factum, sed nonnisi faciendum. Et sicut si Princeps diceret: Aufero potestatem judicibus, non hoc ipso Causæ heri judicatæ, non censerentur judicatæ, sed tantùm nos possent judicari postea; sic & in præsenti. Hinc si vellet Deus, ne sub Eucharistia jam consecrata foret corpus Christi, non deberet poni revocatio verborum, sed aliud longè decretum, v.g. decretum, concursûs conservativi Eucharistiæ, subtrahendi; quòd si posita revocatione sequenti positionem corporis Christi, non deficeret hoc ipso Eucharistia, hoc ipso sequitur, negationem revocationis non esse quid intrinsecum constitutivum Eucharistiæ. Quòd autem negatio revocationis antecedens positionem corporis Christi sub speciebus, non componat intrinsecè Eucharistiam; ratio est: quia illa negatio revocationis tria hæc potest dicere; Institutionem Christi, rursûs potestatem in consecrante, denique positionem ipsam corporis Christi vi verborum; primum non componit intrinsecè Eucharistiam, habet enim se nonnisi per modum efficientis moraliter: & sicut ipsa institutio Christi, non est pars intrinseca Sacramentorum aliorum, ita nec erit pars intrinseca Eucharistiæ, quæ etiam rationes probant potestatem consecrantis non esse intrinsecè constitutivam Eucharistiæ. Non denique ipsa positio corporis Christi vi verborum: quia alias, ut urgebatur supra, sequitur, Eucharistiam dicere intrinsecè nonnisi ipsum corpus Christi, siquidem illa ipsa negatio revocationis, resolvitur ultimò, & est in re, positio corporis Christi, vi verborum.

Respondet Quartò Nugnez apud Amicum; Manere verba virtualiter per realem virtutem ab illis causatam. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia quamvis aliquid causare possit in aliquo sui & virtute à se producta, in genere causæ Efficientis, non tamen id fieri potest, in genere causæ formalis: quia hæc causatio non aliter fit, nisi dando se in partem, nihil autem potest se dare in partem, nisi ipsum sit, cum hoc ipsum quod est, dare se in partem, sit ipsa Entitate se dantis.

Respondet Quintò Aureolus apud Amicum, manere verba virtualiter, sicut manet offensa vel opus, in mente Dei & hominum, & ad eum modum, quo consensus unius conjugis moraliter tantùm perseverans, sufficit verum

matrimonium componere, cum actuali consensu alterius. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit: Quia non solvit principale argumentum, quòd scilicet entis permanentis forma & intrinsecè constituens, non possit esse aliquid morale, aliàs non diceretur Eucharistia esse permanens Sacramentum, sed nonnisi in mente Dei existens, sicut forma illorum, est nonnisi mentalis, in mente Dei existens.

Deinde quia, ut docet Amicus. Actus interni, licèt dici possint habitualiter & moraliter præsentes, non tamen externi; cujus disparitatem dat: quia cum retractatio actuum internorum, pendeat, à libera voluntate, non retractatio illa, est moralis perseverantia in actu: actus autem externi cum semel producti, non maneant in nostra potestate, non dicuntur moraliter sed physicè perseverare cùm existunt, vel physicè non perseverare, si corrumpentur; & ita si post consecrationem revocet suam intentionem Sacerdos, revocatio illa nulla est; quia est revocatio rei, sub ejus potestatem non cadentis: ita & in præsenti.

Solutio ad principale Argumentum:

Responderi potest aliter huic difficultati proponendo responsionem supra in materia de Sacramentis in communi tactam. Post transacta verba manere aliquid in Eucharistia, quod æquivaleat ipsis verbis, hoc est Corpus meum; ergò potest dici quod verba consecrationis, jam transacta, maneant æquivalenter; quod ipsum ut explicetur.

Præmitto Primò. *Verba æquivalere rebus* Docet hoc Aristoteles 1. Elench. c. 1. ubi quærit, quid sit esse, & dari Sophisticum syllogismum; & dicit *quod hi quidem Syllogismi, illi autem cum non sint, videntur*; probatque id ita esse à proportione in manifestioribus. *Nam quemadmodum & in aliis id fit, per quandam similitudinem; sic & in orationibus se habet, etenim hi quidem habitum per se habent, illi verò videntur ex tribu tumentes & componentes seipsos & pulchri. Hi quidem ob pulchritudinem, illi autem videntur seipsos obfuscantes. Et in inanimitatis quoq; similiter: nam & illorum hæc quidem argentum, ista verò aurum revera sunt, illa non sunt quidem, apparent autem secundum sensum ut lithargirina, & stannea, argentea, & felle tincta, aurea, eodem modo & syllogismus & redargutio*; ponit ergò argumentum tale Aristoteles; Dantur ea quæ videntur & non sunt; ergò etiam dabuntur ea quæ apparent Syllogismi & non sunt, & hoc est sophisma; dat rationem secundam: quia scilicet datur imperitia, imperitia autem est abscessus à speculanda veritate, remotis autem, aliter res apparet, quam sit; ergò contingit ex imperitia sophisma, eodem inquit modo & Syllogismus & redargutio, hic quidem est, illa verò non est, apparet autem propter imperitiam. Dat rationem tertiam. Si in loquendo rebus uteremur non verbis, non daretur sophisma: quia res sunt hoc quod sunt, nec nunc sunt hoc, nunc illud, secus voces: quæ hoc ipso quia pauciores sunt præ rebus, nunc hoc, nunc illud significat; & sicut non facile quis decipitur, si quis illi det tria v. g. & postea decem, sed si id proponatur calculis, faciliùs homo non expeditus cespitat; ità faciliùs quis fallitur verbis, quæ pro rebus substituuntur; textus ita habet: *Quia fieri non potest, ut res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus utimur signis, & quod accidit in Nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere, quemadmodum ii qui calculis supputant, id autem non est simile; nam nomina quidem finita sunt, & orationem multitudo, res verò numero infinitæ, necesse est igitur plura eandem orationem & nomen unum significare, quemadmodum igitur & illi qui non sunt prompti calculos sustinere à scientibus decipiuntur, eodem quoque modo, & in Orationibus*; ex quo textu

Colligis. Quòd verba rebus æquivaleant & quod pro illis substituantur; sicut unus v. g. calculus certo modo collocatus, æquivalet decem, & pro decem substituitur. Ratioque ulterior est, quia verba externa æquivalent verbis internis, verba interna rebus quas exprimunt; ergò & voces à primo ad ultimum æquivalent rebus.

Præmitto Secundò. *Si verba æquivalent in significando rebus; ergo & res æquivalebunt verbis.*

Ratio: Quia æquivalentia est species relationis mutuæ; neque enim potest unum æquivalere alteri, si non aliud mutuò æquivaleat illi; æqualitas enim cujus species est æquivalentia, est mutua habitudo inter æquales; ergò si verba rebus æquivalent, etiam res æquivalent verbis.

Præmitto Tertiò. *Æquivalentiam, quæ importat lineam mutui, inter alia requirere necessariò, ut quod in uno est, necessariò sit in altero.*

Ratio: Quia si in uno non sit, quod est in altero, jam non æquivalentia, sed in eo quod non habet, cum id habeat alterum, erit non valentia illius.

Præmitto Quartò. *In præsenti debere attendi ad æquivalentiam Eucharistiæ ad verba hæc*; Hoc est Corpus meum; hæc enim, ut scitur, sunt forma Consecrationis.

Præmitto Quintò. *Nullam esse particulam hujus formæ, cui aliquid æquivalens non respondeat in Eucharistia*: nam particulæ Hoc, respondet aliquid æquivalens in Eucharistia; Quod ita explanatur ly Hoc, est particula demonstrativa, pro objecto respiciens non mentem indicantis, sed Objectum quo indicatur; quod est *Objectum hoc*, estque in re ipsum illud, secundùm quod aliquid, & se, demonstrat, & demonstratur; hinc etiam usus Gentium habet, ut indice digito, (qui etiam eapropter appellatur index) indice-

dicetur res, cui indigitationi respondet *Hoc Objectivum*, seu *Esse, quod indigitatur*; & certè, universaliter id objectum habet particula demonstrans & indicans, seu hoc formale, quod habet pro Objecto mens indicantis; mens autem indicantis, habet pro objecto hoc quod demonstratur; & quia *Hoc Objectivum* habetur in Eucharistia, fit ut in Eucharistia, sit aliquid æquivalens huic particulæ: Hoc. Rursùs cum particula *Est*, indicet præsentem existentiam, neque enim est aliud, objectivum *Est*, quàm esse præsentialiter; unde cujus præsentialitas fuit, vel cujus præsentialitas erit, de illo non dicitur, Est, sed dicitur fuit, aut erit: quia autem est etiam præsentialitas hîc corporis Christi, lyque fit, transit in Est, ideo habetur in Eucharistia objectivum *Est*; hoc est, præsentia illius complexi, existentis, ex speciebus & corpore sanguineque Christi. Deinde voci *Corpus* æquivalet ipsum Corpus, & quia hoc defacto datur in Eucharistia, ideo voci corpus datur aliquid æquivalens. Denique datur æquivalentia ad ly *Meum* formaliter sumptum, huic enim *Meum formali*, respondet *Meum Objectivum*: cum enim verbum objectum significet, formalique tali respondeat objectivum tale, etiam *Meum* formali, debet respondere *Objectivum Meum*, meum autem objectivum, est Possessio & tenentia sui esse, seu ipsius se, adeoque sequetur exclusio alieni: Meum enim, est derivatum ab Ego, Ego autem, est sui primitiva possessio indicabilis, ad quod postea sequitur ut Ego, sit primum uniuscujusque de se dicibile; hinc & Meum sui possessionem dicet; & quia Christus in Eucharistia non alienum sed suum possidet, & est Corpus & Sanguis suus, consequenter in Eucharistia respondet aliquid æquivalens ad ly *Meum*, quod est *Meum Objectivum*, consequenter respondet unicuique parti formæ aliquid æquivalens in Eucharistia. *His præmissis*

Directè formatur responsio, Primò. Quod scilicet, licèt non maneant verba formaliter in Eucharistia, maneant tamen æquivalenter, verba enim æquivalent rebus, ut dixi Præmisso primo; consequenter & res æquivalebunt verbis, ut dixi præmisso secundo; & cum æquivalentia requirat, ut quod est in uno, sit in altero, ut dixi Præmisso tertio; casu quo nihil sit in verbis formæ, quod non sit in re Eucharistiæ, ut dixi Præmisso quinto; ideo debet dici, æquivalenter manere verba in Eucharistia.

Respondetur Secundò. Quod scilicet Sacramentum Eucharistiæ dupliciter spectari possit, imprimis in quantùm dicit totum quoddam omnium requisitorum, adeoque etiam processum, suæ positionis. Deinde in quantùm importat permanentiam solam termini illius actionis; primò modo accepta Eucharistia, importat verba formalia tanquam formam; secundo modo accepta, non importat verba formalia, sed verba ut dictum supra virtualiter; quando verò Tridentinum appellat Eucharistiam Sacramentum permanens, accipit Eucharistiam nonnisi secundùm rationem termini; quæ virtualitas verborum sic etiam explanari potest.

Pone v. g. quòd non tantùm dum primò ponitur Eucharistia debeant proferri verba, sed requiri eousque ut proferantur, quousque velit consecrans Eucharistiam durare, eo casu, verba à Sacramento nonnisi pro termino spectato, requirerentur, idque sumpta formaliter, & haberent se ita, sicut se habet objectum ad species quas producit, quarum & productio & conservatio pendet ab ipso objecto: quia verò ab iisdem principiis res conservari debet à quibus producitur, conservari inquam vel à producente, vel ab alio, quod defectum producentis supplet, fit ut etiam productio & conservatio Eucharistiæ, ab iisdem causis pendere debeat, vel aliis, locum illarum supplentibus: porrò hoc supplens concursum verborum, est ipse concursus Dei, eousque corporis Christi sub speciebus conservativus, quousque exigunt illud conservari verba: exigunt autem conservari, quousq; non corrumpuntur species. Quo posito, dici posset, virtualiter requiri verba ad Eucharistiam, secundùm terminum spectatam, & secundùm quod illa est quid permanens; quia scilicet necesse est, ut verba exigant à Deo concursum conservativum, & Deus obligat se satisfacturum illi exigentiæ; unde sicut terminus, esse suum primò, verbis formalibus, ita & conservari suum, verbis virtualiter debet; quia debet concursui divino conservativo, qui sibi tribuitur ad exigentiam verborum: & sicut calor inductus ab igne in aquam, debet esse suum primo igni, conservationem autem formaliter debet Deo, virtualiter tamen debet illi igni, in quantùm Deus supplet concursum conservativum ignis, & in quantùm illum præbet, ad ejus exigentiam; ita quia ille concursus conservativus exhibetur à Deo ad exigentiam verborum Consecrationis, ideo virtualiter adhuc necessaria erunt verba ad Sacramentum Eucharistiæ, etiam in esse permanenti sumptum; sed hæc explicatio ostendit quidem, virtualiter spectare illa verba ad esse permanens Eucharistiæ, sed non ostendit esse illa partem, neque enim concursus conservativus, est pars rei conservatæ.

Instabis Primò. Ponamus corpus Christi poni sub speciebus panis, non ex vi verborum, eo casu & esset Sacramentum, quod & quale nunc est, & non esset; non esset quidem, quia non esset Signum sensibile, quod nunc est, siquidem non significaretur per verborum prolationem; esset autem: quia sicut propter æquivalentiam corporis Christi ad verba, dicitur æqua-

liter manere verum Corpus, ita vi ejusdem æquivalentiæ, positio illa corporis Christi, diversa à positione Sacramentale, æquivalebit positioni Sacramentali.

Respondetur. Quòd potuisset defacto poni, non vi verborum, sed immediatè à Deo, corpus Christi, sub speciebus, quæ enim in hoc implicantia; & si potest id Deus facere medio instrumento, cur non posset facere seipso, præcipuè cum illius effectus positio, non involvat vitalitatem. Casu autem quo corpus Christi immediatè à Deo poneretur sub speciebus, & non esset signum visibile invisibilis gratiæ, nec significaret ipsum corpus Christi, sed se haberet merè tanquam substantia sustentans accidentia panis; eo casu illud complexum, non haberet rationem Sacramenti; quia non haberet rationem Signi, nec rationem causativi. Sed si ponatur à Deo illud corpus Christi sub speciebus, sed tanquam signis invisibilis gratiæ & corporis Christi; eo casu haberetur ratio Sacramenti, in nullo enim differret à Sacramento præsenti, nisi quia non poneretur vi verborum, hoc autem non est de essentia Sacramenti ut sic. Tamen nihilominus, casu quo poneretur corpus Christi sub speciebus panis per modum Sacramenti, non tamen vi verborum, deficeret illud Sacramentum à præsenti Sacramento, quia non involveret unquam verba formalia, cum tamen verba, nunc, sint forma consecrationis; & sicut etiam in ratione verborum differunt, Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Matrimonii, cum matrimonium etiam nutibus perfici possit; ita illud Sacramentum differret à præsenti: quia præsens saltem antecedenter verba formalia requirit. Rursùs corpus Christi in Eucharistia præsenti, est æquivalens verbis actualibus præteritis, ut dictum; in casu autem illo, non esset æquivalens verbis præteritis, cum nulla præcesserint; diceret quidem corpus Christi æquivalentiam ad verba dicibilia; sed æquivalentia ad verba dicibilia, solùm ostendit potentialem æquivalentiam ad illa, non autem actualem; ex quo colligis diverso respectu fore talem positionem corporis Christi Sacramentum, diverso respectu non fore, ita tamen ut eo etiam respectu, quo foret Sacramentum, adhuc esset distinctum à præsenti.

Instabis Secundò. Adhuc etiam hac solutione, non solvi principale argumentum; scilicet, quomodo Sacramentum permanens constituatur formâ, quæ nonnisi æquivalenter est.

Respondetur. Compositum antonomasticè physicum, seu ex partibus ad se ordinatis, non potest constitui aliquo nonnisi æquivalenti, formæ. Ratio: quia non potest quidquam ostendi, quid formæ in ordine physico æquivalere possit, nisi alia numero forma; jam autem per accommodationem & imitativè compositum physicum, hoc est; compositum ex iis, quæ non habent de se, ad se, naturalem ordinem, potest salvari per habitionem alicujus æquivalentis; sic v. g. pondus decem librarum, est per imitationem compositum quoddam ex ponderibus, si libræ plumbeæ substituas auream, vel è contra, manebit adhuc idem æquivalenter compositum ponderum, eò quòd in tali composito non purè ad ipsas Entitates attendatur: quia autem complexum Eucharisticum est imitativè & per accommodationem compositum physicum, ideo poterit constitui verbis æquivalenter, cumque ipsum illud compositum, quod est Sacramentum, sit æquivalenter compositum, poterit contentari illo, quod dicit in se, nonnisi æquivalentiam.

Instabis Tertiò. Vi hujus responsionis sequi, quod intrinsecè constituatur Eucharistia nonnisi solo corpore Christi, quod supra refutatum.

Respondetur. Supra refutata est sententia excludens ipsas species à ratione intrinseci Sacramento, quæ tamen per nos non excluduntur.

Punctum Difficultatis 2.

Argumenta Partis affirmativæ.

Primum Argumentum est Lugonis. Species prout condistinctæ sunt à verbis, non possunt habere rationem integram Sacramenti; prout sic enim, non habent integram, & completam, sensibilem significationem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad Sacramentum Eucharistiæ: species enim panis nec gratiam, nec præsentiam corporis Christi, de se significant; nec ad hoc excitant mentem videntis, nisi sciantur esse consecratæ; quodsi ipsæ species non ignificant complete; ergò in ratione Sacramenti reduplicant, ipsam consecrationem.

Respondetur. Negando quòd species prout condistinctæ sunt à verbis, modo illa supponant circa se transacta, non possint habere rationem integram Sacramenti, licèt illam non habeant, nisi supponantur illa verba, circa illas species, transacta; si autem supponuntur illa verba transacta, hoc ipso non supponuntur esse pars intrinseca rei permanentis; & non transactæ. Deinde etiam distingui potest consequens; ergò in ratione Sacramenti reduplicant species, ipsam consecrationem, tanquam principium confectivum Sacramenti. Concedo consequentiam; tanquã principium constitutivum. Nego. Denique conformiter ad dicta aliàs dici potest, quòd species illæ reduplicent consecrationem non tanquam aliquid intrinsecum simpliciter, seu intrinsecè requisitum, sed tanquam aliquid extrinsecum, intrinsecè requisitum.

Se-

Secundum Argumentum est Pontii. Species sine consecratione non essent Sacramentum; ergò solùm consecratæ, possunt esse Sacramentum, species autem ut consecratæ, dicunt intrinsecè consecrationem.

Respondetur. Imprimis torquendo argumentum. Petrus sine sui productione non esset homo; ergò solùm productus potest esse homo; homo autem ut productus, dicit intrinsecè productionem; & si dicas quòd importet productionem tanquam aliquid sibi extrinsecum, cui respondeat tanquam terminus productum, dicam & ego, extrinsecè requiri consecrationem, tanquam rationem, cui permodum termini, respondet consecratum. Rursùs conformiter ad dicta supra responderi potest, quod species consecratæ dicant consecrationem non tanquam formam intrinsecam compositivam, sed tanquam aliquid extrinsecum intrinsecè requisitum. Denique species consecratæ, hæ dantur à parte rei, non tamen species prout consecratæ; quia ista reduplicatio à nostris intentionibus pendet, quodsi consecratio est intrinseca speciebus, prout nonnisi consecratis, non erit consecratio intrinsecum quid; quia intrinseca, sunt talia, nemine cogitante, reduplicationes autem, non sunt nemine cogitante.

Tertium Argumentum est ex præcitato Florent. ubi cum asseruisset Eugenius omnia Sacramenta perfici materiâ & formâ, pro forma Eucharistiæ, ibidem ponuntur verba consecrationis; ergò si alia Sacramenta intrinsecè perficiuntur verbis, etiam Eucharistia, debet intrinsecè perfici verbis.

Responderi potest Primò. Quod per illud confici, intelligatur influxus effectivus. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia in aliis Sacramentis contingit, ut conficiantur per formam, & tamen forma in illis, habet rationem partis intrinsecæ. Deinde cum sint aliqua principia effectiva formalia, quæ non possunt appellari forma, licèt dentur aliqua, quæ possunt appellari forma; deberet ostendi fundamentum, cur ad hanc secundam classem pertineat forma Eucharistiæ, præcipuè quia ly forma conjunctum cum ly Materia, supponat pro principio merè formali non effectivo, & tamen meminit etiam illic Florent. materiæ Sacramentorum, & pro forma ponit verba, cur ergò verba illa non erunt supponentia merè pro forma, adeoque pro intrinseco.

Responderi potest Secundò ex Vasq. Quod illic non intellexerit Papa formam intrinsecè constituentem, sicut nec inibi intellexit materiam intrinsecè constituentem; nam dicit materiam Eucharistiæ esse panem, & tamen de fide est, panem non esse partem intrinsecam Eucharistiæ. *Hæc responsio*

Non Satisfacit Primò. Quia tenenda est Regula universalis, nempe locutiones Patrum simpliciter accipiendas esse, nisi aliquid obsit, obest autem articulus fidei, ne panis dicatur esse materia compositiva Eucharistiæ; nullum autem absurdum est, ut dicantur verba, esse pars Eucharistiæ, nec enim illud ostenditur.

Non Satisfacit Secundò. Quia ut advertunt Lugo & pontius, potest probato sensu dici, materiam Eucharistiæ esse substantiam panis, quamvis non sit materia intrinsecè constituens, eo quod materia philosophicè dupliciter accipi possit; pro materia remota, qualis materia est lignū respectu ignis, & pro materia proxima, qualis est materia prima. Materia illa remota non potest esse compositiva; nemo enim dicit ignem genitum ex ligno, componi ex igne & ligno; materia autem proxima, est compositiva: quia autem nulla forma est remota, & quæ non sit proxima; ideo si dicatur aliquid esse formam, debet intelligi de forma intrinsecè componente.

Non Satisfacit Tertiò. Quia terminus à quo, licet vocetur materia, ex ratione tamen termini à quo, non potest esse quid intrinsecè compositivum: quia autem per articulum fidei, ita est panis materia Eucharistiæ, ut simul sit terminus à quo, ex ratione termini à quo, non poterit esse pars compositiva, hoc ipso enim non esset *à quo*, sed *quod ipsum*; nihil autem simile est de forma.

Responderi solet Tertiò. Quod illic loquatur Eugenius de Sacramentis in usu, non autem de permanente Sacramento, qualis est Eucharistia.

Non Satisfacit hæc responsio: quia non accipit verba Conciliorum, ut sonant, quæ eodem modo loquuntur tam de Sacramento permanenti, quàm de Sacramentis in usu consistentibus; nec etiam solvit principale argumentum: quia quamvis Sacramentum Eucharistiæ sit permanens, nihilominus salvari debet, quomodo transactis verbis, habeantur adhuc omnia intrinseca, & salvari id potest, ut dictum supra.

Responderi solet Quartò. Quod scilicet verba, sint forma Sacramenti in fieri, non verò in facto esse. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia in fieri Sacramentum Eucharistiæ constituitur verbis tanquam formâ intrinsecâ: ergò Sacramentum Eucharistiæ, etiam in facto esse, constituetur verbis intrinsecè; quia si eâdem formâ non constituitur in fieri, & esset illud fieri Eucharistiæ, ut supponitur; & non esset: quia fieri rei, & factum esse, necessariò iisdem constitutivis stare debent; quod etiam ostendit inductio in fieri tam substantialium, quam accidentalium. Tum quia illud fieri, vel est fieri facti esse, vel non est fieri facti esse; si non est fieri facti esse; ergò nec est fieri; fieri enim est fieri facti esse: si autem est fieri facti esse; ergò quidquid est in fieri rei, debet esse, in facto esse rei, nisi se habeat ut terminus à quo, quale principium est privatio;

& certè quidquid deerit facto illi esse, quod habet in fieri, hoc ipso non erit illud fieri, illius facti esse, sed aliùs, scilicèt deficientis à suo fieri. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur; quia factum esse & fieri, non discriminantur inter se, nisi per ordinem ad durationem, in prædicatis autem constitutivis, non variant. Tum quia in instanti quo res fit, verum est dicere; hoc fit, immediatè post, factum erit; & in instanti, quo res facta est, verum est dicere: hoc factum est, quod immediatè ante fiebat; quæro ergò, an ly hoc in utraq; propositione pro eodem supponat, an pro diversis? si pro eodem; ergò utrobique habet eadem constitutiva; ergò & utrobique eandem formam; ergò non alia est rei forma in fieri, & alia in facto esse, contra quam assumebat responsio; si autem utrobique ly hoc, non supponit pro eodem; ergò illa propositio falsa erit; hoc fit, quod immediatè post factum erit: non enim hoc, factum erit, sed aliud; cum ly hoc, per te non supponat in facto esse pro eodem, pro quo supponit in fieri; hoc autem dici non potest, aliàs factum esse, & esset factum esse, ut supponitur, & non esset quia non idem in fieri, quod & in facto demonstraretur per particulam hoc, siquidem non demonstrarentur, eadem constitutiva.

Respondetur quintò. Quòd scilicet verba Concilii simpliciter & ut sonant, sint accipienda, si nihil obsit; obest autem ne verbis formalibus constituatur Eucharistia; eo quod verba formalia sint transeuntia; Sacramentum autem Eucharistiæ est permanens, permanens autem non potest constitui intrinsecè transeunti; licèt nihil obsit, quominus constituatur Eucharistia verbis æquivalenter sumptis secundùm præexplicationem datam. Rursùs ly forma, cujus meminit Florent. ponitque hanc formam esse verba, non apparet, quòd voluerit illam formam sumi pro forma constitutiva; neque enim hujus habetur fundamentum; sed nomine formæ intellexit formalia dicenda, & in terminis determinatis, pronuncianda; talia autem non sunt constitutiva, secundùm communem acceptionem hujus vocis Forma; unde etiam quando dicitur; hac forma Petrus locutus est Paulo, non intelligitur, forma aliqua constitutiva, sed intelliguntur, verba determinata, quibus usus Petrus. Repeti etiam potest responsio de duplici acceptione totius esse Eucharistici.

Quartum Argumentum. Est Paritas ab aliis Sacramentis.

Respondetur. Disparitatem esse; quia constitutiva rerum debent esse proportionata constitutis; cùm ergò alia Sacramenta, quæ sunt constituta, sint successiva, etiam illorum constitutiva possunt non esse permanentia; jam autem Eucharistia est Sacramentum permanens, componetur ergò intrinsecè, non verbis formalibus, quæ sunt successiva, sed verbis æquivalenter, quæ sola sunt permanentia.

Quintum Argumentum est. Eucharistia sumpta secundùm quod est terminus, sumpta secundùm quod est permanens, vel habet materiam & formam, vel non habet; si non habet, ergò te opponis doctrinæ Ecclesiæ; si habet; quæro an illa forma sit intrinseca an extrinseca? si intrinseca; ergò intrinsecè componit, habeturq; intentum; si est extrinseca; contra erit, quia nullius rei compositivum, est intrinsecum illi.

Respondetur. Sicut totum Eucharisticum est nonnisi totum ex proportione, ita materia & forma illius, est nonnisi ex proportione; quæ in hoc stat: quia sicut materia determinatur & forma determinat; ita dantur aliqua in Sacramentis, quæ determinantur, & alia quæ determinant; & ita à speciebus determinatur Corpus Christi, ut sit sensibile in Sacramento Eucharistiæ, consequenter illæ species, habebunt se per modum formæ, & corpus Christi in hac acceptione, per modum materiæ; deinde nomine materiæ venit hic, quod determinatur, & nomine formæ, id quod determinat; verba autem formalia, determinant significationem Sacramentalem, licèt non componant.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum?

Dicendum est Primò. *Si Nomine intrinseci, intelligas compositivum quid, eo sensu verba formaliter sumpta, non sunt intrinsecum quid Eucharistiæ.*

Probatur Primò. Si verba formaliter sumpta essent intrinsecum compositivum Eucharistiæ, falsum esset illud Principium, quòd sit identitas inter compositivum & componentia: quod ipsum probatur: quia compositum esset, scilicet Eucharistia, compositiva Non essent, hoc est; verba; ergò non esset identitas inter compositum & componentia; quia non est, etiam inadæquata identitas, inter *Est* & *non est*.

Probatur Secundò. Quia verba & essent compositiva Eucharistiæ, ut supponitur, & non essent compositiva, quia verba non sunt; ergò componere Eucharistiam non possunt, nihil enim componitur contradictorio sui; ergò, quod *est*, ut est Eucharistia, non componitur eo, quod *non est*, verba autem non sunt.

Probatur Tertiò. Quia Sacramentum Eucharistiæ vel sumitur secundùm omnia, quæ quocunque modo importat, & sic non est difficultas de verbis; nam Sacramentum importat etiam successiva, adeoque importare etiam potest verba, vel sumitur, secundùm esse jam meræ permanentiæ: & sic, quòd non constituatur verbis formaliter. Ratio est: quia nemine dicente, non possunt esse verba formaliter, aliàs daretur loque-

loquela, dum est silentium ; & tamen dum est Sacramentum permanens, potest nemo quidquam dicere ; ergo nec dabuntur tunc verba formaliter ; ergo non component tunc intrinsecè, quia intrinsecè componere, est dare se in partem, verba autem dum non sunt, non possunt se dare in partem, cum dare se in partem, prius supponat esse.

Dicendum est Secundò. *Verba sunt quid extrinsecum, intrinsecè tamen requisitum in Eucharistia.*

Quod sint extrinsecum quid,

Ratio est : quia verba sunt quid necessarium ad Eucharistiam, sed non sunt quid intrinsecum, ut probatum ; ergo sunt quid extrinsecum ; & certè per ly Non esse designatur extrinsecitas, ut notum est ex materia de inceptionibus & desitionibus ; ergo cum verba non sint, utpotè transacta, extrinsecitas illis conveniet. Denique si verba non essent quid extrinsecum Eucharistiæ, sine illis non posset stare Eucharistia, quia nihil stat sine iis, quæ sunt illi intrinseca, cum sit illa ipsa : cum ergo verbis transactis sit de fide stare Eucharistiam, sequitur verba (subintellige formaliter sumpta) esse extrinsecum quid Eucharistiæ.

Quod autem sint intrinsecè requisita,

Probatur Primò. Quia nomine extrinseci intrinsecè requisiti venit, quod non componit quidem, ingreditur tamen definitionem alicujus ; sed talia sunt verba formaliter sumpta ; quia species consecratæ ingrediuntur definitionem Eucharistiæ ; consecratio autem, sunt illa verba formaliter sumpta ; ergo consecratio ingreditur definitionem Eucharistiæ, ingredientur etiam verba formaliter sumpta.

Probatur Secundò. Quia species consecratæ sunt relativæ ad consecrationem transactam ; ergo ex conditione relativorum, id, ad quod referuntur, erit extrinsecum intrinsecè requisitum ; quod competit verbis formalibus, quæ sunt ipsissima consecratio.

Probatur Tertiò. Illa verba formaliter sumpta, non sunt quid intrinsecum, quia non componunt ; ergo sunt quid extrinsecum ; hi enim termini se inferunt ; sed non sunt simpliciter extrinsecum : quia sine illis nec esse, nec concipi potest Eucharistia, retinendo esse Sacramenti, cùm tamen sine extrinsecis simpliciter res & esse, & concipi possit ; ergo sunt quid intrinsecè requisitum ; quia nulla via suppetit, hæc duo concordandi.

Hos terminos olim in Logicis usurpatos lege æquivalenter apud DiCast: de Eucharistia, disp. 2. num. 30. *Verba Consecrationis*, inquit, *probabile est pertinere ad essentiam hujus Sacramenti, tanquam formam illius extrinsecam quidem, determinantem species, ita tamen ut connotatio ipsorum verborum, intrinseca sit.*

Dicendum est Tertiò. *Verba æquivalenter sumpta, sunt quid intrinsecum Eucharistiæ, sumendo intrinsecum pro compositivo.*

Probatur Primò. Quia verba æquivalenter sumpta, sunt in Sacramento Eucharistiæ, ipsum Corpus & Sanguis Christi, quæ indubiè sunt compositiva Eucharistiæ.

Probatur Secundò. Quia ipsa etiam verba formalia, essent pars compositiva Eucharistiæ, si non essent fluxa & transeuntia ; nam etiam in aliis Sacramentis verba sunt pars ; sed hæc ratio non militat pro verbis æquivalentibus, quia ipsa jam sunt quid permanens ; ergo verba æquivalenter sumpta, sunt intrinsecum quid Eucharistiæ.

Probatur Tertiò. Si verba æquivalenter sumpta, non essent pars constitutiva Eucharistiæ, Eucharistia, si non esset Eucharistia ; quia Eucharistia, si non esset Corpus & Sanguis Christi, non esset Eucharistia ; jam autem si verba æquivalenter sumpta, non essent pars constitutiva Eucharistiæ, non essent Corpus & Sanguis Domini.

Objicitur Primò. Intrinsecè constitutivum Eucharistiæ sunt species consecratæ ; ergo & ipsa consecratio quæ est pars consecratarum specierum seu forma, hæc autem consecratio, sunt ipsa verba.

Respondetur. Ex dictis aliàs Consecrationem passivam, esse partem specierum consecratarum. Rursùs dici potest, Species consecratas unum dicere in recto, & aliud in obliquo, in recto sunt ipsa accidentia, quæ remanent sine subjecto, & quidem vi formæ prolatæ, & hæ, sic sumptæ species, sunt pars Eucharistiæ : & aliud dicunt in obliquo, nempe verba consecrativa, quæ jam præterierunt, & quæ in antè circa illa accidentia sunt versata ; & hoc non est pars Eucharistiæ, ob allatas rationes, sed extrinsecum intrinsecè requisitum.

Objicitur Secundò. Domus antiqua constituitur antiquitate, quæ desumitur à tempore multo quod præteriit ; ergo & Sacramentum potest constitui consecratione quæ præteriit.

Respondetur Hoc quod est Constitutivum Domûs in ratione antiquæ, est responsivum objectivum, ei quod præteriit, inclusum in ipsa domo, non autem constituitur tanquam parte, propriè, antiquitate ; stante in circulationibus multis cœli, transactis. Unde directè negatur constitui domum antiquam intrinsecè tempore, quod præteriit, sed respicit illud tempus tanquam aliquid extrinsecum intrinsecè ad illam denominationem requisitum ; deinde disparitas etiam dari posset : quia hoc totum, quod est domus antiqua, est totum conflatum, ex præsenti quod est domus, & ex eo, quod erat præsens, transeat ergo quod constituatur domus antiqua, eo quod præteriit. Eucharistia autem appellatur simpliciter Sacramentum permanens,

nens, phrasi sacra; non potest ergo constitui aliquo non permanenti, tanquam parte.

Objicitur Tertiò. Substantia panis non est quid extrinsecum intrinsecè requisitum, ad constitutionem Eucharistiæ; ergo nec verba.

Respondetur. Etiam substantia panis est extrinsecum intrinsecè requisitum, concipiendo formalitatem transsubstantiationis; sed quidquid de hoc; disparitas est; quia materia remota nunquam requiritur tanquam aliquid extrinsecum intrinsecè ad constitutionem alicujus; cùm posterioris constitutio, natâ sit abolere materiam illam remotam, & non illam requirere, ad suam denominationem. Sic lignum est materia remota ignis, nec lignum requirit intrinsecè ipsemet ignis, ad denominationem ignis, sed nititur ad faciendum, ne sit: ita etiam nititur efficaciter consecratio, ne sit panis, non ergo requirit panem intrinsecè, ad denominationem Eucharistiæ.

Mens de eodem Recentiorum.

Expendenda est mens Pere. de eadem materia.

Ponebat ille primò. Abstractum verbale, in quod resolvitur concretum, aliud esse irresolubile resolutione reali, aliud resolubile. Exemplum primi sit unitum albedini, exemplum secundi, album: unitum enim albedini resolvitur in subjectum unibile, & in hoc quod est, esse unitum albedini. Hoc autem abstractum verbale, non est ulterius resolubile resolutione reali; licèt enim illud possit aliquis quasi resolvere in unionem, & hoc quod est uniri unionem subjecto & albedini, tamen quia unio unitur per seipsam, & non differt unio & uniri ipsam, hinc hæc resolutio, est potiùs rationis, quam realis: at album resolvitur in subjectum de albabile, & in esse album, & hoc ipsum resolvitur in albedinem, tanquam in abstractum nominale, & in hoc quod est ipsam albedinem uniri, ita tamen ut in utraque resolutione, sistatur in aliquo irresolubili, & hoc est ultima actualitas denominati ut denominati, & est purè formaliter in concreto, cætera autem sunt ut recipientia denominationem ab ultima actualitate, & ita v. g. in albo subjectum dealbabile, est purum materiale, albedo est quid materiale & formale simul, quia includitur in uno abstracto verbali, sed in ultimo non includitur, neque est tota ultima actualitas aut pars illius, unio autem est ultima actualitas, & purum Formale, seu esse formalissimum albi: nihil enim est aliud ultima actualitas, quàm esse ultimum uniuscujusque denominati, aut saltem quod significatur tanquam esse denominati. Hæc enim est quæ significatur ut dans esse, cætera ut recipientia.

Hæc positio illius

Non Satisfacit. Tum quia non dat rationem cur sicut album resolvitur in unionem actualem, ita unibile non resolvatur in unionem ponibilem, immò potiori jure, in illam resolvitur, quia unibile, est concretum ex subjecto & unibilitate, ergo formale illius & actualitas, erit unibilitas, ergo in illam etiam resolvetur. Tum quia quamvis esse unionem, & hoc quod est uniri unionem non sint nisi ratione distincta, tamen quod unibile includat in se unionem ponibilem seu unibilitatem, non spectat ad meram rationem, cur ergo in illam unibilitatem non resolvetur unibile. Tum quia nihil resolvitur in seipsum, sed in aliquid sui ipsius, nihil enim resolvitur in totum, sed in partes, si non resolvitur in totum, quomodo hoc quod est album, dicetur resolvi in esse album, hoc enim est resolvi in totum, & resolvi resolutione nonnisi rationis, nam est album & esse album nonnisi ratione differunt, & tamen hîc ostendi debuit resolutio realis. Tum quia non explicat hoc, quid sit istud unum abstractum verbale, in quo includitur albedo, neque enim album, in quo includitur albedo est abstractum verbale, sed potius concretum, nec explicat hoc cur unionis unientis albedinem non sit pars albedo, nam positis quibuscunque aliis, & non posita albedine, non erit unio albedinis, & illa posita, cum cæteris, erit unio albedinis; erit ergo albedo pars illius unionis, si definitio partis ut sonat & sine restrictionibus accipiatur, quas non patiuntur definitiones, restrictio enim est ejus, quod non est clarum, definitio autem debet esse clara, & si non sit clara sed restringibilis, definitio non erit, nec conveniet soli. Tum quia non apparet quomodo unio sit ultima actualitas albi, nam licèt sit ultimum sublativum indifferentiæ ad habendam vel non habendam albedinem, non est tamen ultimum constitutivum in esse albi. Quod ipsum probatur; quia imprimis unio est per modum viæ, datur autem terminus immediatus formalis illius, quod est albedo, ergo illa non est ultima actualitas constitutiva albi, nam hoc constitutivum non debet esse per modum viæ, sed per modum termini. Deinde pone per impossibile poni unionem illam sine albedine, non erit album, ergo appareret ultimam constitutivam actualitatem albi, esse albedinem. Deniq; quod nihil dicit de linea disgregativi visus, non potest esse ultima actualitas albi, quod definitivè est disgregativum visus, jam autem unio, nihil dicit de hac linea, dicit albedo, quæ insuper est ratio formalis albi, ergo illa potiùs erit ultima actualitas.

Ponebat secundò. Ultimam actualitatem aliquando exigere existentiam positivâ & realem cæterorum formaliter inclusorum in denominatione, aliquando nullius, aliquando unius & non alterius. Horum tamen omnium exigit præsentiam, in ratione denominati, ab ultima actualitate, sive dicatur in recto concreti, sive

sive in obliquo formaliter incluso: exemplum ponit; sit album cujus ultima actualitas est unio albedinis cum subjecto, cujus existentia realis affirmari verè non potest, quin sit verum existere simul subjectum & albedinem, quorum illud tanquam purum materiale recipit denominationem albi, hæc verò denominationem unitæ, & dantis esse albo, tanquam causæ formalis denominationis, inclusæ formaliter in obliquo. Exemplum secundi sit futurum, cujus ultima actualitas præsens, est futuritio ipsa, quæ futuritio, fortassis nihil est aliud, quàm tempus præsens & scientia divina rei futuræ, seu terminatio illa intrinseca æterna, hujus scientiæ; hæc actualitas ut sit, non petit existentiam realem præsentem rei futuræ. Exemplum tertii sit peccator non actu sed habitualiter: ultima actualitas hujus denominationis est perseverantia moralis peccati actualis præteriti, consistens fortasse in privatione præsenti sanctitatis internæ & in scientia divina peccati præteriti nunquam condonati. *Hæc positio illius*

Non Satisfacit. Tum quia vi hujus positi, in denominatione albi ultima actualitas, & erit unio ut docuit hîc sub initium, & in posito primo, & non erit unio, sed albedo, quia dicit Perez, quod albedo dicat rationem dantis esse albo, quod albedo sit causâ formalis denominationis albi, quod verbis differt ab eo, quod est dare ultimam actualitatem albi. Tum quia si ultima actualitas aliquando nullius exigit inclusorum existentiam realem ut dicitur, quomodo horum omnium exigit præsentiam in ratione denominati ab ultima actualitate? Tum quia non est conceptibile quod futurum, sit ipsum tempus præsens, cùm ipsum futurum, sit negatio præsentis. Rursùs tempus præsens, est ipse motus cælorum præsens, qui non erit idem cum erit futurum, quî ergo futurum, est tempus præsens: putoque non minus contradictoriè quoad suas rationes formales opponi præsens, seu quod est, futuro quod non est, quam proportionatè opponatur ipsum est, & non est, jam autem non est, non constituitur per est; si autem non constituitur futurum tempore præsenti, adhuc secundùm hæc quæ adfert, non ostendit in hac denominatione aliquid præsens existens reale. Tum quia recursus ad scientiam Dei in præsenti non tenet; nam hæc habet pro objecto terminationem sui intrinsecam, quæ est de facto si scientia est de facto; neque enim est scientia sine objecto, quæro ergo per quid constituatur ipsa illa terminatio intrinseca, quod sit præsens, & si hæc actualitas, ut sit non petit existentiam realem præsentem rei futuræ, quomodo verum est, quòd horum omnium exigatur præsentia in ratione denominati. Addo quod objectum scientiæ non sit etiam partialiter scientia, futuritio est objectum scientiæ, ergo non erit etiam partialiter scientia, quî ergo futuritio, erit fortassis ipsa scientia de illa? Plura de hoc puncto acta in prima parte discurrendo an scientia conditionatorum tribuat infallibilitatem objecto. Tum quia ea quæ adfert de peccato Habituali, non convincunt; nam recursus ad perseverantiam moralem peccati præteriti, est bonus, sed quærere restat, quid est hæc perseverantia? dices est privatio præsens sanctitatis internæ, cùm Perez non teneat negationes condistinctas ab omni ente reali, ostendat aliquod ens reale præsens, cui identificatur privatio præsens sanctitatis internæ, idq; non recurrendo ad connotata, quæ ab illo in talibus rejiciuntur. Recursus etiam hîc ad scientiam divinam peccati præteriti non tenet, & ob dictam immediatè rationem & quia cum hæc scientia sit speculative, non ideo debet dici esse peccatum Petri, quia illum cognoscit Deus peccatorem, sed ideo cognoscit, quia est, ergo ad salvandum peccatum habituale, non debet recurri ad scientiam de peccato.

Ponebat tertiò. Concretum cujus ultima actualitas petit existentiam actualem ut præsentem totius recti ipsius, non verò existentiam actualem, sed præteritam, aut futuram, aut possibilem, alicujus formaliter inclusi in aliquo, habentis rationem formalis & materialis, simul posse dici existere simpliciter de præsenti, & habere denominationem de præsenti, quando existit ultima actualitas. Probatur suppositio. Quia ut existat simpliciter concretum, sufficit existere totum rectum simpliciter, ut autem existat tanquam denominatum, non est necesse ut existant omnia inclusa formaliter in denominato ut denominato, sed sufficit existere ultimam actualitatem, illud autem quòd includitur formaliter in obliquo, tanquam materiale & formale simul, non est necesse ut existat in se realiter, sed sufficit ut existat ut denominatum ab ultima actualitate, de cujus essentia & ratione est, denominare actu, eo ipso quòd existat, sive denominatum existat per seipsum, sive non existat per se ipsum formaliter; sic quoniam cognitio actualis est ultima actualitas cogniti, & quasi existentia actualis cogniti ut cogniti, eo ipso quòd existat, denominat actu cognitum, sive objectum existat in se, sive non existat in se. *Hæc positio illius*

Non Satisfacit. Tum quia falsum est universaliter, quod ut existat simpliciter concretum, sufficit existere totum rectum simpliciter: quia in hoc concreto album, totum rectum simpliciter est subjectum, & tamen sine albedine, quæ importatur in obliquo, non habetur hoc concretum, ergo falsum est universaliter dum existit totum rectum simpliciter, jam haberi concretum. Tum quia non apparet qui distingui debeant concreta & denominata in præsenti, & quòd pro priori, necesse sit, ut existant omnia inclusa formaliter; non

sit

sit autem necesse existere, ut habeatur denominatum; nec apparet hoc, quod est esse domum antiquam cur sit denominatum, & non concretum ex domo & antiquitate. Tum quia ad præsens reflectendo mentem, non est ratio cur species consecratæ non sint concretum, sed illud denominatum, quod potest actu haberi, etiamsi consecratio actu non existat. *His positis*

INFERT Primò. Eucharistiam existere formaliter de præsenti, quia totum rectum simpliciter existit, nempe Corpus & Sanguis Domini, & per alios etiam species.

CONTRA. Quia non sufficit universaliter existere solum rectum ut dictum supra, cur ergo hic sufficiet. Deinde sine hoc quòd sint verba, non potest intelligi hoc Sacramentum, & illis positis cum reliquis erit hoc Sacramentum, cur ergo verba non debebunt esse pars, pars autem esse non possunt, quia non sunt quid permanens.

INFERT Secundò. Verba non includi in recto sed in obliquo, non tamen tanquam ultimam actualitatem denominationis Sacramenti.

CONTRA. Quia & non essent in principiis Perez verba ultima actualitas, quia sunt quid successivum, & essent, quia si unio albedinis prout condistincta ab albedine, est ultima actualitas albi, si cognitio, est ultima actualitas cogniti, cur Sacramenti in quantum dicit species consecratas, non erit ultima actualitas consecratio, si autem consecratæ species sunt pars, cur forma constituens consecratas species, non erit pars.

INFERT Tertiò. Ultimam actualitatem Sacramenti Eucharistiæ in ratione Sacramenti esse præsentem.

CONTRA. Quia non dat rationem cur hæc ultima actualitas specierum consecratarum, non sit consecratio adeoque verba? & si hoc non obstante quod Eucharistia sit Sacramentum permanens, tamen species consecratæ sunt partes illius, ergo idem dicendum de consecratione seu verbis, tanquam forma specierum consecratarum.

DIFFICULTAS IV.

An potestas Sacerdotalis, & actio transubstantiativa, sint partes compositivæ hujus Sacramenti.

Quod attinet ad primum.

Lugo cum docuisset disp. 1. num. 92. potestatem Sacerdotalem, in aliis Sacramentis v. g. Pœnitentiæ, & extremæ unctionis, componere saltem in obliquo illa Sacramenta, negat id de Sacramento Eucharistiæ.

ASSERO Primò. *In aliis Sacramentis potestatem Ministri non esse etiam in obliquo compositivam Sacramenti.*

RATIO prima est. Quia potestas Ministri, est quasi principium immediatum agendi, sed principium immediatum agendi, non est compositivum intrinsecè etiam in obliquo sui effectus, aliàs idem saltem inadæquatè, causaret seipsum primò; ergo.

RATIO secunda est. Qui potestas v. g. baptisandi, quæ singulis hominibus confertur, non est pars intrinseca baptismi, ergo nec potestas Sacerdotalis seu potestas ad aliquos nonnisi restricta, componet intrinsecè Sacramentum. Anteced. & simul consequentia probatur, quia illa potestas, si secundùm id quod in re spectetur, non aliud est quàm decretum divinum, & positio effectus, ad positionem actionis ab hoc agente, quod ipsum decretum, non componit intrinsecè Sacramentum, cum sit in re ipsemet Deus, effectus etiam est gratia, quæ non est pars Sacramenti, ergo & potestas in quantùm dicit effectum, non erit pars Sacramenti.

RESPONDEBIS. Potestatem illam non esse positionem effectûs, sed posse positionis effectus.

CONTRA est quia in re illud posse, non est quid superadditum; hoc enim est multiplicare entia sine necessitate, sed est in re Decretum Dei & effectus ad positam actionem ab hoc: & si esset superadditum non tamen componeret Sacramentum, quia Sacramentum est id, cujus est potestas, jam autem id cujus, seu ad quod est potestas, in aliis materiis non componitur potestate, seu principio sui.

RATIO Tertia est. Quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sic nec multiplicandæ exigentiæ alicujus sub diversis formalitatibus; sed posito quòd potestas illa requiratur per modum principii effectivi ut omnes consentiunt, nulla est necessitas dicendi quòd requiratur per modum principii intrinseci compositivi. Ergo

DICES primò ex Lugo. Sicut species panis non sufficienter significant Corpus Christi, nisi prout consecratæ, hoc est prout sunt species, super quas prolata sunt verba consecrationis; sic neque ipsa verba id significant sufficienter, nisi prout intelliguntur esse verba Sacerdotis ritè ordinati, nam eadem verba, dicta à Laico non significant sufficienter Corpus Christi, ergo ipsum Sacerdotium Ministri, debet etiam intrare ut pars saltem in obliquo, ad componendum intrinsecè hæc Sacramenta, quæ exigunt, nonnisi à Sacerdote conferri.

RESPONDETUR. Licet homo non possit intelligi existere vel potens existere nisi à Deo, nihilominus omnipotentia divina, non est pars existentiæ creatæ, ita quamvis non intelligantur illa

illa verba esse consecrativa, nisi proferantur à Sacerdote, adhuc non intelligetur potestas Sacerdotis, esse pars. Quod totum in hoc ulterius fundatur, quia potest aliquid non posse intelligi sine hoc, licèt illud sit nonnisi extrinsecum, intrinsecè requisitum.

Dices secundò cum eodem. Saltem in obliquo ista potestas intrare debet collationem Sacrmenti Pœnitentiæ, & extremæ unctionis, tanquam pars intrinsecè constitutiva. Quod ipsum probatur; nam manentibus omnibus aliis ut unctione, verbis, & aliis, si desit Sacerdotium in Ministro, non consistit Sacramentum, & tamen repugnat ut dentur omnia intrinseca componentia, & non detur illud totum, ergo si deest Sacramentum, deest ex defectu alicujus intrinseci, hoc autem non aliud est, quàm potestas Sacerdotalis; ergo hæc est aliquid intrinsecè compositivum, saltem in obliquo.

Respondetur. Primò hoc argumentum multum probabit, probabit enim quòd formalitas, vitalitatis, seu dependentiæ in esse, ab hoc principio intrinseco, si formalitas intrinseca compositiva, & non in ratione efficientis, siquidem omnibus aliis positis in actu & non posita dependentia à principio vitali, non erit actus vitalis, ergo apparet dependentiam ab illo principio, & acceptionem esse ab illo, esse partem intrinsecè compositivam, quod tamen ordinariè negatur, cum ordinariè doceatur, dependentiam à principio vitali, esse dependentiam in ordine efficientis, & non in ordine partis constitutivæ. Rursùs idem argumentum probaret quòd v. g. creatio, sit pars constitutiva creati, cum omnibus aliis positis & non posita dependentia in fieri, à solo immediatè Deo, illud non denominabitur creatum. Probaret item quòd causatio communis ad causationem creationis & eductionis, sit pars intrinseca creaturæ, siquidem hac non posita, nullo modo ponetur esse.

Respondetur secundò directè. Nego assumptum. Probationem illius claritatis causa distin. si desit Sacerdotium in Ministro non consistit Sacramentum ex defectu principii consimiliter ac deficit actus vitalis, &c. &c. Concedo aliunde defectu orto. Nego. Repetantur in simili supra allatæ responsiones, inter alias quòd sufficiat desinere aliquid intrinsecè requisitum.

Instabis ex eodem. Oleum benedictum, est materia extremæ unctionis, quo posito, negari non potest, quòd ipsa benedictio olei præterita, debeat intrare saltem in obliquo ad componendum illud Sacramentum, & sicut forma aquæ, pertinet ad materiam Sacramenti baptismi, sic benedictio peracta ad materiam extremæ unctionis, quia constituit materiam in ratione materiæ validæ, ergo etiam intrinsecè spectabit potestas Sacerdotalis, ad collationem Sacramentorum, quæ validè nonnisi à Sacerdotibus ministrantur.

Respondetur. Multos doctos negare, quod benedictio olei ingrediatur materiam Sacramenti confirmationis, ita Suarez Scotas Paludanus Capreolus Cajetanus & alii apud Amicum, quibus etiam consentit Valentia apud Amicum disp. 13. num. 17. In nostris etiam principiis sufficit ut illa sit quid extrinsecum intrinsecè requisitum, quod etiam dicitur de illa potestate. Disparitas etiam dari potest quod illa benedictio accedat ad conditionem formæ cujusdam moralis, adeoque habet jam rationem constitutivi moraliter, jam autem potestas Sacerdotalis, accedit maximè, & habet rationem efficientis, consequenter non habet rationem partis compositivæ.

Dices tertiò. In oppositum esse Decretum Eugenii in quo præter materiam & formam, ad confectionem Sacramenti requirit Ministri intentionem, in Ministro autem includuntur omnia, quæ ex parte Ministri requiruntur, inter quæ est potestas sacerdotalis.

Respondetur ad hoc argumentum, ubi ego de intentione in materia de Sacramentis in communi.

Assero Secundò. *Posito quod in aliis Sacramentis potestas Ministri foret pars componens Sacramentum, nonnisi à Sacerdote conferibile, etiam eadem potestas, saltem in obliquo componeret Eucharistiam.* Est assertum contra Lugo disp. 1. num. 92.

Ratio asserti est à pari. Quia scilicet non est major ratio de uno Sacramento quam de alio, & quæ ratio probat componi intrinsecè pœnitentiam pac potestate, probat etiam componi Eucharistiam.

Respondet Lugo; quando deficiente potestate sacerdotali deficit Sacramentum Eucharistiæ, non deficit immediatè ex solo defectu potestatis Sacerdotalis, sed ex defectu immediatæ alicujus rei intrinsecæ, nempe corporis Christi sub speciebus.

Contra est. Tum quia si quæratur; cur deficiat illud intrinsecum quod est corpus Christi, etiamsi sint à Laico prolata verba; defectus ille ultimo resolvi debet; in defectum potestatis; ergo & positio Sacramenti, ultimò resolvi debet, in potestatem sacerdotis, sed in aliis Sacramentis resolvitur positio Sacramenti in potestatem tanquam in aliquid componens intrinsecè, ergo & hic. Tum quia ponamus quòd positis verbis laici ponat Deus corpus Christi, eo casu non foret idem & tale Sacramentum quale nunc est, hoc enim quod nunc est, necessario ex suppositione decreti divini, requirit potestatem in consecrante, & tamen tunc defectus præsentis Sacramenti, non oritur ex defectu corporis Christi, sed ex defectu solius potestatis, ergo & hic idem dicendum. Tum quia etiam in reliquis

quis Sacramentis dici poterit immediatè invaliditatem Sacramenti, non oriri ex defectu poteſtatis, ſed immediatè ex defectu formæ ſignificantis ſacramentaliter, quæ tunc formaliter ſacramentaliter non ſignificaret. Et certè Pœnitentiæ Sacramentum, deficit à ratione Sacramenti, Laico proferente formam, quia ſcilicet non ponitur forma ſignificans formaliter ſacramentaliter. Ergo etiam & Euchariſtiæ Sacramentum deficiet ex eo, quia laicus proferret formam. Et ſicut illic adhuc poteſtas, eſt pars intrinſeca in obliquo importata, ita & hîc.

ASSERO Tertiò. *In omnibus Sacramenti poteſtatem Miniſtri eſſe aliquid tenens ſe ex parte principii effectivi.*

RATIO colligi debet ex dictis pro aſſerto primo.

QUOAD Secundum. *Vtrum actio tranſubſtantiativa, pertineat intrinſecè ad Sacramentum Euchariſtiæ?*

ASSERO Primò. *Accipiendo tranſubſtantiationem pro actione, qua ſubſtantia panis, convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, in eo ſenſu tranſubſtantiatio, non componit intrinſecè Euchariſtiam.*

RATIO. Quia tranſubſtantiatio in hoc ſenſu, eſt actio agentis, actio autem agentis, non componit intrinſecè effectum, ſed producit; & ſicut in converſione naturali ligni in ignem, converſio illa non ſe habet per modum intrinſecè componentis, ita neque tranſubſtantiatio, habebit ſe per modum intrinſecè componentis.

ASSERO Secundò. *Accipiendo tranſubſtantiationem pro termino ſeu tranſubſtantiatione ut quod, ſic tranſubſtantiatio eſt pars intrinſeca, immò totum intrinſecum Euchariſtiæ, non ſumpti ſecundùm ſpecies.*

RATIO eſt: quia illa tranſubſtantiatio ut quod ſpectata, eſt ipſum corpus Chriſti, & ſanguis, latens ſub ſpeciebus, dum ſubſtantia panis convertitur in corpus Chriſti, hoc autem eſt ipſum totum Sacramenti.

ASSERO Tertiò. *Indubiè tranſubſtantiatio pro actione ſumpta erit extrinſecum intrinſecè requiſitum.*

RATIO petatur ex dictis ſupra.

DIFFICULTAS V.

Vtrum uſus pertineat intrinſecè ad compoſitionem hujus Sacramenti?

DICENDUM eſt. *Vſum non pertinere ad compoſitionem hujus Sacramenti.* Eſt aſſertum partim contra Hæreticos qui docent ante uſum non contineri in Euchariſtia corpus Chriſti, partim contra Catholicos Aureolum ſcilicet & Gabrielem qui docent ſumptionem, eſſe aliquid intrinſecè pertinens ad Sacramentum. Ex quibus Aureolus uſum vult eſſe partem Euchariſtiæ, Gabriel autem uſum vocat Sacramentum diverſum.

RATIO aſſerti nonniſi ab auctoritate Conciliorum habetur Florentini ſcilicet & Tridentini Seſs. 13. can. 4. quod Euchariſtiam ante uſum abſolutè appellat Sacramentum; & Florentinum particulariter dicit verbis conſecrationis confici Euchariſtiam.

Ex quibus fundamentis ſic formari poteſt argumentum. Impoſſibile eſſe rem conſtantem partibus, ſine poſitione partium ſuarum intrinſecarum, & eſſet enim ſine illis & non eſſet: eſſet quidem ut ſupponitur, non eſſet autem, quia totum nihil aliud eſt quam partes vel pullulans ex illis ut volunt Scotiſtæ. Poſſibile autem eſt, eſſe Euchariſtiam Sacramentum, ante uſum, cum de facto ex Conciliis, ſit Sacramentum, ante uſum; ergo uſus, non eſt illius pars intrinſeca componens.

Ex illa auctoritate Florentini ſic ulterius formari poteſt argumentum. Vel conſecratio conficiens Sacramentum ponit illud ſine partibus intrinſecis, vel cum partibus intrinſecis, ſi ſine partibus intrinſecis, ergo poteſt aliquid produci, quin partus illius producantur; ſi autem producitur cum partibus intrinſecis, ergo uſus ejus non eſt pars intrinſeca, hic enim non producitur in conſectione Sacramenti.

RESPONDEBIS primò. Uſum non eſſe partem eſſentialem, eſſe tamen partem integralem Euchariſtiæ, nec ſe habere ita in compoſito Sacramentali, ut ſe habet corpus & anima in compoſito humano, ſed ut ſe habet digitus vel manus, vel ut ſe habet ſatisfactio, in Sacramento Pœnitentiæ.

CONTRA eſt primò. Quia jam hæc reſponſio non accipit verba Conciliorum ſimpliciter, & cum dicat Concilium, eſſe hoc Sacramentum ante uſum, reſtringit reſponſio, quòd non ſit ante uſum, ſecundùm partes ſuas integrales.

CONTRA eſt ſecundò. Quia hoc ipſum arbitrariè dicitur, quòd ſcilicet uſus ſit pars integralis Sacramenti permanentis, nec debemus adſtruere arbitrariè partes Sacramentorum etiam integrantes, niſi ex doctrina Eccleſiæ, interpretantis nobis, quidnam voluerit Deus eſſe partem alicujus Sacramenti; Habetur autem doctrina Eccleſiæ, quòd ſatisfactio ſit pars integralis, non habetur id de uſu Euchariſtiæ.

CONTRA tertiò. Quia diſparitatem aſſignat Lugo de ſatisfactione, cur illa poſſit eſſe pars integrativa Sacramenti Pœnitentiæ & uſus non poſſit eſſe pars integrativa Sacramenti Euchariſtiæ. Quia ſcilicet uſus, non tantùm eſſet pars integrans ſed deberet eſſe pars eſſentialis. Quòd enim ſatisfactio ſit pars integralis inde pro-

proficiscitur, quia præsupponit à Sacramento pœnitentiæ de facto causatam gratiam, consequenter supponit vim eam causandi, ante sui positionem: si verò usus requireretur ad Eucharistiam tanquam pars, ita requireretur, ut sine illo Eucharistia non causaret gratiam, consequenter non requireretur tanquam pars integralis, sed tanquam pars essentialis. Deinde licet sine usu sui, Sacramentum non causet gratiam, nihilominus ex eo non infertur requiri essentialiter usum vel integraliter, ad Eucharistiæ Sacramentum; cum sufficiat illum requiri per modum conditionis & applicationis.

Respondebis Secundò. Usum in Eucharistia, habere rationem partis in obliquo importabilis, consequenter dari ante usum Eucharistiam, secundùm id quod dicit in recto, licet non detur secundùm id, quod dicit in obliquo.

Contra est. Quia indeterminatè & absolutè enuntiant Concilia, quòd detur Eucharistiæ Sacramentum post consecrationem, ante sui usum. Deinde licet aliquid esse possit pars importata in obliquo, sicut v.g. in hoc concreto album, pars etiam est albedo importata in obliquo, sed hoc fieri non potest, ut sit aliquid pars alicujus, & non detur, quamvis illud dicatur absolutè dari: cùm autem dicatur absolutè dari ante usum, Sacramentum Eucharistiæ, & non detur usus, quomodo ille usus potest esse pars, quantumvis nonnisi in obliquo importata.

Respondebis Tertiò. Quòd Sacramentum Eucharistiæ non componatur usu, sed quòd constituat Sacramentum diversum.

Contra est. Tum quia nemo unquam Patrum usum Eucharistiæ, dixit esse Sacramentum, diversum ab ipso Sacramento Eucharistiæ; in rebus autem fidei, vel ipsa negatio, quòd hoc non docuerint Patres, momentum habet. Tum quia sequitur jam plura esse Sacramenta quàm septem, contra decisionem Ecclesiæ; dicere autem quod ille usus revocetur ad Eucharistiæ Sacramentum, constituatque unum cum illa Sacramentum per attributionem & ordinem, sicut species constituunt unum Sacramentum cum corpore Christi id dictum est arbitrariè. Nec valet instantia adlata, quia una species, non est Sacramentum diversum, sed nonnisi pars totius Sacramenti, jam autem Soto, docet usum esse Sacramentum diversum. Tum quia cum Eucharistia non causet diversam gratiam ab usu, non possunt inter se in ratione Sacramenti diversificari, nam non possunt diversificari in ratione causantis gratiam, quod tamen spectat ad conditionem Sacramenti.

Dices Primò. Usus Eucharistiæ est signum sensibile, constitutum à Christo, & simul est causativum infallibiliter gratiæ quantùm est ex illo, propter Christi promissum: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; ergo usus est Sacramentum, non aliud autem quam Eucharistia, ergo si non sit totaliter Eucharistia, vel simpliciter ab illa distincta, erit pars Eucharistiæ.

Responsio est communis, quòd scilicet usus in Sacramento Eucharistiæ, sit causativus gratiæ, per modum applicationis seu conditionis sine qua non, non autem per modum principii per se influentis. Quodsi quæras cum requiratur usus, ut conferatur gratia Eucharistica, unde colligatur, quòd requiratur nonnisi per modum conditionis? dici potest, quod id colligatur ex fundamento, ex quo colligit Ecclesia Eucharistiam, esse Sacramentum permanens, & ante usum.

Instabis Primò in aliis Sacramentis usus est pars illius. Ergo & in Sacramento Eucharistiæ. Antecedens probatur. Quia v.g. in Sacramento baptismi materia remota est aqua, proxima autem est ablutio, quæ non aliud est nisi usus illius materiæ. Rursus in extrema unctione materia remota est oleum benedictum, proxima autem est ipsa unctio; ergo & in Sacramento Eucharistiæ, usus erit pars ejusdem.

Respondetur. Negando Consequentiam. Disparitas est, quia docet Ecclesia unctionem & ablutionem, esse materiam Sacramenti, consequenter partem, non docet autem id de usu Eucharistiæ, imò docet ante usum, esse jam hoc Sacramentum. Ulterior autem ratio est, quia si dicatur usum esse partem, sequitur absurdum, quod adferendo rationem pro asserto attigimus, nullum autem est absurdum, si usus aquæ & olei dicantur esse quid constituens baptismum & extremam unctionem; nec inde sequetur, quod detur vel causetur aliquod totum, non datis seu non causatis sui partibus, ut hîc sequeretur. Addo. Præ oculis habendum esse, ex quibus verbis collegerit Ecclesia, Eucharistiam esse Sacramentum permanens, cujus principale fundamentum fuit, ipsa verba: Hoc est corpus meum, collecta autem permanentia Sacramenti Eucharistiæ, benè inferri potest, usum non esse partem Eucharistiæ.

Instabis Secundò. Sicut Eucharistia est instituta per modum spiritualis refectionis, ita extrema unctio est instituta per modum medicinæ spiritualis; & sicut in naturalibus usus cibi seu manducatio non nutrit, sed ipse cibus, ita applicatio medicinæ non sanat, sed ipsa medicina; Ergo si non rectè colligitur ex eo, quòd applicatio medicinæ non sanat, non rectè inquam colligitur, quòd applicatio olei benedicti non sanet spiritualiter, seu non sit pars Sacramenti, ita nec in Eucharistia rectè colligetur, usum non esse partem, quia manducatio in naturalibus, non est pars refectionis.

R. P. TH. ME ziaTOM. Tom. 3.e D. V. 6

Respondetur. Suppositâ collectione, quâ colligit Ecclesia ex illis verbis: Hoc est corpus meum, item: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita &c. Suppositâ inquam hac collectione, quâ colligit Ecclesia, hoc Sacramentum esse permanens, bene postea colligit ex proportione cum usu cibi corporalis, qui non est pars refectionis etiam usum Eucharistiæ, non esse partem refectionis spiritualis: quia verò Ecclesia de extrema unctione, nec ex Scriptura nec ex traditione colligit, illam esse Sacramentum permanens, ex sola proportione illius ad medicinam corporalem, non potuit colligere usum illum, non esse partem unctionis, sicut usus medicinæ non est pars medicinæ.

Dices Secundò. Mutatio conditionis, non potest mutare ipsam causam, & sic sive sit applicatio ab angelo sive ab homine ad igniendum, ignitio non mutatur, sive item sit applicatio modus, sive formalitas, sive quid naturale, sive supernaturale, eodem modo se agens habet, ergo etiam si usus Eucharistiæ, est sola conditio, quocunque modo quis utatur Eucharistia, modo illa utatur, causabitur gratia ab illa, hoc autem dici non potest: ponamus enim v g. penetrari Eucharisticas species cum carne humana & poni in stomacho, ponamus miraculosè sine ulla penetratione idem fieri, non percipietur tunc gratia Sacramentalis.

Respondet Primò Lugo concedendo causandam tunc gratiam: sed hæc responsio difficultatem patitur ex Scriptura, quia expressè manducatio requiritur ad hujus Sacramenti gratiam: Nisi, inquit, manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis: item: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; intelligere enim hoc de solo præcepto manducandi, dum urget obligatio, est arbitrariè dictum, & ly manducare simpliciter non accipietur. Neque valet si dicas, casu quo cibus corporalis in stomacho poneretur sine manducatione, haberet eundem effectum, atque si poneretur cum manducatione; & de ligno vitæ dici potuisset, qui comedit ex hac arbore vivet, quæ propositio vera foret, quamvis ligni vitæ fructus, in stomacho, sine manducatione positus fuisset; quòd si sine manducatione, cibus corporalis, positus in stomacho, causat refectionem corporalem, cur non etiam similiter posita Eucharistia, causabit refectionem spiritualem? Non inquam valet si id dicas, quia quamvis inter refectionem spiritualem & corporalem sit aliqua proportio, non tamen similitudo in omnibus; quòd autem in hoc puncto similitudo non teneat, fundamentum est, quia ex una parte poterat Christus instituere Sacramenti manducationem naturalem, ita eam deposcendo & simul decernendo, quòd non esset concursurus ad productionem gratiæ, huic Sacramento debitæ, nisi positâ manducatione; quòd autem de facto decreverit, ita ostendunt locutiones Scripturæ præcitatæ, quæ simpliciter & ut sonat terminus *Manducare* accipi non possunt, concessa sequela.

Respondetur Secundò cum Suarez negando sequel. pro cujus defensione. Noto duplices esse conditiones: quasdam meras accidentales, quarum mutatio non mutat vel causam vel effectum: & alia est conditio essentialis & necessaria sit v.g. existentia sub conceptu existentiæ, est nonnisi conditio agendi, & tamen est essentialis. Rursus indistantia actionis ab effectu, est nonnisi conditio sine qua non, & tamen essentialis & non supplebilis à Deo, ut dixi in materia de actione indistans; è contra transmissio virtutis per medium, est conditio accidentalis, rursus applicatio ab agente virtutis, est item conditio accidentalis. Manducatio autem est conditio essentialis, ex suppositione decreti divini, manifestati illis verbis: Nisi manducaveritis. Quòdsi alicubi legitur historia, de miraculosa in stomachum hostiæ repositione, in circumstantia desiderii communicandi, id tribuendum est, dispensationi divinæ & ordini speciali, sicut ex dispensatione multi dicunt sub initium Ecclesiæ valuisse baptismum, in nomine Christi.

Rationes Recentiorum.

Dices Tertiò. Cum Di Cast. disp. 2. n. 37. qui docet non tantùm connotativè spectare ad essentiam Sacramenti sumptionem, sed etiam completivè. Eucharistia in quantùm sacrificium, licet essentialiter consistat in consecratione, tamen multi docent etiam sumptionem pertinere ad substantiale sacrificii complementum, cum illud sacrificium ordinetur ad spiritualem refectionem, refectio autem substantialiter completur usu.

Respondetur. Si per completivè spectare intelligatur, nonnisi connotativè spectare, vera est assumptio, sed si plus, neganda est, nam completivè spectare præter connotativum spectare, non aliud est, nisi integraliter vel essentialiter per modum partis spectare, & tamen ex dictis nec essentialiter nec integraliter componit Eucharistiam usus, ideò nec spectabit completivè. Instantia adlata de sacrificio eandem difficultatem habet cum Sacramento, nam si essentia sacrificii stat in consecratione, quæ antecedenter completur ante usum, usus non erit jam, nisi connotatum essentiale: si autem quis ponat eam sumptione compleri, dicet quòd solâ consecratione nondum sit completum & perfectum sacrificium, & quod ante usum, non sit sacrificium nisi partialiter, non potest autem secundum phrasin Tridentini dici, quod ante usum, sit nonnisi partialiter Eucharistiæ Sacramentum.

Instat

Instat Primò. Licèt ante satisfactionem sit essentialiter completum pœnitentiæ Sacramentum, nihilominus satisfactio est pars integralis; ergo & in præsenti idem dicendum.

Respondetur. Disparitatem esse, quia casum antecedentis docet sacra doctrina, non docet casum consequentis & enuntiat sine ulla restringente particula, quòd ante usum sit jam Sacramentum Eucharistiæ, enuntians autem de Sacramento pœnitentiæ semper restringit, requirendo etiam satisfactionem. Posset etiam disparitas dari; quòd pœnitentiæ Sacramentum est institutum per modum judicii decisivi, circa causam animæ, ut quod hîc solutum fuerit, sit solutum & in cœlis, quod judicium, sicut & alia judicia, censentur compleri præstita satisfactione, cùm hanc, intendat judicium. Jam autem Eucharistiæ Sacramentum, est institutum per modum cibi, est autem cibus completus ante sumptionem, imò non sumitur nisi completus, hinc ipsa sumptio, est extra essentiam cibi, cum etiam sine sumptione appelletur cibus.

Instat Secundò. Illud in negotio Sacramenti pertinet ad rationem Sacramenti aliquo modo, quod ex vi institutionis Christi fuit institutum, ad significandam rem sacram sanctificantem nos, sed eo ipso quòd Christus instituit hoc Sacramentum per modum cibi & potus, ut significaret refectionem animæ, censetur instituisse ut non cibus ipse, sed media cibatione reficeret; Ergo ex vi institutionis, ipsa cibatio habet significationem, in ordine ad sanctificandam animam.

Respondetur. Concedo totum, quia nihil agitur de completione essentiali vel integrali per cibationem. Potest etiam distingui Minor. Instituit Christus ut media cibatione, tanquam applicatione reficeret Eucharistia. Concedo minorem; instituit ut media cibatione, habente rationem, plus, quàm applicativi reficeret Eucharistia nego minorem, distinctoque consequenti nego consequentiam.

Instat Tertiò idem. Hoc ipso, quia se habet per modum applicationis usus, infertur usum pertinere ad complementum essentiæ hujus Sacramenti, nam Sacramentum ut actu nutriens, applicationem involvit in suo conceptu, habetque ex vi institutionis, suam significationem usus, nec se habet per modum applicationis ignis ad lignum, sed quantùm ad modum est vitalis operatio, & hæc, ratione potandi & sumendi Eucharistiam, habet suam significationem, refectionis scilicet actualis.

Respondetur. Si consentit Di. Cast. quòd iste usus habet se per modum applicationis & conditionis, cur non in hoc, de quo est lis, habebit se per modum applicationis ignis ad lignum, & si se habet per modum applicationis, non spectabit ad essentiam completivè, sed completam essentiam applicabit, Sacramentumque actu nutriens involvit applicationem, sed non per modum partis, cibus enim est, qui nutrit, non ejus applicatio, cibus enim transit in substantiam aliti, licèt applicatus, non ejus applicatio, ususque non habet significationem sed applicationem significationis, nec habet significationem refectionis actualis, sed tantùm applicationem significativi & causativi refectionis actualis, quia hæc non applicationi tanquam nutritivo & refectivo, sed Eucharistiæ debetur. Quamvis autem illa sumptio sit actio vitalis, nihil vetat, ut cum applicatione ignis ad lignum, in ratione conditionis conveniat. Consulantur dicta de fide, ubi actum an Auctoritas Ecclesiæ, itemque utrum dictio passiva, sit motivum Formale Fidei.

QUÆSTIO II.

De Materia Eucharistiæ.

Materia, ex qua conficitur Eucharistia, est panis triticeus. Sed missis his, quæ spectant ad moralia, *sit*

DIFFICVLTAS I.

De Quantitate Materiæ Consecrabilis & contentivæ Corporis Christi.

Dictum in Physicis, quòd formæ, quæ requirunt certam Corporum organisationem, determinent sibi minimum materiæ; formæ autem, quæ non requirunt certam organisationem, quamvis non determinent sibi certam materiæ portionem, quantum est ex illis; determinant tamen illam sibi, ratione quantitatis, si ex Minimis componitur, & in cujus minimi medietate dictum est non posse contineri quantitatem: quia verò formæ omnes pro dispositione requirunt quantitatem, fit ut naturaliter in medio minimi stare non possint: quia tamen hæc requisitio quantitatis pro dispositione non est essentialis, adhuc in medio minimi, conservari poterit divinitus forma. *His præsuppositis*

Quæritur. *An dimidium Minimi possit esse materia Eucharistiæ?*

Assero Primò. *Supposito quòd naturaliter in dimidio minimi forma panis conservari non possit, sequitur non posse consecrari illud dimidium minimi.*

Ratio: Quia consecrari non potest, quod non est panis, dimidium autem minimi ex suppositis, non potest esse panis.

Assero Secundò. *Casu quo divinitùs in dimidio minimi separato conservaretur forma panis, necdum fieret consecratio.*

Ratio : Quia materia consecrabilis debet esse sensibilis humano modo, cum ipsum Sacramentum sit signum sensibile, jam autem tunc, non esset sensibilis panis , quia sensibilitatis fundamentum , est quantitas, quæ tunc non esset ; in favorem hujus asserti vide Lugo d. 4. n. 94.

Dices Primò. Potest Deus miraculosè ponere quantitatem in angelo, cur non poterit saltem divinitus conservare eandem in dimidio minimi.

Respondetur. Conservare quidem illam poterit, sed non ita, ut evadat illud minimum quantum, sicut nec quantitas posita in angelo reddet angelum quantum; quodsi non reddet illud dimidium minimi quantum, nec reddet sensibile, quia sensibilitatis fundamentum est quantum ; si autem non redderet sensibile, nec redderet consecrabile, ut dictum. Procedit autem responsio de eo quod fieret naturaliter.

Dices Secundò. In illo dimidio minimi, dum est unitum reliquis partibus, verè perficitur consecratio : ergo etiam perficietur in separatim posito dimidio.

Respondetur. Negando Consequentiam : quia separatim positum dimidium non est quantum, consequenter nec sensibile, adeoque nec consecrabile, jam autem dimidium illud unitum, est quantum, & sensibile.

Dices Tertiò. Ponamus dimidium hostiæ consecrari, & dimidium non consecrari ; ponamus rursus ità divinitus dividi hostiam, ut dimidium minimi in ante consecrati, adhæreat parti non consecratæ, vel in illo dimidio minimi perseverabit Corpus Christi, vel non perseverabit : si perseverabit : ergo & poterit consecrari : si autem non perseverabit : ergo nec perseveraret substantia panis, nam corpus Christi succedit plenè in locum substantiæ panis : supponitur autem quòd perseveret adhuc tunc substantia panis, in illo dimidio unito reliquis minimis.

Respondetur. In tali dimidio minimi non conservandum corpus Christi, quia illud in se spectatum non est sensibile, adeoque nec conservativum corporis Christi ; quòd autem sit sensibile ratione alius minimi, cui jungitur, non refert, quia continentia corporis Christi, non spectatur penes partes non consecratas : hæc enim ad illam sensibilitatem, perinde se habent, ac si non essent ; sed spectatur penes sensibilitatem ejus, supra quod cadit consecratio ; & sicut non concessis minimis quantitatis, si adhæreat non consecratis partibus, pars non sensibilis humano modo, non continebit corpus Christi ; ita nec in præsenti.

Instabis. Corpus Christi, succedit in locum substantiæ panis, sed in tali dimidio minimi conjuncti , contineretur substantia panis ; ergo & corpus Christi continebitur.

Respondetur. Corpus Christi succedit in locum substantiæ panis in speciebus, quæ in se sint sensibiles humano modo, quæ sensibilitas in dicto casu, non habetur.

Assero Tertiò. *In dimidio Minimi separati, non posse conservari corpus Christi sine novo miraculo.*

Ratio : Quia tantùm in eo petit conservari sine novo miraculo corpus Christi in quo petiisset conservari forma panis, sed forma panis in dimidio minimi non petiisset conservari, quia hæc petit pro sui dispositione quantitatem, hæc autem servari non potest , nec reddere, quantum, dimidium minimi. Deinde quia corrupto subjecto accidentium, non potest jam sine novo miraculo conservari Eucharistia , petit enim conservari sub speciebus, sed in dimidio minimi corrumpitur subjectum accidentium, nempe quantitas ; ergo

Assero Quartò. *Dimidium minimi separatum & cum novo miraculo potest conservare corpus Christi.*

Ratio : Quia id non implicat, nec essentiale est conservari corpori Christi sensibiliter.

Assero Quintò. *Dimidium illud non continere Christum Sacramentaliter.*

Ratio : Quia de essentia Sacramenti est esse signum humanum ; si signum, ergo sensibile humano modo ; tale autem non est illud dimidium.

Dices, Tridentinum docere Sess. 13. cap. 3. Sub quavis parte separata manere totum Christum, cui definitioni non conveniunt asserta præsentia.

Respondetur. Doctrinam Tridentini procedere de separabilitate , quæ sit in potestate humana ; jam autem separatio usque ad dimidium minimi, non est in potestate humana, imò nec ulla creatura, quia non est in potestate creata exquantificare.

DIFFICULTAS II.

De Materia Mistionis aquæ cum Vino.

QVod vinum consecrandum aquâ misceri debeat, determinavit Florent. & Trident. Sess. 22. cap. 7. quæ declaratio Conciliorum fundatur in facto ipsius Christi. Quòd autem Christus miscuerit aquam vino, docent antiquæ Sanctorum Liturgiæ, ut Jacobi, Marci, Basilii & aliorum. Sed in hoc est punctum difficultatis in præsenti ; an antequam fiat conversio vini in Sanguinem CHRISTI, aquâ prius converti debeat

debeat in vinum; affirmant Thomistæ, & ex nostris Suar. Vasq. disp. 16. Sect. 2. & Pontius spectata authoritate. Negativam autem ex nostris tuetur Coning. q. 74. a. 8. dubio unico. Lugo disp. 4. Sect. 2. qui plures citat, inter quos Cardinalem Baronium, & Cardinalem Toletum. Negatque Pontius attendendo ad rationem, ut videre est apud eundem q. 44. n. 27.

Pro utriusque partis notitia discutiendum est; An vinum habeat vim convertendi in se aquam, dum est extra vitem. Affirmativam tenent Thomistæ & eorum Sequaces. Negativam autem Coning, Lugo, Pontius. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

An Vinum habeat vim convertendi in se aquam?

Pensandæ sunt rationes utriusque partis.

Rationes Affirmantium.

Ratio Prima. Authoritas Aristot. lib. 1. de generatione. textu 89.

Responderi potest, quòd Aristoteles illo loco agnoscat quidem guttam vini admistam magnæ quantitati aquæ, converti in aquam, sed non è converso: mala enim est ista universaliter argumentatio; hoc potest converti in illud, ergo & illud in hoc; & ratio est; quia quamvis vinum sit magis activum quàm aqua; quia tamen non multum est resistivum, hinc etiam evaporare potest & aquæ fieri, ideo aqua facilius illud in se convertere poterit: è contra aqua est quidem non ita activa, quia tamen est plurimum resistiva, fit ut in vinum converti non possit. Rursùs Chymici educere possunt, si non ex omnibus, saltem ex plerisque vinis aquam, si ergo illam non potuit convertere in se in vite, multo minus convertere poterit extra vitem; denique ex una parte, aquæ multæ immistum vinum non sentitur; est ergo pro conversione suadenda, sensus: ex alia parte non apparet, quî aqua amittat vim hanc convertendi; videtur autem vinum extra vitem, non habere vim convertendi in se aquam, nam vitis vegetatur, adeoque habet vim, per introsusceptionem augmentandi se, & in se convertendi: quia verò extra vitem vinum non vegetatur, præsumendum est, quòd non habeat hanc vim; quòd autem habeat duplicem vim vertendi in se & vegetativis & non vegetativis debitam, nullum est fundamentum, imò est multiplicare entia sine necessitate, præcipuè cum non videamus etiam aliis provisam duplicem hanc vim.

Ratio secunda est. Quia potest agere vinum in aquam, ergo & convertere illud in se.

Responderi potest, & antecedens esse dubium & falsam Consequentiam; antecedens quidem est dubium, quia actio illa deberet fieri per ordinem ad destruendum temperamentum; temperamentum autem aquæ, est frigus & humiditas, quod utrumque temperamentum, quia est requisitum ad formam vini, non apparet quî illas qualitates corrumpat; sed quidquid sit de antecedente, adhuc consequentia est falsa: quia non omnia, in quæ fit actio, possunt converti, quod sæpius inculcato exemplo cinerum illustrat Coning, in quos agit ignis, non tamen eos in se convertit; dici etiam potest ex dictis, quòd vinum possit agere in aquam in vite, non alibi.

Ratio tertia est. Quia quamvis v. g. Sanguis separatus non haberet vim convertendi in se guttam aquæ sibi immistam, quod ipsum dubium est, tamen eo concesso, posset habere illam vim vinum, à vite separatum; cujus ratio est; quia cum Sanguis extra corpus existens, petat naturaliter corrumpi, non debuit habere vim agendi in extrinseca, adeoque in admista sibi; alioqui etiam extra Corpus, posset sese naturaliter conservare, cum tamen per experientiam constet, quod extra venas corrumpatur & in pus vertatur; at verò vinum extra vitem positum, cum non corrumpatur sed permaneat, & perficiatur, debuit habere à natura virtutem, non tantum conservativam sui, per resistentiam contrariis, sed & suarum qualitatum inductivam.

Responderi potest Argumentum multis ex partibus non concludere; nam imprimis pro universali principio assumi non potest; hæc res perficitur non conjuncta huic. Ergo habet vim convertendi alia in se; nam v. g. poma debitè collecta, perficiuntur postea, & maturescunt, & tamen quis dicet, illa habere vim convertendi in se alia; quodsi dicas, perfectionem illam quam acquirunt poma, non esse per acquisitionem, sed per deperditionem officientium temperamento maturitatis: sic etiam dicâ perfici vinum per expulsionem, & per deperditionem introsusceptæ fæcis, & similium. Rursùs licèt iis, quæ ipsius naturæ opere, extra suam radicem habent jus diutiùs existendi, possit dici, naturam providisse instrumenta, quibus sese defendant, & suas qualitates inducant; non tamen iis, quorum extra suam radicem permansio, artificio & excogitationi humanæ debetur: nam natura est obligata providere suis operibus, non operibus artis; item immeritò assumitur, quòd ea, quibus data est vis resistendi contrariis, data etiam sit vis consimiles qualitates inducendi; certè enim adamas habet vim resistendi igni & ferro, & tamen non habet vim inducendi suas qualitates in aliud; deniq; quamvis iis, quæ

non producuntur vitaliter, possit concedi separatis à sua radice, vis inducendi qualitates proprias, non tamen iis, quæ esse suum vitaliter acceperunt, ut vitaliter accepit vinum à vite, utpote, per nutritivam vitis, elaboratum. Disparitas est ipsâ inductio, & deinde quia iis, quæ vitaliter generantur, si debetur vis augmentandi sese, conveniret illam dari vitalem, hæc enim est proportionata; vis autem vitalis augmentat se per introsusceptionem, quæ non convenit vino, cum introsusceptio conveniat viventibus, vinum autem non vivit.

Argumenta Negantium.

Primum Argumentum est Authoritas Aristotelis 1. de generat. cap. 5. tex. 34. Ubi quærit Philosophus, cur in mistione utraque mistionis pars, & in nutritione nonnisi unum augeatur: & respondet, quia in nutritione perit alimentum, in mistione autem utraque substantia manet.

Respondetur: Philosophum loqui de mixtione antonomasticè dicta, in quâ magnæ quantitati unius, magna quantitas alius miscetur; non autem quando modicissima quantitas apponitur, quæ moraliter non censetur mistio; quod autem Philosophus loquatur de tali mistione, ex duplici capite colligi potest; imprimis quia inferius tex. 89. pro exemplo hujus mistionis ponit guttam vini, in denis millenis mensuris aquæ; deinde quia expressè eodem textu 34. addit, quod in mistione pars prævalens augeri dicitur, illaque nomen retinet, quo ex ipso contextu, apparet illum locutum esse, de istâ antonomasticon mistione, scilicet notabilis qualitatis unius, cum notabili quantitate alius.

Secundum Argumentum est. Quia Chymici experiuntur, se posse educere aquam immistam vino.

Responderi posset. Non educi guttam illam aquæ, si debito tempore & sufficienti ad conversionem misceatur, sed nonnisi humorem quendam serosum. Deinde illi ex quocunque corpore misto educunt salem & sulphur, neque tamen hæc præcontinentur in corporibus, sed nonnisi operatione artificiali generantur; ita dici posset illum humorem è vino eductum, non præcontineri, sed tunc in illa operatione generari, v.g. expulsione qualitatum & Spirituum vino debitorum; præcipuè cum ipsi Chymici asserant certo modo instituendi operationem, ut appellant, semper educi posse talem humorem.

Tertium Argumentum est, quo utitur Coning ab experientia, quia peritissimi fatentur corpora simplicia, qualis est aqua, non nutrire, cujus rationem omnes reddunt: quia non possunt immediatè simplicia converti in mista, ergo nec aqua poterit immediatè converti in vinum, præcipuè cùm vinum sit plenissimum calidissimis Spiritibus, qui nullo modo videntur posse gigni ex pura aqua.

Respondetur. Si simplicia non possunt immediatè converti inmista, saltem converti possunt mediatè, cur ergo saltem mediatè aqua non convertetur in vinum. Rursus vivunt plantæ, majori parte nonnisi aqua, ergo apparet aquam nutrire: Salamandra item, si verum est, igne nutritur.

Quartum Argumentum est, quo utitur Lugo; quantumvis ignis habeat activissimam potentiam, non tamen omnes partes ligni vel stuppæ convertit in ignem; cum ergo non omnes aquæ partes, habeant crassitiem requisitam ad formam vini, non posset saltem in omnes partes illam inducere, de quibus idem ac de gutta quæri posset: an convertantur in sanguinem.

Respondetur. Igne non convertente in se omnes partes ligni, adhuc verum est dicere, quòd ignis convertat in se lignum; ergo etiam ad intentum, verum erit dicere, quòd vinum convertat in se aquam. Deinde sunt aliqua, quæ simpliciter convertuntur in ignem, ut oleum pulvis pyrius, unde ergo conjicietur, quod aqua respectu vini, non ita se habeat.

Instabis. Etiam in vite non convertitur simpliciter aqua in vinum; quia multa convertuntur in foliculos, vimen &c. & ignis non convertit in se cineres.

Responderi posset. Sufficit ad intentum, sic converti aquam in vinum, ut convertitur in vite; deinde quod attinet ad instantiam de igne, quòd hoc non convertat in se aliud, non arguit, si cætera non sint paria, ut aliud etiam non convertat illud in se: nam cucumeres digerit ventriculus, fertur autem, quòd ignis illos non consumat ordinariè, etiamsi ordinarius ignis magis sit ustivus, quàm calefaciat calor ventriculi; disparitas etiam posset dari de igne, petita ex providentia naturæ: quia cum ignis plura habeat quibus se servet, non debebat illi provideri singulorum totalis conversio, cum autem pauciissimis augeatur sicut vitis, ita & vinum potius expetunt à naturâ, provideri sibi totalem conversionem, quæ eo promptius fit, quo plures sunt consimiles qualitates in aquâ & vitis, quàm in aliis rebus consumibilibus igne; si enim etiam ignis incidat in consumibile valde sibi proportionatum, omnia in illo consumit, ut patet in pulvere pyrio, ita & faciet vinum. Quod autem attinet ad spiritus subtiles, quibus indiget vinum, ii in aquam induci possunt propter copiam eorundem in ipso vino; & si attritu possunt acquiri isti spiritus; si item obsistentia aliqua consimili, qualis est in anteperistasi, augeri possunt, sic etiam providere potuit natura similem vino activitatem: & sicut dum vitis fugit aquam & humorem ex terra, non deest illi vis, spiritus illos inducendi, sic nec deerit postea.

Quin-

Quintum Argumentum. Est quo utitur Coning: quia aqua est tenacissimæ naturæ, unde si illam conjicias in candentem ollam ferream, si vapores alembico excipias, totam omnino integram reperies.

Responderi Potest. Hanc experientiam & multum dicere & falli; multum quidem dicere, qui enim potest fieri, ut ignis activissimus & calor ille, nihil decerpserit sibi ex illa materia aquæ, ita quòd tota possit assurgere in alembicum; & prædicatum tenacitatis conversioni posset, cum etiam in vite eandem tenacitatem habeat. Fallit autem experientia, quia illa generatio humoris alembico extracti, non debet attribui assurgenti illuc aquæ, sed potius generationi ejusdem ex aëre, & exhalationibus sursum ascendentibus in aquam, postea resolutis; & certè si videmus, quòd aqua jusculo conficiendo ollæ immissa, non tota ascendit supra in cooperculum, sed vix aliquid illius; ita non debet dici quod infusa candenti ollæ tota sursum pergat: imò videri potest, quòd si v. g. anser coquatur nonnisi cum suo sanguine & aceto, nihilominus alembico excipi possit similis liquor aquæ, & hoc in aliis etiam succulentis usu veniat; quòd ipsum probat non debere liquorem illum attribui ascensui aquæ, ferro candenti infusæ.

Sextum Argumentum est quo utitur Coning & Pontius; nam debilitatur vinum post mistionem, & nunquam reparat priores vires, etiam post longius tempus: cum autem vinum sit homogeneum, omnino videtur, quòd si converteretur in ipsum aqua, recuperaret postea priores vires, sicut ipsamet aqua, licèt diminuantur illius qualitates connaturales applicato igne, postea tamen ablato igne, recuperat illas, expulsò omni calore; idemque clarius adhuc urgetur in igne, qui posita conversione sui pabuli in se, semper augescit; imò modus augendi ignem & roborandi vires illius, est, convertendorum subministratio.

Responderi nihilominus potest. Sicut diversimodè se habent agentia in vi convertendi in se, ita diversimodè se habent multiplicatis convertendis, in vi retinendi vigorem suum; & sicut ignis etiam copia alimenti interdum obrui potest & extingui; ita possunt enervari vires vitis, si copia convertendæ aquæ illi misceatur; & sicut vitis abundans multo succo, non potest convertere illã aquam æquè bene, ac æquè citò in vinum, idque in naturam illarum virium vitis, ultimò resolvi debet, nobis à posteriori cognitam per experientiam; ita quòd vinum mistum enervetur, referendum in naturam convertentis, cujus vires retunduntur illa mistione; referendo illam retunsionem virium, in naturam agentium, nobis à posteriori cognitam, quod in multis rebus physicis usurpari solet.

Septimum Argumentum est. Quia quamvis fortassis id concedatur vino robustiori, & si diuturniore tempore maneat illa gutta in vino; non tamen intra breve tempus, nec vinis tenuioribus.

Responderi potest. Quod ad breve tempus attinet, suam offerent Thomistæ consuetudinem, infundentes vinum ante Sacrum. Quod attinet ad consuetudinem universaliorem, dicent, sufficiens esse illud tempus, quod usurpatur communiter: vel dicent; sicut extemplò non sentitur illi gutta vini, ita & extemplò convertitur. Quod attinet ad vinum, dicent tenuissimum non esse Sacro adhibendum: Scrupulosè tamen in hoc non esse agendum, quia nullum est ita tenue vinum, quod non sit longè superius aquâ, nullumque tenue respectu aquæ, quamvis sit tenue respectu generosiorum vinorum; & sicut periti docent ad desinentiam Eucharistiæ sub speciebus unicum quadrantem sufficere, ita ad conversionem aquæ in vinum, sufficiet brevior mora; & ex his utrinque consideratis.

Colliges dubium esse: An convertat vinum in se guttam aquæ, vel non? quamvis attendendo ad authoritatem Innocentii, ista conversio sit probabilior, de qua infra; his præmissis.

Decidendum restat: An prius debeat converti in vinum, quàm in Sanguinem; de quo *sit*

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur Difficultas.

Dicendum est. *Probabilius esse quòd aqua cum vino immediatè in sanguinem converti possit*; sed probare id ratione non ita promptum.

Probari solet Primò. Totus ille potus ex vino & aqua in calice existens, debet vi formæ consecrationis transsubstantiari in sanguinem Christi; sed si aqua simul cum vino non converterentur immediatè in sanguinem, non semper potus ille totus transsubstantiaretur vi formæ in sanguinem; ergo aqua simul cum vino, convertitur immediatè in sanguinem. Major probatur. Tum quia supra totum illud potabile ex vino & aqua mistum, profertur forma consecrationis, ita ut Sacerdos committeret Sacrilegium, si vellet aliquas partes potûs illic contenti consecrare, aliquas non. Tum quia nullus Sacerdos potest miscere vino consecrando liquorem aliquem cum intentione, non consecrandi illum liquorem. Tum quia non posset sic mistum calicem exhibere sine Sacrilegio populo adorandum, sic nec hostiam non consecratam

admiscere consecratæ. Minor principalis probatur: quia in Missali præcipitur Sacerdoti, ut si tempore communionis advertat non fuisse vinum consecratum, apponat vinum cum aqua & statim consecret: in quo casu, cum impossibile sit tantillo tempore converti substantialiter aquam in vinum, sequitur non totum illum potum, qui est in calice, transubstantiari vi formæ in Sanguinem; quæ ipsa Minoris probatio, sic aliter proponitur. Nullus potest de industria apponere materiæ consecrabili materiam non consecrabilem sine gravi Sacrilegio, siquidem forma, designat totum quod est in calice, converti in Christi Sanguinem; cum ergo statuat Ecclesia, ut aqua apponatur vino, in ea circumstantia, in qua prudenter præsumi potest non convertenda in vinum, innuit tacitè aquam in sui specie remanentem, esse considerabilem.

Responderi potest primò. Sacerdotem in confuso intendere consecrare id quod est consecrabile.

Contra. Quia id non tollit rationem Sacrilegii, neque enim similis intentio quidquam salvaret, si quis vino misceret lac.

Respondet. Secundò Amicus, esto interdum ob temporis brevitatem nequeat aqua in vinum transmutari, illud tamen est per accidens & præter primariam intentionem Ecclesiæ, quæ per se aptum tempus designat, ad hujusmodi præconversionem; quod autem casibus fortuitis hujusmodi præconversio non exspectetur, urgentiores causæ movent.

Contra. Quia nulla potest esse urgens causa, propter quam supra non consecrabile mandet Ecclesia proferri verba consecrationis. Deinde casu, quo per accidens ex consecrabili fieret non consecrabile, non posset Ecclesia obligare ad proferenda verba supra non consecrabile per accidens, v.g. casu quo vinum miraculosè vertatur in gemmam: tam autem gemma, quam aqua mista vino, si non præconvertatur, manet inconsecrabilis per oppositos.

Responderi potest tertiò. Imprimis majorem dubiam esse; quæro enim, an Sacerdos committat Sacrilegium, si aliquo pulvisculo manente in vino consecret calicem & proponat adorandum; vel non committit? si committit, dabitur infinitis scrupulis locus; vix enim possibile, ne villi purificatorii, adhæreant calici recipienti vinum; vix est possibile, dum absterguntur digiti in calicem, quòd aliqui pulvisculi non incidant, in quibus omnibus nemo sibi facit scrupulum Sacrilegii committendi; deberet in vinis bonis sed non supremis nunquam dici missa, quia remissio illorum, non in aliud referri debet, quam in non benè decoctum humorem aqueum, propter quem defectum carent spirituum copia generoso vino debitorum. Si autem eo casu non committitur Sacrilegium, qui committetur consecrando vinum, in cujus substantiam, non est præconversa aqua; quæro item: cur ex parte Objecti, nulla sit idololatria consecratum calicem attollere, & adorandum cultu latriæ exhibere, quamvis ipse calix continens, nullo modo latriam mereatur; si ergo in hoc recurras ex parte Objecti ad adorabile, & ex parte adorantium, quòd intendant adorare nonnisi adorabile; ita dici posset, si non præconvertatur gutta in vinum, nec consecretur, nullum adhuc committendum peccatum Sacrilegii. Hinc ulterius non debet habere sacerdos intentionem consecrandi illam aquam non præconversam, nec debet formare exceptivam, quòd nolit supra illam proferre verba, casu quo non sit præconversa: quia ista omnia sunt nonnisi disputabilia, intio autem consecrationis, debet versari circa certa. Cæterum casu quo vino misceatur lac, non eodem modo se debet habere Sacerdos, ut cum judicat, quòd aqua non sit in vinum præconversa; quia doctrina universalis Ecclesiæ docet, quòd lac vino mistum non terminet consecrationem; nec sunt locutiones Patrum, quæ ostendant omne immistum vino consecrari; jam autem universalis Ecclesiæ doctrina non docet, aquam non præconversam, non consecrari.

Minor etiam istius argumenti non convincit: quia diceret quis extemplò illam præconverti in vinum; ad eum modum, quo pulvis pyrius, extemplò incenditur; præcipuè quia dissoluta gutta, in minutissimas portiunculas, infinuatque tot partibus vini, facillimè vinci potest.

Confirmatur. Christus Dominus usus est vino misto, & quidem immediatè ante consecrationem, ut colligere est ex Liturgiis quarum verba recitat Lugo, quæ mistio probabile est quod fuerit in copia, sicut decebat usum Christi, jam autem qui tam citò converti potuisset illa aqua in vinum, nec potuerunt colligere discipuli ex verbis Christi, cum illa consecrando proferret, illum nonnisi sub speciebus vini ponere sanguinem, & non sub speciebus aquæ.

Responderi potest. Quamvis in illis Liturgiis non exprimatur mora, vel exspectatio Christi, non constat tamen, quòd benè ante non miscuerit vinum, nec erat necesse hoc describi ab Evangelistis, quia multa similia non descripserunt. Rursùs si ad temperantiam Christi attendendum sit, supponendum esset, vix aliquid vini illum miscuisse, nam etiam parva mistura vini, vocari adhuc potest in sensu morali calix vini denominatione non ex majore quantitate, sed ab excellentiori desumpta, & dicitur quis bibere vinum lymphatum, qui duas partes aquæ miscet; potius ergo censendum est, Christum non attendisse tunc ad exemplum temperantiæ, sed ad exemplum Sacramenti, nam

ri, nam pro majori temperantiæ exemplo, nec vinum bibere debuisset, potius ergo censendum est accepisse Christum vinum usuale, non qualecunque, sed optimum, ad mysteria repræsentanda. Quod autem de hoc tunc non monuerit Apostolos, sufficit quod postea unctione Spiritûs Sancti monuerit: quod circa plura alia fecit; deinde cum tota quæstio præconversionis sit nonnisi scholastica, non est quòd de illa præmoneret Christus. Addo institutori facile fuisset vel potentia sua præconversionem illam festinare, vel sibi in hoc dispensare, & postea docere Apostolos interna unctione, quid agere debuerint.

Probat Secundò Lugo. Quia materia Eucharistiæ est vinum, consequenter omne illud poculum, quòd simpliciter & absolutè in usu hominum appellatur vinum; jam autem nomine vini, venit etiam vinum indubie lymphatum.

Respondebunt Oppositi. Verba Conciliorum si nihil obsint, simpliciter esse accipienda, consequenter cum dicunt sine addito vinum esse materiam hujus Sacramenti, non debet accipi vinum cum addito, quale est vinum lymphatum. Dici rursùs potest, quòd licèt in materia Sacramentorum, attendi possit adsuum humanum, ita tamen attendi ad illum debet, ut usus & appellatio humana, non sit soli apprehensioni hominum, sed physicè ipsi objecto, conformis; jam autem illa gutta physicè non potest appellari vinum, quamvis moraliter possit appellari vinum, eo quod nullum sui sensum, ob sui modicitatem moveat, condistinctum ab eo, quem movet vinum. Quod autem attendi debeat, non solùm ad appellationem moralem, sed etiam ad physicum esse; ratio dari potest: quia quamvis respexerit Christus usum humanum, respexit nihilominus & physicum esse rerum, ut ita, in re magis stabili, constitueret materiam Sacramenti; nam v.g. nomine panis in regionibus aliquibus v. g. in Polonia venit nonnisi panis Siligineus, panis autem triticeus appellatur panis non sine addito, sed panis albus vel alio simili nomine; in multis etiam Asiaticis regionibus, nomine panis venit Oryza; ubi, ut vides, quamvis attenderit Christus ad usum humanum, ut tamen quidpiam consecrationis materia esset, respexit ad physicum esse panis non habet oryza, quamvis panis nomine apud alios veniat, non est materia sufficiens, respectu tantùm habito ad physicum esse; è contra autem v.g. vinum rubrum, & vinum album, differunt specie, utrumque tamen est materia sufficiens, non solùm ex eo, quòd pro eodem moraliter reputentur, sed etiam quòd utrumque sit physicè vinum. Vinum autem lymphatum, est quidem moraliter, non tamen Physicè Vinum, si non præconvertatur aqua. *Missis aliis argumentis*

Probatur Tertiò. *Conclusio principaliter Authoritatibus Patrum.*

Prima sit Augustini 1. de Trinit. cap. 4. *Aquæ* inquit, *mittitur in Calicem, & fit Sanguis, consecratione Verbi cælestis.*

Secunda sit Ambrosii lib. 4. de Sacram. c. 5. *Ante verba Christi Calix est vino & aquâ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, Sanguis efficitur.* Ubi ly Aquâ plenus, ostendit non præconversionem ante formam Consecrationis.

Tertia est Damasc. lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 14. *Non potest*, inquit, (subintellige Christus) *panem suiipsius Corpus facere, & vinum & aquam sanguinem*; ubi, ut vides, expressè aquam nominat.

Quarta sit Cypriani Epistola 63. ad Cæcilium; *Calix Domini, non est aqua sola, aut vinum solum*, quæ verba ostendunt præconversionem non esse necessariam, aliàs solum vinum, esset Calix Domini.

Quinta Paschalis lib. de Corpore & Sanguine Domini. *Aqua* inquit, *consecratur, non quod aqua permaneat, sed quod convertatur in Sanguinem Christi.* Plura loca vide apud Coning & Lugo & post illos Dicast. hic disp. 2. n. 137.

Responderi potest. Vel quòd verba hæc intelligenda sint de mediata conversione, vel quòd intelligenda sint ampliativè, quòd scilicet Calix qui mistus erat aquâ & vino & similia; convertatur in sanguinem.

Contra hæc Universaliter est. Tum quia verba Patrum simpliciter non secundùm sensus ampliativos accipi debent, si nihil obsit; nihil autem obest, ut patebit solutione argumentorum. Tum quia nullus veterum potest citari ex Patribus, qui præconversionis istius vel moræ interponendæ inter infusionem & pronunciationem verborum meminerit.

Confirmatur. Tum quia non potest hoc demonstrari, nempe vinum habere vim præconvertendi in se aquam, ut vidimus supra; ergo vel debet dici nunquam, illam aquam converti in vinum, vel converti posse immediatè in Sanguinem. Tum quia vel ex conditione aquæ est, ut attentâ etiam institutione Christi, non possit converti unquam in sanguinem & corpus Christi; vel ex conditione hac, quod sit extrinsecus admista; si ex conditione aquæ ut sic; ergo humor ille serosus nondum decoctus in vinum, non convertitur etiam in Sanguinem; participat enim conditionem aquæ, & tu attentâ institutione Christi, dicis non posse aquam ex sua conditione, converti in Sanguinem; & certè non haber vires majores vinum ad convertendam guttam aquæ affusæ, quàm ad convertendum illum humorem serosum, imò minores quàm ante, eo quod resistens crescat, nam olim fuit nonnisi humor serosus, nunc & ille, & aqua; quodsi non attenditur ut vinum humorem serosum præconvertat in se, cur attendendum erit,

erit, ut præconvertatur gutta aquæ. Si autem id proficiscitur ex conditione aquæ, extrinsecus admistæ, redit adhuc argumentum: quia non poterit præconvertere illam guttam, sicut nec præconvertere potest humorem serosum & si non sit necesse attendere, ut humorem illum serosum præconvertat, quî sit necesse attendere, ut guttam illam præconvertat; & cur, si eadem gutta eodem modo insinuetur vino, quo insinuatur humor serosus, erit materia apta consecrationis, si autem extrinsecus affundatur, non erit materia consecrationis nisi præconvertatur. Et certè pone guttam humoris serosi in ampulla, demittat illam Sacerdos in calicem, & pone illam rursûs non præconverti, da ergo rationem cur, quia est affusa exterius, non potest esse materia consecrationis, & tamen à vite non præconversa, fuisset materia consecrationis; & certè si vinum haberetur ex Cana Galileæ tenuisset in illo consecratio, quamvis ex vite non fuerit tractum, & cur non teneat consecratio guttarum aquæ, non tractæ à vite, teneret autem tractæ à vite, seu ex illo humore seroso. Tum quia quamvis pani admisceantur aliquæ partes furfuris; quamvis item remaneant in pane guttæ aliquæ aquæ, quæ coagulant partes farinæ, nihilominus totum illud consecratur & transsubstantiatur in Corpus Christi; ergo etiam de aqua idem dici potest; & sicut furfur, quamvis, si separatim accipiatur, non sit materia sufficiens consecrationis, nihilominus una cum tritico transsubstantiatur in Corpus Christi; aqua item illa, quæ retinet partes farinæ, quamvis de se spectata, non sit apta materia consecrationis, nihilominus potest transsubstantiari in Corpus Christi, sumpta una cum tritico, seu in pane; ergo etiam aqua, licèt se sola non sit materia sufficiens consecrationis, immista vino, erit materia Consecrationis.

Responderi potest ex Amico disp. 16. num. 88. Illud tantum converti in corpus & Sanguinem Christi, quod substantialiter integrat panem & vinum, quæ sunt materia hujus Sacramenti; sed extrinsecus apposita, non integrant substantialiter vinum, alioqui, quidquid misceretur cum illo, converteretur in Sanguinem, quod falsum est; aliâs si pani misceretur butyrum, aut aliquis liquor apponeretur, qui non variaret panem usualem, converteretur in Corpus Christi; eodem modo panis madefactus aquâ, converteretur cum aqua in Corpus Christi; imò & aër inter poros vini & panis inclusus, quia nec talis aër, variat usualem cibum vel potum.

Contra est. Quia si nomine integrantis substantialiter, intelligatur id, quod est ejusdem substantiæ cum vino vel tritico, apertè falsum assumit responsio, quia nec humor serosus est substantialiter vinum, nec furfur substantialiter triticum. Si autem nomine integrantis substantialiter intelligatur, necessariò requisitum ad substantiam consecrabilis materiæ, id etiam falsum supponit, quia si Deus separaret totum humorem serosum à vino, maneret substantialiter vinum; ergo apparet, quod ille humor serosus non sit substantialiter requisitus ad vinum, de quo ipso quæro, an consecretur? redibitque argumentum. Deinde in instantiis allatis assumit ea, quæ certè fide constat non posse converti, ut dictum est supra, non est autem talis doctrina de aqua, vel humore seroso.

Respondebis secundò. Argumentum multum probare; si enim Deus vel Angelus extraheret illam aquam, quæ continet farinam in pane eamque agglutinat, poneretque illam supra panem, certum est, quod illa aqua in consecratione panis non transsubstantiaretur in Corpus Christi, transsubstantiatur autem aliâs; ergo poterit & aqua illa infusa, seu infusus humor serosus non transsubstantiari, quamvis transsubstantietur à vite tractus.

Contra est. Quia est disparitas; nam aqua illa extracta ab angelo, non haberet idem officium si aspergeret panem, nec enim conglutinaret in circumstantia pinsionis, ope ignis factæ, ut antea conglutinabat; jam autem humor ille serosus, sive à vite trahatur, sive exterius affundatur, idem officium in ordine ad vinum haberet. Deinde concedo aquam, sicut humoris serosi ita & simpliciter aquam elementi, si ponatur non immista vino consecrari non posse, sicut nec aqua extra farinam, sed cur immista consecrari non poterit, ut consecretur in pane.

Respondebis tertiò. Nomine panis venire non solam farinam triticeam utcunque, sed aqua dilutam, quæ postea in modica quantitate relicta coadunat partes farinæ, adeoque hoc officio, meretur cum pane simul transsubstantiari: jam autem aqua affusa, hoc officium non habet.

Contra est. Furfur nullum tale officium habet, & tamen immistum farinæ transsubstantiatur; & si dicas non transsubstantiari illum, insimulas Christum quod Metaphysicam diligentiam requisierit in materia Corporis, hoc est panem, sine ullo furfure. Si verò dicas quòd furfur convertatur, redit argumentum: Cur non convertatur in sanguinem gutta illa aquæ, etiam non præconversa; & certè quis putet sine miraculo in pane à Christo primum consecrato, nihil omnino furfuris fuisse, & tamen censendum est, quòd ut magis absolutæ verba Christi verificarentur, totum hoc quod habuit præ manibus, consecrârit Christus. Denique humor ille serosus, non habet ullum officium in vino, & tamen ille convertitur in sanguinem Christi, & non videtur quod illa aqua affusa, plus aliquid afferat, quàm serosus humor. Ad-

Addo tamen quòd in hoc; an aliquid immistum convertatur in sanguinem v.g. Christi, non tantum attendendum esse ad hoc, Utrum destruat rationem vini: nam etiam modica gutta lactis, non destruit rationem vini; sed attendendum est, an ex usu humano natum sit illud misceri, seu conficere vinum usuale, non est autem nata ita misceri gutta lactis, ut nata est misceri aqua, secundùm usum humanum.

Punctum Difficultatis 3.

Respondetur Objectionibus.

Objicitur Primò. Authoritas Tridentini, ubi Sess. 13. Can. 2. docet; Post Consecrationem manere solas species panis & vini; & Can. 3. docet; Totum Christum contineri sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta; ex quibus locis sic arguitur. Ex Concilio post consecrationem, non manent nisi solæ species panis & vini; ergo nulla substantia, nisi panis & vini, convertitur in Corpus & Sanguinem Christi, aliàs manerent etiam illic, species aquæ.

Respondetur. Retorquendo argumentum de furfure, de aqua continente partes farinæ, de humore seroso, quorum vel species manent, vel ipsa substantia, cum tamen Tridentinum, dicat post consecrationem manere illic solas species vini & panis. Deinde dici potest, nomine panis & nomine vini intelligere Concilium panem & vinum usuale, utrumque autem patitur misturam aliquam, quæ in communi usu & appellatione, non destruit denominationem panis & vini.

Instat primò Amicus. Posita separatione, docet Concilium manere sub singulis speciebus totum Christum, ponamus separari species aquæ: vel illæ continebunt Sanguinem Christi, vel non? si non continebunt; ergo non dicis conformiter ad Concilium, quod dicit post separationem sub speciebus singulis, manere totum Christum; si autem continebunt Sanguinem Christi; ergo opponis te Concilio, quod nonnisi sub speciebus vini & panis, docet contineri Corpus & Sanguinem Christi.

Respondetur. Retorquendo Argumentum, & quærendo, quid sit futurum de speciebus furfuris, de speciebus aquæ continentis farinam, &c. Directè autem respondendo concedit Coning sub speciebus separatis aquæ posse manere Sanguinem; ut videre est apud eundem quæst. 74. num. 191. Nam licèt non possit primò poni Sanguis sub speciebus aquæ separatis, non sequitur non posse sub illis conservari: nam similiter anima separata à Corpore, non potest accipere Characterem baptismi, potest tamen illum retinere. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia non accipit verba Concilii, ut debet; illæ enim species aquæ, nec physicè nec moraliter sunt species vini, & tamen Tridentinum dicit, nonnisi sub speciebus panis & vini, manere Corpus Christi; licèt enim aqua mista vino, nec per se apta movere sensum, sit pars vini usualis, non tamen species illius separatæ, vel illa ipsa separata.

Toti huic difficultati aliter satisfieri posset attendendo videlicet ad intentionem, quam habuit Trident. in prædictis definitionibus habuit enim imprimis intentionem definiendi, quòd detur transsubstantiatio; & quod non maneat illic substantia panis & vini; secundùm autem hanc intentionem, si sumantur verba Tridentini, non probabitur aquam non præconversam in vinum, constituentem tamen vinum usuale, non converti in sanguinem. Rursùs secunda intentio Tridentini fuit, definire totum Christum esse in qualibet parte, & totum in toto; adeoque posità separatione unius partis ab alia, utrobique mansurum Christum, non est autem locutum Trident. de separatione miraculosa ipsarummet specierum, consequenter non est locutum Trident. de extractione miraculosa, specierum aquæ; unde etiam secundùm hanc secundam intentionem, non sequitur aquam non præconversam, non consecrari. Tertia intentio Concilii fuit definire, quòd non frustretur Sacramento, si quis non accipiat utramque speciem, sed inde nihil contra nos sequitur. Nec sequitur quòd nostra responsione simpliciter non accipiamus verba Concilii, Simpliciter enim est accipere secundùm usum communem vocabulorum, in quo usu, vinum modicè mistum appellatur vinum, consequenter & species aquæ modicè mistæ speciebus vini, appellari poterunt species vini. Unde etiam Sapient. 9. Vinum mistum appellatur sine addito vinum; *Comedite*, inquit, *panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Cæterum illæ species separatæ, non continebunt jam Sanguinem Christi, quia species separatæ, non sunt species vini usualis.

Instat secundò Amicus. Species aquæ per disjunctionem à speciebus vini nullam subeunt mutationem, quoad usum potûs humani, quæ mutatio potissimum, spectanda est per nos, in hoc Sacramento; assumptum probat; ponantur species aquæ non continuæ, sed contiguæ cum speciebus vini, ita ut à speciebus vini, ambitiantur tantum species aquæ, & non faciant cum illis unum continuum sed contiguum; quod facile fiet, si aqua appositò vino congeletur, in tali casu non diceretur defore Sanguinem sub speciebus aquæ, cum adhuc tali casu, species aquæ componant unum potum usualem humanum, cum speciebus vini, ad quem nihil refert, quòd aqua sit continua vel contigua vino, sicut nec quòd inter aquam &

vinum

vinum aliquis intercedat aër, modò aqua circumambiatur à vino.

Respondetur. Multa in hac instantia expendi posse. Primò Aqua intantum est consecrabilis, in quantùm componit usuale vinum, intantum autem illud componit, in quantum de insinuata partibus vini, non est apta movere sui sensum, tunc autem apta est movere sui sensum, si sit disunita. Casu quo infundatur liquida gutta aquæ, & nihilominus concrescat in glaciem, adhuc casus subdividi potest, vel enim ita concrescet in glaciem, ut simul concrescant cum illa aliæ partes specierum vini, & sic concreta, continebit adhuc Sanguinem, quia adhuc veniet nomine specierum vini usualis; quod si ita secernantur species aquæ, ut species extractæ, non mereant rationem vini usualis, tunc falsum erit, quod assumebat Amicus, quod per illam disjunctionem non subirent mutationem illæ species quoad usum potûs humani: ad eum modum quo secretæ, nonnisi partes furfuris, ex hostia, subeunt mutationem; quoad usum panis. Addo si v.g. homini daretur scientia discernendi species vini, à speciebus guttæ aquæ, inter partes vini immistæ, dicere posset indicando species aquæ; hîc est sub his speciebus Christus, quæ physicè sunt species aquæ, usualiter autem unâ cum aliis speciebus, sunt species vini; & de iisdem speciebus, posset designando dicere; si hæ species solæ extraherentur, jam non continerent Corpus Christi, quia desinerent habere rationem vini usualis, quod constat modica aquâ & vino copiosiori. Ulterius autem deduces, quodsi extrahantur omnes partes specierum aquæ, & extrahatur nonnisi minimum specierum vini, sub illis speciebus aquæ desinet Christus, quia tunc non habebunt jam denominationem vini usualis.

Præ Oculis hic habendum quòd, non implicet contradictionem, ut etiam aqua vino mista contineat Sanguinem Christi; ex una parte asserimus nos authoritates, quibus probamus de facto, etiam vinum aquâ mistum, transsubstantiari; afferuntur aliæ authoritates, quòd non transsubstantientur; media via erit & conciliativa utriusque authoritatis, aquam scilicet transsubstantiari in Sanguinem Christi, cum habet rationem vini usualis, non transsubstantiari autem, si non habeat rationem vini usualis, quod usuale vinum, est medium inter merum vinum & meram aquam.

Objicitur secundò Authoritas Innoc. III. Qui in Cap. Martha, de Celebratione Missarum enumerat sententias tres Theologorum de hac materia, & ex his secundam dicit esse probabiliorem; hæc autem secunda sententia est his verbis à Pontifice concepta; Alii verò tenent, quod aqua cum vino transsubstantietur in sanguinem, cum in vinum transeat aqua mista, licèt physici contrarium asseruerint, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari; & paucis subjectis; hanc appellat probabiliorem.

Respondetur. Imprimis Pontificem esse pro nobis, dum lib. 4. de Mysterio Missæ cap. 11. *In Sacramento*, inquit, *est trinitas specierum, scilicet panis, vinum, & aqua.* Deinde advertendum est, ad hunc terminum ly Probabilior cum quo construi possit: nam non potest construi cum eo; quòd aqua in vinum conversa transsubstantietur in Sanguinem; hæc enim sententia non est probabilior, sed est articulus fidei; ly ergo illud Probabilior, referri debet nonnisi ad sententiam illam physicorum, qui docent posse vinum in aquam converti, hoc autem nihil obesse conclusioni, imò esse conforme dixi supra; ubi dixi quòd attendendo ad authoritatem Innocentii, detur ista præconversio; quod si ly Probabilior referetur nonnisi ad judicium illud de sententia physicorum, nihil adhuc conclusioni officit.

Objicitur tertiò Authoritas Florent. quòd jubet modicissimam aquam affundi, ad hoc autem nulla potuit esse causa, nisi ut faciliùs præconvertatur in vinum.

Respondetur. Hujus causæ non meminisse Florent. sed ideo potuit fieri, ut ita melius significetur, parvitas nostræ naturæ, unitæ tantæ majestati, seu Personæ Verbi in Christo.

Objicitur quartò Authoritas Catechismi Pii V. *Ad hanc*

Respondetur. Quòd authores illius fuerint in opposita sententia, nec de præconversione est tradita illa sententia tanquam sententia Catechistica, sed tanquam sententia Doctorum.

Objicitur quintò. Triburiense Concilium permiserat mistionem tertiæ partis aquæ, quam usus non habet, oppositumque decrevit Florentinum.

Respondetur. Usus non habet ideo ne vinum corrumpatur, & ad exprimendum mysterium nostræ parvitatis comparatæ, ut dixi, ad Personam divinam, non autem ideo fit, quia tertia pars aquæ, non posset commodè præconverti.

Objicitur sextò. Quia si Christus apposuit vino aquam ea intentione, ut immediate transsubstantiaretur in sanguinem, sequeretur illam esse materiam necessariam consecrationis; est enim materia necessaria, vinum usuale.

Respondetur. Vinum usuale abstrahendo ab usuali mero, & usuali modicè lymphato, esse materiam necessariam; sicut panis triticeus est materia necessaria, sive sit simpliciter ex farina, sive cum temperata mistione furfurum.

Objicitur septimò. Ergo etiam si pani admisceatur aliquid de butyro cum id non variet panem usualem, convertitur id in Corpus Christi.

Re-

Respondet DiCast. concedendo illatum, modò absolutè censeatur panis usualis. Sed negari potius debet, quia hæc mistio non facit usualem panem, nec est nata illum facere, secus mistio aquæ.

Quod attinet ad mentem S. Thomæ, hic videtur favere oppositis, ut videre est in quartum dist. 11. q. 2. a. 4. quæstiuncula 1. Sed hic locus S. Thomæ posset explicari non de substantiali conversione, sed de morali, secundùm quam totum illud poculum appellatur vinum. Cæterum S. Thomas est pro nobis hic q. 74. a. 8. in ⊙. Ubi post consecrationem dicit nihil aliud esse, quàm corpus & sanguinem Christi, quod saltem aliquo casu falsum est, apud oppositos; casu scilicet, quo immediatè post infusionem pronuntietur forma. Rursus si triticeæ farinæ admisceatur parum hordei, dicit totum illud convertendum in corpus Christi, & tamen indubiè hordeum, non præconvertitur in triticum: & si hordeum non præconversum transubstantiatur in corpus Christi, cur non transubstantiabitur aqua non præconversa in vinum: hoc autem docet S. Thomas eadem quæstione a. 3. ad tertium. *Modica*, inquit, *permixtio non solvit speciem, quia id quod est modicum, quodammodo absumitur à plurimo; & ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti.*

DIFFICULTAS III.

De Materia adveniente post aliquid Formæ prolatum.

Sensus tituli est: incidat v. g. gutta aquæ post pronuntiatum ly Hic est, quæritur: An illa gutta convertenda sit in sanguinem Christi? Convertendam Vasq. Nugnez, Ochagavia affirmat; Negat Suar. Lugo, Di Cast.

Assero Primò. *In Sententia, quæ docet præconversionem aquæ in vinum essentialiter requiri, non convertetur in sanguinem Christi, illa gutta.*

Ratio: Quia supponetur ob brevem moram nec præconvertenda in vinum.

Assero Secundò. *Etiam casu quo præconverteretur illa gutta in vinum, necdum tamen transubstantiaretur in sanguinem Christi.*

Ratio prima est: Quia quamvis transubstantiatio perficiatur, nonnisi in fine formæ, nihilominus requiritur antecedens integra prolatio verborum supra materiam consecrandam; sed illic non foret integra prolatio verborum supra materiam consecrandam, ergo. Major probatur, quia dimidiata prolatio formæ non causat ullum effectum Sacramentalem; sed si materia non sit præsens toti prolationi formæ, respectu illius materiæ est nonnisi dimidiata prolatio formæ: quod ipsum probatur. Si in tota prolatione formæ non adesset illa gutta, respectu illius illa forma totaliter non conferetur prolata: ergo etiam cum est præsens, nonnisi post ly Hic est, consebitur supra illam guttam, nonnisi dimidiata forma proferri.

Ratio secunda. Quia si quis consecraret cum ista forma: Hic non est enim calix sanguinis mei, talis non consecraret, sed in illo casu consimiliter futurum; quod ipsum probatur: illo casu non posset verificari hæc propositio; hic est calix Sanguinis; de eo enim quod non est hic, non potest verificari, Hic; sed de illa gutta incidente post prolatum Hic est, non potest verificari nisi, Hic non est; quod ipsum probatur; quia objectum illius propositionis; Hic est enim calix sanguinis mei, est contentum in calice, gutta autem illa, ut ostendit suppositio, non est contenta, dum dicitur Hic est; ergo non est objectum illius propositionis; ergo illa propositio verificari noo potest de illa gutta: quodsi de illa gutta verificari non potest hæc propositio; Hic est calix sanguinis mei, verificabitur contradictoria; Hic non est calix sanguinis mei; ergo ulterius, si illa gutta consecretur, debet consecrari per has voces; hic non est enim.

Respondebis ex Lugone. Hoc argumentum non esse universale, quia etiam in aliis Sacramentis effectus non sequeretur, si id, in quo debet poni effectus Sacramenti, non sit præsens physicè toti prolationi, valet enim baptismus, cùm hâc forma Baptisatur servus Christi, ubi non ponitur illa particula demonstrativa, ex qua tamen sumebatur argumentum.

Contra est. Quia sufficit, ut pro præsenti urgeat, præcipuè cùm procedat ex fundamento speciali, talis formæ consecrationis; deinde etiam formatur pro nobis exinde argumentum; si enim dicat aliquis ly Baptisatur, & non sit tunc supra quem dicitur, licèt postea afferatur, non erit baptisatus.

Ratio tertia, quâ utitur Lugo; quia formæ sunt per modum benedictionum & consecrationum, quibus subjectum benedicitur & consecratur Deo, benedictiones autem & consecrationes exhibentur supra rem præsentem. Sed hæc ratio non est efficax, nam non est de ratione benedictionis, ut fiat circa subjectum præsens, certè enim in literis Pontificiis ordinariè hoc est præloquium; Salutem & Apostolicam benedictionem, cùm tamen benedictio mittatur absenti; de hoc ipso quæritur, cur sacrari non possit, nisi res præsens.

Dices Primò cum Nugnez apud Lugonem. Sufficit, ut moraliter sit præsens materia.

Respondetur. Id non sufficere; quia circa moraliter solum præsentem materiam, tantùm dimidiata, ut dictum, proferretur forma, & sicut homo non est, si habeat dimidium esse hominis, hoc est corpus; sic nec forma consecrationis est, si sit nonnisi dimidiata forma. Rursus non sufficit moralis formæ prolatio, nam si dicat aliquis: hoc est corpus meum, moraliter censetur per Te pronuntiasse formam, nam parum pro nihilo reputatur, & tamen tunc non fieret consecratio; ergo nec sufficiet moralis præsentia guttæ consecrandæ, ad totam formæ prolationem. Denique quamvis Christus ad esse morale attenderit circa institutionem Sacramenti, nihilominus ita attendit, ut illa moralitas, esse physico non præjudicaret, aliàs cum moraliter æquale sit, refici pane ac oryza, posset dici quòd oryza consecrari possit; hinc etiam si testimoniis Patrum non constaret, quòd etiam vinum aquâ mistum sit materia consecrationis, nunquam diceremus, quòd vinum lymphatum sit materia Sanguinis, quia verò moralis illa præsentia guttæ præjudicat præsentiæ physicæ, verè enim physicè toti prolationi formæ non adest illa gutta, fit ut nec consecretur.

Dices Secundò. Ly hic in forma consecrationis, supponit pro sanguine in fine prolationis præsenti: ergo sufficit, quod in fine prolationis sit gutta aquæ.

Respondetur. Pro quo supponit ly hic est, infra dicetur; nihilominus quamvis ponatur sanguis Christi nonnisi in fine verborum, non tamen potest consecrari, per formam dimidiatam qualis (ut dictum) in præsenti contingeret.

Dices Tertiò. Si quis non haberet intentionem baptisandi, dum profert ly Baptiso, isque post pronuntiatum immediatè B, habeat intentionem, tenebit Baptismus: ergo idem in præsenti dicendum.

Respondetur. Si quis in tota prolatione B, non haberet intentionem, non baptisaret; quia ipsum Aptiso te in Nomine Patris &c. non est forma apta. Si autem in media parte prolationis B, haberet intentionem, quia adhuc illa media pars, est sufficienter, ut suppono, sensibilis, teneret baptismus: quia nec deest pronuntiatio ipsius B: sed si non esset præsens gutta ad initium consecrationis, deesset tota prolatio formæ supra illam materiam, jam autem dimidiata forma non consecrat.

QUÆSTIO III.

De Forma Consecrationis.

Nomine Formæ Consecrationis veniunt verba essentialiter ad consecrationem requisita, quæ in suo genere ita se habent, ac anima rationalis, respectu constituti, quod est homo: de ea forma sunt quædam speculativè discutienda.

DIFFICVLTAS I.

Quid significant Pronomina Demonstrativa in Formis?

Ratio dubitandi. Illa Pronomina vel significant substantiam panis & vini; & hoc non potest dici: quia aliàs illa propositio foret falsa, sensus enim illius esset, hic panis est corpus meum, & tamen est de fide, quòd non sit impanatio. Si autem illa Pronomina significant accidentia, itidem falsa est forma, falsum enim est, quòd accidentia sint corpus Christi. Si autem Pronomen Hoc, significat corpus, & Pronomen hic significat sanguinem, identica erit propositio, utpote hunc sensum habens: Corpus est corpus meum, Sanguis est sanguis meus.

Punctum Difficultatis 1.

Referuntur aliorum Explicationes.

Explicat Primò Suar. & Bellarm. ly Hoc v.g. non significare determinatè corpus, sed demonstrare aliquid, & termino A quo conversionis, hoc est Pani & Vino, & termino Ad quem, hoc est Corpori & Sanguini commune, & quidem commune non re sed conceptu nostro; porrò hæc ratio communis est ratio contenti sub his accidentibus.

Impugnat hanc Explicationem Amicus: quia cum hæc propositio notetur Signo demonstrativo Hoc, nequit esse indeterminata & communis; quia terminus quantumcunque indeterminatus & communis, si notetur pronomine demonstrativo, singularisatur, unde etiam Individuum vagum non significatur pronomine demonstrativo Hoc, sed ly quidpiam, aliquid &c. *Hæc Impugnatio*

Non Satisfacit. Quia ex dictis in Logicis ipsius Hic, potest dari ratio communis, eum per nos detur ratio communis omnibus individuis; & si signatum, hoc est individuum & determinatum, potest accipi indeterminatè & in communi, nescio cur Signum hujus significati, quod est ly Hoc & Hic, non possit accipi indeterminatè & in communi. Deinde quamvis terminus indeterminatus, interdum exprimatur per terminum Aliquid, interdum tamen exprimitur etiam per terminum Hoc. Sic v.g. cùm volumus aliquid scire ignotum nobis, dicimus; vellem hoc scire, ubi ly Hoc non præsupponit pro certo

certo & determinato, aliàs jam sciretur : ergo supponit pro indeterminato. Unde etiam ut advertit Sotus, quando dico : hæc herba crescit in horto, ly Hæc non supponit pro individuo & determinato, sed pro specie & pro termino Aliquod. Denique dantur species vagæ, individua generica, quibus omnibus & ly Hoc, & indeterminatio convenit. Quòd autem dicit Amicus, quòd ly Hoc in forma consecrationis jungitur cum re practicè operabili, praxis autem est singularium, id etiam non convincit; nam Logica est Scientia practica, & tamen habet pro objecto aliquid commune : cur ergo sicut objectum est commune, ita & intentioni designativæ, qualis habetur in ly v.g. Hoc, non poterit respondere aliquid commune. Nihilominus *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit Primò. Quia omnis propositio indeterminata, & ratione suæ indeterminationis, commune quid facta, necessariò explicari & potest & debet per descensum vel disjunctum, vel disjunctivum, ut suppono, ex Dialecticis : ergo etiam & illa propositio, Hoc est Corpus meum, quæ ratione indeterminationis termini *Hoc*, facta est communis, explicari debet per descensum vel disjunctum vel disjunctivum : quo posito sic ulterius urgetur. In hac explicatione terminus ille indeterminatus, est, contentum sub speciebus, quod contentum sub speciebus, non potest explicari, nisi per duo membra, hoc est, substantiam panis & substantiam corporis Christi, sed non potest explicari supponendo pro substantia panis, quia aliàs forma consecrationis falsa foret, panis enim non est corpus Christi : ergo supponi debet pro corpore : ergo nihil dicit illa explicatio, sed potius dicere debuisset, quòd ly hoc supponat pro corpore, siquidem ille terminus, per descensum explicatus, supponit pro corpore.

Non Satisfacit Secundò. Quia pro illo tempore, quando proferuntur particulæ, *Hoc est*, significatio illarum, est contentum sub illis speciebus, illud significatum non debet esse indeterminatum & commune, quia est illud quod continetur, & supra quod profertur forma, nihil autem continetur indeterminatè, cum ipsa continentia determinata sit, neque enim esset continentia, sed commune ad continentiam & non continentiam, illudque supra quod profertur forma, debet esse determinatum : tunc quæro de hoc contento, an illud sit corpus Christi pro illo tempore, an panis ? Si est corpus Christi; ergo est corpus Christi antequam sit corpus Christi, quia est corpus Christi ante prolationem Formæ. Si autem pro illo tempore, quando proferuntur illæ particulæ, Hoc est; significatum illarum est contentum sub speciebus quod est panis, quæro an in fine prolationis formæ, contentum illis particulis significatum, sit panis vel non. Si est panis, redit argumentum factum in ratione dubitandi, quòd scilicet vel panis sit cum corpore Christi, vel falsa sit illa forma, si autem est aliud : ergo & de eodem diceretur illud Prædicatum corpus Christi, & non de eodem ; de eodem quidem, quia illa est propositio enuntiativa prædicati de subjecto; non de eodem autem, quia illud quod à principio supponebatur sub termino Hoc est, nempe contentum quod est panis, nunc est corpus Christi.

Non Satisfacit Tertiò. Quia non est credibile ab istis Metaphysicis acceptionibus, fuisse dependentem in constitutione Eucharistiæ Christum, & non fuisse illius dicti : Hoc, determinati, ullam significationem determinatam.

Explicat Secundò Lugo. Quæ Explicatio coincidit in Substantia cum priori, habet tamen aliqua particularia : vergit autem eo, ut ostendat hunc esse sensum dictæ propositionis; hoc quod substat his accidentibus in fine prolationis, est corpus meum; ad quod ipsum enodandum dicit, quòd ly *hoc* in quantùm supponeret pro accidentibus, significaret determinatè & non vagè hæc accidentia panis, quæ sunt sensibilia, nec quoad hoc haberet significatum vagum sed determinatum, hoc tamen non est significatum rectum, sed de connotato; significatum enim rectum, non sunt accidentia, sed substantia contenta sub his accidentibus; in quantùm autem ly hoc supponit pro contento sub illis accidentibus, verificatur quidem per illum de corpore Christi, contento sub illis accidentibus in fine prolationis verborum, non tamen significat illud determinatè, sed sub conceptu confuso, vago, & indifferenti de se, ad panem & corpus Christi. Addit postea, quòd quamvis concedi posset, ly Hoc significans accidentia, esse determinatum ad illa accidentia ut præsentia, nihilominus quantùm est ex vi suæ significationis, non exigit hoc, ut determinatè supponat nonnisi pro accidentibus præsentibus, cujus rationem dat; quia in proprio modo loquendi, eandem vim habet particula demonstrativa Ecce, quam habet ly hoc; hinc Vasq. dixit validam fore hanc consecrationem, Ecce corpus meum, jam autem ad veritatem hujus propositionis satis est, si in fine prolationis ostendatur, id, quod demonstratur; imò neque ex eadem præcisè significatione videtur necessarium, quòd illa accidentia sint præsentia in fine prolationis verborum, quamvis sit necessarium, ut in fine prolationis, sit corpus Christi sub illis, idque probat ex communi usu hominum, transeunte enim Petro, potest v.g. dici; hic est prætor civitatis. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit Primò. In quantum docet quòd ly *Hoc* supponat vagè & indeterminatè pro contento sub illis accidentibus : impu-

gnari enim potest argumentis contra primam Explicationem factis.

Non Satisfacit Secundò. Ly Hoc est, pro tempore suæ pronuntiationis, ante finitam propositionem, vel demonstrat aliquid præsens ad sensum, vel non demonstrat; si non demonstrat: ergo illa propositio est simpliciter falsa, quia demonstrativa non habens objectum demonstrabile, est falsa: si demonstrat, quæro, an demonstret eodem modo pro fine prolationis & initio, an diverso: si eodem modo: ergo utrobique præsenter; quid autem illic est præsens & pro initio, & pro fine prolationis; si diverso modo: ergo ly Hoc, pro initio prolationis, & ly Hoc, pro fine prolationis, non erit idem, salvâ saltem ratione modi significandi; quod non patitur veritas unius ejusdemque propositionis. Deinde quamvis propositio non debeat verificari nisi pro sui fine, id verum est de veritate enuntiativa; quia hæc non datur nisi in fine prolationis, nihilominus veritas primæ operationis, quæ etiam subjectis competit, debet habere sui objectum; eo autem casu, nullum est objectum, quia termini Hoc est, in talibus circumstantiis prolati, non potest esse objectum, nisi præsens ad sensum.

Non Satisfacit Tertiò. Quia allata in contra non convincunt; nam quamvis dicere possim: hic est prætor hujus civitatis, illo transeunte, demonstro tamen aliquid præsens ad sensum, nempe hunc hominem: imò sicut non possum dicere, hic est prætor nisi sit præsens; ita nec possum dicere ly Hoc, nisi aliquid præsens significem; & quæro quid illud est: & quamvis in aliquo casu verificaretur ly Hoc, sine ulla præsentia physica, id inde est: quia in usu humano attenditur ad præsentiam moralem, in Sacramentis autem, ut vidimus, attenditur etiam ad esse physicum. Illud etiam quod attulit ex Vasq. dubium est; nam licet interdum ly Ecce, accipi possit pro ly hoc, id tamen universaliter est falsum, & rigorosè loquendo non idem significat: nam ly Ecce supponit jam objectum, de quo pronuntiatur & indicat, quasi sevocando mentem ad jam factum, quod non habet particula Hoc est.

Cæterum hæc argumenta contra Suar. & Lugon. facta, in quantum tenebit secunda afferenda explicatio, poterunt ex dicendis inibi solvi, ubi occursum his difficultatibus.

Explicat Tertiò Pontius. Quòd ly Hic, significet individuum determinatum Entis, quod est Corpus vel Sanguis Christi, non tamen sub conceptu expresso corporis, sed sub conceptu Entis.

Non Satisfacit Primò hæc Explicatio. Quia pro tempore pronuntiationis illarum particularum Hoc est, debet supponi objectum illarum præsens; cujus etiam præter dicta, ratio est: quia quamvis ly Hoc & Hic, sit nonnisi subjectum dictæ propositionis, nihilominus habet completionem quandam suæ veritatis, eò quòd sit non quidem formaliter, æquivalenter tamen inclusa propositio, in ipso ly Hoc est, & in ipso ly Hic est, idque ex eo: quia si resolvere velimus prædicta, tunc hunc sensum facient: Res quam demonstrando dico: Hoc, talis autem terminus habet æquivalenter affirmationem prædicati de subjecto, adeoque est æquivalenter propositio: quòd si pro tempore pronuntiationis illarum particularum debet esse illarum objectum: ergo cùm objectum illarum sit Corpus & Sanguis Christi sub ratione Entis, pro illo tempore deberet esse corpus & sanguis Christi sub ratione Entis, adeoque esset v.g. corpus Christi, ante corpus Christi, non enim est corpus Christi ante prolationem Formæ. Et si supponatur vel poni, vel significari corpus sub nomine entis, hoc ipso in re ponetur vel significabitur corpus sub ratione corporis: siquidem corpus sub nomine Entis, & corpus sub nomine corporis re non distinguuntur.

Non Satisfacit Secundò. Quia illa propositio, vel est speculativa, vel practica; si est speculativa: ergo non ponit quod significat; si practica: ergo suum effectum ponit; si ponit suum effectum, qui est corpus Christi sub nomine Entis: ergo non potest illum ponere, antequam intelligatur esse ipsa propositio: quando autem dico solùm ly Hoc est, nondum intelligitur esse propositio.

Non Satisfacit Tertiò. Ponamus post enuntiatam particulam *Hoc est*, cum intentione consecrandi, postea mutari intentionem, & desisti à pronuntiatione ulteriori formæ, de Fide est, non futurum illic corpus Christi: ergo pro illo tempore, pro quo enuntiabatur, *Hoc est*, non erat corpus Christi sub nomine Entis; alias mansisset etiam positâ desinentiâ à pronuntiandis aliis verbis formæ: ergo pro illo tempore non poterat particula *Hoc est*, significare corpus Christi sub nomine Entis, quia quod non est, demonstrari non potest particulâ quòd *Hoc sit*.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur primus modus idem explicandi.

Præmitto Primò. *Particulam* Est *habere diversam suam explicabilitatem*, nec semper significare identitatem vel existentiam: sic v.g. cùm dico, homo ab æterno est animal rationale, propositio per nos hunc sensum habet; homo ab æterno essentiatur animali rationali. In analogis etiam particula est, habet diversam explicabilitatem: unde est conjunctum cum medi-

cina,

trina, hunc sensum facit; Medicina causat sanitatem, conjuncta autem cum pulsu, accipitur pro ly indicat, ita ut sensus sit; Pulsus indicat sanitatem.

Præmitto Secundò. *Quòd diversitas ista explicandi particulam Est, desumatur, ex dixerstate; habitudinis prædicati ad subjectum*, ultimatè autē ex qualitate ipsius propositionis, in quantum à proferente dicitur; & certè cùm voces habeant significationem ex placito, & placitum sit liberum, & libertas cum dicat indeterminationem, etiam una dictio poterit non ita esse determinata, quin ex placito faciat aliam significationem, ipsique primi imponentes nomina, cùm fuerint finitæ capacitatis, providere non potuerunt, singulis concipiendis, singula significativa, dederuntque locum, ut secundùm varietatem concipiendi, unus terminus, nunc hoc, nunc illud significet.

Præmitto Tertiò. *In propositionibus prolatis ab efficiente, si propositiones sint causa effectus quem enuntiant, particula: Est habebit sensum explicabilem per terminum: Facio, Produco, Causo.* Imaginare Deum prolatis his verbis, hæc est lux, condentem lucem; ly est illo casu significabit Facio: erit enim sensus propositionis; hanc facio lucem: sic v. g. si Alexandrum designet Princeps Palatinum, & dicat hæc verba: hic est Palatinus, tunc illius propositionis sensus erit: hunc facio Palatinum.

Præmitto Quartò. *Ad significandas instantaneas productiones particulam Est commodiùs poni quàm particulam Facio.*

Ratio præmissi, quia cum instantaneis idem sit fieri, quod Factum esse; & cùm factum esse dicat permanentiam & consistentiam, commodiùs illa instantanea productio per particulam Est exprimetur: indubiè autem productio Eucharistica est instantanea.

Præmitto Quintò. *In explicando sensu totius Formæ respiciendum inprimis est, ut etiam inchoationi formæ, & illi particulæ* Hoc, & Hic, *speciale sui significativum attribuatur.*

Ratio peti potest ex dictis; quia verò Sacramenta sunt signa sensibilia, quantùm fieri potest etiam particulæ Hoc est, debet ostendi objectum demonstrabile ad sensum. Rursus attendi debet in modo significandi & ex vi sensûs illius formæ, ut non supponatur prius positio corporis Christi, quàm supponatur ipsum corpus Christi, quod nonnisi sub finem Formæ ponitur. Denique attendendum est, ne sensus formæ Fiat nonnisi de Futuro simpliciter, nam talis sensus expressè contravenit particulæ Est, quæ præsentiam significat & pro præsenti supponitur; nisi sumatur particula Est conjuncta restrictivo termino, qualiter sumitur, dùm dico: Judicium extremum est futurum; ubi ly Est, præsentiam non significat, nisi fortè teneas; quòd particula Est, etiam tunc pro præsenti accipi possit, eo quòd non importet rigorosè loquendo, solam futuritionem præsentiæ, sed potius præsentiam futuritionis; ut sit sensus, pro præsenti verum est dicere, quòd hoc postea erit, de quo infrà. *Ex his Præmissis*

Explicatur. Quid significet particula, Hoc est, vel hic est, in formis consecrativis. Particula *Est* habet diversam sui acceptabilitatem, ut dixi Præmisso primo, diversitate oriundâ inter alia ex varia habitudine prædicati ad subjectum ut dixi Præmisso secundo; inter habitudines est etiam, ut particula *Est* significet idem quod *Facio*; quando profertur ab Efficiente operante per locutionem, ut dixi Præmisso tertio; licèt ad instantaneas mutationes significandas, melius assumatur ly Est, quàm Facio, ut dixi Præmisso quarto: quia autem prolatio Formæ, est prolatio efficientis, per illam formam operantis mutationem panis in Eucharistiam, hinc ly Hoc, in forma consecrationis supponet pro pane commonstrato his accidentibus, quem facit Christus actione transsubstantiativa & conversiva corpus suum, & ly Hic supponit pro vino sub his accidentibus contento, quod facit Christus sanguinem suum; ita ut sensus formæ consecrationis sit Hunc panem, facio, transsubstantio, converto in corpus meum, & hæc Explicatio in re videtur esse S. Bonaventuræ in quartum dist. 8. parte 1. num. 1. quæst. 1.

Ratio prima Explicationis sit, quia nulla alia explicatio satisfacit istis punctis, quæ explicui Præmisso quinto, ut patuit fusiùs ex impugnatione earundem.

Ratio secunda est, quâ utitur S. Bonaventura; quæ cum aliqua limitatione sic proponi potest. Si nihil obsit, iste sensus est dandus formæ, qui significet explicitè conversionem panis v.g. in corpus Christi; quod ipsum probatur: quia cum Forma causet significando, causatio ista illius exprimi debet, si nihil obsit, consequenter debet exprimi ratio convertendi, quæ inter duos terminos, hoc est, terminum A quo, qui est panis, & terminum Ad quem, qui est corpus Christi, versatur; jam autem sola hæc explicatio, utrumque terminum seu sensum complectitur.

Ratio tertia est: Quia hâc explicatione, meliùs ostenditur connexio antecedentium verborum cum consequentibus: erit enim iste sensus: Accipite & comedite ex hoc pane omnes, hunc enim panem facio, converto, transsubstantio in corpus meum.

Dices Prim. Hanc sententiam favere Impanationi.

Respondetur. Nullo modo favere, nam ostendere, terminum A quo, esse panem in Conversione Eucharistica, non est favere impanationi, sed potius profiteri articulum Fidei,

qui est; quòd terminus A Quo conversionis Sacramentalis sit panis & vinum. Rursus non est favere hæreticis, dicere; quòd hic panis fiat, convertatur transsubstantietur &c. in corpus Christi.

Dices Secundò cum Lugo: quia hæc explicatio non accipit particulam Est ad mentem Tridentini Sess.13.cap.4. Ubi dicitur Christum illis verbis dixisse verè Corpus suum esse id, quòd sub specie panis offerebat, non offerebat autem panem, sed corpus suum sub specie panis, consequenter nec bene à Tridentino colligeretur ex vi verborum, realitas corporis Christi in Eucharistia.

Respondetur. Imò ex hoc fundamento roborari nostram explicationem; cùm enim aliunde supponatur, quòd in conversione debeat desinere terminus A Quo, & poni terminus Ad quem, secundùm limitationes in materia de conversione datas, cum ipsa vis verborum significet per nos conversionem, ex vi ipsa verborum sequitur non esse illic panem, sed poni terminum conversionis Ad quem, hoc est, corpus Christi. Rursus, quia in instantaneis idem est Fieri quod & Factum esse, hoc ipso, quia significant verba converti terminum à quo, adeoque deficere; & consequi terminum ad quem, adeoque poni, ipsa illius positio, est factum esse illius; consequenter illud Factum esse corporis, est illud, ratione cujus dici potest, obtulisse suum corpus. Denique cum verè corpus Christi sit sub speciebus panis, non quomodocunque sed actione conversivâ, nihil oberit significari illam ipsâ formâ consecrationis.

Instat DiCast.disp.3. num.70. Vi hujus explicationis non est conversio panis in corpus Christi, sed neque etiam panis ullo modo desineret: nam ut id fieret, necessaria erat aliqua actio terminata, aut per modum prolationis, aut per modum enuntiationis; aut aliqua alia ratione; hoc autem non exprimit Particula Transit.

Respondetur. In nostris principiis id exprimitur, quod vult Objectio; quia ly Est supponit pro Facio: in sententia autem S. Bonaventuræ, idem etiam exprimitur, ponendo quòd particula Est, supponat pro Transit: nam quamvis id non exprimatur, sufficit quòd id supponi debeat vi ipsius Transit, quia omne ly Transit supponit pro motu, adeoque actione positivâ illius conversionis, quæ conversio est ipsum illud Transit.

Dices Tertiò cum Amico: Quia hæc explicatio corrumpit propriam significationem verbi substantivi Est, quod non transitum ex uno termino in alium, sed identitatem prædicati cum subjecto propriè importat.

Respondetur. Argumentum non convincere propter dicta Præmisso primo & tertio, aliàs propositio institutiva hujus Palatini, dicendo: hic est Palatinus, importaret identitatem Palatinatûs cum hoc homine, & non faceret sensum quòd fiat & vocetur Palatinus: procedit ergo dicta ratio, cùm non profertur propositio ab ipso Efficiente, & quidem in circumstantia, in qua ipsa propositio habet vim efficiendi.

Dices Quartò cum eodem. Pronomen Hic in forma Calicis non potest supponere pro materia consecranda, alioquin dicendum fuisset: Hoc est Sanguis meus; quia vinum est materia consecranda, & est generis Neutrius.

Respondetur. Nihil esse de se, vel neutrius, vel masculini, vel fœminini generis, sed hæc omnia esse ex placito humano: quia verò ex eodem placito humano, eadem res potest habere diversa nomina, & nunc hoc nunc illo uti possumus, fit ut genere, accommodatè ad terminum, quo eandem rem significamus, utendum sit; sic v.g. substantia illa potabilis, nunc potest appellari vinum, nunc potus, nunc calix, &c. & sic Poetæ pro vino, calicem accipiunt; Facundi calices, quem non fecêre disertum. Ratio autem Amici si probaret aliquid, probaret Poetam non bona grammatica dixisse, hoc enim quod facit disertum est vinum, quod est neutrius generis, cùm tamen ille masculino genere utatur; in præsenti etiam debuisset dici, Hoc sanguis meus, si ad designandam illam substantiam assumptum fuisset nomen vini: quia verò ad illam substantiam designandam, assumitur ly Calix qui est generis masculini, bene usurpari potuit, non terminus Hoc, sed terminus Hic.

Dices Quintò cum eodem. Cùm nullum maneat subjectum Pani & Corpori Christi, commune; non recte dicitur; Panis fit Corpus Christi, sicut dicitur: Ignis fit aer, quia manet subjectum utrique termino commune.

Respondetur. Cùm ista conversio non habeat ullum exemplum in naturalibus, invenisse Ecclesiam terminum ipsi appropriatum, qui est Transsubstantiatio, quæ est species quædam conversionis ut sic; distincta autem à conversione naturali, quòd nullum subjectum commune utrique subjecto habeat, quod tamen est in omni conversione naturali: si ergo hunc terminum usurpare velis; sensus erit: hunc panem transsubstantio in corpus meum. Deinde dictum est in materia de conversione, non esse de essentia conversionis, manere subjectum commune utrique termino, sed sufficere manere aliquid commune utrique, hoc autem sunt accidentia, ratione quorum dici potest, panis, fieri corpus Christi. Quia nihilominus hæc explicatio non est ita usitata, hinc eadem difficultas ut explanetur,

sit

Pun-

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur alius modus idem explicandi.

Præmitto Primò. *ly Hoc esse particulam demonstrativam adeoque semper illi respondere debere demonstrabile.*

Ratio: quia si ly hoc non responderet demonstrabile, & esset ly hoc, & nõ esset; esset quidem ut supponitur, non esset autem, quia nihil demonstraret; si enim demonstraret, demonstrabile demonstraret, tu autem dicis illi non respondere demonstrabile; quod idem ulterius instantiis demonstrari potest; quia omni affirmationi respondet affirmabile. Negationi negabile; ergo & demonstrationi demonstrabile.

Præmitto Secundò. *Particulam* Hoc *quamvis sit demonstrativa, & demonstratio sit nonnisi singularium, nihilominus posse accipi pro hoc apto significare, & istud particulare, & istud.*

Præmitto Tertiò. *Rationem illam genericam Hoc, posse dividi in quantum ad præsens, in Hoc demonstrativum ad sensum, & in Hoc, demonstrativum ad intellectum*; sic possum dicere; hic color quem video est albus; quo casu Hoc, est demonstrativum ad sensum; potest item dici, Hoc ens rationis, est Chymæra; quo casu ly hoc, est demonstrativum ad intellectum.

Præmitto Quartò. *Tam demonstrativum ad sensum quàm demonstrativum ad intellectum, potest accipi, vel pro præsenti, vel pro futuro*; & quidem quòd demonstretur aliquid ad sensum pro præsenti, obvia sunt exempla; ut cum dico; hic panis est albus; sunt tamen exempla demonstrativorum pro futuro, ut cum dico; hæc res fiet; quando hic calor producetur; demonstrativum item aliquid pro futuro, si dicam ignis A, quando hunc ignem producet; ubi ly hunc, supponit pro demonstrabili ad sensum, non tamen nisi pro tempore futuro. Dicimus item, hæc vespera tardat; quam propositionem proferimus nondum positâ vesperâ; & tamen ly hæc, supponit, nonnisi pro futuro; & sic de reliquis exemplis. Quòd autem in istis omnibus demonstretur aliquid non præsens, ratio est: quia hoc quod futurum est, non est pro præsenti; sed quod demonstratur, est, quod futurum est, ut ostendit demonstrationis status; ergo quod demonstratur pro præsenti non est.

Præmitto Quintò. *Quòd quamvis sint aliqua demonstrabilia nonnisi de futuro, idque in ordine ad sensum; atque adeò quamvis sint aliqua, quæ demonstrent nonnisi futurum, nihilominus est in illa futuritione cogitabilis quædam præsentia*, quam supra appellavimus præsentiam futuritionis; quod ex una parte exinde infertur, quia particulæ *hoc* semper aliquid præsentiæ respondet; est enim primò & per se nata, esse indicativa præsentis; hinc etiam significatio *præsentis*, & *hujus*, sibi ad invicem non rarò substitui possunt; benè enim possum dicere, præsens dies & hæc dies; præsens lætitia, & hæc lætitia, & sic in similibus; quodsi particulæ *hoc* semper aliquid præsentiæ respondet, etiam dum demonstratur futuritio, debet respondere futuritionis præsentialis: ex altera parte, hæc ipsa præsentialitas potest in futuritione inveniri; quomodo autem intelligenda sit præsentia futuritionis, id commodè disci potest ex scientia divina, quam Deus habet ab æterno de objectis futuris, quæ futura dicuntur à Deo cognosci in sua præsentialitate ad æternitatem, & quidem cognosci nunc, & actu, & pro præsenti; sicut ergo in objectis futuris Scientiæ divinæ, stat futuritio cum ly nunc, stat non præsentia cum præsentialitate; ita etiam stare benè poterit conjunctio præsentiæ & futuritionis, consurgereque præsentia futuritionis; in re autem præsentia futuritionis non aliud est, quam objectum de quo verum est dicere nunc, postea erit.

Præmitto Sextò. *Vt propositio practica, in qua particula Hoc est supponit pro demonstrabili habente præsentiam futuritionis, sit vera; necesse est intervenire inter ly Hoc est, & inter prædicatum, identitatem.*

Ratio est: quia universaliter propositio vera, in qua pro seipsa supponitur particula *Est*, requirit identitatem prædicati cum subjecto, aliàs non deberet poni particula Est, sed non est. Dixi quando particula *Est* sumitur & supponitur pro seipsa; hoc est; quando sumitur ut sonat Verbum *Est*: quia si sumatur in alio sensu, sufficit ut dicat habitudinem prædicati ad subjectum. Deinde si ly hoc, non diceret identitatem cum prædicato, & esset hoc prædicatum ut supponitur; & non esset: quia tu negas illius *Hoc* cum illo prædicato identitatem. Quòd autem etiam in Præsenti Particula *Est*, debeat dicere identitatem, suadetur exinde; quia verba Sacræ Scripturæ, quantùm fieri potest simpliciter sunt accipienda: simplicius autem accipietur Particula Est, si sumatur pro seipsa, & tanquam significativa identitatis.

Præmitto Septimò, *Posito quòd inter ly Hoc & inter prædicatum, sit identitas, ne ex utroque fiat propositio identica, non est necesse ut subjectum sit aliud à prædicato, re; sed sufficit ut sit aliud ex modo concipiendi*; sic v. g. nemo dicit hanc propositionem esse identicam, hic est Petrus: quia quamvis ly Hic, in re supponat pro Petro, sufficit ut modo concipiendi, differat. *Ex his præmissis*

Explicari potest, quid significet ly *Hoc* in prolatione formæ; quòd scilicet significet ipsum Corpus Christi ponendum vi verborum, quod ipsum ex præmissis sic proponitur. Particulæ *Hoc* demonstrativæ, debet respondere demonstrabile; ut dixi Præmisso primo; licet *Hoc* demonstrabile, possit esse aptum significare

plura, ut dixi Præmisso secundo; ipsum demonstrabile *hoc vel illud*, est demonstrabile vel ad sensum, vel ad intellectum, ut dixi Præmisso tertio; idque tam præsens, quàm futurum, ut dixi Præmisso quarto. Demonstrabile *Hoc* futurum, habet etiam suam præsentialitatem, quam intimat particula *Hoc*, ut dixi Præmisso quinto. Quando autem intimatur futuri præsentialitas, sed per particulam *Est* supponentem pro seipsa, debet simul salvari identitas inter prædicatum & subjectum. Ut dixi Præmisso sexto; fierique id potest sine ulla Tautologia, ut dixi Præmisso septimo. Consequenter in forma consecrationis particula *Hoc est*, demonstrat præsentialitatem futuritionis Corporis Christi; & ipsum *hoc* supponit pro Corpore Christi sed ponendo vi verborum integrè prolatorum.

Inferes. Per quid differat hæc sententia à prærefutatis, differt; quia tenet particulam *hoc* significare aliquid determinatum, nempe corpus ponendum, differt; quia ly *hoc* applicatur ad subintellectum ly ponendum, differt; quia explicat & ostendit præsentialitatem futuritionis, cum alii ad futuritionem nonnisi se referant, differt; quia ly *hoc*, non construitur cum subintellecto ly contentum; nam hoc contentum alio modo significat sub initium, nempe panem, alio modo sub finem, nempe significando Corpus Christi, differt; quia explicat aliquid esse illic sensibile ad sensum, nempe ponendum Corpus, quod est sensibile ratione accidentium Eucharisticorum.

Dices primò. Etiam positis hactenus dictis, non explicari, quis sit sensus illorum verborum, Accipite & comedite ex hoc omnes; nam si illud Hoc, significabat ponendum in fine prolationis verborum, cum illi ex hoc, coexstiterit panis, censendus erit Christus invitâsse ad comestionem panis.

Respondetur. Dictorum verborum hunc esse sensum: Accipite & comedite ex hoc ponendo à me, hoc autem ponendum est Corpus meum; hinc per nos non ad panem, sed ad corpus Christi comedendum, sub Eucharistia mox perficienda, invitabantur Apostoli.

Dices secundò ex Lugone. Si aliquis diceret ostendendo pomum, Accipe & comede ex hoc, quia est cibus salutaris, & post illa verba antequam daret illud pomum, converteret illud in lapidem; talis revera non invitaret ad esum lapidis, sed potius pomi ostensi; ergo cum Christus habuerit panem in manu, quando dicebat; Accipite & comedite ex hoc; non poterant Apostoli putare, quòd ad esum Corporis Christi fuerint invitati, sed ad panem.

Respondetur. Tenente Christo panem & dicente; Accipite & comedite ex hoc omnes, si fuisset jam finita & terminata locutio, intulissent bene Apostoli, se invitatos ad esum panis; non fuit autem finita ista oratio, nam ipsum Hoc subexplicuit Christus, quòd esset Corpus suum; hinc etiam aliquis suspensa oratione, invitaret ad esum pomi, quod interim faceret lapidem, non censendus esset invitâsse ad esum; spectabat autem ad divinam providentiam, præilluminâsse Apostolos, quòd ly Ex hoc, suspensæ fuerit significationis, quoadusque non fuisset prolatum, Hoc est enim corpus meum.

Dices tertiò. Saltem ex istis omnibus sequitur, quòd verba formæ non habeant sensum de præsenti, sed de futuro; verificantur enim nonnisi in fine prolationis.

Respondetur. Immeritò inferri, quòd ea verba quæ nonnisi verificantur in fine prolationis formæ, verificentur simpliciter de futuro, cum enim ante prolationem totius formæ, non sit significatio completa, & cum eo tempore quo completur, nihil jam sit futurum transeat in præsens; & pro illo futuro jam præsenti facto, illa verba verificentur; fit ut nullo modo, dici debeat significari futuritionem. Deinde ut dictum supra, ostendere nos hîc præsentiam cum addito, hoc est; futuritionis, adeoque non ostenditur à nobis significatio simpliciter futuri: nec vetat, ut hæc sola sufficiat.

Instabis. Si rex creando Palatinum dicat; hic erit Palatinus, non erit falsa propositio. Ergo & in præsenti, si dicam; Hoc erit Corpus, non erit falsa significatio.

Respondetur. Illud erit, duplicem potest habere sensum: imprimis designativum, quòd hoc postea creabitur Palatinus; & tunc non habet sensum falsum, quia etiam tunc non est Palatinus, sed formali *erit*, respondet objectivum *erit* Palatini. Deinde potest habere sensum, ut illa dictione fiat creatio Palatini, & tunc Erit, supponet pro facientia efficaci Palatini, cui respondebit objectivum esse morale Palatini, neque jam habebitur tunc futura creatio Palatini, sed ejus præsens creatio, licèt complenda illa dictione; Hic erit Palatinus. Ex quo infer, in hac secunda acceptione ipsius *erit*, potuisse, præsens etiam Sacramentum, instituisse Christum, sed non instituit; quia maluit usurpare ipsum ly Est.

DIFFICULTAS II.

An ex vi sensûs Formæ colligatur Transsubstantiatio?

Dicendum est Primò. *Possibile fuisse ut sub iisdem accidentibus, maneret simul substantia panis & corpus Christi*; est Conclusio contra Capreolum, Ferarienſ. & quosdam alios ex Thomistis.

Pro-

Probatur Primò. Quia id non implicat contradictionem.

Probatur Secundò. Quia si id implicaret, vel implicaret ex eo, quòd sit necessaria actio conversiva in ordine ad hoc, ut præsens fiat Corpus Christi sub speciebus panis, adeoque ex parte actionis, & hoc non; quia actioni huic, quâ poneretur Corpus Christi in Eucharistia, non necessariò connectitur actio privativa, quâ panis deficere deberet; quod ipsum probatur; quia istæ actiones sunt inter se distinctæ realiter, & nullam inter se dependentiam habentes; vel implicaret ex eo, quia scilicet panis & Corpus Christi non possunt esse simul, adeoque ex parte terminorum, & hoc non; quia possunt substantiæ duæ stare secum penetratæ. Vel implicaret ex parte modi existendi indivisibiliter, & hoc non: quia defacto fides docet Corpus Christi in Eucharistia retenta sua quantitate, indivisibiliter existere; cur non simul cum pane existere potuisset indivisibiliter: ad eum modum, quo Corpore Christi extra Sacramentum divisibiliter existente, indivisibiliter existit anima illius in eodem corpore.

Probatur tertiò. Ratione quâ utitur Vasq. quia potuisset Christus formam consecrationis ejusmodi instituere; sit hîc Corpus meum; quo casu non minus tunc operaretur Forma, quàm defacto operetur forma præsens, quâ utimur. Ergo sicut ex vi institutionis necesse est ad prolationem illorum verborum desinere panem, & adesse Corpus Christi; ita de possibili ad prolationem aliorum verborum; Hîc sit Corpus, oporteret esse Corpus Christi, & non desinere panem: quia non possunt falsò proferri verba, nomine Christi.

Objicitur primò. In oppositum esse authoritatem S. Thomæ.

Respondetur. Illam explicari posse de præsenti ordine; non enim illic enumerat omnes modos possibiles, quibus Deus potest facere aliquid præsens alteri, sed solùm ponit duos modos ordinarios, quibus aliquid potest fieri præsens alicubi, scilicet vel per loci mutationem, vel per conversionem.

Objicitur secundò. Eo casu non verificaretur forma. Hoc est Corpus meum.

Respondetur. Quòd tunc illa forma non verificaretur; sed non implicat aliam institui formam Consecrationis.

Objicitur tertiò. Hostia adorari debet latriæ cultu, & tamen tunc adorari non posset. Rursùs esset contra ritum Ecclesiæ: quia cum v.g. hostia sumpta licitum est etiam aliam sumere, casu v.g. quo remaneat, non communicante eo, qui communicare debuerat & non datâ commoditate servandi eandem, quòd tunc fieri non potuisset, nam communicaturus non esset jejunus, supponeretur enim sumpsisse panem.

Respondetur. Sicut Sacramentum adorari potest non adoratâ pixide, ita adorari potuisset Corpus Christi non adorato pane. Rursùs de non sumenda Eucharistia nisi à jejuno, est nonnisi lex Ecclesiæ, quæ lex non impedit ea, quæ Deus per absolutam suam potentiam, facere potest.

Dicendum secundò. *Defacto sub accidentibus panis, non manet panis post formam Consecrationis, sed solùm corpus Christi.*

Probatur Conclusio. Quia sic definivit Ecclesia; innovavitque eandem definitionem Tridentinum contra Lutherum asserentem Corpus Christi in Eucharistia esse cum pane.

Dicendum Tertiò. *Non manere substantiam panis in Eucharistia, rectè colligitur ex ipso sensu verborum*; est contra Durandum Paludanum & quosdam alios.

Probatur primò. Authoritate Trident. Sess. 13. cap. 4. *Quoniam autem Christus redemptor noster Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque hîc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Domini nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis ejus.* En Trident. transubstantiationem infert, ex eo, quòd id verè dixerit Christus. Hoc est Corpus meum.

Probatur secundò. Quia hujus collectionis hoc potest esse argumentum; Verba formæ debent esse vera: sed nisi tunc poneretur transubstantiatio panis in Corpus Christi non forent vera verba formæ, quod absurdum est. Sequela probatur: nam ly Hoc, non posset ostendi, pro quo supponeret, eo casu; quod ipsum probatur. Non supponeret imprimis pro accidentibus, secundùm se sumptis, quia hæc non sunt Corpus Christi; non supponeret etiam pro pane; quia vel supponeret pro pane convertendo, adeoque transubstantiando, vel pro pane manente. Non pro pane transubstantiando, quia hanc transubstantiationem non important per te, verba formæ. Non pro pane permanente; quia falsa forent verba formæ, non enim panis est Corpus Christi. Non etiam verba formæ verificarentur de ipso corpore, licèt maneat illic panis; quod ipsum probatur: quia quando sub eodem sensibili sunt plures substantiæ, non potest dici; Hoc est hoc, unâ tantum substantiâ demonstratâ; & id ostendit inductio; nam si in eodem marsupio contineatur aurum & plumbum, non potest verè dici; Hoc est aurum, nec potest de homine dici, hoc est anima: quia præter animam continetur etiam Corpus. Deinde, ut advertit Amicus, ly *hoc*, ex usu humano, continet virtualiter hanc restrictivam, *hoc, est tantùm hoc*; cum autem Christus fuerit usus nominibus quæ sunt in usu humano, cumque defacto usus fuerit particulâ

hoc,

hoc, ista particula necessariò debuit esse restrictiva virtualiter, adeoque exclusiva panis. Quæ omnia ulterius in hoc fundantur: quia inter prædicatum & subjectum debet intercedere identitas, si particula Est supponat pro seipsa: quando autem sunt plura quæ possunt habere rationem subjecti, eaque diversa, fit ut prædicatum verificari non possit de toto, nisi de parte subjecti, & si sine restrictione prædicetur de subjecto, falsam reddet propositionem; sic v.g. Tria sunt duo, est falsa propositio: quia ly tria subjectum plus continet quàm duo, & sic in reliquis; & sicut si vellem de tribus prædicare duo, deberem uti restrictivâ particulâ dicendo; In his tribus continentur etiam duo; irrestricta autem illa prædicatio omnino est falsa. Sic etiam in præsenti dicere deberem, in hoc continetur etiam Còrpus Christi: si autem irrestrictè prædicetur; hoc est Corpus meum, propositio erit falsa; ergo ut sit vera, debuit supponi exclusio panis. Ergo & transsubstantiatio.

Probatur tertiò. Quia inter has duas propositiones. Hic est Corpus meum, & Hoc est Corpus meum, est diversitas. Ergo & hujus diversitatis in ipso objecto, debet dari fundamentum; & licèt quidem quando dico, Hoc est Corpus meum, verificetur etiam implicitè quod non solùm hoc, sed etiam hîc sit, non tamen è converso; casu autem posito, quòd cum pane staret Corpus Christi, non haberetur ullum fundamentum primum affirmandi; nempe quòd vera sit hæc propositio: Hic esse corpus Christi; ergo ex veritate dicti, *hoc est*, colligi potuit, & debuit transsubstantiatio.

Objicitur primò. Christus Dominus habet duas naturas, & tamen Christum ostendendo, verè dici potest; Hic est homo, non explicando alteram naturam. Ergo etiam quamvis sub accidentibus panis, substantia panis & corpus Christi contineretur, adhuc verè posset dici; Hoc est Corpus meum, non explicando aliam substantiam, hoc est, panem.

Respondetur. Disparitatem esse: quia ly Homo supponit non pro humanitate; & si supponeret pro illa, hoc ipso falsa foret propositio, verè enim est illic etiam natura divina; imò exinde sumitur argumentum pro nobis; quia si falsa foret hæc propositio; Hoc est humanitas, eò quòd illic contineatur etiam natura divina; ita falsa foret hæc propositio; Hoc est Corpus, si illic etiam contineatur panis. Si ly homo supponit non pro humanitate, supponet pro persona divina terminante naturam humanã, si supponet pro Persona divina terminante naturam humanam, tunc illa propositio; Hoc est homo, faciet hunc sensum; Hoc quod est Persona divina, est & Persona humanitatis; si faciet hunc sensum, erit identitas inter prædicatum & subjectum: erit enim identitas inter Personam divinam identificatam realiter naturæ divinæ, & hoc terminans humanitatem; si erit identitas, erit & veritas. Non potest autem identitas ostendi inter Corpus & panem, adeoque nec verificabilitas hujus propositionis. Hoc est Corpus, casu quo illic reperiatur panis.

Instabis. Præter humanitatem quæ terminatur à Persona Verbi, est illic etiam divinitas terminata; & tamen vera est hæc propositio. Hoc est homo, non respondente divinitate.

Respondetur. Nego sub ly Hoc, non respondere etiam divinitatem, cum qua tamen divinitate identificatur Persona divina, quæ ponitur pro prædicato, dum dico; Hoc est homo, consequenter adhuc ostenditur & identitas & verificabilitas propositionis; sub ly autem hoc, non potest respondere panis, quia ille non dicit identitatem cum prædicato, quod est Corpus. Reflectendo autem mentem etiam ad naturam humanam quæ respondet sub termino Hoc. Ostendetur veritas hujus propositionis Hoc est homo, idque ideo, quia respondens natura humana sub termino Hoc est, habet illa identitatem cum se terminata & importata sub Termino Homo, qui terminus dicit in præsenti Personam Divinam, terminantem Naturam humanam, & aliunde Natura Divina importata sub Termino Hoc est, dicit identitatem cum Persona Divina terminante naturam humanam, ut dictum.

Objicitur secundò. Etiam non positâ transsubstantiatione, posset esse hic sensus formæ, sub hoc sensibili continente, quod continens non sunt sola accidentia, sed etiam substantia panis, est corpus meum: nam si possunt continere accidentia panis corpus Christi, cur non poterit etiam ipsum Corpus contineri à pane?

Respondetur. Sensum hunc dictæ formæ non posse esse, eo quòd nulla sit continentia, quæ conveniat ipsi substantiæ panis: nam continentia quæ competit accidentibus, est continentia Signi, & continentia similis ei, quam dicunt accidentia, respectu substantiarum quas continent.

Instabis. Cur non possit dici, quòd panis per modum vasis contineat Corpus Christi, si continet ita. Ergo sicut possum dicere de dolio, Hoc est vinum; ita possum dicere de pane, Hoc est Corpus.

Respondetur. Quòd non contineatur Corpus Christi à pane tanquam à vase; & id ex ipsis verbis formæ infertur; nam cum dicitur; hoc est vinum, ostendendo dolium, est locutio figurata, verba autem Scripturæ, ut sonant, adeoque non figuratè sunt accipienda, si nihil obsit, nihil autè in præsenti obstat. Rursùs quòd significando dolium, dicatur; hoc est vinum, pendet ex usu humano, non autem quòd universaliter sumi possit continens pro contento: nemo enim

recte

rectè dixerit ostendendo ædificium, quod continet Dominum, hoc est Dominus. Cur ergo dicetur Christus, intelligendo de pane continente; Hoc est corpus, cum pro hoc, nullus sit usus loquendi.

Objicitur tertiò. Quamvis sub speciebus panis præter corpus Christi, contineatur etiam anima & sanguis, nihilominus benè dici potest; Hoc est corpus Christi. Ergo etiam quamvis sub speciebus panis contineatur etiam panis, rectè dicetur; hoc corpus Christi.

Respondetur. Disparitatem esse: quòd sub ly hoc, per concomitantiam, ob naturalem unionem inter partes, venit anima & sanguis, quæ etiam per concomitantiam importantur à corpore, consequenter datur identitas inter prædicatum & subjectum: nulla autem in casu præsenti potest ostendi identitas panem & corpus.

Instabis. Quamvis in toto Eucharistico sit non solùm Corpus sed etiam accidentia, nihilominus cum dico; hoc est Corpus meum, verè dico; licèt accidentia non sint corpus Christi. Ergo etiam verè dicam, hoc est, corpus meum, licèt illic sit etiam panis.

Respondetur. In casu antecedentis servatur identitas inter prædicatum & subjectum: quia sub ly hoc, respondet etiam sensibile ad sensum, & in prædicato corpus sub infertur, non corpus utcunque sed Sacramentaliter positum, adeoque sensibiliter sub accidentibus, consequenter datur sub hac suppositionis parte, identitas inter prædicatum & subjectum, adeoque & verificabilitas; similis autem identitas non ostendetur, inter panem & corpus.

Objicitur quartò. De obsesso bene dicitur; hic est dæmon, quamvis ibi sit substantia hominis. Ergò etiam bene dici poterit, hoc est corpus meum, quamvis illic sit substantia panis.

Respondetur. De obsesso rectè dicitur, quòd sit dæmoniacus, non autem dæmon; disparitas etiam dari posset: quia illa prior figurata est locutio, Christi autem verba, ut sonant, accipienda.

Objicitur quintò. Ostendendo solum æternum Patrem, dicere possum; hic est Deus, quamvis Deus, sit etiam Filius, distinctus realiter à Patre. Ergo etiam dicendo, hoc est corpus meum, potest significari etiam panis, quamvis corpus & panis, non sit idem.

Respondetur. Cum Pater & Filius identificentur in Deitate, vera erit propositio, hic est Deus, dicta, tam de Patre, quàm de Filio, non est autem identitas inter panem & corpus; & sicut cum dico; Pater est hæc Persona divina, excludo Spiritum S. & Filium: quia in ratione Personæ non habent identitatem; ita cum dicitur; Hoc est corpus meum, excluditur panis, quia ille non habet identitatem cum corpore.

DIFFICULTAS III.

An verba Consecrationis dicantur significativè an recitativè?

SEnsus tituli est; an verba Formæ ita sint proferenda, ut tantùm referatur, quid Christus dixerit; an verò dici debeant, ut ita dicam assertivè, licèt in Persona Christi; & quidem dici nonnisi recitativè docet Durandus, Mayron, Rubio, Major, quibus favet noster Salmeron. Recitativè autem & simul significativè, tenet Suar. Coning, Lugo, DiCast. Esparza; proferri autem nonnisi enuntiativè, seu ut alii loquuntur significativè, seu ut denique alii formaliter, tenent Amicus, Vasq. & alii; discurrendo autem de hoc; an verba recitativè an significativè dicantur, loquimur de hoc, quomodo formanda sit intentio, recitandinè an significandi? non loquimur autem vel de recitatione & significatione in rectò sumpta vel decidendum erit conformiter ad dicenda difficultate quartâ.

Punctum Difficultatis 1.

An sit possibile eadem verba simul recitativè & significativè proferri?

UT respondeatur titulo difficultatis propositæ, videtur præmitti debere quæstio de ipsa possibilitate conjunctionis recitationis & significationis.

Dicendum est. *Possibile esse eadem verba à Sacerdote dici recitativè seu materialiter, & simul significativè, seu formaliter.*

Probatur primò. Quia id non implicat contradictionem.

Probatur secundò. Quia una eademque propositio in ordine ad diversos, simul tamen audientes, potest ita dici, ut non intelligatur sensus ab audientibus, & simul etiam ut intelligatur ab aliis audientibus; ut si aliquis loquatur lingua peregrina ad audientes, quorum aliqui norunt illam linguam, & alii non norunt. Item si utatur terminis æquivocis, in quorum significationem prævidet prudenter, alios deventuros; alios non deventuros. Ergo etiam poterit unam eandemque formam recitativè & simul significativè proferre; nec enim major est distinctio, inter Personam propriam & alienam, quarum utraque eo casu sumeretur; quam sit inter intentionem significandi expeditè, & non

signi-

significandi expeditè. Ergo si hæc posteriora salvari possunt, in una eademque locutione, poterunt & priora.

Probatur tertiò. Quia quæcunque hac in parte assignari poterit contradictio, ea non procedet ratione ejusdem, sed ratione diversorum, sive illud sit diversa intentio comparabilis cum alia, & consimilis duabus intentionibus contrariis, aut duobus affectibus efficaci & inefficaci; sicut nihil implicat, ut quis referendo hanc propositionem; Calvinus negat libertatem arbitrio humano, & illam referat, & simul ei assensum præbeat; ita nihil implicat, ut quis ita proferat verba formæ. Hoc dixit Christus, hoc est corpus meum; & ego in Persona illius hoc dico.

Objicies primò cum Amico. Hi duo modi, nempe loqui in persona alterius & propria, pro eodem tempore & respectu ejusdem locutionis, saltem naturaliter repugnant inter se, loqui in persona alterius, excludit loqui in propria: qui enim loquitur in Persona alterius, debet exuere propriam & induere alterius; dum autem loquitur in persona propria, debet substituere propriam in locum alterius, & in sua loqui, ac si esset alterius.

Respondetur. Negando antecedens cum omnibus suis probationibus. Negatur ulterius, quòd aliquis in sua persona non possit loqui ac sua, & simul in sua persona ac si sit alterius: id enim innui supra, hoc quod est loqui in persona propria vel aliena pendet ab intentione loquentis, & verbis comparabilibus ad utramque personam; potest autem stare intentio loquendi, simul in persona propria vel alterius, possuntque haberi talia verba; & sicut una eademque res, potest habere diversas formalitates: potest una eademque deambulatio fieri ex duobus finibus, cur etiam dici non poterit aliquid ex fine exprimendi locutionem propriam, & simul ex fine exprimendi locutionem alienam. Cæterum loqui in propria persona tantùm excludit loqui in aliena; licèt loqui in propria persona indefinitè, non excludit loqui in aliena: imò loqui in propria persona, & loqui in aliena, habent se ita sicut duæ causæ totales in diverso genere; sicut enim materia non est forma, & unaquæque ex istis est causa totalis in suo genere: ita persona propria, non est persona aliena, sed unaquæque formalisat locutionem totaliter in suo genere, consequenter compatibiliter.

Responderi potest aliter eidem argumento. Quòd sit impossibile saltem naturaliter loqui in propria persona & simul alterius; accipiendo personam physicè: nam non potest fieri saltem naturaliter, ut idem duabus personis terminetur, accipiendo tamen personam moraliter, fieri potest ut idem quis loquatur, & ex propria persona & ex aliena, hoc est; nomine proprio & alieno, significando aliquid ex suo, & alieno sensu; & sicut non potest aliquis physicè imperare saltem naturaliter, in propria & aliena persona, potest nihilominus moraliter: imò est impossibile saltem naturaliter loqui materialiter in aliena persona, & non simul physicè in propria, quia actiones semper sunt suppositorum.

Instat. Hoc ipso quòd aliquis eandem locutionem pro eodem tempore nomine alterius exercet, non habet quod eadem persona, nomine proprio in eandem locutionem efficiat, per illam enim asserit quòd assereret alter.

Respondetur. Hoc ipso, quòd aliquis loquatur alieno nomine, non habet quod physicè efficiat in eandem locutionem; habet tamen quod efficiat moraliter, nempe recitationi, moralitatem significationis & formalis locutionis addendo.

Objices secundò ex Lugo urgente pro intento Vasq. Verba æquivoca in hoc differunt ab univocis, quod vox univoca potest plura ut unum significare, & ideo simul potest significare, omnia illa plura ut unum; vox æquivoca significat plura ut plura, & ideo non supponitur pro omnibus illis, sed pro uno illorum, ex intentione loquentis. Ergo cum ly *hoc*, in forma consecrationis sit terminus æquivocus, non poterit in propositione supponere pro pluribus simul, sed pro contento, sub aliquibus accidentibus determinatis, ex intentione loquentis. Ergo non potest simul referri ad accidentia consecrata à Christo in cœna, & ad accidentia, quæ nunc consecrantur.

Respondetur. Verba formæ dupliciter accipi posse, & prout consecrativa sunt, & prout repræsentativa actionis Christi; prout consecrativa sunt, supponunt non pro accidentibus in cœna consecratis, sed pro præsentibus accidentibus; jam autem prout repræsentativa, supponunt pro accidentibus in cœna consecratis, quæ repræsentant præsentia accidentia; hinc processus ille actionis Sacerdotalis sic exprimi potest; Recito hæc, quæ Christus circa accidentia consecrata in cœna egit; & simul significo & affero supra accidentia præsentia, quæ sunt repræsentatio quædam, accidentium à Christo consecratorum; hoc autem quod assumit objectio, nempe nomen æquivocum non posse simul pro pluribus supponere, infringit Lugo, instantia: nam si dicat quis; Petrus Apostolus cuidam ab ipso petenti respondit, quod & ego etiam tibi nunc dico. Argentum & aurũ non est mihi, ubi ly Mihi supponit & pro Petro & pro illo dicente, cujus ulterior ratio reddi potest: quia cum tota fabrica formalis significationis, pendeat à placito humano, quod aliqua nomina, non determinavit ad unum nomisi significandum, fit ut circumstantiæ, sicut possunt determinare, ut nomen hic & nunc hoc signi-

gnificet; ita determinare possunt, ut hic & nunc plura significet; neque enim potior est ratio unius, quàm alterius.

Objicitur Tertiò. Si idem posset dici recitativè & simul significativè, idemque verbum posset supponere pro utroque, etiam ly Te, in absolutione positum, posset supponere pro duobus: atque adeo si duo essent pœnitentes, possent absolvi dicendo: Ego te absolvo.

Respondetur. Disparitatem esse: quia de essentia Sacramenti est, ut ex modo significandi, intentioni correspondeant verba formalia, ut ita servetur, Ratio sensibilis humano modo, in Sacramentis requisita: quia verò illic est intentio absolvendi utrumque, & huic intentioni ex modo significandi, non corresponderent verba, utpote unum significantia, fit ut illa absolutio pro utroque non teneat: jam autem hoc quod est proferri recitativè simul & significativè, cùm stet circa eadem verba, nonnisi in ipso præcisè actu interno; fit ut eadem verba, possint simul significativè recitativè dici. Adde quòd absolutio sequatur rationem judicii; absolutio autem judicialis, Te, non accipit pro duobus: habere autem rationem recitantis & significantis, non sequitur rationem judicii, sed sequitur rationem intentionis internæ, recitandi autem intentio & significandi, possunt secum stare.

Punctum Difficultatis 2.

Quomodo defacto hæc Verba proferantur?

Dicendum est. *Defacto ea proferri etiam recitativè, sed non consecrant nisi assertivè prolata.*

Prima pars Conclusionis.

Probatur Primò. Illa verba: Accipite & comedite ex hoc omnes, vel dicuntur recitativè, vel assertivè? Si recitativè; ergo & verba formæ dicentur recitativè: quia aliàs non posset illis adnecti causalis Enim; pro alio enim supponeret ly *Ex hoc* recitativè dictum, supponeret enim pro hostia, quâ usus est Christus: ly autem Hoc in verbis formæ, supponeret non pro illa hostia, sed pro præsenti quam habet Sacerdos; quod ipsum declarat Lugo; non enim est bona causalis; Christus dixit, ut comederent ex eo, quod tunc habebat in manibus, quia hoc quod nunc habeo in manibus, est corpus Christi. Si autem illa verba dicuntur assertivè, violentiam facis verbis, & non accipis ea eo sensu dicta, quo dici solent ab hominibus, nam cum dico: Patersamilias dicit, comede panem, illa locutio habet conditionem recitationis, ergo & in præsenti habebit.

Respondet Amicus. Priora verba tantùm recitativè dici, verba autem formæ, etiam significativè; participiumque illud *dicens*, aut refert Christum proferentem tantùm priora, & non verba Formæ; aut dici potest, quòd referat Christum in ultima Cœna, tàm in propria persona loquentem, quàm in persona Sacerdotis.

Contra est: Quia redit Argumentum, quî scilicet ly *Enim*, adjungi hîc possit, si ly *ex hoc* dicatur recitativè, ly autem, *Hoc est* assertivè; deinde quòd nos agamus in persona Christi, id usurpatissimum est apud Doctores, sed quòd in ultima cœna Christus egerit in persona Sacerdotum, id est novum; denique, quid est hoc agere Christum in persona Sacerdotis, cùm nec Sacerdos virtutem agendi Christo tribuerit, nec dicebatur Christus consecrasse virtute Sacerdotum; & quamvis Christus id egerit in bonum nostrum, non sequitur, quòd jam illa verba, nexum inter se habere non debeant.

Probatur Secundò. Argumento desumpto ex illis verbis: Hæc quotiescunque feceritis, &c. & ex illis: Effundetur in remissionem peccatorum; quia casu, quo dicta verba Sacerdos assertivè diceret, falsum assereret; assereret enim Sanguinem illum effundendum, cùm jam effusus sit, & glorioſus effundi non possit: jam autem quis dicat tunc falsam proferre propositionem Sacerdotem.

Respondet Amicus. Verbum effundetur referri à Sacerdote ut constituto præsente, tempori quo Christus hæc verba primum protulit.

Contra est. Hoc ipsum quod est tibi præsentem Sanguinem, ad tempus ultimæ cœnæ; hoc ipsum quod est illa verba proferri à Sacerdote, ut præsente tempori, quo Christus hæc verba protulit, &c. similia, potest etiam recitativè dici, cur ergo non dicetur recitativè. Tum quia impugnat Amicus omnem materiam à futuris Sacerdotibus consecrabilem, à Christo fuisse consecratam: ergo etiam non debet dici præsentem materiam, prout præsentem tempori quo Christus consecravit, à Sacerdote consecrari, præcipuè cum id arbitrariè dicatur. Tum quia quando dicit Sacerdos Accipiens & hunc præclarum calicem, potest adhuc benè dicere illa verba recitativè, sed per modum epitheti ex placito Ecclesiæ additi.

Probatur Tertiò. Quia omnia illa verba possent dici recitativè: quia in modo dicendi & referendi possunt simpliciter ita dici, ut dicerentur, si illa aliquis in catechismo vel concione narraret: particulæ item, quæ illic interveniunt, sunt similes illis, quibus uti solemus, dum aliquid recitativè componimus; ut particula Dicens; particula, Effundetur, &c. trahens post se narrationem verborum dictorum, rursus illæ particulæ non destruent, quominus

adhuc assertivè, verba formæ dici possent: cur ergo non dicentur assertivè poni.

Secunda pars Conclusionis.

Probatur Primò Authoritate Florent. ubi dicit Florent. Sacerdotem in persona Christi loquentem conficere hoc Sacramentum; loqui autem nonnisi recitativè, non est loqui in persona Christi, sed propria; ergo debet dari locutio etiam assertiva, in persona Christi.

Probatur Secundò. Quia id indicat modus institutionis hujus Sacramenti, cujus institutio importat, ut hoc faciamus consecrando, quod fecit Christus: jam autem Christus non recitando, sed asserendo protulit verba formæ.

Probatur Tertiò. Quia verba illa: Hoc est corpus meum, in quantum nonnisi pronuntiata recitativè habent hunc sensum. Christus dixit: Hoc est corpus meum; hic autem sensus indicat, quòd eo modo seu recitativè, non perficiatur consecratio: quia verba, eundem sensum habentia, & ex modo significandi humano, æquivalentia verbis Formæ, possunt validè conficere Sacramentum; & sic sive dicam, te abluo, sive te baptiso; tenet Sacramentum: quia idem sensus recitatur, & ex modo significandi humano, est æquivalentia ad consueta verba formæ; consequenter, si verba illa formæ habent sensum nonnisi recitativum, hic sensus modusque significandi æquivalenter est sub his verbis: Christus dixit hoc esse corpus suum, deberet inquam sub his verbis tenere consecratio; & si non teneat, apparet illius formæ prout consecrativæ, non esse dictum sensum recitativum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur Primò cum Amico, cujus etiam rationis meminit Lugo. In Florent. dicitur Sacerdos in persona Christi loquens, conficere hoc Sacramentum: at qui tantùm recitat verba alterius, non loquitur in persona illius, sed in propria: recitatio enim est actus recitantis, non ejus, cujus verba recitantur: & certè loqui in persona alterius, est in loquendo inducere personam alterius, eamque in loquendo repræsentare, ac si ipse, in se ipso loqueretur.

Respondetur. Hoc argumentum probare, quòd non solùm, nec præcisè, tantùm recitativè, proferantur verba formæ, quòd etiam nos concedimus: hoc autem quod est loqui Sacerdotem in persona Christi triplicem habet sensum; Primò loqui eum virtute verbis suis communicatâ ex institutione & persona Christi; & hoc nihil probat in oppositum: quia potuisset Christus vim indere verbis, nonnisi recitativè prolatis, cum recta intentione, ut sortirentur eundem effectum, quem sortiuntur assertivè prolata. Secundò loqui eum tanquam secundariam causam, & instrumentum ejus, cujus profert verba, & adhibere materiam, reliquaque ad Sacramentum requisita, ita ut rationem causæ principalis habeat Christus, & in hoc sensu nihil speciale habet Sacerdos, quàm habeat in collatione aliûs Sacramenti; nam de facto Augustinus tract. 6. in Joan. ante medium, principalem baptisantem Christum appellat; Petrus, inquit, baptiset, hic est qui baptisat; Paulus baptiset, hic est qui baptisat &c. Tertiò facere in Persona Christi, id est, repræsentando actionem à Christo factam, ipsumque Christum faciëntem, & hoc contingit in consecratione Eucharistiæ; ad quod videtur respexisse Florentinum citatum: non enim de aliis Sacramentis, sed de solo Eucharistiæ dixit, quòd illud Sacerdos in persona Christi loquens faciat: sed hoc non probat, quòd simul etiam non possit habere personam recitantis.

Instat Amicus. Si illa verba: Hoc est corpus meum, dicerentur solùm recitativè, referrentur, ut fuerunt à Christo prolata, hoc enim est dicere recitativè; si autem sic proferrentur, non proferret ea Sacerdos supra præsentem materiam; si enim supra præsentem enuntiarentur, non referrentur ita, ut ea fuerunt à Christo enuntiata, non enim enuntiata fuerunt, supra præsentem materiam.

Respondetur. Etiam hoc argumentum probat, quòd non possint proferri tantùm recitativè, sed non probat quòd proferri non possint etiam recitativè. Ne autem ulteriùs hoc argumentum urgeatur, in materia supra quam pronuntiantur verba, duplex formalitas condistingui potest, & formalitas præsentis materiæ, & simul formalitas præsentis materiæ, prout repræsentantis materiam præteritam; sicut actio præsens Sacerdotis, præsentat actionem Christi præteritam, & persona Sacerdotis, personam Christi, hinc fit; ut salvari possit tota veritas recitationis: nam si enuntiarentur supra præsentem materiam, non repræsentantem præteritam materiam, non referrentur ita, ut fuerunt à Christo enuntiata, quando tamen enuntiantur supra præsentem materiam, ut præsentantem materiam præsentem, referuntur ita, ut fuerunt à Christo enuntiata, servato modo, qui relationi debitus est, sic v.g. referat aliquis, quomodo in jurgio dixerit Petrus: hic est meus gladius, idque dicendo exprimat gestum Petri arripientis suum gladium; talis relatio est vera recitatio, quantumvis non eundem gladium arripiat, nec de eodem numero dicat; hic est meus gladius.

Objicitur Secundò ex Lugone. Sacerdos dicturus verba formæ, exuit propriam personam, & induit Personam Christi; ergo Sacerdos dicens

dicens illa verba, non loquitur suo nomine, sed solùm nomine Christi: ergo non recitativè, sed solùm significativè: nam loquitur in Persona Christi; Christus autem non recitat se olim dixisse, sed modò asserit; Hoc est corpus meum. Antecedens autem & prima consequentia probatur ex Ambrosio 4. de Sacramentis c. 4. *Sacerdos quando pervenit ad conficiendum Sacramentum, jam non suis, sed Christi utitur sermonibus.*

Respondetur. Authoritate Ambrosii non probari intentum: quia etiam potest fieri, ut aliquis non utatur sermonibus suis, sed alienis: nihilominus ille nonnisi recitativè illa proferat, quia is qui conficit poëma Centonem, alicujus versibus, potest se habere recitativè, in usu illorum verborum: imò hoc ordinarium est, in omni recitatione Authorum: nam cum cito Epistolam S. Pauli, recitativè me habeo, & tamen utor alienis verbis. Quod attinet ad mentem S. Ambrosii, illa, ut sonant, accepta, non plus vult, quàm quòd verba Canonis, non sint decerpta ex verbis à Christo prolatis: jam autem immediatè circa consecrationem proferenda, & ipsa verba Consecrationis, sunt verba quibus usus est Christus. Sed hoc non probat illa omnia nonnisi assertivè & significativè dici, ex hoc, quia sunt verba Christi; aliàs: Accipite & comedite ex hoc omnes; item hæc: Quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, quæ æquivalent illis; Hoc facite in meam commemorationem; deberent etiam dici in persona Christi & assertivè; quòd oppositi, saltem ordinariè non concedunt. Ad idem propositum sic aliter responderi potest: Quòd scilicet in persona Sacerdotis, condistinguendæ sunt duæ formalitates; Formalitas consecrantis, & formalitas repræsentantis & enuntiantis mentem Christi; secundùm quod consideratur Sacerdos consecrans, exuit personam propriam, facit enim ut fecit Christus, adeoque in persona illius, sed secundùm quod enuntiat & repræsentat mortem Christi, ut imperabat Paulus, *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*; sub tali formalitate non induit personam Christi, sed se habet nonnisi recitativè. Addo authoritatem Ambrosii ostendere hoc solùm, quòd illa verba assertivè dicantur, sed non ostendere tantùm assertivè illa dici, & non etiam recitativè.

Objicitur Tertiò ex eodem. Si verba formæ accipi debent recitativè, consequens est, ut per illa verba: Hoc est corpus meum, per se prolata sine antecedentibus, non conficiatur hoc Sacramentum, quia ut sic non dicuntur recitativè, nisi dicatur Christum illa dixisse, consequens autem videtur durum; aliàs sequeretur in solis illis verbis, non stare totam formam Consecrationis.

Respondetur. Sufficere ad hoc, exclusis antecedentibus, intentionem internam, vi cujus verba formæ ita proferentur assertivè, ut simul proferantur recitativè.

Instabis. Si verba illa recitativè dicerentur, significatio illorum, non applicaretur ad materiam præsentem, sed ad materiam, quam Christus habuit, cum tamen consecrativè dicens, applicet illa ad materiam præsentem.

Respondetur. Veram fore sequelam, si tantùm recitativè dicerentur, sed dicuntur etiam significativè, adeoque cadendo supra materiam præsentem. Deinde cadunt illa verba supra materiam præsentem, sed prout repræsentantem materiam, quam consecravit Christus, consequenter consecrativè dicere illa poterit supra materiam præsentem; repræsentativè & simul recitativè supra materiam præteritam. Reliqua argumenta, quæ ex Vasq. adducit Lugo, non plus probant, quàm quòd illa verba, non tantùm recitativè dicantur.

Contra secundam Conclusionis partem.

Objicitur Primò cum Amico, ex dictis sequi, quòd eadem locutio habeat formalitates duas; unam quidem recitationis, & aliam assertivæ enuntiationis. Sed hoc dici non potest: quia illa verba profert in Persona Christi, & eo modo, atque si nunc idem Christus in persona Sacerdotis, eadem verba supra præsentem materiam proferret: hoc autem non est signato actu referre locutionem Christi, sed tantùm in Persona Christi conficere.

Respondetur. Negando quòd eam locutio non possit habere rationem recitantis & asserentis; concedoque quòd agere in persona Christi, quasi ipse Christus ageret, non sit mera recitatio; sed cur etiam non poterit habere, ob dicta, formalitatem recitationis.

Objicitur Secundò cum eodem. Posset Sacerdos locutionem hîc & nunc in Persona Christi exercere, absque eo, quòd præteritam locutionem ejusdem Christi signato actu recitativè referret.

Respondetur. Id nihil probat: quia potest etiam simul recitativè referre, & cum verba etiam recitativè significent; cur recitativè etiam non dicentur, præter assertionem.

Objicitur Tertiò cum eodem. Qui in persona alterius exercet actionem, essentialiter repræsentativam præteritæ actionis ejusdem personæ, non per aliam signatam actionem, sed per ipsam exercitam, simul refert & repræsentat præteritam actionem ejusdem.

Respondetur. Concedo totum: inde tamen non sequitur, unam, eandemque formam, sub diversis formalitatibus, & rationem recitatæ & rationem assertæ, habere non posse.

Objicitur Quartò. Si illa verba proferrentur significativè & assertivè, forent falsa, illis enim verbis significativè prolatis non de-

monstrat Sacerdos corpus Christi, sed suum; quod falsum est, illic esse.

Respondetur. Significativè & assertivè loqui duplex est, in propria persona & in persona Christi; si assertivè loquatur in persona propria, falsa esset locutio: secus si assertivè loquatur in persona Christi.

Objicitur Quintò. Si assertivè illa verba proferrentur, non possent esse vera, nisi præsupponeretur corpus Christi ante prolationem formæ: verba enim illa significativè sumpta, demonstrant jam id quod est, non verò id quod fit.

Respondetur. Si teneatur explicatio, quod ly est supponit pro Facio vel Fit, negandum erit, quod verba illa non demonstrent id quod fit; si autem sumatur illa particula Est pro seipsa, non demonstrabit id positum, sed ponibile in fine prolationis, ut dictum suprà.

DIFFICULTAS IV.

An Verba Formæ ut vera, conficiant Eucharistiam?

Principalis Sententia hoc in puncto duplex est: Prima asserit verba Formæ, ut vera, conficere hoc Sacramentum; alia autem, quæ dicit verba formæ, ut sunt significativa, conficere Sacramentum.

Quoad primam sententiam divisi sunt ejus defensores: nam aliqui volunt verba formæ ut vera speculativè, conficere Sacramentum, & in hac sententia est Scotus & Coning; quanquam Coning & ut vera practicè, & ut vera speculativè dicit conficere Sacramentum: iis autem ut veris nonnisi practicè, tribuit confectionem Sacramenti Cajetanus. Hanc ipsam de veritate doctrinam subdividit Amicus d 24. num. 153. in triplicem veritatem; in veritatem desumibilem ex pacto, & veritatem Dei promittentis, ad prolationem illorum verborum, productionem rei, illis verbis significatæ. Rursus in veritatem speculativam, attendentem ad existentiam, non præsentem, sed futuram effectûs, & in veritatem attendentem, ad actualem existentiam rei productæ, in ordine ad quem; forma acquirit novam conformitatem practicam actualem; qua divisione veritatis posita Amicus dixit, in primo & secundo sensu à forma confici Sacramentum ut vera; negat autem ab ea confici Sacramentum ut vera, accipiendo veritatem tertio modo. Quod attinet ad Sententiam, quæ asserit à forma ut significativa confici Eucharistiam; eam tenet Scotus, Suar. Vasq. & alii.

Quæsito huic pluribus assertis est satisfaciendum.

Assero Primò. *In reipsa loquendo, & attendendo ad esse physicum, verba formæ tam ut vera, quàm ut significativa, conficiunt hoc Sacramentum.*

Ratio asserti est: quia verba conficiunt hoc Sacramentum: ergo conficit hoc Sacramentum Entitas verborum indistincta à verbis: ergo conficitur ab omnibus in re loquendo, quæ sunt identificata realiter verbis, aliàs ab entitate verborum non conficeretur; sed & ratio veri, & ratio significantis, identificata est realiter verbis: neque enim hæc duo dicunt quidquam realiter superadditum verbis; ergo utrumque hoc, realiter loquendo conficit Sacramentum.

Assero Secundò. *In sententia, quæ physicam causalitatem Sacramentorum tueretur, poneretque verba formæ, ut significativa nonnisi, conficere Eucharistiam; hoc ipso deberet dicere; quòd secundùm id quod dicunt in recto nonnisi, possunt conficere hoc Sacramentum.* Assertum ut intelligatur,

Supponendum est, duo dicere significationem, Unum in recto & aliud in obliquo; in recto dicit materiale verbi, quod est hæc continentia materialis literarum sono expressa; secundò in obliquo, quod est formale illorum, nempe impositio nominum, & placitum, ad destinanda hæc verba, in ordine ad hoc vel illud exprimendum; *quo supposito*

Ratio asserti est. Quia physicè causare non potest, quod physicè nihil in re est, sed placitum illud nihil in re est, est enim actus voluntatis, qui præteriit, & in re nihil actu est: ergo placitum illud non potest causare physicè: causabunt tamen verba significativa, accipiendo significativum pro eo, quod illa dicit in recto; hoc enim solum rectum existit physicè, quamvis successivè.

Assero Tertiò *Formaliter loquendo, neque ut vera, neque ut Significativa verba, conficiunt Sacramentum.*

Ratio. Quia ly prout, ly Ut, ly secundùm quòd importare debet rationem formalem, ejus de quo est quæstio. Sic v.g. album ut album constituitur albedine; rationale, secundùm quod ipsum, constituitur rationalitate, & sic de reliquis; sed formaliter loquendo Ratio veri vel significativi, non importat rationem formalem agendi: ergo formaliter loquendo ratio veri, vel significativi, non est ratio conficiendi Sacramentum. Minor probatur. Quod est ratio formalis constituendi unum quà tale formaliter loquendo, non potest esse ratio constituendi aliud: est enim ratio illa, formalis determinatio essentialis, ad esse nonnisi talis; ergo non potest aliud, quàm unum formaliter loquendo constituere; sed veritas constituit formaliter verum; significatio, significans: ergo formaliter loquendo nō potest constituere aliud, adeo-

adeoque nec constituere causam, quia causa formaliter non est veritas, nec significatio.

Quodsi quæras, *Ex modo nostro concipiendi, cui formalitati alligata esse ratio causandi, intelligi debeat?* jam

Assero Primò. *Ratio causandi in verbis Formæ non debet intelligi alligata veritati speculativæ.*

Ratio asserti est Authoritas Aristotelis, qui cap. de Substantia propositionem ex eo dicit esse veram vel falsam, quod est res, vel non est, ex qua authoritate sic deducitur argumentum. Causa debet antecedere positionem effectûs saltem naturâ, sed si ratio causandi intelligeretur alligata veritati speculativæ, non antecederet positionem effectûs natura: ergo non debet intelligi veritati speculativæ, ratio causandi in Sacramentis alligata. Minor probatur: quia in eo priori in quo intelligitur antecedere causa effectum, nondum intelligitur effectus: aliàs & esset prioritas antecedentiæ, & non esset: esset quidem, ut supponitur: non esset autem, quia jam tunc intelligeretur effectus; quodsi in illo priori quo intelligitur causa antecedere effectum, nondum intelligitur effectus: ergo neque intelligitur propositio esse vera; quia non intelligitur esse conformis objecto: nam pro illo priori objectum non haberet, si pro illo priori non intelligitur esse propositio vera: ergo neque intelligitur causare ut vera, supple speculativè.

Confirmatur. Quia si intelligeretur ratio causæ in verbis formæ esse alligata veritati speculativæ, ille effectus seu corpus Christi, & esset effectus illius causæ, alligatæ veritati verborum formæ, & non esset effectus ipsius, quod ipsum probatur: quia & intelligeretur accipere ab illa esse, & non intelligeretur; intelligeretur quidem ut supponitur, non intelligeretur autem ut probo: quia pro quo instanti intelligi posset illa causa nondum esse operans, intelligeretur jam ille effectus; quod ipsum probatur: quia pro quo instanti intelligeretur illa causa operatura, intelligeretur vera; formalitati enim veræ, dicis rationem causæ intelligi debere alligatam; ergo conformis objecto: ergo & objectum conforme illi: ergo & habet esse pro illo priori, pro quo nonnisi operandus est ille effectus: ergo & habens esse ab alia causa, vel habens esse, antequam habeat.

Solutio Objectionum.

Dices Primò cum Soto apud Amicum: Quamvis propositio ut vera, præsupponat corpus Christi, id tamen non obest, quominus ut vera, sit causa corporis Christi: quia non implicat ut eodem instanti reali temporis, forma præsupponat corpus in genere causæ objectivæ, & simul ipsa præsupponatur ad corpus, in genere causæ efficientis: sicut introitus aëris per fenestram, est prior in genere causæ efficientis, apertione ipsa fenestræ, nam illam intrando aperit, & tamen in genere causæ materialis, apertio fenestræ est prior introitu aëris: quia nisi aperiretur fenestra, non posset aër intrare.

Respondetur. Quærere restat ab arguente, etiam sub illa formalitate, sub qua præsupponitur corpus verbis formæ, undenam accipiat esse: sinon à forma ut vera: ergo non salvas alligationem causæ ad formalitatem veræ: si ab ea forma: ergo supponitur jam esse, ante veritatem illius. Quid sit sentiendum de illa instantia, dictum est in physicis; sed illâ etiam concessâ, necdum convincitur paritas: præsupponi enim potest introitus aeris ante apertionem fenestræ; quia introitus illius, potest assignari alia causa physica, & non apertio fenestræ, nempe ipse impulsus & protrusio illa: jam autem in Sacramento, non ostendis aliam causam corporis Christi, quàm verba formæ, ut vera; si autem aliam causam positionis corporis Christi in Eucharistia ostendis, deseris intentum tuum: hîc enim quæritur de tali causa positionis corporis Christi, quæ sit universalis, & sine qua, intelligi non possit positum Christi corpus, secundum præsentem ordinem.

Dices Secundò cum Coning. Ideo verba formæ operantur suum effectum, quia sunt verba primæ veritatis, & consequenter necessariò vera.

Respondetur. Si argumentum, ut sonat, accipiatur, multum probat: dicam enim verba formæ causare hoc Sacramentum, prout divina, præsertim cum adesse divinum, posterius intelligatur veritas: rationem enim dabo; ideò verba formæ operari, quia sunt verba Dei & consequenter divina; multum item probabit, quia probabit quòd verba causent, ut sunt actus primus & omnipotentia; sunt enim verba actus primi & Omnipotentis, consequenter necessario actus primus & omnipotens quid; ex qua retorsione ad argumentum dici potest; verba illa esse necessariò vera, secundùm institutionem, hoc est prolata à veritate formam instituente concedo; non sunt tamen necessario vera, hoc est, ad prædicatum veri alligatam causalitatem habentia.

Dices Tertiò. Tridentinum ex veritate verborum consecrationis, colligit conversionem; ergo apparet illam à veritate verborum causari.

Respondetur. Collegisse id Tridentinum ex veritate verborum tanquam Signo à posteriori; si à posteriori: ergo non erit necesse verbis, quâ veris, esse alligatam vim conversionis Eucharisticæ.

Assero Secundò. *Non potest intelligi ratio causæ alligata verbis formæ, prout veris veritate speculativa, sumpta à conformitate ad effectum à se causandum.*

Ratio Asserti desumi debet ex dictis, quia pro illo priori, pro quo intelligitur effectus non esse causatus, sed causandus, quæro à quibusnam causis dependeat, vel ab iisdem, vel ab aliis; si ab aliis: ergo imprimis homo futurus à se existente ab aliis causis pendebit, & effectus causandus, à se causato, plus differet, quàm statu, quia differet etiam causis: ergo ulterius tu non assignas causam universalem pro omni differentia prius intelligibilem positione corporis Christi, cum tamen hîc talis causa requiratur; si autem ab iisdem, quomodo effectus causandus antecedet suam causam, antecedere autem debet, ut salvetur veritas seu conformitas ad objectum, indubiè præsuppositum.

Dices Primò cum Amico. Prius est effectum formæ Sacramentalis esse extiturum virtute formæ, quàm actu existere virtute formæ: nam ex suppositione, quòd res aliquando existat, semper verum fuit, talem rem extituram, atque adeo propositio tàm mentalis, quàm vocalis, tale esse futurum enuntians, fuit semper vera, ante ipsam actualem existentiam rei enuntiatæ: ergo potest forma per conformitatem ad effectum à se causatum, esse prius vera, quàm illum causet.

Respondetur. Quòd Forma per conformitatem ad effectum à se causandum, prius sit vera quàm illum causet, eo quòd præsupponat illum causandum, ante sui veritatem; sed si non præsupponat illum ante se, forma non erit vera, ut dictum; quia autem effectum causandum à se, non potest forma ante se supponere, ideo nec illum causare, ut vera.

Dices Secundò cum eodem. Cognitio Notionalis Patris, quæ in priori signo originis repræsentat filium producendum, est vera veritate quasi speculativa, ex conformitate ad eundem, mox posteriori signo extiturum. Cognitio item absoluta Dei productiva ad extra, ab æterno fuit vera veritate speculativa, per conformitatem ad mundum in tempore futurum; ergo & hic idem dicendum.

Respondetur. Negando Cognitionem Notionalem Patris, sub formalitate veræ, esse principium veridictivum Quo Processionis Verbi: quamvis item Scientia Dei sit causa rerum, non tamen est causa sub formalitate veræ, quod idem consequentur in præsenti dicitur: quòd autem possit esse aliquid verum ratione alicujus quod producit, id bene probant instantiæ, & verum est.

Dices Tertiò cum eodem. Si hæc propositio: Hoc est corpus meum, non statim ac ejus significatio completur, causaret effectum, sed post aliquam moram, tunc per conformitatem ad terminum tempore sequenti causandum, non solùm naturâ, sed etiam tempore præcederet, ut vera: ergo etiam si defacto suum effectum causet eodem instanti temporis, quo ejus significatio completur, adhuc priori signo naturæ præcedit ut vera, per conformitatem, quàm pro tali signo habet, ad suum effectum, posteriori signo naturæ extiturum.

Respondetur. Negando antecedens; quòd scilicet eo casu præcederet ut vera; præcedit quidem, sed non ut vera, eo quod veritas sit conformitas cum objecto, consequenter præsupponitur objectum, ita se habere, ut dicit; non potest autem pro illo priori præsupponere objectum ita se habens, cum pro illo priori, non supponatur adhuc illud produxisse.

Assero Tertiò. *Non posse intelligi, rationem causæ, alligatam esse verbis Formæ, prout veris, veritate practica.*

Ratio prima est à pari: quia Scientiis ratio Scientiæ, ut dixi in Logicis, non competit, quà practicæ, neque quà speculativæ: ergo neque ratio causæ, competit verbis, quà sunt vera practicè, vel quà sunt vera, speculativè.

Ratio secunda est: quia pro illo priori, pro quo nondum intelligitur effectus positus, sed ponendus à veritate practica, debet intelligi causa esse vera: ergo conformis objecto: ergo & objectum illi conforme: ergo ita se habens, ut dicit veritas: ergo & esse jam habens, antequam intelligatur esse productum, ut arguebatur supra.

Ratio tertia est: quia quando ratio practici adjungitur veritati, per hoc non significatur, quòd intelligatur priùs esse vera, quam causare effectum, ad quem dicit conformitatem; sed tantùm hoc intelligitur, quòd producat objectum, ad cujus postea productionem sequatur ratio veri; quod assumptum inductione patere potest, in quacunque veritate practica.

Colliges. Hanc causalitatem esse alligatam verbis significativis & veris materialiter, sed non reduplicativè sumptis.

In præsenti materia sic format signa & ordinat DiCast. disp. 5. num. 226. Primum est Sonus vocis; secundum significatio Conversionis; tertium Conversio ipsa; quartum veritas, id est, conformitas significationis, cum ipsa conversione, quæ significatur.

Dices Primò cum Cajetano apud Amicum. Veritas practica cùm sit veritas in causando, quæ non præsupponit sed facit rem, præsupponitur ad rem quam facit; unde antequam res sit, veritas practica est.

Respondetur. Veritatem practicam præsupponi ad rem quam facit, in ratione causæ. Concedo: in ratione veræ formaliter. Nego.

Dices Secundò cum Coning. Veritas hujus propositionis; Joannes cras ambulabit, requirit ut Joannes cras ambulet, non autem ut hodie ambulet: ergo veritas propositionis practicæ de præsenti, requirit ut res quæ asseritur existat,

eodem

eodem quidem instanti temporis, quo habet completum suum esse, sed posterius naturâ, quàm ipsa sit.

Respondetur. Distinguendo Consequens. Ergo & veritas propositionis practicæ, exigit ut res quæ asseritur, sit posterius naturâ, quàm ipsa sit. Concedo consequentiam; sub ratione veræ, & sub ratione talis causando. Nego consequentiam; & certè cum conformitas sit quid relativum, relativa autem sunt simul naturâ, objectum ad quod dicit conformitatem causans sub ratione veræ, non potest esse posterius; nam pro illo priori, pro quo antecedit causa ut vera, vel est conformis objecto, vel non; si non conformis. Ergo nec vera; si conformis objecto. Ergo pro illo priori jam habet effectum, qui est objectum. Ergo pro illo priori, non antecedet causa ut vera, effectum.

Dices tertiò cum eodem. Relatio quæ respicit terminum absolutè futurum, potest eo esse prior tempore, talis autem est veritas propositionis practicæ.

Respondetur. Antecedens non satis est explicatum: nam si agatur de relatione transcendentali, hæc non respicit absolutè futurum; si de prædicamentali, hæc nullo modo datur prius tempore, ipso futuro, cum non sit quid superadditum fundamento in circumstantia termini; sed quidquid sit de hoc, tamen ex dictis quod respicit futurum posterius naturâ, potest eo esse prius naturâ in ratione causæ; concedo; in ratione veri. Nego.

DIFFICULTAS V.

De Prolatione Formæ à pluribus supra eandem materiam.

Præmitto Primò. *De, consuetudine sic proferendi Formam.* In Occidentali Ecclesia duæ sunt occasiones, in quibus cum principali celebrante, alii concelebrantes proferunt formam. Prima in initiatione Sacerdotali. Secunda in consecratione Episcopi; quòd etiam edixit Pontificale Romanum à Clemente VIII. probatum. In Orientali autem Ecclesia, dicit Vasq. in singulis missis celebrantis Episcopi, adstantem præsbyterum, una proferre verba; olim etiam in Romana Ecclesia Pontifici celebranti, concelebrabant Cardinales Presbyteri, ut habet Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missæ, c. 25.

Præmitto secundò. *Quæ fuerit mens de hoc Durandi.* Durandus in quartum dist. 13. quæst. 3. dicit hanc consuetudinem abrogandam esse. Censurat eum Vasq. & dicit non levis temeritatis notâ dignum esse, quòd morem inviolabilem totius Ecclesiæ Græcæ, imò etiam Romanæ, reprehendere audeat; sed pro illa differentia temporis non videtur hæc viguisse consuetudo; quod ipsum & ex S. Thoma colligitur, qui hîc q. 82. a. 2. in ⊙ *Secundùm* inquit, *consuetudinem quarundam Ecclesiarum, sicut Apostoli Christo celebranti concænaverunt, ita novi ordinati concelebrant.* En S. Thomam consuetudinem hanc appellantem, aliquarum Ecclesiarum; & ipse Durandus dubio contra prædicta litera C, dicit illam esse consuetudinem in aliquibus nonnisi Ecclesiis; *& si in aliquibus locis sit consuetudo*, inquit, *quòd dicant verba Consecrationis, non est dubium quòd sit periculosa, & magis est abolenda, quàm servanda*; Ubi etiam supponit, non fuisse hanc consuetudinem omnium Ecclesiarum; & litera F, pergit Durandus. *Nec Ecclesia*, inquit, *Romana, tenet illud quod ipse dicit* (supple Innocent III.) de Presbyteriis Cardinalibus, concelebrantibus cum Papa: *& si fiebat tempore suo, nunc tamen non fit, quòd visum est, periculum posse facile contingere, in tali celebratione, &c. Et ideo*, inquit, *illa consuetudo abolita est, sicut nobis constat, qui in Curia Romana longo tempore fuimus, & adhuc ibidem sumus.* Quando autem dicit, si observaretur (supple hæc consuetudo,) non esse necessarium credere, quòd bene fieret, quia secundùm Hieronymum non quod fit Romæ, sed quod fieri debet, attendendum est, jam hîc parum reverenter loquitur, & sententiam Hieronymi mores taxantem, transfert ad Cerimonias Ecclesiæ: sed tamen non opponit se consuetudini totius Ecclesiæ Romanæ, ut assumebat Vasq. quia hæc tunc non viguit; & si Vasq. censuit censurandum Durandum, transferenda est hæc censura, etiam ad Gabrielem, Angelum, in quantùm consuetudinem non consecrandi, quæ servatur in Ecclesia Moguntina & Suffraganeis, tutiorem esse dicunt transferenda etiam ad Albertum Pisanum, Palacios, quos refert Suar. hîc disp. 21. Sect. 4.

Præmitto tertiò. *Quidquid sit an oppositerit se Durandus consuetudini totius Ecclesiæ, præsens difficultas duo haberet dicutienda.* Primum aliquid philosophici juris, hoc est; an duæ causæ totales, possint eundem effectum producere; & hoc spectat ad Philosophiam, & ex principiis inibi tactis, definiendum venit; alterum est, quod est Theologici juris, nempe quomodo formanda sit intentio debita, tunc autem debitè formabitur, si eviteutur incommoda, quæ numerat Di Cast. & attingunt alii. Primò ne eveniat Episcopum, qui est Principalis celebrans, nihil facere. Secundò, ne eveniat consecrari materiam præconsecratam. Tertiò, ne ponatur forma sine effectu, aut saltem ne adeatur periculum, sine effectu illam proferendi, cum certum sit moraliter, omnes una, non prolaturos verba formæ. Quartò, ne unus Neomysta consecret panem, alter nonnisi vinum. Quintò, quòd videatur esse necessarium, ut

qui consecrat calicem in Sacro, sumat eundem, & tamen Neomystæ illum non sumunt.

Modi formandæ Intentionis in præsenti.

Explicat primum Modum formandæ intentionis Suarez, Coning, Lugo, & dicunt debere esse intentionem conditionatam, seu potius disjunctam, consecrandi scilicet simul cum Episcopo, si possint; sin minus, tantùm materialiter verba proferendi. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit primò. Urgendo rationem quam sibi opposuit Lugo; Quia adhuc maneret moraliter certum, quòd plures inaniter verba proferrent, sive præcedendo sive subsequendo ultimum instans prolationis.

Respondet primò Lugo. Quamvis moraliter certum sit, quòd non omnes finient in eodem instanti cum Episcopo, nemini tamen certè constat in particulari, quòd quando profert ultimam syllabam, jam illa materia sit ab alio consecrata, quin potius omnes conantur simul absolvere, & ut ita faciant, præmonentur, & quidem proferre verba cum spe consecrationis supra materiam, non est intrinsecè malum.

Contra. Tum quia, si quis certus esset moraliter, quòd non sit una cum Episcopo prolaturus formam, deberet non habere intentionem consecrandi. Ergo cum certò constet toti communitati illi, non omnes unâ cum Episcopo prolaturos verba, debet illa communitas, non habere intentionem consecrandi. Tum quia, si est moraliter evidens, non omnes unâ consecraturos, quomodo potest haberi spes in omnibus consecrationis? Tum quia si moraliter est certum, non omnes unâ prolaturos formam, & cum nulla necessitas urgeat, non debet supponi formari ab Ecclesia præceptum, ut omnes habeant intentionem consecrandi. Tum quia quamvis proferre formam cum spe consecrandi, non sit intrinsecè malum, id verum est, si non sit in communitate periculum certum moraliter, ne consecrent omnes, quod periculum debet magis in considerationem venire, quàm spes consecrandi; & sicut spes, quia potest aliquis occasiones de se enormes fugere, non excusat, quia adest periculum annexum ipsi naturæ illius occasionis; ita spes consecrandi, non excusabit ob periculum certum moraliter, quòd non omnes sint consecraturi.

Neque valet si dicas esse quidem periculum circa communitatem, non tamen circa particulares personas, evidentius quidem est periculum, circa totam communitatem, sed etiam circa particularem hominem, cum nisi extraordinariâ diligentiâ, & aliquibus de novo appositis signis agatur, nunquam duo simul, eadem verba proferre possunt, & quidem simultate Mathematica, qualis requiritur ad duas simul causas, & quidem necessariò causativas; facilius-que hujus simultatis defectum, alter quis advertet, quàm proferentes: cumque istud præceptum deberet etiam communitatem tangere, non esset secundùm conditionem illius: sicut non est secundùm conditionem fragilitatis humanæ, ut totam quis collectionem peccatorum fugiat, quamvis particularia peccata fugere possit.

Respondet secundò Di Cast. Non minus est prohibitum reconsecrare, quàm rebaptisare, & tamen potest quis rebaptisare sub conditione.

Contra. Quia etiam de rebaptisando sub conditione, non datur præceptum, nisi urgente necessitat, quæ autem necessitas, ut plures proferant formam cum intentione consecrandi; & sicut expedit assecurare baptisandum illa conditionata intentione, ita expedit assecurare communitatem, nec objicere periculo frustrandi eventus.

Responderi potest tertiò ex S. Thoma esse hoc necessarium ad exprimendum, quòd Christus concœnaverit suis discipulis; addit Vasq. cum non parum congruat institutioni hujus Sacramenti, ut simul plures consecrent, nulla ei irrogatur injuria, nec id fit in aliis Sacramentis, quia id institutioni illorum non convenit; Christus autem instituens concœnavit Apostolis, præcipitque ut in illius commemorationem facerent, non consecrarunt Apostoli cum Christo, ut ipse solus authoritanti Sacramenti ostendatur.

Contra. Quia etiam in ultima cœna Apostoli non conconsecrârunt Christo, cur ergo hoc non exprimitur à Neomystis. Deinde concedo Christum concœnâsse Apostolis. Ergo congruit institutioni ut plures consecrent, nego consequentiam; præcepit Christus ut id facerent in ejus commemorationem, hoc est; ut consecrent Corpus, sed nego quod præceperit conconsecrationem, nec illo sensu Patres acceperunt ly in meam commemorationē; congruebat item, ut cum Christo non conconsecrarent Apostoli, sed cur non congruet ut id exprimant Neomystæ, nec conconsecrent; quantumvis secundùm Rituale proferant formam, scilicet proferendo illam sine intentione consecrandi.

Non Satisfacit secundò, Quia quamvis per hanc intentionem; Nolo consecrare si præcedam Episcopum, provideatur ne nullo casu Episcopus sit non consecrans; contingerent tamen aliæ inconvenientiæ; quas urget Di Cast. Pone enim Petrum unà cum Episcopo consecrantem panem, pone postea non consecrasse Petrum calicem, quia posterius protulit verba, sed consecratum illum fuisse à Paulo, eo quòd simul supra calicem cum Episcopo protulerit verba; manet adhuc inconveniens non perfici scilicet integrè Sacrificium ab uno.

Respondet Di Cast. Deberi adhuc haberi intentionem conditionatam, ut eo nonnisi consecrare

crare calicem Neomysta, si consecravit panem.

Contra est. Quia licèt huic difficultati occurrat responsio, sed unde conjicitur, quòd talem intentionem injungat Ecclesia, nec occurritur periculo, quod urgebatur in ratione prima.

Non Satisfacit tertiò. Quia supposito quòd utramque speciem consecret Neomysta, non sumet tamen utramque quod tamen est inter incommoda.

Respondet primò Lugo. Ecclesiam in hoc præcepto suo dispensâsse; ut autem utraque species sumatur, est nonnisi præceptum Ecclesiæ.

Contra. Quia probabilis est sententia Coning & aliorum, quòd hæc sumptio sit juris divini. Ergo non præsumendum est Ecclesiam in hoc velle dispensare, quod probabile est esse juris divini. Rursùs unde constat de hac dispensatione.

Respondet secundò DiCast. Esse juris divini sumptionem utriusq; specei, sed pro præcipuo celebrante.

Contra. Quia hoc ipsum probari deberet, esse hoc juris divini, nonnisi pro præcipuo celebrante.

Respondet tertiò DiCast. pium usum Ecclesiæ ostendere, quod hoc sit præceptum, nonnisi pro principali consecrante.

Contra. Si constaret nobis de mente Ecclesiæ, quod debeant Neomystæ conconsecrare, licèt non sumant; rectè à posteriori inferretur id esse juris divini, nonnisi pro principali consecrante, sed probandum esset, hanc esse mentem Ecclesiæ.

Explicat secundò Vasq. dicitque primò Neomystas eo casu debere habere intentionem sufficientem ad consecrandum; secundò debere conari ne præcedant Episcopum; tertiò. Quod si accidat ut præcedant Episcopum, vel præcedantur, nihil fit contra debitam reverentiam Sacramenti.

Non Satisfacit hæc explicatio. Tum quia hoc ipsum probari debuisset, quòd debeant habere intentionem sufficientem ad consecrandum, & quòd sit intentio Ecclesiæ ut consecrent. Tum quia nego id sequi ex institutione hujus Sacramenti, institutio enim constat ex verbo Scripto aut Tradito, ex nullo autem horum, constat de habenda à Neomystis intentione consecrandi. Tum quia hæc doctrina Vasq. nullum incommodum ex supra allatis amolitur; nec præcavet ne Episcopus interdum non consecret; ne consecratum consecretur; ne ponatur forma sine effectu, &c.

Explicat tertiò. Richardus, favet Angelus & Cajet. apud Suar. Sed Vasq. dicit oppositum illum sensisse; nempe quòd verba illa Neomystæ proferre debeant nonnisi materialiter.

Ratio prima posset esse, cujus meminit Suar. quia in antiquo Pontificali habetur. Dicant omnia quæ sunt in Missali, sicut si celebrarent. Ergo apparet, non debere illos habere intentionem consecrandi; & sicut aliis utuntur merè recitativè, ut cum dicunt; Calicem salutaris accipiam, ita censeri potest, etiam verba illa consecrationis, dici ab illis nonnisi recitativè.

Respondet Vasq. & cum eo DiCast. Quòd ly Sicut, non denotet eos tunc non celebrare, quia ly Sicut, & quasi, interdum etiam proprietatem significant; ut cum dicitur; Gloriam quasi Unigeniti à Patre.

Contra. Concedo quod ly Sicut possit indicare etiam proprietatem, sed etiam interdum illam non indicat. Unde ergo constabit, quòd hîc illam indicet: & si pontificale antiquum habuisset intentionem mandandæ intentionis, ambiguâ hac locutione usum non fuisset. Concedo quòd si aliqua dicantur recitativè, non rectè colligatur, etiam reliqua dici recitativè: sed quærere restat cur etiam illa non dicantur recitativè?

Ratio secunda potest esse ex Suar. quia hoc modo tolluntur omnia incommoda, exprimiturque adhuc Christus concœnans Apostolis, qui non solùm solus fuit instituens, sed & solus consecrans.

Ratio tertia est: Quia nullibi constat de edicto Concilii, aut Papæ, debere haberi intentionem consecrandi; ex altera parte, non videtur secundum praxim Ecclesiæ inducere Ritum, qui ut legitimè obeatur, requirit si ponenda sit explicita intentio, multas minutas & subtiles suppositiones facere. Præcipuè, quia de habenda intentione nihil expressè dicit Pontificale. Verba Pontificalis nonnisi sic habent; *Habeant libros coram se, dicentes; Suscipe Sancte Pater &c. & omnia alia de Missa prout dicit Pontifex, qui tamen bene advertat, quod secretas morosè dicat, & aliquantulum altè, ita ut ordinati Sacerdotes, possint secum omnia dicere, & præsertim verba Consecrationis, quæ dici debent, eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.* Vides nihil hîc haberi de intentione, nihil de Consecratione.

Respondet Esparza. Sufficit ut unius consecratio sit valida physicè, reliquorum moraliter; in rebus autem moralibus, non habetur ratio diversitatis physicæ, quando non est conjuncta, cum diversitate morali.

Contra. Quia imprimis hæc responsio & doctrina supponit conditionatam non debere formari intentionem; & tamen si illa debet formari in dubio de baptismo, cur hic non formabitur, ne consecratum consecretur. Rursùs non præcavet illa incommoda, in præmissis prætacta; & præcipuè si ponatur sola consecratio moralis, quomodo illa non habebit conjunctum reale sacrilegium, volendo consecrare, quod præ-

præsumi potest consecratum. Denique si sufficit, ut alii moraliter consecrent, sufficiet etiam ut alii materialiter proferant verba. Explicandum item veniret, quomodo si Episcopus jam revera consecravit, posterius illi moraliter consecrent; ut Physicè transacta ab alio combustione, nemo postea eandem rem moraliter comburit.

Dices primò cum Suar. & Vasq. cur ergo monemur in Pontificali, ut eodem momento absolvantur verba consecrationis.

Respondet Suar. adhiberi in hac cærimonia hujusmodi modum & diligentiam, quia non satis constat in particulari, quâ intentione debeant proferri illa verba. Rursùs concedo moneri, ut fiat simultanea prolatio, sed nego moneri ut fiat intentio, nego moneri, ut conconsecrent. Concedo moneri Episcopum ut altè & morosè proferat verba. Ergo omnes habere debent intentionem consecrandi. Nego consequentiã: quia in retalis momenti dixisset hoc Pontificale si intendisset; simultasque dicendi potest referri vel in ipsam commoditatem Episcopi, ne distrahatur.

Instat Lugo. Sæpe sæpius dicitur illos Præsbyteros concelebrare.

Respondetur. Ad hoc ut dicantur concelebrare Episcopo Neomystæ, sufficit concelebratio ritûs & cærimoniæ. Unde etiam licèt meminerit illic Pontificale hostiarum consecratarum, non meminit conconsecratarum; & quamvis sit monitum, ut omnes uno momento proferant verba consecrationis, nego adhuc quidquam dici de intentione; neque hujus mentis Ecclesiæ ulla facta declaratio, unoque momento debent proferre verba Consecrationis, fortè ne turbent in re tanti momenti Episcopum, condiscantque tanquam à Magistro, quo tenore, proferre debeant imposterum, verba consecrationis; habeantque quasi pro Progymnasmate, Episcopum celebrantem. Dantur etiam locutiones Patrum, quæ significant populum concelebrare cum sacerdote, nemo tamen dubitat populum non consecrare. Ergo apparet concelebrare & consecrare diversa esse; & dum Neomystæ dicuntur concelebrare, non ex eo sequitur, dici, quòd concensecrent. Porrò quod populus concelebrat significet Ansbertus serm. Purificatione Beatissimæ ubi loquens de devotione populi Romani eo die inquit. *In tanta enim reverentia ab illis habetur ut eo die cuncta civitatis turba, in unum collecta: immensis cereorum luminibus coruscans Missarum solennia devotissimè concelebrent.* Colligitur & ex verbis canonis, ubi dicitur circumstantes offerre Sacrificium laudis appellatur item hæc oblatio cunctæ familiæ, &c.

Dices secundò cum Esparza quæst. 58. Dum Ecclesia disponit ut plures consecrent eandem materiam, & nihilominus non præcipit, nec docet quicquam specialiter pro eo casu circa intentionem, videtur omnino velle, certè permittere, ut omnes habeant intentionem.

Respondetur. Rectè quidem infertur; non est facienda intentio, quia non docet Ecclesia faciendam, sed quomodo inferetur faciendam esse, quia non docet Ecclesia. Deinde nego disponere Ecclesiam, ut plures consecrent eandem materiam, sed tantùm disponit, ut plures proferant verba consecrationis, quæ duo sunt distincta.

Dices tertiò ex Lugo. Hanc explicationem nullo modo defendi posse, nemo enim potest consecrare sine intentione, potest autem proferre verba consecrationis sine intentione.

Respondetur. Si mens Ecclesiæ, ut omnes habeant intentionem, non potest defendi, sed nego id docere Ecclesiam. *Cæterum etiam hæc Explicatio.*

Non Satisfacit. Quia videtur esse singularis. *Hinc*

Assero Primò. *Non constare clarè de mente Ecclesiæ, quòd debeant verba cum intentione consecrandi proferri.*

Ratio: Quia id non habetur in Pontificali.

Assero secundò. *Si id declaret Ecclesia, nihil obstabit illud periculum proferendi formam sine effectu, &c.*

Ratio: Quia ex una parte Ecclesia errare non potest in talibus, ex altera colligeretur nullum in hoc esse periculum eo, quòd jam constaret Christum voluisse non deterreri homines ab hac prolatione, dicto periculo; sicut noluit deterreri, ut consecretur Eucharistia, licèt sint tot pericula irreverentiæ.

Assero Tertiò. *Observandum esse monitum Pontificalis*, ut simul absolvantur verba etiam à Pontifice, quia illud simul, relativum est, & cadens tam supra Pontificem, quàm supra Neomystas, esset item damnabile improbare hunc ritum cum post Fidei libros gravissimus sit liber Ritualis; intentio autem facienda, hæc erit securissima habere tunc intentionem, quam haberi vult Ecclesia, ad cujus mentem in dubiis recurrere, maximæ securitatis est.

Addo. Monitum illud Ritualis, quòd verba illa dici debeant eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem, dat fundamentum inferendi: verba illa proferri debere, cum intentione consecrandi: cui enim usui positum illud fuisset ly eodem Momento, nisi monitos voluisset Rituale Neomystas, magnæ diligentiæ, in magni momenti, adeoque consecrationis, negotio.

DISPU-

DISPUTATIO VI.

De toto Eucharistico, ejusdem agere & pati Desitione.

POst considerationem partium, & eorum quæ essentialiter importat Eucharistia, superest agendum de Toto Eucharistico in triplici ferme materia, scilicet de ipso toto, de agere & pati ejusdem, denique de ejus desitione.

QUÆSTIO I.

De ratione formali ut Quo, & quod totius Eucharistici?

SIcut compositum in ratione Compositi, constituitur duplici ratione formali ut Quo. Quæ est unio, & ratione formali ut Quod, quod est illud ipsum totum, ratione nostra resultans; sic etiam in præsenti, distingui debet ratio formalis ut Quo, proximè constituens totum Eucharisticum, & ratio formalis ut Quod, quod est totum illud, ex partibus & unione resultans. *Sit*

DIFFICULTAS I.

Quid per alios ratio ut Quo totius Eucharistici?

SElegimus nonnisi principaliores sententias, nam plures apud alios refutari videbis.

PRÆMITTO Primò. *Duplicem hic posse concipi præsentiam Christi.* Primò naturalem secundùm quam, contentum sub speciebus, præsens est huic determinato spatio in quo sunt species. Secundò potest concipi Præsentia Christi, secundùm quam præsens est corpus Christi, ipsis speciebus. Esse autem has distinctas præsentias.

RATIO est: Quia potest una deperdi & variari, invariata manente altera. Quia si cum pyxide circumferatur hostia, aliam successivè, & aliam præsentiam acquiret naturalem, & tamen Sacramentalis indistantia à speciebus, semper erit eadem.

PRÆMITTO secundò. *Præsentiam Christi in Eucharistia, non esse præsentiam rigorosam Aristotelicam.*

RATIO. Quia Præsentia Aristotelicè sumpta, includit superficiem ambitientem immobilem, jam autem illæ species, non majorem habent rationem ambiendi, quam habeat v. g. dolium, dum ambitivum est vini.

PRÆMITTO tertiò. *Præsentiam naturalem Christi, non esse distinctam modaliter vel realiter à corpore Christi præsente.* Est præmissum Sancti Thomæ prima parte q. 102. ar. 3. *Mobile secundum locum, solum est ad aliquid extrinsecum*, & secundo contra Gentes cap. 13. *denominatur enim aliquid, ab eo quod est extra ipsum, sicut à loco dicitur esse alicubi, & à tempore aliquando.* Idemque habet 12. Metaph. Lectione 7. *Quod movetur*, inquit, *secundum loci mutationem; habet quidem se aliter secundùm locum, qui est extrinsecus locato, sed non secundùm substantiam, vel secundùm aliquam intrinsecam dispositionem substantiæ.*

RATIO autem præmissi est. Quia etiam præsentia naturalis ut dictum in Physicis, nec modaliter nec realiter est superaddita.

PRÆMITTO quartò. *In quo conveniant & differant Præsentia naturalis & Sacramentalis.* Primò conveniunt in hoc, quòd utraque debeat explicari per Entitatem indistantem, & si explicetur per indistantiam à speciebus, erit Præsentia Sacramentalis; si explicetur per indistantiam specierum & corporis contenti à loco, erit præsentia naturalis. Secundò; Quod utraque possit terminare actionem adductivam & motum. Tertio conveniunt in hoc quod utraque sit principium relationum realium, distantiæ vel propinquitatis. Differunt autem in hoc. Quia præsentia naturalis excludit ab eodem loco aliud corpus. Præsentia autem naturalis & Sacramentalis compatiuntur se in eodem loco. Secundò differunt in hoc, quod præsentiæ naturali corporeorum, competat extensio, & in ordine ad se, & in ordine ad locum: non competit autem corpori Christi Sacramentaliter existenti, nisi sola extensio, in ordine ad se. Tertio quia naturalis Præsentia per se, spectat ad prædicamentum ubi, Sacramentalis autem, nonnisi reductivè.

PRÆ-

PRÆMITTO quintò. *Quæsit connexio inter præsentiam naturalem & Sacramentalem Christi.* Circa quod

ASSERO primò. *De possibili loquendo, nullam habet connexionem præsentia Christi Sacramentalis, cum præsentia naturali.*

RATIO quia non implicat contradictionem, ut solum sub speciebus Sacramentalibus ponatur corpus Christi, & nullibi alibi habeat præsentiam, utsi ponatur in vacuo interminato. Et sicut posito decreto de Unione hypostatica, non erat necesse illam decerni, nonnisi cum tali modo existendi, ut defacto decreta est, nec erat necesse indispensabiliter, ut decerneretur corpus illius extensum; etiam in ordine ad locum, ita poterat decerni præsentia Sacramentalis, non decreta præsentia naturali.

ASSERO secundò. *Attendendo ad verba formæ præcisè, ut sonant, non est indispensabiliter & necessariò alligata præsentia Christi Sacramentalis, ad præsentiam ejusdem naturalem.*

RATIO. Quia si foret alligata, foret alligata ex eo, quod verba Formæ. Hoc est corpus meum, illo casu veri ficari non possent, sed non posita ullibi præsentia Christi naturali, adhuc verba formæ verificari possent. Quod ipsum probatur; nulla enim est ostensibilis particula, quæ tunc non verificetur. Deinde ponamus nullibi existere præsentiam Christi naturalem, ponamus rursùs, quando adhuc cum Naturali præsentia, existebat Christus confectam fuisse Eucharistiam & tamen auferri præsentiam Christi naturalem, eo casu si denuo vellet aliquis consecrare Eucharistiam, posset pronomen meum proferre in Persona Christi, existentis in præconfecta Eucharistia.

DICES Primò cum DiCast. disp. 5. n. 269. eo casu supposita hac institutione, sequeretur utrumque nempe & existere tunc Christum Sacramentaliter, & non existere; existere quidem, quia corpus Christi sub accidentibus potest conservari, quamdiu illa potuissent conservare substantiam panis, non existeret autem Sacramentaliter, quia corpus in Sacramento debet esse conforme substantialiter, sibi extra Sacramentum existenti, idque significant verba formæ.

RESPONDETUR. Negando id significari verbis Formæ. Deinde licèt corpus Christi in Sacramento debeat esse conforme sibi extra Sacramentum existenti, pro tempore institutionis, quis enim formam institueret, non tamen pro tempore sequenti institutionem.

DICES Secundò cum eodem. Christus non ponitur de novo in Eucharistia.

RESPONDETUR. Per nos reproducitur ipsa substantia Christi.

DICES Tertiò. Non est ratio respectu cujus verificetur illud meum.

RESPONDETUR. Respectu Christi pro tunc existentis, dum illud Sacramentum instituebat.

ASSERO tertio. *Nesciri an beneplacitum Dei debeat intelligi tale; quo enuntiet posito casu si non existeret naturaliter Christus, vellem adhuc confici Sacramentum Eucharistiæ.*

RATIO asserti. Quia id nec Ratio nec authoritas evincit.

ASSERO quartò. *Quod ad verificationem Formæ, non sufficeret præcisè existentia naturalis solius animæ Christi.*

RATIO. Quia si existeret sola anima, non esset Christus, sed pars Christi, seu Forma Christi.

ASSERO quintò. *Consequenter adhuc tunc deberet recurri nonnisi ad existentiam, quam habuit Christus, dum instituebat hoc Sacramentum.*

RATIO. Quia ad illam existentiam recurri posset, quantumvis nec anima Christi existeret.

DICES Primò cum Lugone. Adhuc illud corpus posset dici ab anima illa, esse suum; quia quamvis non possent verba illa verificari de quocunque corpore, alias vi verborum posset poni, nonnisi infantile corpus Christi, verificaretur tamen de corpore, cui in separatione, unita fuit anima.

RESPONDETUR. Etiam illud corpus non posset dicere anima, suum, nisi relatè ad tempus, nondum factæ separationis.

DICES Secundò. Ad hoc ut dicatur aliquid fieri nomine Christi, sufficit quod existat anima, tanquam principalior pars, unde etiam dicimus Sanctus Petrus est in Cœlo, quamvis in cœlo sit nonnisi anima Petri.

RESPONDETUR. Propriè loquendo non deberet dici, Sanctum Petrum esse in cœlo, sed animam Sancti Petri, licèt usus oppositum obtinuerit, ex objecto autem ipso non sanctus Petrus est in cœlo, sed anima sancti Petri. Quia verò in Sacramento non tantum attendendum est ad usum communem loquendi, sed ut ex objecto ita se res habeat, ut ille modus loquendi sonat: unde reditus, dicuntur esse panis datus v.g. Rege, & tamen reditus, non sunt materia consecrationis, quia non sunt physicè Panis. Et quia ex objecto, anima Christi non est totus Christus, ideo anima illa existente sola, non posset dici præcisè in Persona Christi, hoc est corpus meum. Deinde totum fundamentum ratione cujus sanctus Petrus dicitur esse in cœlo, quia illa anima incipit habere rationem suppositi, ut dictum in materia de subsistentia; nihilominus illi animæ non possunt tribui omnes denominationes, quæ tribuuntur toti composito ex partibus. Hinc non potest dicere anima illa, ego sum compositum, ego sum habens corpus. Quod ipsum probatur. Quia ly Meum, est quid possessivum, aut illi æquivales, possessivum autem semper importat rationem habeu-

habentis, aut quid æquivalens. Quia autem anima eo casu, non haberet rationem possidentis corpus, ideo nec posset verificari locutio, hoc est corpus meum, nisi relatè ad instans institutionis. Et certè ly Meum, in casu dicto aliud pro instanti institutionis; nam ly meum in hoc casu significaret corpus habitum ante separationem, quomodo non significabat pro tempore institutionis.

Dices Tertiò. In oppositum esse sanctum Thomam & reliquos Doctores censentes, quod si in triduo mortis consecrata fuisset hostia, tenuisset consecratio, & tamen tunc non verificatum fuisset ly Meum, nisi de anima, imò docetur quod si corpus Christi incineres redactum fuisset, tenuisset consecratio; Quia ly corpus non supponit pro forma cinerum, nec de illa verificatur, sed de vero corpore.

Respondetur. Hanc ipsam objectionem militare pro nobis quòd scilicet in consecratione non debeat simpliciter attendi ad habitudinem corporis Christi in tempore consecrationis, sed ad habitudinem in tempore institutionis. *His præmissis*

Dicendum est. *Præsentiam Christi & specierum intimam, non esse rationem ut quo totius Eucharistici.*

Probatur Primò à Pari. Quia præsentia intima cordis & animæ, non est ratio formalis ut Quo, constituendi totum, quod est v. g. Homo, Ergò neque intima præsentia specierum, & corporis Christi, est ratio formalis ut Quo, totius Eucharistici.

Probatur Secundò. Non implicat contradictionem, ut intimè se sistat corpus Christi speciebus, habeaturque simultanea indistantia, & tamen necdum sit totum Eucharisticum. Ergò illæ præsentiæ, non sunt ratio ut Quo totius Eucharistici.

Probatur Tertiò. Quia duæ illæ præsentiæ non plus dicunt, quàm solam locabilitatem utriusque indistantem; sed hoc non est Eucharistia; quia aliàs si per miraculum penetraret se corpus Christi cum speciebus, hoc ipso poneretur Eucharistia, quod non potest dici; alias penetratio Christi cum januis clausis, foret Eucharistia. Respiciunt hæc argumenta principium, quod alia sit Categoria præsentiæ, & alia Categoria totius ut Quo constitutivi.

Per hoc tamen non nego. Quod illæ duæ præsentiæ, sint conditio sine qua non, totius Eucharistici. Ratio. Quia etiam præsentia animæ & corporis intima, est conditio sine qua non, totius, quod est homo. Deinde ly Hoc, nullo modo verificari posset, si species & corpus essent dissita. Denique si non forent species panis, nec foret corpus Christi, non posset tunc præsens esse Eucharistia, saltem talis, qualis nunc habetur. Ergò etiamsi non sint præsentes species panis, & corpus Christi, non posset dari Eucharistia: Quia in ordine ad aliquod totum, constituendum perinde est dissitum esse, ac non esse.

Punctum Difficultatis 2.

An ratio ut Quo totius Eucharistici, sit penetratio Corporis cum speciebus.

Coning q. 75. art. 4. dubit. 2. n. 55. ait si velis inquit, hæc unio corporis Christi cum speciebus, meliùs explicabitur, si dicatur similis unioni, quam haberet corpus glorioſum cum alio corpore, quo cum penetrativè simul in eodem loco ita existeret, ut moveretur necessariò moto alio corpore; ad quod sufficeret ut Beatus, cujus illud corpus esset glorioſum, nõ permitteret se alio modo ab alio corpore penetrari, quàm defacto priùs penetraretur.

Dicendum est. *Quod ratio formalis ut Quo totius Eucharistici, non sit penetratio corporis Christi & specierum.*

Probatur Primò. Nam imprimis non ostendit, ratione cujus ly Hoc, & ly Hic, demonstrativæ particulæ verificarentur: nam penetratio præcisa, non salvat illam demonstrationem, quis enim diceret, cum penetrabat Christus januas clausas, hoc est, Christus. Cujus etiam ratio est. Quia diversæ sunt hæ propositiones: Hic est corpus meum, & Hoc est corpus meum. Ergò erunt diversa utriusque verificativa, & tamen penetratio fundat veritatem, nonnisi prioris propositionis. Rursùs illa penetratione posita & asserta, deberet dici quòd penetrem se species vini, cum rubedine Sanguinis, consequenter vel deberent apparere subrubicundæ, species vini, vel poni miraculum impeditivum

Probatur Secundò. Quia illa sententia inexplicata relinquit aliqua. Si datur penetratio inter species & corpus Christi, quare non dicemur tangere immediatè ipsum corpus: sicut tangerentur uno tacto, duo parietes penetrati, & tamen non tangimus corpus Christi in seipso, sed tantùm species. Rursùs si penetrabilitas corporis est qualitas superaddita corpori Beatorum, non videtur vis in uno sancto respectu alius sancti, ut impediat exercitium illius qualitatis, nisi uterque consentiat, & tamen illud ly non permitteret se alio modo penetrari, videtur aliquid plus sonare. Item sicut in materia de vacuo sustinetur ab aliquibus, quod quamvis non posset dari motus progressivus, qui fit attollendo pedes, nihilominus posse dari motum, ut ita dicam tractionis pedum, eo quod tunc non foret novum Vacuum sed permutatio prioris, ita in præsenti illi dicerent, tunc non fore penetrationis. Quod ipsum adhuc urgeri potest. Quia scilicet illa penetratio, quæ dicitur futura nova, ha-

beret se planè ita, atque dum anima abscisso digito desinit illic esse, & tamen nihil illius perit; Sicut ergò tunc non advenit quidquam animæ reliquis membris, quod ante non habuerint, eò quòd anima, sit tota in toto & tota in qualibet parte, sic nec accedit, nova penetratio in casu de quo hîc. Idemque proportionaliter dicitur de angelo contrahente suam sphæram locabilitatis: Neque enim tunc accedet quidquam illi medio novo, ad quod se contrahit angelus. Quod ipsum hoc fundatur; quia id est debitum modo spirituali existendi, & quia talem modum existendi habet etiam corpus Christi in Eucharistia, sequitur quod non maneat magis pars penetrata, si hostia moveatur ad dextram, & corpus Christi ad sinistram. Ex quo etiam sic formatur argumentum. In præsenti debet talis assignari unio inter species & corpus Christi, ratione cujus non possent separari inter se, species & corpus, sed penetratio non est talis. Quia si species cum corpore penetratæ, non possent separari inter se; id exinde fieret, quia daretur nova penetratio, sed non daretur, ut probatur instantiis allatis de anima & angelo. Ergò.

Probatur Tertiò. Quia dupliciter penetratio fieri potest; primò, ut penetratorum corporum non sit inter se alligatio permanens, & id contigit quando Christus ingressus est januis clausis; secundò, potest esse penetratorum corporum alligatio permanens, ut permanenter alligantur secum, corpus Christi & species, & de hac quæri potest, per quid transeatur ad illam permanentiam alligationis. Finge velle Christum, integris speciebus, corpus suum separare à speciebus, non retineretur solo decreto divino; quia ex non unito, non fit unitum, per solum decretum Dei, decretique illius efficacis, deberet dari effectus, qui sit ratio formalis alligandi, & de hac quæro quid sit?

Punctum Difficultatis 3.

An ratio ut Quo sit tractio consimilis magneticæ?

Lugo disp. 6. à n. 19. cum docuisset, intervenire ibi actionem effectivam, quæ suppleat sustentationem illam à subjecto quod est panis, debitam illis accidentibus. Insuper num. 26. docet intervenire illic alligationem ad species, seu insolubilitatem intimæ præsentiæ, quæ oritur ex vi quadam Divinitùs data speciebus, ad trahendum secum corpus Christi, quocunque feratur, dicitque hanc Virtutem esse similem ei, qua magnes trahit ferrum. Ponit illam superadditam realiter, & pro subjecto assignat solas species.

Dicendum est. *Rationem hanc ut Quo, non esse virtutem hanc consimilem magneticæ.*

Probatur Primò. Quia hæc sententia non explicat ratione cujus verificetur demonstrativum ly Hoc: non enim verificatur ratione influxûs effectivi secundùm se, quia hic ex genere suo non est verificativus particulæ Hoc; sed particulæ ab hoc. Non etiam ratione illius qualitatis; quia hæc per illum tota ordinatur ad producendum ubi supernaturale in corpore Christi, quod ipsum non apparet quomodo verificet particulam Hoc.

Probatur Secundò. Quia hæc sententia supponit aliqua principia refutata. Supponit enim ubi condistidctum. Rursùs non procedit proportionaliter ad alias alligationes, quæ perficiuntur non per tractiones aliquas, nec enim intercedit talis qualitas tractiva, in toto composito, quod est homo.

Probatur Tertiò. Quia illa ligatio, vel stabit in ubi producto ab illa qualitate, vel in illa qualitate, vel in utroque. Si in ubi producto? contra erit. Quia illa qualitas habet rationem efficientis, alligatio autem ex proportione ad manifestè unita; habet rationem causæ formalis. Non etiam in utroque: quia non apparet quid conjunctio illorum duorum conferat, ad salvandam rationem formalem ut quo quæsitam. Deinde si poneretur in homine, qualitas productiva ubi, in anima & corpore humano, ratione hujus qualitatis, non dicerentur illa duo inter se alligata; neque enim sola indistantia facit unita. Ergò & in præsenti idem dicendum.

Confirmatur. Urgendo argumentum quod sibi opposuit Lugo. Corpus Christi succedit substantiæ panis, atque adeo debet se habere circa species, sicut substantia panis, habet se circa illas; sed in accidentibus non erat talis virtus motiva ad trahendum secum substantiam panis. Ergò nec hîc ponenda.

Respondet. Primò Lugo. Accidentia non indiguisse hac virtute superaddita, nam ad illum motum, habebant accidentia sufficientem virtutem, hic autem producendum erat Vbi supernaturale.

Contra. Quia restat adhuc difficultas. Vnio quæ erat inter accidentia panis & substantiam, non stabat in productione alicujus ubi. Ergò neque ratio ut Quo totius Eucharistici, stabit in isto Vbi.

Respondeti potest secundò; accidentia panis ab aliquo localiter mota, trahunt secum substantiam panis; quia exigunt quod DEVS tunc moveat substantiam, cum ipsis accidentibus.

Contra est. Tum quia quod accidentia mota, exigant ut moveatur substantia panis, fundatur in alligatione, quæ est inhærentiæ. Ergò etiam, quòd accidentia Eucharistica mota, exigant moveri corpus Christi, debet hoc fundari in alia alligatione. Quid illa? Tum quia quamvis ex

vis ex libera Dei voluntate, motum accidentium, sequatur motus corporis Christi, id verum est, si id consideretur, antecedenter ad Intentionem Sacramenti, pendentem à sola libera Dei voluntate. Sed posita institutione, pendet ab aliquo alio, de quo quæro quid illud sit & quidem præter ipsum; ut urgetur Ubi; quis enim effectus illius efficacis decreti, hîc ostendetur. Tum quia concedo illa accidentia respectu substantiæ panis dicere exigentiam ut illis substantia commoveatur. Concedo quod accidentia Eucharistica respectu corporis Christi illam non dicant. Redit tamen argumentum, illa alligatio accidentium ad substantiam panis, non stat in mero ubi, & ejus productione. Ergò nec inpræsenti stabit.

Respondet Tertiò Lugo: Virtutem hanc movendi substantiam panis, esse ipsammet unionem, quam habet cum suis accidentibus. Quia verò in Eucharistia non datur alia unio inter species & corpus Christi, debet addi aliqua virtus specialis.

Contra. Quia non est ratio, cur proportionatè ad manifestiora loquendo, non debeat etiam poni aliqua Unio.

DIFFICULTAS II.

Quid ratio ut Quo totius Eucharistici?

Duos Modos adhibebimus.

PRIMUS MODUS.

IMmutabimus nonnihil explicationem, cujus meminit Lugo disp. 6. n. 5. ut id fiat

Præmitto Primò. *Posse dari rationem communem unioni Physicæ & alligationi Sacramentali in ratione nexûs.*

Ratio. Quia non magis hæc differunt, quàm analoga, quàm individua &c. & tamen his omnibus, potest dari ratio communis. Ergò & in præsenti idem dici potest.

Præmitto Secundò. *Rationem hanc communem, ad unionem Physicam, & alligationem Sacramentalem, posse appellari nexum.*

Ratio. Quia hæc formalitas de Vnione physica, & de alligatione Sacramentali prædicari potest.

Præmitto Tertiò. *Essentiam istius nexûs stare in hoc, ut dicat adstrictionem unius ad aliud, vi cujus, non possit moveri unum, quin moveatur alterum, ad quod postea consequitur, ut debeant à se indissita esse, & indistantia.*

Ratio. Quia sic descripta essentia nexûs, singulis competit & procedit per prima.

Præmitto Quartò. *Differentias, quæ inter illam unionem physicam, & inter alligationem Sacramentalem ostendentur; non esse illas ex ratione generica nexûs, sed nonnisi ex ratione specifica talis nexûs.*

Ratio. Quia ex quo colligetur Leonem & Hominem non differre in ratione communis animalis ex eodem colligetur in ratione nexûs, unionem Physicam & alligationem sacramentalem convenire.

Præmitto Quintò. *Non esse de conceptu unionis vel nexûs ut sic, recipi in utroque extremo*, de quo fusiùs in materia de unione hypostatica. Quodsi non est de ratione nexûs, recipi in utroque extremo, poterit ille nexus non recipi in utroque extremo, adeoque poterit ille nexus recipi in speciebus, terminari autem ad corpus Christi. Ut ita salvetur sensus Doctorum asserentium, corpus Christi in Eucharistia non mutari, exceptis iis, quæ ad quantitatem ejus spectant. *Hinc*

Ratio *Formalis ut Quo totius Eucharistiæ erit nexus Physicus specierum & corporis Christi, receptus in speciebus, terminatus ad corpus Christi.*

Ratio. Quia etiam in aliis materiis, alligationes & uniones ita explicantur. Procedit hæc explicatio ad principia usurpata modalium.

Dices Primò cum Lugone, omnis vera unio, supponit unius saltem ex extremis inter quæ versatur aliquod incomplementum Physicum, ratione cujus sit possibilis talis unio. Hinc unus angelus non potest uniri cum alio, neque anima rationalis cum alia, & verbum divinum, ideo est unitum, quia natura humana supponitur incompleta in ordine ad aliquam subsistentiam supernaturalem; sed nec ex parte corporis, nec ex parte specierum supponitur aliquod incomplementum; quod enim? Neque enim ex illa unione accipit corpus Christi esse v.g. album, si autem nullum effectum formalem accipit ab albedine & aliis accidentibus; difficile intelligitur, quo modo illis Physicè uniatur, nam effectus formalis nihil aliud est, nisi illud totum, quod resultat ex utroque unito. Unde, etiamsi albedo uniretur angelo, non denominaret quidem eum album, daret tamen illi effectum formalem innominatum; quia non posset illi uniri, quin resultet aliquid concretum ex utroque extremo, & si non participat de effectu illo formali accidentium corpus Christi, quod illis unitur, quomodo est incompletum quid, ad tale genus unionis.

Respondetur. Quod omnis unio quæ est extremorum ad se ordinatorum, saltem in ordine supernaturali, supponat ad minimum, in uno incompletionem; secus si sit inter extrema, etiam ad se non ordinata. Ratio est. Quia non implicat poni alligationem inter duas animas & inter duos angelos, qua supposita, non possent à se distare, nec moveri unus, non moto alio. Deinde quia etiam hîc, potest aliqua incompletio, saltem imperfecta ostendi: quòd scilicet corpus Christi, se ipso, retento modo existendi Spiritualiter, hoc est existendi totum in toto, & to-

tum in qualibet parte, non potest se solo esse sensibile humano modo, atque adeo sacramentaliter ponibile, & in ordine adhoc, est complebile, accidentia autem ipsa, habent rationem completivorum. Rursùs aliud est quærere: an ex illa unione resultet aliquis effectus formalis; & aliud: an ex illa unione perficiatur Christus; primum illud verum est, acquirit enim corpus Christi rationem alligati & rationem talis, ut uno moto, moveatur & aliud; quoad secundum an scilicet tunc perficiatur corpus Christi, dici debet non perfici corpus Christi in sua entitate, illud enim ex vi existendi, qui est spiritualis, subtrahit sese, cuilibet adventitiæ materiali perfectioni, quæ non agit nec perficit nisi subjectum sit debitè extensum; & sicut angelus albedine sibi unita, non perficitur propter incapacitatem suæ entitatis ad denominationem alibi; sic ratione illius modi existendi, quem acquirit corpus Christi contentum in Eucharistia, redditur etiam incapax adventitiarum materialium perfectionum. Potest tamen hîc admitti, quòd perficiatur sacramentaliter corpus Christi, id est in ratione sensibilis suppositi institutione.

Dices Secundò cum eodem. Omnis vera & propria unio Physica, ita ligat utrumque extremum, ut exigat quantum est de se, ut ubicunq; est unum extremum, sit etiam & aliud: & tamen hæc alligatio Sacramentalis, non est ejusmodi; aliàs in singulis hostiis & in cœlo, deberet Christus habere accidentia panis.

Respondetur. Argumentum multùm probat. Probat enim quod inter Personam verbi & naturam humanam, non intercedat unio Physica non enim ubicunque est Persona verbi, illic est corpus Christi. Rursùs est vera unio Physica totius animæ cum capite, non tamen ubicunque est anima, illic est caput. Quod si dicat majorem esse veram nonnisi de extremis commensuratis, de extremis ejusdem conditionis, idem etiam in præsenti applicabimus; non sunt autem accidentia non replicata ejusdem conditionis cum extremo replicato vel immenso. Rursùs suppono ex materia de conversione. Corpus Christi in Eucharistia, quamvis non titulo conversionis, nihilominus titulo positionis in pluribus locis, esse reproductum, ex quo eruitur responsio: quòd scilicet vera unio Physica, requirat ut ubi est unum extremum, sit etiam aliud, cum quo formaliter dicit unionem, non autem cum quo illam non dicit, & ita quia cum reproducto A. nexum dicunt hæc accidentia, ubicunque est reproductum A, illic etiam sunt illa accidentia, non autem v. g. ubi est reproductum B.

Dices Tertiò. Constantiense Concilium docet quod accidentia panis sint sine subjecto, essent autem cum subjecto si daretur illic vera unio Physica.

Respondet Amicus. Quòd si nomine subjecti intelligatur aliquid coincidens cum termino intrinseco, terminante dependentiam accidentis ad se, in isto sensu accidentia nõ sunt sine subjecto, de facto enim habent rationem dependentiæ à corpore Christi. Si autem intelligatur de subjecto propriè dicto, quod non solùm dicit sustentationem dependentiæ, sed etiam receptionem accidentis in se, in hoc sensu, sunt accidentia sine subjecto.

Dices Quartò cum Haunoldo lib. 4. num. 819. Si daretur talis Unio, hoc ipso accidentia tribuerent suos effectus formales corpori Christi: nam illorum est capax corpus Christi, adesset quæ unio formalis Physica.

Repsondetur. Negando Seq. Eò quòd ille nexus ordinaretur nonnisi ad alligandum ut sit indistans corpus Christi à speciebus, species à corpore: & sicut posset alligari natura humana naturæ divinæ quoad rationem merè Indisiti, sine ulla fundatione communicationis idiomatum, ita & in præsenti quantumvis ille nexus, hoc sensu esset physicus, quia scilicet independenter à nostris intentionibus haberet suam Entitatem. Videantur præmissa.

Dices Quintò cum eodem. Unio formalis Physica condistincta, habet hoc ex essentia sua, ut non possit dari, nisi inter extrema, quorum saltem alterutrum, perficiatur ab altero, & accipiat specialem aliquem effectum formalem. Quis autem ille in præsenti.

Respondetur. Illius nexus nunc fore formalem effectum, quod tribuat utrique extremo rationem indisiti.

Dices Sextò cum eodem. Ex nullo alio fundamento denominatur aqua calida, nisi quia calor est illi physicè unitus, & si posset dari unio faciens præcisè effectum formalem uniti, tunc sine ullo inconvenienti posset quis dicere talem esse unionem caloris cum aqua, quia calor est a quæ contrarius.

Respondetur. Cùm calor non tantùm in ordine ad Esse Indisiti uniatur aquæ, hoc ipso tribuet illi rationem calidæ, & cum sensus probet, nullaque in oppositum sit ratio, inferimus: unionem illam non tribuere solam rationem indisiti: quia autem obest dicere Christi corpus accidentibus Panis mutari docente id sacra doctrina, ex alia parte cum non repugnet nexus physicus tribuens solam rationem indisiti, ponendus ille erit.

Objicit Septimò. Nisi hæc sit natura Unionis Physicæ, nihil obstabit quominus quilibet cuilibet Physicè uniri possit v. g. Angelus Angelo.

Respondetur. Angelus angelo non potest uniri uniosie physica fundativa communicationis idiomatum: potest tamen uniri unione accidentali, quæ reddat utrumq; indisitum vi alligationis & nexus, & si hoc per Haunold. posset suo decre-

decreto efficere Deus, (ut efficit in corpore Christi) cur non hîc.

Addo. Vel ex inde ponendam esse hanc allegationem & nexum Physicum, quia Haunoldus videtur id immeritò referre in ipsum decretum Dei decernentis Christum ponere stabiliter in Eucharistia & Ratio in contra est. Tum quia possibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione: quæ hîc sufficiens mutatio, vi cujus transeat Deus à non esse ita decernentis ad esse ita decernentis? cum possit esse Entitas corporis Christi, & Entitas specierum, quin Christus stabiliter sit sub illis. Tum quia decretum illud est efficax, ostendatur quid efficiat. Dices: efficit ut sit stabiliter Christus; de hoc ipso quæro per quid id efficiat, cùm possit esse corpus Christi, & species, sine hac stabilitate. Tum quia quæcunque ratio probat in istis ubi Haunoldus ponit Modalitatem non sufficere decretum Dei, illa probabit etiam hîc non sufficere.

SECUNDUS MODUS.

Hic modus procedit conformiter ad dicta de unione in Physicis, & in Materia de Incarnatione, qui ut proponatur

Præmitto Primò universaliter. *Vbi datur indifferentia ad transeundum à contradictorio ad contradictorium, debet assignari sufficiens determinativum ad unam partem.* Vt suppono ex tractatu de distinctionibus.

Præmitto Secundò. *Majorem reperiri indifferentiam in speciebus & corpore Christi ad constituendum totum Eucharisticum, quàm reperiatur inter materiam & formam.* Quia hæc duo comparantur ad se tanquam actus & potentia, quam comparationem non habent inter se species & corpus Christi; quia quamvis indigeat per species reddi sensibile humano modo corpus Christi spiritualiter existens in sacramento; quia tamen hoc ipsum sic spiritualiter existens, hoc ipsum quod est habere rationem Sacramenti, est meè extrinsecum corpori Christi & speciebus, fit ut ad illam rationem Sacramenti constituendam, magis sit indifferens corpus Christi & species, quàm materia & forma.

Præmitto Tertiò. *Triplicem fermè indifferentiam spectari posse, tam in speciebus, quàm corpore Christi.* Prima indifferentia est ad constituendum totum Eucharisticum. Secunda indifferentia ex parte specierum, ad perire casu quo non sint in subjecto, vel non perire casu quo Deus conservationem illorum velit; ex parte autem corporis Christi potest spectari indifferentia ad uniri & alligari speciebus. Tertia indifferentia in hoc stat, quia quamvis replicatum corpus Christi in Italia & replicatum in Polonia sit idem numero, habet tamè vi suæ reproductionis, aliàs à nobis propugnatæ, æquivalentiam ad plura distincta realiter, appellemus itaque corpus Christi reproductum in Italia reproductum B, sub speciebus in Italia constitutis; & reproductum A, sub speciebus in Polonia positis.

Præmitto Quartò. *Indifferentias has plures, posse uno determinativo tolli.*

Ratio. Quia etiam alias indifferentias quantumvis plures, videmus tolli uno determinativo; posito enim uno pariete albo, tolluntur omnes indifferentiæ in reliquis parietibus, ad habendam relationem ad illum parietem, vel non habendam.

Præmitto Quintò. *Sufficeret ut hoc determinativum nonnisi in uno extremo indifferenti ponatur.*

Ratio. Proximè in ante adlata.

Præmitto Sextò. *Has indifferentias non posse alio tolli, quàm per productionem entitatis modalis, determinantis has species, ut sint hujus reproducti, & hoc reproductum, ut sit harum specierum in circumstantia talis vel talis loci.*

Ratio præmissi, quia nihil potest ostendi per quid transeatur, à non esse specierum hujus reproducti ad esse specierum hujus reproducti; & quia modum usurpando conformiter discurretur ad ea, quæ sunt dicta de aliis unionibus. Additur autem in circumstantia talis vel talis loci. Quia hoc totum Eucharisticum, quod est in Polonia, erat indifferens ut esset in Italia, quæ illius indifferentia, non tollitur dicta entitate modali, sed circumstantia loci.

Præmitto Septimò. *In hoc quod est accidens esse in subjecto duo reperiuntur.* Primò. Causalitas causæ materialis seu subjecti in accidentia, secundò unio accidentium & subjecti, quæ duo esse diversa ostendi potest; ex dictis in Physicis, ubi ostensum causalitatem in formas materiales, non esse unionem; primùm illud non habetur in Eucharistia, cum fides doceat esse accidentia sine subjecto, habetur hoc posteriùs; quia habetur totum Eucharisticum, quod non potest concipi sine unione. *His præmissis*

Explicari potest ratio ut Quo totius Eucharistici, quòd in re non sit aliud, nisi hæ species hujus reproducti, & hoc reproductum, harum specierum, in circumstantia modi recepti in speciebus, & determinantis has species, ad esse hujus reproducti, & hoc reproductum, ad esse sub his speciebus.

Ratio. Petatur ex dictis in simile de unione.

Dices Primò. Nondum explicari, quî motis speciebus dicatur moveri Christus.

Respondetur. Movetur ratione illius alligationis; sicut moto corpore per trusionem, movetur anima, titulo alligationis.

Dices Secundò. Saltem nondum explicatur, quî salvetur hîc est corpus Christi, vel hoc est corpus Christi.

Respondetur. Ut dicatur, hîc est corpus Christi, sufficit illa determinatio, ut alligetur & nectatur corpus Christi cum speciebus. Ut dicatur hoc est corpus Christi, cum non detur communicatio idiomatum inter species & corpus Christi, sed intervenit illic nonnisi præsentia & continentia Sacramentalis, fiet illius propositionis hîc sensus. Hoc sensibile, est corpus Christi. De prædicatis communibus Christo & speciebus vide DiCast disp. 6. n. 32. qui etiam universaliter dicit, non posse in hoc regulam certam tradi, indubiè tamen non dabitur hic communicatio idiomatum in esse, quia hæc ut dictum in Materia de Incarnatione, requirit unionem per se.

Dices Tertiò. Christus dicitur per Triden. Sess. 13. Can. 1. Substantialiter in Eucharistia, illa autem determinatio esset accidentalis.

Respondetur. Tridentinum hoc solum voluisse, quod illic sit substantia corporis Christi, nihil autem egisse de illa determinatione, de qua etiam dici potest, quòd terminativè sit substantialis.

Instabis. Tridentinum dicit existentiam Christi in Eucharistia esse talem, ut illam verbis exprimere non possimus, talis autem ut admittitur alligatio, non habet eam difficultatem.

Respondetur. Tridentinum non ad determinationem & alligationem hanc respexisse; sed quomodo corpus Christi succedat in locum substantiæ panis, transubstantione, quomodo sit totum in toto, & totum in qualibet parte.

Dices Quartò cum Dicastillo, ponente hanc modalitatem, sed in corpore Christi non in accidentibus. Per conversionem non adducuntur accidentia ad aliquem locum Christi, sed potiùs corpus Christi ad locum accidentium, hoc autem indicium est, hujusmodi nexum, esse potiùs in ipsius Christi substantia.

Respondetur. Quando dicitur Christus adduci in Eucharistia, non supponitur motus aliquis localis, in illo corpore. Non erit ergò ratio, cur debeat ille nexus in Christo recipi, minusque dicetur mutari corpus Christi, si non recipiat quidquam in se. Et tamen cavent Theologi ab ista mutatione ponenda in corpore Christi, quantùm fieri potest.

Dices Quintò. Inexplicatum adhuc relinqui, an ille modus sit supernaturalis? an unio alia caput v.g. alia pedes Christi uniat?

Respondetur. Ex dictis de supernaturalitate inferri, quòd ille modus sit supernaturalis in substantia, nulli enim substantiæ creabili debetur entitas alligativa corporis assumpti hypostaticè, & quidem existentis modo spirituali. Quod attinet ad illam ipsam entitatem determinativam, quid si poneretur tota, alligare totum corpus Christi & tota quamlibet partem, cum ipsum alligabile ita se, in se, prout existente Sacramentaliter, habeat. Corpus enim Christi existit totum in toto, & totum in qualibet parte.

DIFFICULTAS III.

De ratione ut Quod totius Eucharistici.

Dicendum est. *Quod ratio formalis ut Quod totius Eucharistici, sit ipsum totum, resultans ex his speciebus, & hoc producto, in circumstantia prædictæ determinativæ entitatis.*

Probatur Primò. Quia Ratio formalis ut Quod totius naturalis, est ipsum totum, resultans ex materia & forma in actu secundo talibus, in circumstantia determinationis entitativæ. Ergò & in præsenti idem dicendum.

Probatur Secundò. Quia quæ habent rationem partium, constitutivarum, sunt illa ipsa, totum, si cætera adsint. Ergò cum species & corpus v.g sint partes Eucharistiæ, adsitque determinatio, totum ex illis pullulans, erit ratio ut Quod, totius Eucharistici.

Probatur Tertiò. Iis rationibus, quibus in Physicis probatum, totum non distingui realiter à partibus unitis collectivè sumptis.

Colliges. Quis sit terminus formalis ad Quem conversionis Sacramentalis, est enim ipsum corpus Christi, prout alligatum, ad esse, sub his speciebus.

Punctum Difficultatis I.

An contineatur Christus in unaquaque parte specierum?

Decisio est Triden. Session. 13. Canon. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, Anathema sit.* Ex occasione hujus decisionis quærere restat, an etiam antè divisionem, sit in unaquaque parte totus Christus.

Dicendum est. *Ante separationem est totus Christus* sub singulis partibus specierum.

Probatur Primò à pari; est totus Christus post divisionem in unaquaque parte specierum ut docet Triden. Ergò etiam est totus Christus, inibi ante separationem.

Probatur Secundò. Quia in Eucharistia, debet corpus Christi acquirere modum existendi spiritualem, nam id sequitur, ex ipsa impeditione effectus quantitatis, qui est extensio in ordine ad locum; si acquirit modũ existendi spiritua-

tualem, Ergo debet esse totus in toto, & totus in qualibet parte, talem enim existentiam habet anima in Corpore, & angelus divisibilem locum occupans.

Probatur tertiò. Quia si ante divisionem non esset totus Christus in unaquaq; parte specierum, deberet ostendi principium, per quid ponatur posita jam separatione, hoc autem principium non potest ostendi. Quod enim? Imò cum Christus non ponatur sub speciebus Sacramentaliter, nisi secundùm institutionem & cùm institutio exigat consecrationem, si hæc consecratio, non ponitur, posita separatione specierum, (ut non ponitur) si præsupponatur consecrata materia (ut supponitur) hoc ipso non potest ostendi principium, quod post divisionem specierum, ponat corpus Christi; & sicut si ante dationem, centum, non supponatur centum, non potest intelligi datio centum: ita si ante divisionem specierum, non præsupponatur Corpus Christi, nec post divisionem supponetur.

Objicitur primò. Si Christus foret ante separationem in singulis partibus specierum, sequeretur Christum in singulis hostiis infinities replicatum esse. Quia partes specierum sunt infinitæ Syncategorematicè. Huic argumento varias responsiones invenerunt auctores quarum meminit Coning disp. 26. A. 3. dub. 1. Et Lugo disp. 8. Sect. 3.

Responderi posset primò etiam Christum esse replicatum infinitè Syncategorematicè in in Eucharistia. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia non solum infinitè Syncategorematicè, sed etiam infinitè categorematicè deberet esse Christus in Eucharistia; quod ipsum probatur. Quia replicationes illæ Christi non sunt in Potentia. Ratio est. Quia tot sunt actu, quot sunt partes in potentia divisibiles; in potentia autem divisibiles, sunt infinitæ actu. Quod ipsum probatur. Quia si illæ partes totæ sint actu, quot sunt potentia, essent infinitæ actu; cum ergo replicationes sint tot actu, quot sunt potentiâ partes, hoc ipso sunt infinitæ actu. Quod autem tot sint replicationes actu, quot sunt partes potentia. Ratio est. Quia aliàs non esset actu Christus in aliqua parte, sed solum potentiâ. Per quid ergo transiret posita separatione, ad esse actu.

Responderi posset secundò. Esse infinitè actu replicatum Christum in Eucharistia. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia implicat infinitum actu; & quamvis non implicaret quia partes sensibiles non sunt infinitæ ipsarummet specierum, nec erit sub illis infinitè actu Christus, cùm non sit illic nisi sub speciebus sensibilibus.

Responderi potest tertiò. Continuum licèt possit dividi in infinitum, non posse tamen ab aliqua creatura ita dividi. Cùm enim illa vis dividendi sit finita, non videtur posse in infinitum semper magis ac magis aliquid dividendo procedere, sed alicubi erit sistendum. Et certè quid implicat deveniri ad corpus tam parvum quod ulterius nulla Creatura dividere posset. Quid item implicat Deum creare duo corpora, quorum unum tam parum excedatur ab alio, ut hoc ab Angelo notari non possit, aut corpus tam parvum, ut in eo Angelus non possit distinguere medium ab extremis, aut si possit distinguere, non sequetur quod possit separare. Hinc toties Christus erit in Eucharistia, quot talia sunt corpuscula. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia ex finitudine potentiæ, non rectè arguitur deveniri debere ad terminum, & ulterius non possit Quantum dividi.

Ratio. Quia etiam ex finitudine præcisa intellectivæ, non potest inferri, deveniendum esse in linea intelligendi, ut ulterius intelligere non possit intellectus. Deinde cum omnium naturalium actu existentium, debita sit notitia naturalis Angelo (nisi actus sit liber) non appareret, quòd possit esse unum quantum tam parùm excessivum alterius, ut excessum non possit advertere Angelus.

Responderi potest quartò cum Coning, qui cum priori sententia admittit partes non ultra divisibiles à Creatura, in hoc tamen differt, quia prior responsio admittebat in illis singulis particulis formalem replicationem Corporis Christi, ille autem admittit nonnisi æquabilem substantiæ corporis Christi diffusionem, consimilem ei, quam habet anima in corpore vel Angelus in loco divisibili. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia si unitur, & eo modo existit Christus in Eucharistia, quo anima vel Angelus ut dictum, unde posita separatione specierum, acquireret pluralitatem præsentiæ Sacramentalis. *Hinc aliter*

Responderi potest quintò. Cum (ut pertentando viam dictum in Physicis) non componatur continuum ex partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus, sed ex minimis physicis, sit ut singulis illorum respondeant reproductiones, & replicationes Christi; ita, ut totus Christus, in tota Eucharistia, & totus sit in singulis partibus, habeatq; & totalitatem in tota hostia quasi continuam, consequenter similem substantiæ Angelicæ, toto spatio locabilitatis continuè diffusæ, & simul rationem connumeratæ reproductionis, numero minimorum, ita ut accepto minimo, verè illic contineatur Corpus Christi, diviso autem illo, desinat Corpus Christi, quia desinit illic ipsa esse quantitas, si illa medietas non sit conjuncta aliis. Quando autem Patres docent, quòd in minima particula Eucharistiæ, contineatur totus Christus, loquuntur de minima parte, sed sensibili; tale autem non est medium minimi, se solo, ut dictum alibi; dixi se solo; nam conjunctum cum

aliis partibus, continet & quantitatem & corpus Christi, quod inter alia fieri posset, non per ullam novam replicationem Christi, sed per ejusdem replicationis majorem extensionem in medietatem minimi conjuncti. Quod etiam asseri posset fieri, in casu, quo rarè fierent species, scilicet non positis novis aliquibus replicationibus, sed per æquabilem suppositarum replicationum diffusionem, accommodantem sese ipsi quantitati.

Punctum Difficultatis 2.

Continuatur solutio Objectionum.

OBJICITUR secundò. Si in singulis partibus ante separationem foret Christus totus, vel ita foret, ut replicationes illæ Christi habeant se eo modo, quo sunt arenæ in cumulo, ita ut non sint inter se continuæ, sed contiguæ, vel ita se haberent, ut essent continuæ. Nihil horum dici potest. Ergo neq; dici potest ante separationem Christum totum esse sub singulis partibus. *Quod illæ replicationes Christi non sint continuæ, inclinat Coning. Sed esse continuas ponit Lugo Disp. 8. n. 47. & rationes ex Coning adlatas dissolvit. Examinandæ sunt hæ solutiones.*

PRIMA RATIO, quam sibi opponit Lugo ex Coning. Illæ præsentiæ ad diversas partes specierum, non sunt plures partiales sed totales: quod ipsum probatur. Quia si omnes componerent unam solum præsentiam, sequeretur Christum, semel tantùm inibi esse, ante divisionem specierum, quod admitti non potest.

RESPONDET Lugo. Sicut in speciebus sunt plures partes componentes unam quantitatem v. g. totalem, sic illam præsentiam Corporis Christi, habere plures partes pro divisibilitate spatii, quarum singulæ sunt partiales, & omnes componunt unam præsentiam integram totalem, ad totum illud spatium, dicitq; ulterius, semel esse Christum in Eucharistia, sed pluries partialiter non partialitate corporis, sed partialitate præsentiæ, sicut Angelus vel anima est pluries partialiter in suo spatio, hoc est, per plures partes præsentiæ, omnes autem componunt unam præsentiam totalem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia si post separationem sunt illic plures præsentiæ Sacramentales, cur non & ante, & quidem concessa illic reproductione, non apparet unde illic oriatur illa partialitas. Et quamvis una reproductio in sola parte B. non æquivaleat reproductioni contentæ in parte A. C. id tamen non convincit, nam etiam granum papaveris A. non æquivalet granis B. C. & tamen hoc non obstante habet granum A. debitam sibi totalitatem. Ea etiam non convincunt quæ assumit Lugo. Quia cum non maneat totalitas quantitatis post divisionem; hinc sunt plures nonnisi partes, componentes unam quantitatem. Jam autem post divisionem, totus Christus manet. Angelus item & anima, cum non sint apta, distans spatium occupare divisim, ideo uniter ponuntur in loco: jam autem post divisiones plures, & quidem totaliter, ponitur corpus Christi. Ergo ante divisionem, non debuit esse Christus uniter totaliter.

SECUNDA RATIO est ejusdem, quia in singulis replicationibus, Christus est actu integrè & completè, independenter à quacunque replicatione.

RESPONDET Lugo. In singulis partibus spatii contineri totum Christum integrum, sed non integrè & completè ex parte præsentiæ, ita tamen ut illa partialis præsentia, possit dici integra, hoc sensu, in quantùm scilicet sola potest existere, absque omnibus aliis, defacto tamen non est integra, sed partialis, propter unionem qua connectitur cum aliis partibus præsentiæ. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia jam concedit hoc sensu esse illam præsentiam integram, quia post divisionem potest existere illa præsentia, absq; omnibus aliis, sed cur non dicetur integra quantumvis supponatur Unio. Sicut unaquæq; arena est integra, quantumvis supponatur unita cæmento, præcipuè autem, quia hic danda est totalitas plurificata, quæ inveniatur, posita separatione; cujus exemplum non habetur in natura; licèt enim gutta aquæ separetur ab altera gutta, non tamen est tota illa aqua, sicut post separationem, est totus Christus.

TERTIA RATIO. Quia si Deus annihilaret, omnes species, & conservaret corpus Christi, tunc illæ replicationes, essent inter se verè discretæ. Ergo & nunc sunt.

RESPONDET Lugo. Si annihilatis speciebus maneret præsentia Corporis Christi, futuram illam continuatam sicut priùs, quia ex se non pendet à continuatione vel præsentia specierum, sicut annihilato corpore vel discontinuatis ejus partibus, adhuc præsentia animæ, esset continua. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Quia hoc ipsum probandum fuisset, non pendere præsentiam Christi à speciebus, illud de anima non tenet, quia ut dictum: anima rationalis distincta spatia occupare non potest, hinc præsentia ejus, debet esse nonnisi continua. Oppositum autem contingit in Corpore Christi post divisionem specierum.

ADDO pone annihilari præsentiarum illam continuationem, quæro an pluries jam tunc totaliter esset Christus, an uniter. Si pluries? Ergo etiam ante annihilationem illius continuationis pluries erat, nam annihilata illa continuatione, non reproducitur Christus. Si autem

tem nonnisi uniter supponebatur illic Christus. Ergo posita separatione specierum, non poterit ostendi, quî erit in singulis speciebus. *Post hæc discussa*

Respondetur. Objectioni Secundæ. Non esse illic propriam continuationem, vel contiguationem, quia hæc eorum est, quorum quantitas quoad effectus secundarios manet, fugiendoque quæstionem de voce dici potest: quòd in singulis minimis, sit totaliter Christus & totus, ita tamen, ut etiam totus sit in tota illa hostia, includente plura in se minima.

Objicitur tertiò. Trident solum definivit dost divisionem totum esse Christum.

Respondetur. Id quidem solùm definivit, sed sequitur etiam ante divisionem in singulis partibus totum Christum contineri, quia post divisionem, nulla ponitur nova consecratio. Salvarique non posset quomodo tunc de novo ponatur totum corpus Christi.

Punctum Difficultatis 3.

An detur influxus aliquis Corporis Christi, in accidentia Eucharistica.

HUnc influxum admittit Lugo disp. 6. Sect. 2. & Disp. 7. Sect. 6. sed negat cum aliis Amicus. d. 8. num. 34. *Pensandæ sunt rationes utriusque partis.*

Pro Parte affirmante.

Ratio prima est ex Lugone. Quia per hanc causalitatem, dicitur Corpus Christi substare accidentibus, hoc autem substare, stat in actione sustentativa.

Respondetur. Sufficit, ut dicatur substare Corpus Christi accidentibus, ponere alligationem eorundem, cum corpore Christi.

Ratio Secunda. Substantia panis respectu accidentium, dicit & influxum in illa, & unionem. Ergo cum corpus Christi succedat in locam substantiæ panis, utrumq; hoc salvari debet.

Respondet. Lugo non requiri illa duo simul ad substandum, sed disjunctim, scilicet vel unionem, vel sustentationem. Nam in illius principiis, defacto Angelus subsstat sine creationi, quam tamen non causat, in genere causæ materialis.

Instabis primò. Sequitur ex eo quod Corpus Christi subsstet accidentibus, sequitur inquam quod illa sustentet.

Respondetur. Non sequi: in principiisq; etiam oppositorum non potest dici propriè, quod sustentet Christus accidentia, quia sustentatio propria, supponit pro Causalitate materiali, quam tamen tunc non exercet Christus.

Instari potest secundò. Corpus Christi respectu accidentium panis, gerit rationem substantiæ.

Responderi posset sufficere ad hoc, ut alligentur illa accidentia Corpori Christi, sicut erant alligata substantiæ panis.

Instari potest tertiò. Ponitur à nobis alligatio accidentium cum corpore Christi. Ergo & ponenda suppletio Causalitatis quam exercet substantia panis, in accidentia panis.

Respondetur. Prioris esse allatas rationes, quæ pro Consequenti non militant.

Ratio tertia. Etiam miracula non multiplicanda, minùs autem erit miraculum, si existant accidentia sine substantia, sed posito, quod suppleatur sustentatio.

Responderi potest id esse congruum, sed nisi in oppositum majus aliquod obsit. *Porrò in oppositum*

Pro Parte Negante.

Primum Argumentum est. Quia nulla est necessitas illam causalitatem supplendi.

Respondetur esse, ob rationes infra ponendas, & ut satis fiat congruentiæ, in tertia ratione allatæ.

Secundum Argumentum. Quia si etiam ille concursus sustentativus suppleatur in genere Causæ efficientis, nulla erit ratio quod maneant sine subjecto accidentia, cum tamen id, sit articulus fidei.

Respondetur. Erunt illa accidentia sine subjecto, quia erunt accidentia panis, sine substantia panis, quod solum intendebat fides.

Tertium Argumentum est. Sacerdos non facit consecrationem, ut Corpus Christi efficienter sustentet illa accidentia, & tamen facit quòd, Corpus Christi, contineatur sub speciebus panis. Ergo illa efficientia non ingreditur rationem formalem, totius Eucharistici.

Respondetur. Transeat quòd non ingrediatur, inde tamen non sequitur quod Corpus Christi illam causalitatem non suppleat.

Quartum Argumentum est. Corpus Christi causatur ab illis accidentibus, quia dependet ab illis tam in fieri, quàm in conservari. Ergo vicissim recausari à Corpore Christi non possunt.

Respondetur imprimis, Concedunt multi in diverso genere duas Causas posse se recausare. Deinde negabitur, quòd existentiam illam Sacramentalem Christi causent accidentia, sunt enim nonnisi conditio, & habilitatio illius existentiæ Sacramentalis.

Quintum Argumentum est. Quia illa actio non est explicabilis.

Respondetur unumquemque secundum sua principia, ita de hac, sicut & de similibus actionibus discursurum. *His pensatis*

Dicendum est. *Quod debeat suppleri etiam hæc causalitas causæ materialis, licèt suppletio sit ponenda in genere causæ efficientis.*

Pro-

PROBATUR primò Concluso. Quia Causalitas materialis in actu primo, est jus materiæ, ne extra illam & producatur & conservetur forma, & obligatio in forma ad idem, Causalitas autem in actu secundo est exercitium actuale illius juris & obligationis hoc supposito. Formatur argumentum. Suppleri causalitatem hanc, non aliud est, quàm Formæ Materiali, quæ non inexistit subjecto, dare tamen concursum ut existat, sed defacto datur talis concursus, existunt enim defacto accidentia sine subjecto, cum tamen non habeant jus ita existendi. Ergo datur suppletio illius causalitatis, per hanc enim suppletionem, non plus à nobis intelligitur.

PROBATUR secundò. Quia est in intelligibile non suppleri aliquo concursu illam causalitatem, si aliàs sine hac causalitate, non habeat jus existendi illa forma.

PROBATUR tertiò. Quia impossibile est rem conservari sine divino concursu, hic concursus, vel est talis, qualis offerebatur dum inexistebant subjecto accidentia, vel non est talis. Si est talis, ergo nullum miraculum; si non est talis, de hoc alio concursu quæro, vel datur ad exigentiam subjecti, & hoc non, quia tunc, ipsum subjectum, hoc est substantia panis non existit, non ad exigentiam accidentium, quia hæ non exigunt existere sine subjecto. Ergo ad exigentiam corporis Christi, in ordine ad existendum sacramentaliter datur ille concursus; ergo illa exigentia, supplet exigentiam subjecti, quod exigebat dependenter à se conservari illa accidentia, & hoc sufficit, ad intentum Conclusionis. Dixi in genere causæ efficientis illam suppletionem fieri, nam talem tantum suppletionem agnoscit sententia communis.

OBJICITUR primò. Vel illam causalitatem causæ materialis supplet corpus Christi, vel Deus. Si Deus hoc non est Philosophicum; si Corpus Christi. Ergo corpus Christi conservat concursu creativo, illo accidentia.

RESPONDETUR. Concursum conservativum illum exhiberi à Deo, estque hoc Philosophicum, quia Deus est causa universalis in conservando; erit autem ille concursus ex linea Creativi; quia sine exigentia ipsiusmet materiæ; quia tamen ipsum corpus Christi, non exhibet hunc concursum, sed tantùm exigit illum à Deo exhiberi, ideo ille concursus creativus, non tribuetur Christo.

OBJICITUR secundò. Non est ratio cur dicatur ipsum corpus Christi supplere illam causalitatem.

RESPONDETUR. Ideo supplet, quia supplet exigentiam subjecti, quæ exigentia, est causalitas.

INSTABIS. Nulla res adeoque nec corpus Christi exigit concursum creativum.

RESPONDETUR. Saltem exigetur concursus creativus ex suppositione talis ordinis Divini, qualis est institutio Divina, ut sine substantia panis, conserventur accidentia panis.

OBJICITUR tertiò. Si ad exigentiam corporis Christi conservantur illa accidentia; non est ratio cur non semper conserventur.

RESPONDETUR. Esse rationem. Quia illa exigentia qua exigit Corpus Christi ut conserventur accidentia, est exigentia, accommodans se naturali capacitati ad existendum, quam haberent, si data fuisset substantia panis. Et quia hæc capacitas, erat vincibilis & debellabilis à contrario; ideo nec corpus Christi exigit illa conservare ultra, quàm aliàs conservata fuissent in proprio subjecto.

QUÆSTIO II.

Quid agere & pati possit Christus prout continetur in Eucharistia.

MOtis speciebus, quòd non sit necesse poni aliquam tunc modalitatem in ipsomet corpore Christi, ad hoc ut dicatur ab uno loco ad alium esse translatum, debet deduci ex iis, quæ in simili dicta sunt in physicis de motu in alio. Ad hæc, quæ sunt magis propria hujus loci accidendo. *sit*

DIFFICULTAS I.

An agere & pati Christus possit in Eucharistia transeunter.

ASSERO Primò. *Possibile esse Christum agere vel pati actione transeunti in Eucharistia.* Ita cum communi Suar. disp. 52. Sect. 2. Lugo disp. 9. Sect. 1. Di Castillo hic disp. 6. num. 41. consequenter vi hujus asserti calor v. g. Christi prout contenti in Eucharistia, potest aliquem calefacere, adeoque agere, etsi applicetur extrinsecum agens v. g. calor, poterit calefieri Corpus Christi prout est in Eucharistia.

RATIO. Tum quia id non implicat. Tum quia etiam Christus prout est in Eucharistia dicit potentiam obedientialem, id autem eam non excedit. Tum quia nihil intrinsecum deest Christo in Eucharistia, sed solùm acquirit modum existendi spiritualibus debitum; non apparet autem cur Virtute divina, non posset agere & pati, secundùm intrinseca ipsa procedendo, & non secundùm illum modum existendi spiritualiter.

DICES primò. Ex istis quæ tangit Vasquez hic disp. 91. n. 2. Corpus Christi in Eucharistia existit modo indivisibili, ac proinde caret extensione quantitatis in ordine ad locum, quæ videtur necessaria conditio, ut aliquod Corpus operetur vel patiatur.

RESPON-

Respondetur. Esse hanc necessariam conditionem ad operandum naturaliter. Divinitus autem, esse supplebilem.

Dices secundò; licèt cogitativa sit nobilior sensibus; virtutemq; habeat confingendi plura, quæ per nullum sensum percipit; nihilominus non potest indivisibile confingere. Signum ergo est, nullum sensum internum aut externum, in rem indivisibilem ferri; adeoque nec ullum agens sensibile.

Respondetur. Ex defectu, quod non possit fingi aliquid, inferri non potest, quod sit impossibile. Nam ut sine motu locali, Anima rationalis, quæ est in pede & capite, redigat se in punctum, in morte præcipuè violenta, non concipit imaginatio, nec concipit, quòd Angelus transeat ab uno extremo ad aliud, non pertranseundo medium, & tamen hæc impossibilia non sunt. Deinde alia hæc est propositio: cogitativa non potest facere, ut sit aliquid indivisibile, & hæc est propositio vera, quia cogitativæ nihil ponunt in rebus; alia hæc, nihil cogitativa indivisibile fingit, & hæc propositio est falsa, cùm enim dependenter à sensibus procedat intellectiva, si illa intelligit indivisibile, etiam fictiva seu imaginativa, illud format.

Dices tertiò. Non potest Christus videri oculo corporeo. Ergo nec agere nec pati actione transeunti. Antecedens probatur. Quia etiam supernaturaliter nihil videri potest, nisi sit objectum proprium aut commune visûs; modus autem ille indivisibilis, neque est proprium visûs objectum, cùm non sit color aut lux, neque est objectum commune, quia cum ille modus existendi, sit nonnisi spiritualibus proprius, non videtur, ad quod sensibile commune reduci queat.

Respondetur. Alia est quæstio: an videri possit ille modus, & indubiè videri non potest, quia est impossibile videri non visibile; ille autem modus, cum sit spiritualis, visibilis non est. Alia est quæstio, de ipsa substantia corporis Christi, substante illi modo indivisibili, hæc substantia cum retinent sua intrinseca, secundùm quòd visibilis est v. g. colorem &c. nõ est ratio, cur secundùm ea videri non possit.

Instabis. primò. Etiam color Christi prout existentis in Eucharistia, videri non potest. Quia impossibile est videri objectum non visa præsentia illius, id enim est contra naturam ipsarum rerum, nam sensus non potest ferri in suum proprium objectum, nisi simul feratur in commune; præsentia autem objecti, cum distantia, est commune sensibile.

Respondetur. Præsentiam objecti nunquam videri, quia hæc vel est modus vel formalitas, si formalitas? oculo non subest, si modus coloratus non est, (cur enim esset) adeoque videri non potest. Hoc tamen est verum, ad hoc ut oculus exeat in actum videndi, esse necessarium præsentiam objecti, sed color Christi, est etiam præsens in Eucharistia.

Instat secundò. Si oculus elevatus videret Christum, vel videret prout sub speciebus existentem, vel abstractum à loco specierum. Si primum, videret etiam modum quem illic habet, & cum præsentia spirituali quod est impossibile: si secundum, sequitur posse oculum elevari ad videndum colorem abstractum ab individuis, quod est impossibile.

Respondetur. Ly: quòd videatur color ille prout existens sub speciebus, hoc solum significat; quòd ille color penetratus, videri possit, non autem quod videri possit ipsa formalis præsentia indivisibiliter existendi. Nec tamen videbitur abstractum quid, quia videbitur hic in inviduo color, quem illic re ipsa habet Christus.

Instat tertiò. Impossibile est ita videre colorem secundum se, ut neque videatur indivisibilis, neque divisibilis; ergo impossibile est, colorem Christi prout est in Eucharistia videri, sine modo, quem ibi habet.

Respondetur. Cum color neque divisibilis neque indivisibilis, sit color Metaphysicè spectatus, adeoque ratio communis, fit ut videri non possit, nam visus ad physica se extendit; quia autem color Christi in Eucharistia est quid Physicum, nec desinit esse quid physicum, prout est quid condistinctum ab illo Modo præsentiæ spiritualis, ideo adhuc sine illo Modo, videri poterit.

Assero Secundò. *De facto Christus non patitur in Eucharistia passione transeunti*; ita Suarez DiCast. Lugo contra Nominales.

Ratio. Quia si Christus pateretur passione transeunti prout est in Eucharistia, vel id haberet ratione denominationis in se derivatæ v. g. à calefactis speciebus? vel denominatione orta, ex ipsa receptione caloris in Christo. Non primum. Quia non in hoc est in præsenti difficultas. Non secundum. Quia in subjecto habente quantitatem, sed ita, ac si illam non haberet; nullum quantum agere potest. Corporis autem Christi quantitas, habet se in Eucharistia ac si non esset; est enim non tantùm penetrata, sed &, non extensa localiter &c. Major probatur. Quia si sub speciebus illis lateret non corpus Christi, sed anima vel angelus, non posset in illud subjectum induci calor, non solum ex eo, quia est incapax caloris, sed etiam, quia est subjectum non aptum actionis inductivæ caloris, ineptitudine oriunda ex defectu quantitatis. Finge enim Angelum esse quantum, quid deerit ne inducatur in illius quantitatem calor. Ergo apparet, si subjectum habeat quantitatem, ac si illam non haberet, non esse subjectum aptum, ut in illud agat quantum. Rursùs inter agens & passum, debet esse proportio; inter quantum autem quà tale, & inter

quantum

quantum habens se, acsi non esset quantum, non est proportio. Ergo quantum in illud agere non potest. Deniq; posita materia, quæ est capax Accidentis corruptivi, modo ponatur forma incorruptibilis, & unio inamissibilis, redditur subjectum illud incapax accidentis corruptivi vel calefactionis. Ergo etiam subjectum quantum, si se habeat ac si non esset quantum, non erit subjectum capax illius accidentis.

Dices primò cum Nominalibus apud citatos. Non obest ille modus existendi Christi in Eucharistia, ne patiatur actione transeunti; quia localis præsentia, respectu actionum & passionum, solum requiritur per modum conditionis necessariæ, ut agens & passum sint propinqua; præsentia autem Sacramentalis id non impedit; est enim illic propinquitas, cum sit totus Christus in tota Hostia, & totus in qualibet parte.

Respondetur. Non ex indistantia agentis & passi oritur ne patiatur Christus passione transeunti, sed oritur hoc ut dixi ex impedimento, scilicet quia habet quantitatem, acsi illam non haberet.

Instabis. Si duo corpora essent in eodem loco penetrativè, ille existendi modus mutuam inter illa actionem, non impediret sed augeret, unde ignis penetratus cum ligno velocius illud combureret.

Respondetur. Si duo corpora essent penetrata, & simul habentia quantitatem in ordine ad extensionem localem, ac si illam non haberent, nego quod tunc non impediretur activitas.

Dices secundò. Ut agens corporeum agat in aliud, sufficit ut loco conjungatur, potest autem Christus, ut est in Eucharistia non distare ab agente.

Respondetur. Major est falsa, & habet instantiam in cœlis, quibus ignis admotus, non comburit eos, aut non combureret.

Dices tertiò. Modus accidentarius non est necessarius ad agendum nec passo ad recipiendū. Modus autem extensionis, quo caret Christus in Eucharistia, est modus accidentarius.

Respondetur. Etiam modum accidentarium posse esse necessarium ad agendum connaturaliter, non quidem tanquam principium agendi, sed tanquam conditionem.

Assero tertiò. *Christum defacto non agere, actione transeunti in Eucharistia*; v. g. calorem Christi, non posse calefacere aliquem alium.

Ratio est. Prius est aliquid habere perfectionem suam naturalem, quàm agere naturaliter, ergo cum corpus Christi in Eucharistia non habeat perfectionem naturalem existendi, extensè; hoc ipso non poterit agere naturaliter. Antecedens probatur. Tum quia id ostendit inductio, nam si vitietur oculus, non prodit ad actum videndi. Sine subsistentia nulla natura ponit actionem; & sic de reliquis. Tum quia id ostendit finis à natura intentus, nam natura ostendit perfectionem rei. Ergo per prius intendit priorem perfectionem, prior autem perfectio est in ordine ad se, cum ipsum se, sit prius sibi, præ alio. Tum quia id exigit commune illud principium, prius est esse aliquid in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud, & spectat ad Oeconomiam naturæ, cujus major esset defectus, in intrinsecis deficere; nec potest aliquid esse bonum aliis operando, quod sibi nequam est, defectu perfectionis.

DIFFICULTAS II.

An videat vel videre possit Christus oculo Corporeo in Eucharistia.

Assero primò. *Non implicat, ut Christus videat in Eucharistia oculo corporeo.*

Ratio. Quia non ostendetur impossibilitas.

Assero secundò. *Non implicat contradictionem videri Christum in Eucharistia existentem, oculo corporeo.* Est assertum Vasquez & Lugonis contra Suarez & DiCastillo. Ratio. Tum quia nulla in hoc ostendi potest implicantia. Tum quia si Christus in Eucharistia, est elevabilis ad actiones supernaturales, cur & oculus ad hoc non poterit elevari, ut illum inibi videat. Tum quia si non posset Divinitus videri, ideo esset quia modus ille existendi Corporis Christi, est spiritualis; sed id non convincit, quia non repugnat modo illo non viso, ipsum visibile attingi.

Dices primò cum Suarez. Non potest explicari quomodo rationem visibilis habeat Christus in Eucharistia.

Respondetur. Aliam esse hanc Quæstionem, an modus ille, vi cujus Corpus Christi est in Hostia tota, & totus in qualibet parte, videri possit, cùm enim supponatur modus ille esse spiritualis, indubiè visibilis non erit; Quo tamen Corpus Christi existens modo Spirituali, verè adhuc est coloratum, erit adhuc visibile.

Instat Suarez. Si oculus à Deo elevatus videt corpus Christi, vel videt illud sub speciebus, vel abstrahendo ab omni loco & præsentia? Non primum. Quia si videtur, Corpus Christi sub speciebus, ergo videtur, ut sub eis præsens, ergo videtur & præsentia quam illic habet, non potest enim per se videri aliquid, quasi concretum, quin simul per se videatur forma, qua formaliter constituitur. Quod si oculus potest videre illud corpus prout abstrahit à speciebus, contra erit. Tum quia aliàs posset elevari oculus ad videndum colorum in communi. Tum quia visio tendit in rem ut actualiter existentē, actua-

actualiter autem non abstrahit ab illo modo existendi. Tum quia oculus non præscindit.

Respondetur. Quod oculus corpus Christi videre possit, quod est sub speciebus, & secundum quod est sub speciebus, non quidem modùm illum attingendo, ut dictum supra, sed hoc sensu, quod visio localiter terminetur, ad id quod continetur sub speciebus, nec in hoc est ulla repugnantia: per seque videtur ut est sub eis præsens, hoc est attingẽdo ipsũ modũ præsentiæ Nego; ut est præsens sub speciebus hoc est attingendo illud, quod est sub illis speciebus, & sub illo præsentiæ modo. Concedo. Quod autem dicitur non posse videri quasi concretum; quin simul per se videatur forma constituens, id imprimis retorsionem habet. Nam corpus animatum videt oculus, unde illud discernit à mortuo, & tamen animam non videt. Directè autem dici potest, non posse videri concretum, secundùm quod formaliter concretum est, nisi videatur forma; secus si debeat tantum videri materialiter concretum, seu quod concretum est. Jam autem oculus videret v. g. albedinem Christi, quæ est indivisibiliter collocata, non autem prout collocata, istud enim prout, involvit modum illum spiritualem, quem dicimus non posse videri. Addo si quis dicat modum illum præsentiæ Sacramentalis non esse quid superadditum spirituale, sed id perfici per solam impeditionem effectus secundarii quantitatis, tunc non erit necesse dicere, quod sit aliquid illic quod non videatur, nam licet ablationem illam effectûs secundarii, non sit visurus oculus, cum illa ablatio sit quid negativum, quia tamen quod manet, est adhuc verus Physicus color, non poterit dici, quòd illic aliquid deberet videri, quod aliàs in se non est visibile, adeoq; quod deberet videri aliquid spirituale. Quod attinet ad secundam partem argumenti, non abstrahet tunc oculus, quia non videbit tunc aliud quam ipsam albedinem corporis Christi, quæ in se non abstrahit à visibili & invisibili; nec poterit elevari ad videndum colorem ut sic, ex dictis supra, salvabiturque in illa visione intuitio, quia rem existentem attinget.

Dices secundò ex Di Castillo. Impossibile est videri corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, quin videatur existentia ejus in eodem Sacramento, sicut est impossibile videri corpus ut album, quin videatur albedo, & tamen modus ille ex dictis videri non potest.

Respondetur. Impossibile est videri corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, quin videatur corpus Christi, hoc sensu, quin illic scilicet localiter visionem terminet, licèt impossibile sit videri corpus Christi attingendo modum illum spiritualem si detur. Impossibile quidem est videri album, non visa albedine, quia ratio visibilitatis albi, stat in ipsa albedine, jam autem ratio albedinis Christi non stat in illo modo, quem habet in Eucharistia, sed in disgregativo visus; quod illic habetur, ideo poterit attingi illa albedo, quin attingatur ille modus.

Instat idem. Modus existendi Christi in Eucharistia est supernaturalis. Ergò præsentia Christi in Sacramento est extra latitudinem objecti visibilis.

Respondetur. Imprimis non repugnat si cætera sint paria, aliquid supernaturale videri. Deinde non loquimur de modo illius præsentiæ, an videri possit, sed de subtracto illi præsentiæ, quod est color.

Dices tertiò. Corpus Christi in Eucharistia imitatur modum essendi rerum spiritualium; res autem spiritualis videri non potest.

Respondetur. Corpus Christi imitatur hîc modum essendi Spirituum, retenta tamen sua sensibilitate, quia v. g. retenta sua albedine adeoque visibilitate.

Dices quartò. Non potest visus percipere objectum indivisibile nec penetratum, corpus autem Christi taliter se habet in Eucharistia.

Respondet Lugo. Penetrata, sensu attingi, nam calor intensus fit ex pluribus gradibus penetratis, & tamen sensu percipitur. Indivisibile v. g. albedinis si detur, Concedo quod naturaliter videri non posset, sed cur adhuc non posset elevari oculus, suppositio quod illud indivisibile, sit adhuc verè albedo.

Instat Di Castillo. Plus est videre præsentiam indivisibilem, quàm videre colorem indivisibiliter existentem.

Respondetur. Sit ita, sed negatur hoc ipsum repugnare.

Dices quintò. Visus corporeus non percipit rem, quin percipiat ejus figuram, quæ autem figura corporis Christi, tunc videretur.

Respondetur. Assumptum esse verum de visione naturali, sed quidquid sit de hoc, videretur adhuc figura corporis Christi, secundùm quod capiti immediatum est collum, talisque aptatio membrorum, qualem habuit. Nam posset unaquæque pars, sui speciem immittere; si enim penetratio specierum inter se, non obest quominus etiam eliciatur visio, non miscens quadrata rotundis, ita nec oberit penetratio partium corporis Christi inter se, quominus videantur non confusæ.

Assero tertiò. *Defacto in Eucharistia non esse visibilem naturaliter Christum.* Est assertum contra Occham, Major, Gabriel. Alensis etiam admittit speciale privilegium in Beatissima, ut videat in Eucharistia corpus Christi.

Ratio asserti. Quia Christus non potest naturaliter sui species emittere, quia ex dictis nec agere transeunter. Nec ipse etiam ex dictis vide-

re potest. Quia priùs est habere omnia in ordine ad se requisita, & non impedita, quàm in illo ordine agere.

DIFFICULTAS III.

Potestné Christus exercere actiones immanentes in Eucharistia.

ASSERO primò. *Actiones immanentes, independentes à Corporeis, v.g. Visionem DEI, potest exercere Christus.*

RATIO. Quia tota illic mutatio, habetur in modo existendi corporis Christi. Ergò modum existendi ipsius spiritualis potentiæ; non immutat; ergò nec modum operandi, qui sequitur modum existendi.

ASSERO Secundò. *Defacto tales operationes exercet Christus.*

RATIO. Quia nullo impeditur, cùm corpus in tales operationes non influat.

ASSERO Tertiò. *Actiones spirituales immanentes dependentes à corporeis, defacto non exercet Christus.*

RATIO. Quia ab ipso usu sensuum, manet impeditum corpus Christi; ergò manet impeditum etiam ab actionibus sensuum.

ASSERO Quartò. *Casu quò elevetur Christus ad sensationes eliciendas, consequenter & operationes immanentes dependentes à sensibus, forent vel possent esse, eadem numero, quas exerceret in statu suo connaturali.*

RATIO. Quia non videtur cur operatio elicita à potentia vitali, circa objectum sibi proportionatum, non possit esse eadem amoto impedimento, & cum impedimento sed hîc & nunc superato.

DICES primò. Sensus internus non indiget pati de novo ab objecto extraneo.

RESPONDETUR. Concedo totum. Unde etiam dormientes antiqua phantasiamur. Sed nego quod sensus non indigeat debito existendi modo ipsius potentiæ.

DICES Secundò. Phantasia habet tunc species suas secum. Ergò illis uti poterit.

RESPONDETUR. Habet suas species, sed caret modo in existendi sibi debito, consequenter & modo operandi.

DICES tertiò. Modus essendi quo caret & corpus Christi, & sensus externus in Eucharistia, est extensio: hæc non requiritur ad operationem in particulari sensus interni, quia extensio requiritur, ut agens contiguetur passo externo, hæc autem contiguatio in præsenti non requiritur; quia habet sensus internus, præsentes sibi intimè species, sensationique sic productæ, esset etiam connaturale recipi in subjecto inextenso. Hanc objectionem ponit, & pluribus discutit DiCast.

RESPONDETUR. Consequenter & secundariò requiritur extensio ad contiguationem agentis & passi; sed primario requiritur tanquam passio debita materiæ; hinc habendo extensionem, sed ita, ac si non haberetur, ob ablatos secundarios effectus, non poterunt adhuc materialia habere perfectionem in ordine ad se, adeoque nec operari, cùm priùs sit debitè inexistere, postea operari.

QUÆSTIO III.

De desinentia corporis Christi in Eucharistia sub speciebus.

DUo hîc attingi debent. Imprimis an desinente Eucharistia mutetur Christus? Deinde, quid eveniat desinente esse Christo, sub speciebus. Aliqui dicunt nullam tunc mutationem in Christo fieri, sed in solis speciebus. Indicat hoc Alensis, Marsilius, Cajetanus, Ledesma apud Suar. hîc disp. 54. Sect. 1. sed negat Vasquez disp. 195. num. 57. id docerià Cajetano. Alii ponunt mutationem localem, quibus adhæsere recentiores apud Suarez, qui dicebant Christum ascendere ex sacramento in cœlum, motu continuo, habereque in cœlo præsentiam toties repetitam, quoties Eucharistia consumpta est, pro qua sententia citat Vasq. Gvvitmundum & Algerum. Suar. autem & Vasq. dicunt corpus Christi non desinere esse sub speciebus sine aliqua mutatione facta in ipso, id est, ob amissam præsentiam Sacramentalem. Sed quia ex dictis in Physicis, nulla præsentia est quid entitavè superadditum, ex altera parte quia communis Doctorum sententia apud citatos fert, quòd non solæ illic species mutentur.

DICENDUM est. *Supposito quòd Christus reproducatur in Eucharistia illum quoad esse reproductum mutari, desinente Eucharistia.*

PROBATUR Primò. Quia ex communi sententia, non solæ tunc species mutantur Physicè, sed etiam corpus, Ergò cum hæc mutatio Physica non possit salvari quoad præsentiam localem superadditam, quia per nos illa non datur. Ergò mutari debet, ratione illius quod amittit, reproducti esse.

PROBATUR secundò. Verè mutatur corpus Christi per Suarez & Vasquez quoad præsentiam localem, quam tunc amittit. Ergò etiam verè mutabitur, quoad esse reproductum, quod tunc amittit.

PROBATUR tertiò. Desinente Eucharistia vel

vel verum est dicere, præter præsentiam localem, desinit esse corpus Christi prout reproductum; vel non est verum dicere: si est verum dicere; ergò mutatur quoad esse illud reproductum quod ipsum probatur. Si Christus desineret quoad esse suum naturale in cœlo, mutaretur. Ergò si desinat quoad suum esse reproductum mutabitur quoad esse suum reproductum. Quæ omnia in hoc resolvuntur, quia definitivè mutari, est aliter se habere, aliter autem vel maximè se habet, quod ex esse, transit in non esse. Si autem non est verum quod præter præsentiam localem amittat tunc esse suum reproductum Christus; contra erit. Verè habet esse illud reproductum in Eucharistia Christus ut supponitur: si illud non amittit, quid fit cum illa Substantia Christi prout reproducta, & sicut si mansisset illic substantia panis, debuisset eo casu mutari, & ita mutari debebit substantialiter reproductum corpus Christi.

Objicit Primò Suarez. Quia præter Sanctorum omnium, & Theologorum mentem est, dicere, quod fiat in corpore Christi mutatio aliqua substantialis, neque id videtur consentaneum dignitati illius Corporis.

Respondetur. Esse præter mentem Theologorum dicere, quod fiat in corpore Christi mutatio, accepto secundùm suum esse naturale, non autem quod fiat mutatio in corpore Christi prout desinente esse sub Eucharistia, & in præsenti, nomine hujus mutationis, non aliud venit, nisi quod desinat illic reproductum esse substantiale corporis Christi, & non sola præsentia condistincta entitativè. Dixi non sola præsentia condistincta entitativè, indubiè enim desinit illic, & quidem nemine cogitante, etiam præsentia connotativè explicabilis.

Instabis. Ne mutetur corpus Christi, non ponimus in illo recipi entitatem modalem determinativam. Ergò nec debet poni alia mutatio.

Respondetur. Disparitatem esse, quia illius prioris ponendæ, nulla necessitas, ponendæ autem desitionis corporis prout reproducti, est ex dictis necessitas.

Objicit secundò idem. Angelus existens in loco adæquato, potest reliquere partem ejus, & in alia parte manere, nihil de novo acquirendo, nec deperdendo nisi locum; idemque esset, si posset Angelus esse in pluribus locis distantibus.

Respondetur. Cum Angelus collocans se in tota locabilitatis suæ sphæra, non habeat illic reproductam entitatem, nõ erit necesse, ut præter præsentiam localem (quidquid illa sit) amittat quidquam; quia autem Christus in Eucharistia habet esse reproductum, necessariò desinere debebit ex dictis.

Objicit tertiò idem. Christus, ut existit in hoc Sacramento non pendet à speciebus nisi quoad præsentiam, non verò quoad substantiæ conservationem.

Respondetur. Pendere Christum à speciebus quoad esse suum reproductum, & licèt nihil illi addatur de novo per consecrationem, supponitur tamen interdicere nova reproductio substantialis, & hoc reproductum substantiale, tunc desinit.

Inferes Immeritò dici à Gvitmundo apud Suar. disp. 46. Sect. 8. quod recedat corpus Christi, si in lutum cadant species, vel si pollutis manibus tractetur, vel comedatur ab animali. Ratio Nam tunc si non desinunt accidentia, non desinet corpus Christi. Immeritò item dicit, quod recedat (ut voluit Glossa cap. tribus gradibus, de consecratione, distinctione prima & in capite Non iste ibidem. Bonaventura Innocentius tertius) ubi sumptum fuerit, antequam alteretur. Ratio Quia opponitur Trid. Sess. 13. c. 4. Unde etiam si à mure comedatur hostia, dicit Suar. disp. 4. Sect. 2. revera esse Sacramenti comestionem, quidquid sit de nomine sacramentalis sumptionis. Immeritò etiam docuit Angelus apud Vasq. disp. 95. n. 5. Non manere Christum sub speciebus in ventre ebrii, ne concedat aliquem speciebus inebriari posse, nam id potest fieri per species, quod fieret, si adesset substantia panis.

De reditu materiæ alteratis speciebus.

Quod attinet ad secundum. Certum est durare corpus Christi, quousque non alterentur ita species, ut non sint jam aptæ continere substantiam panis, si fuisset tunc.

Ratio. Quia dicit Christus Hoc est corpus meum; ergò quousque durabit verificativum ipsius Ly Hoc, durabit & corpus. Sed ly Hoc duraret quoadusque species non alterentur, ita ut non sint aptæ continere substantiam panis, ergò durabit & corpus Christi. Quando autem ita alterantur species, ut non essent immediatè post jam aptæ ad continendam substantiam panis, necessariò debet substitui alia materia. Ratio Quia accidentia non possunt esse naturaliter sine omni subjecto, vel supplente defectum subjecti, in alio genere; ergò cum substantia corporis Christi non exerceat jam hoc officium, succedere debet aut substantia, aut miraculosus concursus; indubiè enim, si talis concursus exhiberetur illis conservandis, qualis exhibetur stante Eucharistia, sicut stante Eucharistia manebant accidentia, ita & tunc manerent. Certum item est, non induci tunc substantiam panis. Ratio. Quia ad illam non sunt tũc dispositiones, cum supponantur jam ablatæ, & ex suppositа illarum sublatione, desinit Christus in Eucharistia, sed ponitur tunc Materia, ne ita multiplicentur miracula, Forma scilicet (quæcunque

tandem illa sit) substantiali adveniente, & non reperiente subjectum primum; parumque refert, quod in aliis alterationibus dispositiones non exigant productionem materiæ, qui illam supponunt, sed si non supponerent exigerent per DiCast. d. 7. n. 105. quia exigunt totum id, ad quod ordinatur, ordinantur autem ad illud compositum, quod compositum exigit materiam & formam.

Tota ergò difficultas restat an reproducatur eadem numero materia reproduci eandem numero docuit Alen. Bonav. Suar. Coning, Lugo, Tannerus, DiCast. Non reproduci eandem S. Thomas voluit.

Pensandæ sunt rationes utriusque partis?

I. Ratio Sancti Thomæ est hic ex q. 77. Art. 5. quia si substantia panis & vini conversa est in corpus & sanguinem, non potest substantia panis aut vini redire, nisi corpus aut sanguis Christi, iterum convertatur in substantiam panis & vini, quod est impossibile, sicut si aer sit conversus in ignem, non potest aer redire, nisi iterum ignis convertatur in aerem.

Respondetur. Quòd licèt non possit redire substantia panis & vini via conversionis, nisi casu quo poneretur corpus & sanguis Christi converti in substantiam panis & vini, sed nego implicare alium modum reditus illius materiæ, qui sit per creationem, sicut ex igne iterato aer non tantùm fieri potest conversione, sed etiam generatione.

Instat S. Thomas. Casu quo substantia panis & vini sit annihilata, non potest iterum redire, quia quod in nihilum decedit, non redit idem numero.

Respondetur. Viribus naturæ non redit, sed cur redire non potest, per virtutem recreativam illius materiæ.

II. Ratio S. Thomæ est. Quia non datur quomodo substantia panis redeat, non enim manentibus speciebus panis & vini, quia his manentibus maneret corpus & Sanguis Christi; non eis essentibus, quia jam substantia panis & vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile.

Respondetur. Positio quæ hic intenditur, non hoc vult, quòd redeat substantia panis adæquata, adeoque forma panis, sed quod redeat eadem materia, quæ redire potest non existentibus dispositionibus debitis pani.

III Ratio est. Quia non potest dici, quòd materia panis & vini de novo tunc creetur, quia non rationabiliter videtur dici, quòd miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramento, nisi ex ipsa deducatur consecratione, ex qua non deducitur, quòd materia recreetur vel redeat, melius ergò dicetur quòd in ipsa consecratione miraculosè, detur quantitati dimensivæ panis & vini; quod sit primum subjectum subsequentium formatum.

Respondetur. Stante quidem Eucharistia, nihil ponendum miraculosè accidere, nisi ex ipsa consecratione deducatur, quia sicut entia ita nec miracula multiplicanda sine necessitate. Sed præcavendum etiam est, ne miracula multiplicentur jam desinente Eucharistia, concedaturque aliquid impossibile & quidem si dicatur quod ex quantitate, & succedanea forma, fiat, unum compositum substantiale, id implicat. Quia compositum substantiale, definitivè est totum per se ex partibus substantialibus constans: quantitas autem non est quid substantiale; si autem hoc sensu dicatur ex quantitate & forma substantiali, componi totum substantiale; quia recipit in se quantitas alterationes; id verum est, sed quærere restat desinente corpore Christi & succedente alia forma, vel succedit etiam materia, vel non, si succedit cur non eadem: habebiturque jam intentum. Si non succedit, multiplicantur miracula, nam illi formæ potest succedere alia forma, & tamen omnes illæ erunt sine materia, quod essent nimia multiplicatio, & non necessaria miraculorum.

In oppositum.

I. Argumentum Lugonis est d. n. 39. Accidentia per suam individuationem exigunt tale subjectum determinatum, & non aliud. Ergò hæc numero quantitas, & alia plura accidentia, quæ fuerunt in materia panis, & adhuc perseverant illudmet numero subjectum & non aliud exigent.

Respondetur. Non apparet, quid velit sibi hæc propositio; accidentia per suam individuationem exigunt tale subjectum, cum non individuentur à subjecto.

II. Argumentum. Licèt hæc albedo indifferens sit ex se, ad hoc vel illud subjectum, postulat tamen ex sua natura postquam est in hoc subjecto, non transire ad aliud.

Respondetur. Postulat quidem conjunctum accidens huic subjecto, ut non transeat in aliud, sed si non sit conjunctum, quid illi refert, quòd hæc non alia, numero restituatur materia.

III. Argumentum est ex DiCast. disp. 10. num. 110. Ex uno capite, utrumque Deo æque facilè est, magis autem naturæ rerum consentaneum, minorque fit mutatio in rebus, si non creetur nova materia, nam reproducendo antiquam tantùm contingit ipsa reiterata creatio, & nova introductio quantitatis, in materiam antiquam: in creando autem novam materiam, imprimis crearetur nova materia, desineret deinde esse quantitas antiqua, ne transeat ad no-

novum & non proprium subjectum quæ omnia non sequuntur, si redeat antiqua materia.

Respondetur. Id censendum naturæ rerum magis consentaneum, quod aliàs in Naturis contingit; apparet enim quòd illud sibi determinet natura, tanquam bonum universi: & tamen nunquam redit forma antiqua, sed semper nova inducitur. Ergò idem dicendum de materia, & quidem quod est nova creatio materiæ novæ, hoc est etiam nova creatio antiquæ materiæ, tam enim antiqua extrahitur ex nihilo subjecti, ac nova, quæ ergò ex parte materiarum nova major mutatio, negatur item quod debeat tunc antiqua quantitas corrumpi cur enim. Quòd non possit transire de subjecto in subjectum quantitas, id est ex supposita unione cum subjecto, quæ unio, sicut & ipsa quantitas, nulli agenti materiali est contraria, itaque nec ab illo auferibilis: alia autem accidentia transferri non possunt, quia in illa non agitur nisi mediis alterationibus, alterationes autem non respiciunt motum translativum, sed inducunt novæ formæ generationem corruptionem prioris. Sed rationes hæ non ostendunt, quod si non supponatur illorum accidentium unio, æquè illa uniri non possint huic ac alteri subjecto. *Hinc*

Assero Primò. *Quod attinet ad lineam sustentari, æquale est accidentibus Eucharisticis; sive antiqua reproducatur sive nova producatur materia.*

Ratio. Quia quantitas & alia accidentia, non discernunt materiam, & æquè hæc est materia ac illa, ergò & æquè sustentativa. Ergò quoad lineam sustentare, æqualiter se habebit materia sive reproducta sive nova.

Assero Secundò. *Attendendo ad nexum passionis tum naturæ cujus est passio, connaturaliùs est ut reproducatur antiqua materia.*

Ratio. Quia hæc numero passio quantitatis, est hujus numero subjecti, utpotè ab illo emanata, & cum passiones ordinentur in bonum ejus a quo emanantur, ut ostendit inductio, hinc & quantitas ita & ordinabitur, & ex hoc ordine deposcet subjectum.

Assero Tertiò. *Etiam reliqua accidentia titulo eductionis postulant antiquam materiam.*

Ratio. Quia etiam formæ eductæ postulant esse hujus. Unde dictum aliàs, quod Angelis penetrantibus se, species unius Angeli, non deseruit alteri Angelo, quia non est ex illo educta.

Tractari hîc deberet de effectu Eucharistiæ, quæ est Gratia, sed hîc sufficienter inferetur ex dictis de Sacramentis in communi, & dicentis in materia morali. Tractari item posset, an vi Eucharistiæ intercedat inter sumentem & carnem Christi unio aliqua sed nihil addendum occurrit iis, quæ pro affirmativa posuit Vasq. hic disp.20. & cum illo Di Cast. disp.8.n.64.

TRACTATUS III.

DE MATERIIS MORALIBUS.

Inseri hîc debuisset Tractatus Moralis, de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine, Extrema unctione; sed quia commodiùs videbatur, ut tota Materia practica, uni operi includatur, hinc methodi tantùm causa, titulus præfixus est. Interim

Cum Christo in Eucharistia desinente, nostra etiam desinat Theologia.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b. M.

INDEX I.

TITULORUM.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI. p. 7.

DISPUTATIO I.

De constitutivis Intrinsecis & Essentia Sacramentorum in Communi. ib.
QUÆSTIO I. *De Constitutivis Intrinsecis Rei ut sic.* ib.
Difficultas I. Proponitur recentior Explicatio. 8
Difficultas II. Proponitur alia Explicatio. 10
Difficultas III. Quid constitutivum Rei ut sic. 14
QUÆSTIO II. *De Essentia Sacramenti Metaphysicè spectati.* 16
Difficultas I. De genere in definitione Sacramenti ponendo. 19
Difficultas II. De differentia in definitione Sacramenti ponenda. 22
Difficultas III. De Sensibilitate & stabilitate Sacramentorum. 23
Punctum Difficultatis 1. Estne possibile Signum sensibile, naturaliter significativum Gratiæ. ib.
Punctum Difficultatis 2. Hoc Signum possetnè esse Sacramentum completè. 26
Punctum Difficultatis 3. An de ratione Sacramenti sit Signum stabile. 27
Difficultas IV. De aliorum Definitionibus. 29
Difficultas V. De quibusdam Illationibus. 31
QUÆSTIO III. *De Essentia Sacramenti physicè accepti.* 35
Difficultas I. An rebus & verbis tanquam materiâ & formâ constent omnia Sacramenta. 36
Difficultas II. De determinatione materiæ & formæ in Sacramentis. 40
Difficultas III. De reliquis materiam & formam Sacramentorum concernentibus. 43
Punctum Difficult. 1. An materia & forma in Sacramentis importentur in Recto. ib.
Punctum Difficult. 2. Notantur quædam de recto & obliquo. 45
Punct. Difficult. 3. An res & verba sint materia & forma Sacramenti, an sint intrinseca, & an significent indivisè. 47

DISPUTATIO II.

De Causis Sacramentorum.

QUÆSTIO I. *De Causa principali Sacramentorum.* ib.
Difficultas I. Deciditur de hac Causæ. ib.
Difficultas II. An puræ creaturæ possit communicari potestas instituendi Sacramenta. 51
Difficultas III. An Institutio sit pars constitutiva Sacramenti. 54
QUÆSTIO II. *De causa instrumentali Sacramentorum.* 57
QUÆSTIO III. *De modo agendi Causa instrumentalis Sacramentorum.* 58
Difficult. I. An sufficiat intentio faciendi exteriùs quod facit Ecclesia. ib.
Punct. Diff. 1. Probatur intentum. 59
Punct. Diff. 2. Objectiones. 60
Punct Diff. 3. Principia Philosophica & Auctoritates in contra. 63
Difficultas II. De intentione in causa, habituali, virtuali 65
Punctum Difficultatis 1. De intentione in causa. ib.
Punctum Diffic. 2. An intentio habitualis sit sufficiens ad Sacramentum. 68
Punctum Difficult. 3. Proponuntur modi explicandi virtualem intentionem. 70
Difficultas III. An intentio ministri sit pars Sacramenti. 76
Punctum Difficultatis 1. Formantur rationes. ib.
Punctum Difficultatis 2 Solvuntur Objectiones. 79
Punctum Difficultatis 3. Notantur quædam. 83

DISPUTATIO III.

De Causalitate Sacramentorum. 85
Quid causare gratiam ex opere operato. 86
QUÆSTIO I. *De Potentia Obedientiali.* 87
Difficultas I. Quid potentia Obedientialis 89
Punctum Difficultatis 1. Explicatur & probatur Potentia Obedientialis. ib.
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 91
Punctum Difficult. 3. Solvuntur alia Argumenta. 92
Difficultas II. Quid Elevatio Potentiæ. 94
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum. De Elevatione per Extrinsecum. 95
Punctum Difficultatis 2. An in omni Elevabili, supponi debeat activitas partialis intrinseca. 98
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur Argumenta pro elevatione, nonnisi per extrinsecum. 99
Argumenta contra Elevationem per intrinsecum. 101
Difficultas III. De Objecto & Subjecto Elevationis 102
Punctum Difficultatis 1. An quidlibet possit elevari ad quodlibet. ib.
Punct. Diff. 2. Solvuntur reliqua Argumenta. 105
Punct. Diff. 3. An Potentia Obedientialis sit essentialis omni Creaturæ. 108
Difficultas IV. An ipsam Substantiam rei supernaturalis attingat Potentia Obdientialis. 101
Diffic. V. De reliquis Potentiam Obedientialem concernentibus. 112
QUÆSTIO II. *Quomodo Sacramenta causent Gratiam.* 115
Dif. 1. Causalitas Sacramentorum novæ legis Physicane an moralis. 116
Punct. Diffic. 1. Argumenta Negantium Causalitatem physicam. ib.
Punctum Difficultatis 2. Fundamenta asserentium Causalitatem physicam. 120
Punctum Difficultatis 3. Quid tenendum. 124
Punctum Difficultatis 4. Supposito quòd physicè causarent Sacramenta gratiam, per superadditamnè qualitatem causarent? 126
Punct. Dif. 5. Defenditur hæc qualitas. 128
Difficul. II. De Causalitate Sacramentorum veterum. 130

Diffi-

Difficultas III. De Sacramentis Statûs Innocentiæ, Legis Naturæ, eorumque Causalitate. 134
QUÆSTIO III. *Quando Sacramenta causant gratiam.* 137
Difficultas I. Proponuntur Explicationes Causalitatis Sacramentorum in instanti. *ib.*
Punct. Dif. 1. An Sacramenta causent gratiam in instanti extrinsecò. *ib.*
Punct. Dif. 2. An Sacramenta causent gratiam in instanti Intrinseco. 139
Punct. Difficult 3. Fundamenta in oppositum. 142
Difficultas II. Proponuntur Explicationes Causalitatis Sacramentorum in tempore. *ib.*
Difficultas III. Quid tenendum. 143

DISPUTATIO IV.

De Effectu Sacramentorum. 146
QUÆSTIO I. *De Effectu Sacramentorum, qui est Gratia.* ibid.
Difficultas I. Suadetur permanentia Gratiarum Sacramentalium, distincta à Gratia habituali. ibid.
Difficultas II. Solvuntur Objectiones. 149
Difficultas III. Respondetur quibusdam quæsitis. 151
QUÆSTIO II. *De Effectu Sacramenti, in sumentibus, cum obice.* 152
QUÆSTIO III. *De effectu Sacramenti qui est Character.* 154
Difficultas I. An detur Character. ibid.
Diff. II. Quid Character. 156
Punctum Difficultatis 1. Definitur Character. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 157
Punctum Difficultatis 3. Quid in Re iste Character. 158
Difficultas III. Quæ Sacramenta imprimant Characterem quod Efficiens & Subjectum ipsius. 160

TRACTATVS II.

DE EUCHARISTIA. 162

DISPUTATIO V.

De partibus Eucharistiæ. ibid.
QUÆSTIO I. *Quid & quomodo importet Eucharistia.* ibid.
Difficultas I. An importet Eucharistia essentialiter etiam species. 163
Difficultas II. Quid in Recto importet Eucharistia. 165
Difficultas III. An ab Eucharistia verba importentur intrinsecè. 167
Punctum Difficultatis 1. Argumenta Partis negativæ. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Argumenta Partis affirmativæ. 172
Punctum Difficultatis 3. Quid tenendum. 174
Difficultas IV. An potestas Sacerdotalis, & actio transsubstantiativa, sint partes compositivæ hujus Sacramenti. 180
Difficultas V. Utrum usus, pertineat intrinsecè ad compositionem hujus Sacramenti. 180
QUÆSTIO II. *De Materia Eucharistiæ.* 183
Difficultas I. De Quantitate Materiæ Consecrabilis & contentivæ Corporis Christi. ibid.
Difficultas II. De Materia Mistionis aquæ cum Vino. 184
Punctum Difficultatis 1. An Vinum habeat vim convertendi in se aquam. 185
Punctum Difficultatis 2. *Deciditur* Difficultas. 187
Punctum Difficultatis 3. Respondetur Objectionibus. 191
Difficultas III. De Materia adveniente post aliquid Formæ prolatum. 193
QUÆSTIO III. *De Forma Consecrationis.* 194
Difficultas I. Quid significant Pronomina Demonstrativa in Formis. ibid.
Punctum Difficultatis 1. Referuntur aliorum Explicationes. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Proponitur primus modus idem Explicandi. 195
Punctum Difficultatis 3. Proponitur alius modus idem Explicandi. 199
Difficultas II. An ex vi sensus Formæ colligatur Transsubstantiatio. 200
Difficultas III. An Verba Consecrationis dicantur significativè an recitativè. 203
Punctum Difficultatis 1. An sit possibile eadem verba simul recitativè & significativè proferri. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Quomodo defacto hæc Verba proferantur. 205
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur Objectiones. 206
Difficultas IV. An verba Formæ ut vera confician Eucharistiam. 28
Difficultas V. De Prolatione Formæ à pluribus supra eandem materiam. 211

DISPUTATIO VI.

De toto Eucharistico, ejusdem agere & pati, deffitione. 215
QUÆSTIO I. De ratione formali ut Quo, & quod totius Eucharistici. ibid.
Difficultas I. Quid per alios, ratio ut Quo, totius Eucharistici. ibid.
Punctum Difficultatis 1. An ratio ut Quo, totius Eucharistici sit præsentia specierum & Corporis Christi. ibid.
Punctum Difficultatis 2. An ratio ut Quo totius Eucharistici, sit penetratio Corporis cum speciebus. 217
Punctum Difficultatis 3. An ratio ut Quo, sit tractio, consimilis magneticæ. 218
Difficultas II. Quid ratio ut Quo totius Eucharistici. 219
Difficultas III. De ratione ut Quod totius Eucharistici. 222
Punctum Difficultatis 1. An contineatur Christus in unaquaque parte specierum. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Continuatur solutio Objectionum. 224
Punctum Difficultatis 3. An detur influxus aliquis Corporis Christi, in accidentia Eucharistica. 225
QUÆSTIO II. *Quid agere & pati possit Christus prout continetur in Eucharistia.* 226
Difficultas I. An agere & pati Christus possit in Eucharistia transeunter. ibid.
Difficultas II. An videat vel videre possit Christus oculo Corporeo in Eucharistia. 228
Difficultas III. Potestné Christus exercere actiones immanentes in Eucharistia. 230
QUÆSTIO III. *De desinentia Corporis Christi in Eucharistia sub speciebus.* ibid.

TRACTATVS III.

DE MATERIIS MORALIBUS. 233

INDEX II.
TITULORUM.

TRACTATV I.
DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

DISPUTATIONE I.
De constitutivis intrinsecis Sacramentorum in communi.

DIfferentia partis à non parte, non potest haberi à mera importatione in Recto & Obliquo, nec ex eo præcisè, quòd aliquid, sine hoc, esse non possit. Nec pars, est id, quod est Rectum alicujus extremi, in Resolutione Nominis concreti. Nec est id, quo non posito & positis omnibus aliis prærequisitis, ad existentiam alicujus concreti, concretum nondum existit, & quo posito, simul cum aliis, eo ipso existit concretum.

Supposito quòd constituta alia sint Physica, alia Metaphysica nec plura, & quòd sine partibus haberi non possint, intervenit difficultas, & unde, definiendæ Partis, ostensoque unde sit rimanda difficile definibilium definitio, definitur pars, quòd sit Entitas seu Ratio. Ex quo totius, vel Entitas, quæ est Materia positionis Totius.

De Essentia Sacramenti Metaphysicè spectati.

Essentia Sacramenti Metaphysicè spectati stat genere & differentia, Sacramentum in communi definiri potest, sed non prima per se. Non est in hoc difficultas: An de ratione Sacramenti sit esse signum sacrum, ex Parte rei significantis, nec, quod de ratione ejus sit, confere aliquam sanctitatem, Sacramentum pro genere dicit signum causativum, pro differentia sanctitatem, consequenter Sacramentum, est signum causativum sanctitatis, vel signum sacrativum. Defacto Sacramenta sunt signum ad placitum, habent aliquam similitudinem, cum sanctitate, quam important. Possibile est aliquod signum sensibile, cui sit naturale significare gratiam, si foret hoc signum effectus gratiæ, non posset elevari ad producendum illam primò, nisi Deo supplente causalitatem gratiæ, respectu signi, secundùm quod tamen illud signum formaliter signum est, non potest elevari ad producendam primò gratiam. Sunt item Sacramenta defacto signa stabilia, oppositum possibile est, imò, defacto, aliqua non fuerant stabilia.

Quomodo per alios definiatur Sacramentum. Infertur quòd Sacra Scriptura non sit Sacramentum, nec serpens æneus, aut transitus maris rubri, nec observantiæ & sacræ res, nec filiorum in statu innocentiæ (si fuisset) conceptio, aut Visitatio Beatissimæ, nec sumptio Eucharistiæ, nec cærimoniæ aut picturæ sacræ. Nec miraculum.

De Essentia Sacramenti Physicè spectati.

Essentia Sacramenti Physicè spectati stat materia & forma. Tenet illud dictum: quòd Sacramenta constent rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, ut hoc dictum verificetur, accipi debet Sacramentum, non pro solo signo causativo sanctitatis. Nomine Sacramenti tantùm, venit id, quòd est in Sacramento sensibile, nomine rei tantùm, ipsum quod significatur, nomine rei & Sacramenti, id quod significatur & significat. In singulis Sacramentis omnia hæc tria reperiuntur. Potuissent tamen institui Sacramenta, etiam per ordinem ad nos, in ipsis verbis. Rebus & verbis tanquam Materia & Forma constant omnia Sacramenta, qui id verificatur in Pœnitentia, Matrimonio, Eucharistia. Quoad speciem, & formaliter, determinavit Christus materiam & formam Sacramentorum omnium, in individuo autem, non omnium. Partes intrinsecæ, componentes totum substantiale, prædicantur in Recto, non autem componentes totum accidentale, cumque concretum accidentale, ex accidentibus specie diversis, dicat in Recto utrumque accidens, ideo & Sacramentum tali concreto simile, utramque partem in Recto dicit. Unde hoc habuerit ortum, quòd hoc quidem in Recto illud in obliquo dicatur. Quid per alios est, dicit in Recto, & dici in Obliquo, quid per nos. Res respondent Materiæ in Sacramentis, & Verba Formæ, utrumq; hoc, est intrinsecum Sacramento, significatio utriq; parti singillatim convenit; formalis & ultima, simul sumptus, non tamen ex modo nostro concipiendi.

DISPU-

INDEX SECUNDUS CONCLUSIONUM.

DISPUTATIONE II.

De Causis Sacramentorum.

DE CAUSA PRINCIPALI SACRAMENTORUM.

Causa principalis Sacramentorum cum potestate auctoritativa, est solus Deus, principalis cum addito, Christus, sunt illa instituta à Christo quà homine.

Potestas auctoritatis instituendi Sacramentum, non potest communicari ulli creaturæ, nec potestas excellentiæ competens Christo, puræ creaturæ. Potest tamen creaturæ committi potestas assumendi signum sensibile, & reddendi illud causativum gratiæ, dicique poterit, quòd illa creatura, instituerit Sacramentum.

Potest Deus facere pactum cum homine: Tu determina signum: Ego applicabo illi efficaciam, & eo casu, homo foret causa inadæquata Sacramenti, casu autem quo Deus sub divisione determinaret signum, applicaretq; efficaciam, homo alterutrum eligens, non esset causa institutionis.

De causa instrumentali Sacramentorum.

Causa instrumentalis est Minister, qui non est unus idemq; omnium, Minister non est causa immediata gratiæ Sacramentalis.

Ejus modus agendi, est modus agendi humano modo, adeoque cum Intentione. Non sufficit intentio faciendi exteriùs, quod facit Ecclesia. Supposito quid intentio interpretativa. In causa. Directa & indirecta, infertur intentionem in causa, ex qua nullo modo prævidetur secuturus effectus, non esse sufficientem ad Sacramenta, nec eam, ex qua prævidetur secuturus effectus, si circa effectum, nullus versetur voluntatis actus, multo magis, si adsit tunc nolitio positiva effectûs, vel si habeat intentionem homo sui impos. Intentio Habitualis ex hac præcisè formalitate, quòd sit intentio habita non retractata, non adfert invaliditatem Sacramento, nec valorem. Intentio virtualis sufficit ad Sacramenta, ea autem non stat in actu aliquo debili, præsenti tamen, in quo illa stat? Intentio non est pars Sacramenti.

DISPUTATIONE III.

De causalitate Sacramentorum.

Sacramenta novæ legis non tantùm sunt excitativa ad fidem, nec tantùm conditiones dandæ gratiæ. Quid per alios Sacramenta causare gratiam ex opere operato, quid per nos.

De potentia obedientiali.

Rigorosè loquendo, aliud est potentia obedientialis aliud Elevatio. Datur potentia obedientialis, illa non est quid merè negativum, in quo in præsenti, status difficultatis. Potentia obedientialis, non est quid superadditum creaturæ, possibilisné talis potentia superaddita. Elevatio potentiæ obedientialis, semper fit per aliquid superadditum intrinsecè vel extrinsecè, non semper per aliquid intrinsecum. Non repugnat qualitas supernaturalis, quæ sit instrumentum connaturale productivum effectuum supernaturalium quoad modum. In elevabili ad operandum modo vitali, supponi debet activitas partialis intrinseca, secus in elevabili, ad operandum non vitaliter, supponi tamen in illo debet, activitas partialis intrinseca obedientialis.

Non potest reddi una persona divina ad extra activa, quia agant reliquæ. Quidlibet potest elevari ad quodlibet, ad quod illud elevari non implicat. Non potest dari creatura essentialiter inelevabilis.

Potentia obedientialis attingit ipsam substantiam rei supernaturalis, non exigit simpliciter supernaturaliter elevationem, non est tamen illa exigentia, secundùm omnia naturalis, sed est entitativè Naturalis, terminativè supernaturalis, sine elevatione accepta, non refertur transcendentaliter ad effectus supernaturales, cum illa refertur. Quænam regula dignoscendi: An hoc in particulari, ad hoc vel illud, elevari possit.

Quomodo Sacramenta causent gratiam.

Varietas in hoc sententiarum. Quid causa moralis, quid Physica, prout condistinguitur morali. Pensatis argumentis negantium causalitatem Physicam, & eam asserentium, infertur: Supposita potentia obedientiali, esse possibilem Physicam causalitatem Sacramentorum, probabile est tamen, quod non semper causarent physicè, non constat tamen, quod nonnisi moraliter, semper causent. Supposita causalitate Physica Sacramentorum, & possibilis, & actu concedenda est, qualitas superaddita, per quam causent Physicè Sacramenta. Si hæc qualitas esset materialis, quantumvis supernaturalis, indigeret elevatione, qualitas tamen supernaturalis Spiritualis, magis esset proportionata gratiæ producendæ quænam natura foret hujus qualitatis.

Sacramenta veteris legis non causabunt gratiam ex opere operato, quî per alios diverso modo à nostris Sacramentis causarint gratiam, quî per nos. Pro statu illo brevissimo innocentiæ, potuerunt à Deo institui aliqua Sacramenta, instituta fuissent, si diutiùs durasset, an forent ejusdem rationis cum nostratibus incertum.

In lege Naturæ fuit remedium pro originali, nempe fides parentum parvulis applicata, per signuna

signum externum. Faciliorné justificatio fuit in illo statu Naturæ quàm in statu Gratiæ? Et statûs naturæ, & statûs innocentiæ, Sacramentorum, par causalitas, cum Sacramentis veteris legis.

Quando Sacramento causent gratiam.

Non causant in instanti extrinseco, non in instanti intrinseco, non in tempore indeterminato, nec in tempore determinato, quod sit sequens post instans continuativum, attendendo ad modum quo Sacramenta sunt instituta, debet dici, quòd producatur gratia in illo minimo significationis. Minimo illi significationis Sacramentalis, correspondet minimum motûs cœlorum. Instantaneæ autem productioni gratiæ, nihil respondet proportionatum.

DISPUTATIONE IV.

De effectu Sacramentorum.

Duplex effectus Sacramentorum Gratia & Character; prior omnibus Sacramentis communis, non posterior.

De effectu qui est gratia.

Permanentia gratiarum Sacramentalium, distincta à gratia habituali, suadetur auctoritate & ratione. Explicatur natura harum gratiarum. Sacramenta ejusdem rationis, æqualem quantùm ex illis conferunt gratiam, majorem tamen magis dispositio, sed Eucharistia, quantùm etiam ex illa, plus gratiæ confert, quàm alia Sacramenta. Non potest affirmari quod alia Sacramenta præter Baptismum & Pœnitentiam etiam per accidens conferant primam gratiam, probabile tamen est, casu quo mortale retractetur per attritionem, quæ invincibiliter putetur contritio, usu Sacramentorum conferri per accidens primam gratiam. Non datur melior gratia habitualis, secundùm quòd melior est minister Sacramenti, melior tamen excitans, sed non vi Sacramenti.

Baptismus cum obice sumptus, reviviscit, & si obex per Sacramentum Pœnitentiæ tolleretur, remissio culpæ & pœnæ, peccatorum, ante baptismum commissorum, responderet nonnisi baptismo. Etiam alia Sacramenta imprimentia characterem, ablato obice, tribuunt suum effectum, imò & non imprimentia characterem, excepta Eucharistia & Pœnitentia.

De Charactere.

Datur character. Quid per alios definitivè character, per nos: est qualitas consignativa spiritualis. Est potiùs res, quàm modus, probabilius est quòd ex Natura sua signet, non est ille præcisè tantùm ornatus animæ, nec principium recipiendi effectum supernaturalem, aut passiva aptitudo ad recipienda alia Sacramenta. Baptismus, Confirmatio, Ordo imprimunt characterem, non impressit Circumcisio. Causa efficiens characteris, est minister, sed tantùm mediatè. Subjectum, quæcunque creatura rationalis potest esse, defacto, est solus homo. Talem Characterem, non habuit Christus, Beatissima autem habuit Baptismi & Confirmationis characterem. Immediatè recipitur in anima.

TRACTATV II.

DE EUCHARISTIA.

DISPUTATIONE V.

De partibus Eucharistiæ.

Quid nominis Eucharistia, est hoc Sacramentum distinctum à reliquis aliis, servat in multis, non in omnibus, Analogiam ad refectionem corporalem.

Ipsum Corpus & Sanguis Christi, non est solum id, quod essentialiter importat Eucharistia, nec solæ species, sed utrumque pertinet ad esse intrinsecum Eucharistiæ Sacramenti. Non rarò à Patribus Eucharistia in Recto dicitur Corpus & Sanguis Christi, sed & species interdum in Recto importat, circa hanc quæstionem: An Eucharistia, verba importet intrinsecè, pensatis argumentis partis negativæ, & partis affirmativæ, deciditur: si nomine intrinseci intelligas compositivum quid, eo sensu verba formaliter sumpta, non sunt quid intrinsecum Eucharistiæ, sed extrinsecum intrinsecè requisitum, verba tamen sumpta æquivalenter sunt quid compositivum ejusdem.

Sicut in aliis Sacramentis, ità nec in Eucharistia potestas ministri, est ejusdem pars compositiva, sed si in aliis foret, foret & in Eucharistia. Transsubstantiatio sumpta pro actione, non componit intrinsecè Eucharistiam, componit sumpta pro termino. Usus etiam, non pertinet ad compositionem hujus Sacramenti.

De Materia Eucharistiæ.

Materia ex qua Eucharistiæ est panis triticeus, supposito quòd naturaliter in dimidio minimi, substantia panis conservari non possit, sequitur dimidium minimi consecrari non posse, idque, quamvis divinitus inibi conservaretur substantia panis, nec in illo conservari potest Corpus Christi. Pensatis rationibus affirmativæ, & negativæ partis, dubium est: an convertat vinum in se guttam aquæ, probabileque est, quòd immediatè cum vino in sanguinem Christi converti possit. Casu quo aliquid prolatum formæ. Hic est, adveniat aliquid materiæ, illud non transsubstantiabitur in sanguinem Christi.

De

INDEX SECUNDUS CONCLUSIONUM.

De forma consecrationis.

Quid per alios significant pronomina demonstrativa. Posito quod particula *Est* habeat diversam sui explicationem, ortam ex diversitate habitudinis prædicati ad subjectum, posito item quod particula *Est* in propositionibus prolatis ab efficiente, supponat pro termino, *Facio*, *Produco*, *Causo*, infertur quod ly *Hoc* v. g. demonstret panem, quem Christus actione transsubstantiativa facit Corpus suum, dici item potest, quod ly *Hoc* licèt semper respondeat demonstrabile, sive hoc, sive illud in particulari, potest tamen demonstrare sive ad sensum, sive ad intellectum, sive præsens sive futurum, ita tamen ut in illa futuritione, sit cogitabilis quædam præsentia, consequenter ly *Hoc* significat Corpus Christi, ponendum vi verborum.

Possibile fuit, ut sub iisdem accidentibus, maneret simul substantia panis & Corpus Christi, non manet defacto. Idque rectè colligitur ex vi sensûs formæ. Possibile est ut eadem verba formæ, & recitativè & significativè proferantur, defacto proferuntur etiam recitativè, sed non consecrant nisi assertivè. In re ipsa verba formæ & ut vera, & ut significativa, conficiunt hoc Sacramentum, in recto sumenda verba, prout significativa, formaliter autem loquendo neque ut vera neque ut significativa conficiunt hoc Sacramentum, nec debet intelligi ratio hæc causandi alligata veritati speculativæ, nec veritati practicæ quà tali, erit ergo obligata verbis significativis, & verbis materialiter sumptis. Proferentibus pluribus formam supra eandem Materiam, quomodo formanda intentio?

DISPUTATIONE VI.

De toto Eucharistico.

Quid per alios ratio ut Quo totius Eucharistici. De possibili loquendo, nullam habet connexionem præsentia Christi Sacramentalis, cum Naturali, nec est ei indispensabiliter alligata. Nescitur: an beneplacitum Dei debeat intelligi taie, ut etiamsi non existeret tunc Naturaliter Christus, posset adhuc confici Eucharistia.

Præsentia Christi & specierum intima, non est ratio ut Quo, totius Eucharistici, nec penetratio Corporis Christi & specierum, nec est qualitas similis virtuti magneticæ, sed hæc ratio, est nexus Physicus specierum & Corporis Christi in sententia Modalium, in principiis nostris, sunt ipsæ species, determinatæ, ut sint hujus reproducti, & hoc reproductum ut sit harum specierum, in circumstantia entitatis modalis. Ratio autem ut Quod totius Eucharistici, est ipsum totum, resultans ex his speciebus, & hoc reproducto. Ante separationem, est totus Christus sub singulis partibus specierum. Inflexum substantiæ panis in accidentia sua, supplet Corpus Christi in Eucharistia, in genere causæ efficientis.

De agere & pati Christi in Eucharistia.

Possibile est Christum agere & pati actione transeunti in Eucharistia. Actiones immanentes independentes à corporeis, & potest, & exercet defacto Christus, non exercet dependentes, exercere miraculosè posset.

De definere Eucharistico.

Supposito quòd Christus reproducatur in Eucharistia, definente Eucharistia, mutatur Christus quoad esse reproductum. Durat Corpus Christi in Eucharistia quousq; non alterantur ita species, ut jam non essent aptæ ad continendam substantiam panis. Pensatis rationibus utriusq; partis: An redeat iterum Materia panis, infertur, quòd attinet ad lineam sustentari: æquale est Accidentibus Eucharisticis, sive antiqua sive nova producatur Materia panis. Attendendo tamen ad nexum passionis cum natura, cujus est passio, connaturalius est, ut reproducatur antiqua materia.

A. M. D. G. Bq. V. M. H.

R. P.
TH. MI
ziarowski
Tom. 3. et
D. V
6

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE POENITENTIÆ VIRTUTE ET SACRAMENTO.

R. P. THOMÆ MŁODZIANOWSKI,
POLONI SOCIETATIS JESU.

BEATISSIMÆ QUIA SINE POENITENTIA, PRÆLECTIONES THEOLOGICAS DE POENITENTIA.

Absolvebat

Suum Mancipium

T. M. S. J.

APPROBATIO.

Vidi & legi has PRÆLECTIONES THEOLOGICAS de POENITENTIA, conscriptas à Reverendo admodum P. Thoma Młodzianovvski, Societatis Jesu Theologo & Professore. Inveni omnia Doctrinæ Catholicæ conformia. Autoris, par, ut in aliis operibus, Studium & acumen ingenii; Difficultates Scholasticas pari claritate proponit & examinat; aliena rejicit modestè, sua definit & confirmat solidè. Censeo proinde Opus dignissimum prælo & publica luce. Anno Domini, 1670. die 13. Aprilis.

HYACINTHUS LIBERIUS,
S. Th. D. Præpositus Ecclesiæ SS. Corporis CHRISTI, Canonicorum Regularium, Librorum in Dioec. Crac. Censor ORDINARIUS.

Mpr.

FACULTAS

R. P. Præpositi PROVINCIALIS per Poloniam, Societatis JESU,

ALEXANDER LORENCOWIC,
Provinciæ Polonæ SOCIETATIS JESU, PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

CUm PRÆLECTIONES THEOLOGICAS de Pœnitentia, P. Thomæ Młodzianovvski, Nostræ Societatis Presbyteri, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: potestate nobis facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro JOANNE PAULO OLIVA, præfatæ Societatis GENERALI Præposito, facultatem concedimus, ut typis mandentur, si iis ad quos pertinet ita videbitur. In cujus rei testimonium, has literas manu nostra firmatas, Sigilloque nostro munitas, damus. Cracoviæ 1. Septembr. 1669.

ALEXANDER LORENCOWIC,
Præp. PROVINCIALIS Societatis IESU per Poloniam.

Mpr.

TRACTA-

TRACTATUS I.

De Pœnitentiæ Virtute.

MAteriam de Pœnitentiæ virtute, & Sacramento, explanavit S. Thomas hîc, 3. par. à Quæst. 84. ad 90. Sed ad intuitivam Theologiam in cœlum evocatus, incepit opus non finiit. Nostra præsens tractatio incipiet à virtute Pœnitentiæ, desinet in Sacramento.

DISPUTATIO I.

De Genericis Prædicatis Pœnitentiæ Virtutis.

Explicabimus in præsenti Disputatione, generica prædicata Pœnitentiæ virtutis: id ut fiat.

PRÆMITTO I. *Quid sit naturam rei explicare?* Quod dico non aliud esse, quàm interrogationem: *Quid est?* & responsionem, inter se commensurare, Id verò tali discursu proponi potest.

Quidditas rei & natura rei, ut suppono ex Philosophicis in idem recidunt, hinc explicare quidditatem rei, est explicare naturam rei; explicatur autem quidditas rei responsione ad interrogationem: quid est? ut etiam notum est ex Philosophia. Porrò si vel improportionatam vel diminutam aut super addentem responsionem attuleris, adferes responsionem non commensuratam interrogationi: nam improportionata non commensurantur. Et ita non commensuratur diameter quadrati, costæ quadrati, excessus etiam & defectus commensurationem excludunt; si autem adferas responsionem non commensuratam interrogationi, adferes non veram, nam veritatem Aristoteles ad rationem mensuræ reducit.

Jam verò si proportionatè & commensurabiliter responderis, illa interrogatio desinet ulterius rogare, habebit enim possessionem responsionis, si desinet rogare, conquiescet jam intellectus (ex merito ut suppono responsionis) si conquiescet intellectus, veritatem jam assequetur, cùm nonnisi in hoc secundo entis prædicato, plenè conquiescat; si assequetur veritatem, jam habebit explicatam rei naturam: quia veritas est conformitas cum objecto, ergo ulterius ex ultimo ad primum explicabitur natura rei verè, hoc est conformiter ad objectum, quando erit commensuratio inter interrogationem: Quid est? & responsionem.

PRÆMITTO II. *Quot modis possit explicari natura rei?* Ad quod dico: Tot modis illam explicari quot modis respondetur ad interrogationem: Quid est? de quo discursus talis institui potest.

Interrogatio *quid est?* naturam rei inquirit; ut dixi Præmisso 1. consequenter deposcet responsionem per naturam rei, hinc quot modis respondebis ad interrogationem: Quid est? tot modis explicabis naturam rei. Idem sic aliter proponitur. *Talis debet esse responsio* qualis interrogatio, nam si non erit talis, nonnisi materialiter erit responsio, adeoq; responsio non erit responsio, & ita v.g. si quæras ubi est Paulus? & respondeas: Est homo, erit nonnisi materialiter responsio, nam non erit formalis, cùm ad prædicamentum formatæ interrogationis de ubi, non possit responderi, nisi respondendo per prædicamentũ ubi, *quodsi erit talis responsio* qualis interrogatio, ex prædicato, Talis Qualis, orietur relatio similitudinis, nam talitas similitudinẽ importat.

Si orietur similitudo, ex talitate interrogationis & responsionis, orietur relatio mutua, nam similitudinem impossibile est non esse mutuam, ut suppono ex cap. ad aliud; *quodsi erit illic mutuitas*, quoties erit interrogatio de natura rei seu *quid rei?* toties debebit esse & responsio per prædicatum: quid est? & explicatio naturæ rei per naturam rei, nam hoc ipso non se mutuò haberent, si non toties explicaretur quidditas rei & natura rei, quoties respondetur per quidditatem & naturam rei. Quodsi ulterius quæras: Quot modis vel interrogatio de Quid rei, vel responsio per Quid rei fieri possit? Ad hoc responsum est jam in Logicis De numero Prædicabilium. Vel enim est Quid cum addito vel sine addito, si sit Quid cum addito erit differentia, si autem sit Quid sine addito, vel erit inadæquatum & erit Genus, vel adæquatum & erit Species; quia verò hæc adæquatio perficitur per Genus & Differentiam, quæ etiam duo respicit Definitio, fit, ut respondere per Speciem, sit respondere per Definitionem, consequenter tres erunt modi respondendi ad Quæstionem: Quid est: scilicet per Genus, Differentiam, & Complexum ex utroque, hoc est Speciem.

Explicatur 3. *Quomodo se habeat anima in formando conceptu naturæ rerum?* Et quidem potissima est difficultas quando formatur conceptus universalis naturæ rei abstractus à particularibus?

Explicat hunc modum, 1. parte D. 1. Num. 5. Antonius Perez.

Docet, inprimis ille, Species constare multis speciebus particularibus heterogeneis, facileque esse Intellectui cum tota hac specie simul operari, sed difficilè esse operari nonnisi cum una ejus particula: hinc rudiores tales entium gradus non distinguunt, v.g. rationem Entis & rationem substantiæ in aëre, deberent enim operari, non cum tota Specie, quàm habent de aëre quod eis difficilè est.

Docet deinde: Convenire eas species in gradibus æquè universalibus & se mutuo excitare, ut uno impetu prodeant ad unum vehementiorem conceptum unius gradus universalis, cui postea imponitur nomen, quodque non potuissent facere singulæ partes speciei, faciunt omnes. *Hæc explicatio.*

Non Satisfaciti. Quia dictorum nullam adfert rationem, quæ enim est ratio universalis, quòd cùm una specie, difficilè sit operari, cum facilius sit exprimere clarè v. g. unum, quàm decem. Non explicat, quid est hoc ultimas particulas speciorum conjungi, nec est ratio quod ultimæ particulæ specierum conjungi debeant, & quod nonnisi ita conjunctæ prodire in actum vehementiorem possint; quæ item est vehementia in fabricanda universali ratione?

Non Satisfacit 2. Quia quamvis & possit & debeat in speciebus illis universalibus, concedi virtualis quædam multiplicitas, non absimilis ei quam habet secunda operatio, quæ unico realiter actu, multiplici autem quoad formalitates, & prædicatum & subjectum & copulam attingit, tamen universaliter (ut videtur intendere præsens doctrina) realiter multiplicitatem specierum in formando v. g. conceptu animalis admittere, nulla est necessitas, imò est necessitas non ponendi eam multiplicitatem, ne multiplicentur entia sine necessitate; si enim, indivisibilis entitas specierum potest concurrere ad formandam cum Intellectu speciem expressam animalis, quæ importat vivens Sensitivum, ad quid ponetur multiplicitas realis? Deinde non repugnat ex genere suo ut species dentur tales, quarum singulæ natæ sint concurrere ad plures notitias, quales agnoscuntur ordinarie à Theologis in Angelis saltem perfectioribus: ex alia parte non est ratio, semper has species ita realiter multiplices asserere, cur ergo tales esse asserentur?

Non Satisfacit 3. Quia usus hic specierum heterogenearum, licèt sustineri posset circa rationes universales, quæ ratione nostra componuntur ex pluribus formalitatibus, tamen qui duæ heterogeneæ species concurrent, si repræsentari debeat nonnisi homogeneissima & simplicissima formalitas v. g. ratio abstracta ab ente concreto hoc est ipsa entitas?

Explicatur, quo modo habeat se intellectus in formando conceptu universali naturæ rei: nempe eo modo quo explicatum est in materia de universalibus. Ibidem dicta sic ulterius explano.

Axioma universale est: Nihil esse in intellectu quin priùs fuerit in sensu, quod axioma si ut sonat accipiatur apertè falsum aliquid diceret, nam vel, & Angelos & DEUM non cognosceremus: vel utrumque hoc objectum, sensibile esset; adeoque materiale: accipi itaque debet hoc axioma in hoc sensu: nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu; vel quoad se, vel quoad aliquid, ex quo noto, processit intellectus ad formandum conceptum ejus, quod nunquam fuit in sensu; ita ut sensu cognitum, sit, quasi remotè & inchoativè spectans ad notitiam sensu non percepti. Id autem ita perficitur. Producit v. g. visiva completa per speciem visibilem impressam, visionem materialem, illâ productâ, producitur in anima species materialis deserviens sensui communi, ad cujus imitationem, producitur iteratò species impressa

impressa spiritualis, quæ ipsa complet ad productionem cognitionis spiritualis de eodem objecto saltem transacta cognitione materiali. Rursùs quia hæc notitia v. g. potest esse nonnisi particularis, instituere debet anima comparationem particularium inter se, advertendo ad differendi & conveniendi rationes, quo posito, procedit ulterius anima ad formandam sibi speciem spiritualē impressā, quæ quia nec idealiter respicit proximè ad aliquid materiale ut species prima particularium; evadit remotior à materialitate; evadens remotior à materialitate, redditur perfectior, nam spiritualitas præ materialitate majorem perfectionem ex genere suo fundat, hinc major remotio à materialitate, majorem fundat perfectionem; evadens autem perfectior & remotior à materia, evadit simul universalior, & ita Angeli quò perfectiores, eò universaliori cognitione objecta attingunt; & Deus qui perfectissimus est, una universali notitia, omnia comprehendit, Quod ipsum in hoc fundatur, quia in genere cognoscendi universalitas noscendi, perfectionem arguit. Porrò quando Intellectus patiens; informatus jam est illa specie, tùm primum procedit ad formandam speciem expressam ipsius universalis, quæ ipsa expressa universalis, est cognitio universalis.

Hoc totum in compendium sic colligitur In formando conceptu universali alicujus objecti, utitur Intellectus specie impressa à se fabricata, quæ nec idealiter quidem respicit proximè aliquid materiale, eaq; utens fabricat conceptum universalem rei, seu Speciem expressam universalem. Hæc omnia probata Suppono in Animasticis. *Ex his præmissis*

Colligi debet, quod in explicāda natura Pœnitentiæ virtutis explicandum sit: Quid sit illa? ut dixi Præm. 1. explicari autem non potest? Quid sit illa? nisi attingendo genus ipsius & differentiam ut explicui Præm. 2. utriusque autem qua ratione formari debeat conceptus immediatè attigi.

QUÆSTIO I.

An Pœnitentia sit virtus?

NOn procedit quæstio ut notat S. Thom. hîc q. 85. a. 1. o. de Pœnitentia sumpta secundum quod est passio appetitus sensitivi, nam sic intra limites passionis stat: nec item procedit de pœnitentia pro sola illius complacentia sumpta, sed procedit de pœnitentia in quantum stat in voluntate, cum electione operante.

DIFFICULTAS I.

Defenditur Pœnitentiam esse virtutem.

DICENDUM est, *Pœnitentiam esse virtutem.* Est Conclusio S. Thomæ citati contra Hæreticos & Durandum, Cajetanum & alios; qui asserunt illam esse virtutem nonnisi secundùm quid.

Probat. 1. Author. S. Scripturæ; quæ pro medio obtinendæ salutis & remissionis peccatorum proponit pœnitentiam, ut Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita vivet & non morietur.* Idem sæpè docet Trid. quam certè commendationem Pœnitentia non mereretur si non esset actio virtuosa.

Prob. 2. Modo arguendi quem vocant mirabilem, cujus artificium in hoc stat, ut ex contradictoria quam tuetur respondens, eliciatur contradictoria, quam assumit probandam Argumentans, seu ut loquitur alicubi Porez citatus, vi cujus colligitur Conclusio, ex ante oppositō Conclusioni. Sic igitur formatur argumentum: Pœnitentia per te non est virtus, ergo pœnitentia per te est virtus. Prob. Consequentia ordinariè, reductione enthymematis in Syllogismum qui habebit hanc majorem: Quod per te non est virtus, est per te virtus. Totum autem hoc ulterius sic Prob. Quod est principium abolitivum & reparativum actionum naturæ Intellectuali dissonantium est per te virtus, Sed pœnitentia quæ per te non est virtus, est principium abolitivum actionum naturæ Intellectuali dissonantium, ergo pœnitentia quæ per te nō est virtus est per te virtus. Major. prob. Quid enim est magis virtuosum, quā quod natū est tollere omne quod contraponitur virtuti, quales sunt actiones dissonæ naturæ Intellectuali? Minor autem Prob. suppositione, in qua procedit cōclusio quæ agit de taliter sumpta pœnitentia, nam in multis aliis suppositionibus potest non habere rationem virtutis, & in hac tantùm, hîc & nunc suppositione, disputatur: An scilicet sit virtus in quantùm tollit illas actiones dissonas.

Quod si velis directè illam majorem probare, Quod per te non est virtus per te est virtus, eundem medium terminum sic dispones. Quod per te est abolitivum & reperativum actionum dissonantium naturæ intellectuali, est per te virtus. Sed quod per te non est virtus, est tale principium, dicis enim pœnitentiam non esse virtutē, quæ tamen est tale principium, ergò quod per te non est virtus, est per te virtus. Sed ne in assumpta propositione: Quod est principium abolitivum actionum peccaminosarum est virtus, alicui ratio dubitandi suborialtur, sic ulterius, Prob. si tale principium non esset virtus, & esset tale principium, principium abolitivum actionum naturæ Intellectuali

dissonantium quamvis non esset virtus, & non esset tale principium si non esset virtus : esset quidem ut tu supponis , non esset autem ut Prob. quia quod est principium abolitivum actionum naturæ intellectuali dissonantium, est principium actionum honestarum non compatibilium cum in honestate oppositа, sed quod non est virtus,non est principium actionum hostatum non compatibilium cum inhonestate oppositа, nam sola virtus tales actiones principiat,ut notum est ex essentia virtutis,ergò quod non est virtus non est principium abolitivum actionum naturæ Intellectuali dissonantium, ergò ulterius si pœnitentia non est virtus hoc ipso non esset tale principium. Est argumentum in Camestres. Major autem Prob. quia honestum est, quod est causa honoris & honestatis habenti , honestum autem est naturæ Intellectuali, nihil dissonum suæ naturæ operari , vel post positam dissonantiam actionem restitui in pristinum. Quòd autem illud principium sit non compatibile cum turpitudine oppositа, Prob. quia hoc ipso non esset abolitivum dictæ turpitudinis si illam compateretur.

Circa modum hunc mirabilis Consequentiæ, duo NOTO. 1. Quod sæpè non tam probet consequentiam quàm consequens,idque sæpè videre orit in aliquibus impressis utentibus hoc modo arguendi ; quod vitium quomodo effugiatur vide de fide Tr. 1. Disp. 4. Quæst. 1. Differ. 1. Punct. 4.

NOTO 2. Quodhic modus inferendi in re non plus habeat,quàm ille tritus modus, qui est per deductionem ad impossibile,idem enim est dicere: Quod Pœnitentia quæ per te non est virtus, est per te virtus, ac dicere si pœnitentia non esset virtus,& non esset virtus & esset.

NOTO 3. Immeritò quis argueret hoc modo argumentandi peti principium, quia non accipit pro ratione quod negat respondens , neque enim dicit Pœnitentia est virtus , ergò falsum est,quod non sit virtus:sed accipit quod ille concedit, & quasi ex concesso arguit.

CONFIRMATUR 1. Si pœnitentia non esset virtus, vel non esset virtus, quia pœnitere est malum quid, vel quia pœnitere non accedit ad perfectionem virtutis. Neutrum dici potest: non primum , quia si esset malum impossibile esset , abolere peccatum & reparare malum commissum, quod ipsum Prob. quia hoc ipsum quod aboleret , aboleri deberet, ipsum enim illud malum esset, & sicut si quod deberet dealbare,denigraret , ipsum dealbari deberet , & ipsum illud quod dealbare deberet, si denigraret, iteratò dealbari deberet, & sic in infinitum: ita & in præsenti, si id quod deberet abolere, ipsum indigeret aboleri, esseтque malum ; iteratò aboleri deberet , & sic in infinitum: donec deveniatur ad abolitivum , quod non indigeat aboleri, & hoc ipsum est illa quæsita pœnitentia.

Quod autem possibile sit tale abolitivum. Prob. & argumento negativo, quia non implicat & invitatione Sacræ Scripturæ, & Conciliorum ; quæ nos ad impossibilia non invitant. Non etiam potest dici : Quod Pœnitentia non accedat ad perfectionem virtutis ; quia tunc nonnisi aliquid non accedit ad perfectionem virtutis , quando compatitur secum turpitudinem oppositam , habetque se nonnisi per modum inchoamenti, cui tamen superstrui adhuc posset ædificium mali, ut patebit inductione, pœnitentia autem non potest stare cum turpitudine oppositа, ut ex dicendis inferetur.

CONFIRMATUR 2. Argumento S. Doctoris deducto ex textu Aristotelis: Pœnitentia est habitus, secundum rectam rationem electivus, ergo est virtus. Consequentia Prob. non tantùm additione Majoris istius : Habitus secundum rectam rationem electivus est virtus ; sed etiam sibi propria probatione, quæ est sine probatione consequentiæ, explicita, Apprehensio sola identitatis, inter definitionem & definitum , ut scilicet illud sit definitum virtutis , cui competit definitio virtutis, quàm tu competere dixisti pœnitentiæ, concedendo Antecedens ; hoc autem principium de identitate inter definitionem & definitum est æque certum & clarum: atque principium: dici de omni; cui innititur bonitas consequentiæ; hinc solailla apprehensio identitatis inter definitionem & definitum, movebit assensum,non posita etiam explicita probatione consequentiæ. Quod autem Pœnitentia sit habitus secundùm rectam rationem Prob. quia consonum est rationi, auferre dissonantiam à ratione,quod illa facit.

PROB. 3. Conclusio. Quia nihil deest pœnitentiæ, quominus sit virtus ut patebit solutione argumentorum. Ex altera parte consistit in medio; moderatur enim excessum dolendi & remissionem dolendi , aufert , est item dispositio perfecti ad optimum ; quia est principium optimæ operationis in genere pœnitendi. Dicit denique oppositionem expulsivam inhonesti, &c. simila.

DIFFICULTAS II.

Solvitur principalis objectio.

OBJICITUR I. Verecundia non est virtus, ergò nec pœnitentia Ant.Prob.auth.Arist. 2. Eth. 2. c. 7. & lib. 4. c. ultimo. Consequent. probatur. Ideò verecundia non est virtus, quia supponit turpitudinem ut ait Aristot. Sed etiam pœnitentia supponit; ergo etiam non est virtus.

RESPONDETUR. Conformiter ad mentem S. Thom. q. 1 quæst. 85. ar. 1. ad 2. verecundiam dicit non esse virtutem quia supponit turpitudinem præsentem , non supponit autem præsentem pœnitentia : quod ipsum *sic explicatur.*

Præ-

Præsentia alicujus turpitudinis duplex cogitari potest: Primò vel præsentia pura per modum termini aut objecti, & hæc præsentia non destruit rationem virtutis & ita v. g. affectus in DEO quo vult nè sit peccatum, est in DEO actus virtutis. Item actus quo ego credo: Peccatum esse offensam Dei, est actus virtutis, imò etiam actus, quo peccator (suppositio interim) in ipso instanti peccati humiliaret sese & peteret à Deo ut sibi in posterum det majoris vires resistendi; esset actus virtutis & tamen hi omnes pro objecto saltem inadæquato respiciunt peccatum, in quibus tamen est revera inclusa ratio virtutis. Cujus ulterior hæc est ratio. Quia objectum vel terminus actionis intentionalis non allinit imperfectiones suas ipsi actui, aliàs esset imperfecta cognitio Angelica vel Divina noscens Asinum, & cognitio demonstrans errorem, non esset scientifica. Porrò quod attinet ad hanc præsentiam per modum termini aut objecti, eam præsentialitatem turpitudinis objecti, & verecundia & pœnitentia dicit. Præter hanc autem præsentialitatem per modum termini & objecti, est alia præsentialitas formalis & præsentialitas compatibilitatis, qua ratione frigus & calor in gradibus remissis non excludunt suas præsentialitates, per compatibilitatem. Et hæc præsentialitas compatibilitatis, destruit rationem virtutis, ad eum modum, quo desineret esse scientia, & non haberet formalitatem virtutis Intellectûs, si compateretur secum errorem oppositum. Quia verò verecundia ex genere suo & ex definitione sua non importat hoc, non compatiatur secum turpitudinem oppositam, sed se habet sicut complacentia simplex in bono, fit ut verecundia, ex genere suo, non sit virtus. E contra, quia pœnitentia ex genere suo & definitivè importat incompatibilitatem præsentis inhonestatis, fit ut pœnitentia ex genere suo sit virtus, non sit autem verecũdia.

Quod ex genere suo verecundia non dicat incompatibilitatem cum præsenti inhonestate ut dixi, petitur ex definitione ejus, quæ est, esse timorem infamiæ propter turpe factum: potest autem quis timere infamiam, & tamen malè operari, volendo quærere modos occultandi suum peccatum. E contra pœnitentia definitivè est Principium abolitivum actionum dissonantium naturæ intellectuali, & si non diceret incompatibilitatem, hoc ipso, non esset principium abolitivum.

Quod si hanc ipsam definitionem Pœnitentiæ neges, illa ex inferius dicendis Colligetur, & quantum sufficit ad Præsens Probari debet ut probari solent aliæ definitiones, in quibus probandis duplex est methodus.

Inprimis adhibetur Inductio, nam si neges hominem esse animal rationale: inductione id notificatur; ut v. g. Petrus est homo & tamen est animal rationale. Joannes item & sic de reliquis ergo & homo, est animal; Sic etiam in præsenti Actus detestationis abolet peccatum commissum, nam *voluisse peccasse* cum *vellem non peccasse* non se compatiuntur. Actus propositi abolet peccatum committendum, & actus quo dico: volo hîc & nunc non peccare: tollit præsentem voluntatem peccati, & isti omnes actus sunt Pœnitentiæ, Ergo apparet quod etiam pœnitentia ut sic, sit principium abolitivum peccati.

Alia methodo Probantur definitiones, nempè pro fundamento ponendo quod talis definitio non implicet, & ex alia parte nulli convenire potest nisi huic definito v. g. dicendo animal rationale non implicat contradictionem, & hoc animal nullum aliud est nisi homo, ergò necessariò homo est animal rationale, nam definitiones definito necessario conveniunt. Hanc methodum ad præsens applica. Non implicat abolitivum actionum dissonantium naturæ intellectuali, & hoc non aliud est nisi pœnitentia, ergò pœnitentia erit dictum abolitivum.

Addo, Casu quo v. g. verecundia retrahat à peccato, id esse illi nonnisi per accidens idque propter duo: nam inprimis definitivè, non dicit incompatibilitatem cum peccato; est enim putè timor infamiæ, ex inhonesta actione ut jam dixi; si ergò aliquis desistat à peccato ob verecundiam, per accidens id verecundiæ erit. Deinde ex alio titulo per accidens est verecundiæ, si non sequatur peccatum, quia id fit non præcisè vi motivi quod respicit, sed potiùs vi determinationis liberæ adjutæ, eò quòd positâ verecundiâ, postea libertas pro sui dominio determinat se ad non peccandum, ad eum modum quo aliquis ad sonum lyræ choreis præcinentem, commovetur ad contemptum mundi; musica enim illa non est ordinata ad hunc effectum, sed voluntas ex illa occasione, assumit sibi aliud motivum contemptûs mundi, qui contemptus debet referri potiùs in libertatis adjutæ plenam determinationem, quàm in illius motivi merita. Quodsi per accidens hoc est illi verecundiæ expellere inhonestatem, non potest illa expulsio accidentaria, constituere verecundiam in statu virtutis, & per se honesti actus. E contra autem quando positis actibus pœnitentiæ interdum non sequeretur expulsio peccati, id fieret vel quia actus illi sunt nonnisi simplicis complacentiæ, vel quia nono motivo refellitur motivum præcedens pœnitentiæ, hoc autem pœnitentiam à ratione virtutis dejicere, non potest. Tum quia eodem jure etiam & aliæ virtutes à ratione virtutum dejici deberent, nam etiam cùm aliis virtutibus idem evenire potest: Tùm quia quantùm est ex illis actibus, nati sunt pugnare cum peccato non autem cum aliquo nonnisi connexo & separabili à peccato, qualis est infamia, quàm formidat verecundia.

Cæterum verecundia quæ esset Timor, ut ita dicam

dicamInfamiæ apudDeum,est virtus,quia quousque stat,& non refellitur alio motivo, impedit esse peccati.

Plures responsiones ad hoc argumentum refert & impugnat Lugo D. 1. num. 2. Sed insuper solet ab aliis.

Respondetur 2. Ideò verecundia non esse virtutem, quia potest stare cùm peccato. *Hæc responsio sit ut sonat accipiatur.*

Non Satisfacit. Tum quia etiam timor gehennæ potest stare, cùm peccato, & tamen timor ille,potest esse actus virtutis. Tum quia hoc ipsum indiget explicari : cur verecundia possit stare cum peccato,non possit pœnitentia? Tum quia etiam actus oppositi in sententia aliquorum possunt secum stare,nec tamen per hoc dejicientur à statu virtutis.Si ergo ut sonat accipiatur responsio non est plena.

Respondet 3. Pontius D. 45. hîc,ad quam etiam responsinem inclinavit ante illum Salaz. loqui scilicet Aristotelem de verecundia quæ est passio, non verò actus elicitus, nulla autem passio orta ex turpitudine,potest esse virtus formaliter, quia omnis actus virtutis,debet esse liber,nulla autem passio,potest esse libera. *Hæc responsio*

Non Satisfacit 1. Quia non dat rationem : Cur Aristoteles de verecundia hîc loquatur prout passio non autem prout actus elicitus est?

NonSatisfacit 2. Quia non explicat: An verecundia prout actus elicitus est, sit virtus vel non? quia etiam timor prout passio est, prout idem facit trepidare corpus, non est virtus, & tamen de cætero timor est virtus. Item ipsa pœnitentia ut dicit S. Thom. art. cit. in quantùm habet corporalem transmutationem, non est virtus : & tamen absolutè est virtus, quid ergo dicet de illo actu elicito verecundiæ Pontius? Si dicet illum esse virtuosum : contradicet Aristoteli.Si autem dicet non esse virtuosum ? redibit argumentum.

Non Satisfacit 3. Quia licèt de ratione meriti sit ratio liberi,non tamen de ratione virtutis ut sic : certè enim Deus necessariò detestatur peccatu,m& tamen illam detestationem in Deo apprehendimus tanquam actum virtutis.

Respondet 4. Dicastillo ex Vasquez. Non ideo verecundiam non esse virtutem, quia supponit turpe factum,sed quia verecundia est timor infamiæ, proveniens ex motivo propriæ æstimationis & honoris: sive talis affectus excedat mensuram rationis ; sive non, affectusque ille etiam mediocris, non magis inclinat ad malum, quàm ad bonum. De ratione autem virtutis est, ut ex objecto suo, sit bona, & nunquam circa objectum illius censetur nimius affectus. Pœnitentia verò quamvis supponat peccatum, semper est actus laudabilis, neque unquam censeri potest nimius pœnitentiæ affectus. Auctoritatem verò Aristotelis, dicit cum Vasquez, non esse curandam, quia nititur falso fundamento, scilicet quòd nemo sit virtuosus,nisi qui omnes virtutes habet, qui autem omnes virtutes habet, non est cur verecundetur. *Hæc responsio*

Non Satisfacit 1. Quia immeritò contrariatur auth. Aristotelis, & si ille erravit, saltem non erravit S. Thom. qui hîc Citato art. dicit verecundiam non esse virtutem, quia supponit turpe factum : Aristoteles etiam ipse, quantumvis censuisset de viro probo illum debere habere omnes virtutes,id non officit,nam pro præsenti non videtur loqui ex hoc fundamento.

Loca autem quæ recitat Dicastillo, benè explicari possunt quod scilicet viri probi pudor esse non possit, ex eo, quia per actionem dignam pudore, circa actiones morales, destruitur ratio viri probi, sicut qui in DEO est, peccatum non facit, si enim illud facit, in DEO non est. Alius etiam locus non plus dicit, quàm quòd verecundia non sit virtus, dicit enim absurdum esse, si te virum probum existimes, quia erubescis quòd turpe egeris. Sed in his locis nihil dicitur de connexione omnium virtutum inter se. Quanquam de conjunctione omnium virtutum non est error Aristotelicus sed Stoicus.

Non Satisfacit 2. Quia supponit doctrinam falsam, quasi scilicet nunquam censeatur nimius affectus circa formale objectum honestatis; certè enim liberalitas est virtus quæ versatur circa gratuitam largitionem bonorum tanquam circa formale, & tamen excessus in gratuita largitione bonorum, destruit rationem virtutis, vocaturque Prodigalitas. Rursùs habitus scientifici, sunt virtutes Intellectûs, & tamen in illis, excessu peccati potest, addendo prædicatum excedens vel definitioni vel argumento. Denique communis Philosophia semper supponit quod virtus in medio sit & actiones per excessum vel defectum procedentes,moderetur : idque expresè S. Thom. hîc docet in o. dum probat Pœnitentiam esse habitum virtutis, quia est habitus cum recta ratione electivus, idque ideò quia facit ut aliquis doleat eo modo, quo dolendum est, & assumat moderatum dolorẽ. Quî ergò supponet Dicastillo, quòd circa ipsam rationem formalẽ honesti objecti, non detur minus affectus? quodsi dicas: hoc ipso quia nimius est, jam non est circa illud formale : dicam & ego: hoc ipso quia verecundia esset nimius affectus, non esset etiam circa objectum verecundiæ. Et insuper negabo nimium affectum non posse esse circa idem formale, licèt non modo debito illi formali præcedendo.

Non Satisfacit 3. Quia non est ratio

cur

cur moderatè appetere ut luceat lux nostra coram hominibus non possit esse virtus, & tamen tunc involveretur propria æstimatio, licèt in illa non sistatur. Item Quamvis verecundia stare possit cum turpitudine opposita, tamen magis jam inclinat ad bonum quàm ad malum, est enim timor adeòque fuga aliqua, & cum sit timor ex malo, est aliqua, licèt imperfecta fuga mali. Cur ergo crescere non poterit ad perfectam fugam, adeòque ad conditionem virtutis?

DIFFICULTAS II.

Solutio aliarum objectionum.

OBJICIES 2. Pœnitentia non servat conditiones virtutis, ergo non est virtus. Antecedens Probatur: Nulla virtus supponit exclusionem aliûs, pœnitentia supponit exclusionem Innocentiæ, ergo &c.

RESPONDETUR. Distinguendo Majorem: Nulla virtus supponit exclusionem aliûs, quæ sit ratione ipsius virtutis: Concedo Majorem. Nulla virtus supponit exclusionem aliûs, ratione extremi, circa quod versatur. Nego Majorem. Distinctaque Minori. Nego Consequentiam. *Ut explicetur distinctio,*

SUPPONO. De ratione virtutis non esse, ut si una attendat uni extremo, alia non possit dari, quæ attendat alteri: nam fieri potest, ut utrumque extremum exerceatur laudabili & honesta actione; sic v.g. unum extremum est Comestio, & alterum extremum est Noncomestio; & utrumque extremum exerceri potest laudabili actione, consequenter, & principia illarum dari poterunt, adeòque virtutes; & ita circa comestionem potest dari virtus frugalitatis; & circa noncomestionem virtus jejunandi: cùm tamen frugalem esse, non sit jejunare, nam jejunare dicit noncomestionem, frugalitas autem, temperatam comestionem. Item potest exerceri honesta actio usu corporum; & hujus actionis virtus regulativa est castitas matrimonialis, potest etiam exerceri honesta actio in non usu corporum: & hujus principium datur virginitas. Idemque est reperire in multis aliis virtutibus. *Hoc supposito,*

INFERRI debet: Quòd duplices sint virtutes, quædam sunt quæ attendunt extremis quorum utrumque exerceri potest honesta actione, & tales sunt hujus conditionis, ut quamvis se inter se compatiantur, quantùm est ex illis, ratione ipsius virtutis, nihilominùs extrema illarum, non se compatiuntur. Et sic virtus Castitatis matrimonialis, potest stare, cum Virginitate, non permixto corporis sexu, ut inquit Ambrosius, sed custodito mentis affectu. Potest item virtus frugalitatis stare cum virtute jejunandi, virtus liberalitatis cum paupertate, &c. similia; licèt extrema illarum, non se compatiantur. Ex quo deduces: quòd possit stare virtus Innocentiæ, cum virtute Pœnitentiæ, ut patet in infantibus qui habent utriusque virtutis habitum infusum, licèt postea ratione extremorum, non se compatiantur quæ sunt: habuisse, non habuisse peccatum. Rursùs aliæ sunt virtutes, quæ circa sua objecta ita versantur, ut opposita illis objecta, non possint exerceri honesta actione, & tales virtutes, se simpliciter compati debent, nec ullo casu supponere sui exclusionem, & sic v. g. Amor Dei; stat cum quibuscunque virtutum extremis, & illa, cum extremo Amoris Dei, quia oppositum extremum, quod est odibilitas Dei, non potest unquam exerceri honesta actione. Porrò cùm extremum, quod est procedere secundùm suppositionem peccati possit, exerceri actione honesta hoc est Pœnitentiæ ut dixi, procedere etiam non secundùm suppositionem peccati, potest exerceri, actione virtutis innocentiæ, sit ut illis extremis, non se compatientibus, compatiantur se tamen virtutes, circa illa extrema versantes; compatiantur inquam, quantum est ex illis.

INSTABIS 1. Quod conditio virtutis sit, ut haberi possit, quin peccetur, Pœnitentia autem acquiri non potest quin peccetur.

RESPONDETUR. Non hoc sensu Pœnitentia acquiri non potest, quin peccetur, quasi aliquis, actum Pœnitentiæ exercendo, peccet; id enim destrueret rationem virtutis, sed hoc sensu Pœnitentia acquiri non potest, quin peccetur: quòd scilicet procedat Pœnitentia ex suppositione peccati; sed id nego destruere rationem virtutis.

Quando autem Durandus dicit: quòd si Pœnitentia esset virtus specialis, tunc qui peccaret & postea resurgeret, foret studiosior, eòque majori laude dignior; quando inquam ita instat; facilè est dicere: per se loquendo id non sequi; nam si commisit peccatum, per hoc ipsum demeritus est, & non profecit, adeòque nec fuit studiosior in augmento actuum gratiosorum. Qui autem non commisit peccatum, quantùm est ex vi statûs quem retinuit, potuit proficere in augmento talium actuum, per accidensque futurum est, si non profecerit: in virtutibus autem non attenditur ad ea quæ fiunt per accidens.

INSTABIS 2. Conditio virtutis est: non supponere subjectum sub sibi contrario; Pœnitentia autem supponit peccatum in peccatore; peccatum autem utpotè malum, est contrarium virtuti. Quî ergo Pœnitentia erit virtus?

RESPONDETUR. Nullam virtutem supponere subjectum sub sibi contrario, hoc est, quòd nulla sit, quæ non tollat, quantùm est ex illa malum, ad quod tollendum ordinatur; sed falsum est, quòd nulla supponat, subjectum sub sibi contrario, quasi nulla supponat malum, quod debeat tollere; nam restitutio est actus virtutis, & tamen supponit ablationem alieni.

ADDO. Propriè loquendo Pœnitentiæ non

est

est contrarium peccatum, sed potiùs Impœnitentia, quam non est necesse præcessisse. *Vnde ulterius*

COLLIGES Pœnitentiam supponere peccatum tanquàm objectum circa quod versatur, & tanquam terminum à se destruendum, eo modo quo forma supponit privationem, tanquam terminum, à se formaliter destruendum; sed non supponit tanquam vel partem sui compositivam, aut tanquam principium sui productivum: & sicut voluntas Dei volentis dare gratiam peccatori, supponit peccatum tanquàm objectum misericordiæ, & tanquam terminum mediâ gratiâ destruendum, illa tamen misericordia, est actus virtutis in Deo; sic etiam in præsenti.

INSTABIS 3. Saltem Pœnitentia est ex suppositione peccati. Ergo non est virtus; nam virtus debet esse per se expetibilis.

RESPONSUM jam est, in quo sensu Pœnitentia procedat ex suppositione peccati. Quòd autem dicitur Pœnitentiam debere esse per se expetibilem, non hunc reddit sensum, quasi virtus debeat supponere malum, tanquam terminum tollendum, ut jam dixi, sed debet esse per se expetibilis; hoc est habens motivum tale, quod in seipso includat honestatem dignam amore, id autem convenit virtuti, est enim objectum hoc dignum amore, destruere objecta digna odio adeoque pœnitere.

Et hæc per se expetibilitas, fundat ulterius, in sui exercitio, delectationem, non quidem affectivam & sensibilem, nam jejunare, jejunandi est virtus: & tamen cum amaritudine sæpe exercetur; sed fundat delectationem appretiativam, secundùm quam operans, afficitur magis exercito opere, quàm fuisset affectus actione, quæ esset opposita peccaminosè, illi suo operi, ipsaque conscientia rectè factorum, est illi gaudium & merces. Commodiusque sic explicabitur: In quo stet delectatio orta ex hac virtute, non verò ut explicat illam Martinus Perez, hic Disp. 4. Sect. 1. dum dicit omnem habitum operari cum delectatione, quatenùs delectatio significat alacritatem, facilitatem, & opponitur difficultati; revera enim virtus infusa Pœnitentiæ, est virtus; & tamen sæpissimè exercetur non cum alacritate & facilitate, imò non est natus habitus infusus supernaturalis adferre facilitatem, ut suppono ex istis quæ docentur in materia, de Supernaturalitate in communi.

Ex sensu autem in quo concessimus Pœnitentiam esse ex suppositione peccati; non sequitur, Pœnitentia inclinet ad peccandum: nam inclinat ad suos actus non absolutè efficaciter, sed conditionatè efficaciter; ad eum modum, quo justitia restitutiva, inclinat efficaciter ad reddendum alienum, suppositâ ablatione, non inclinat tamen ad accipiendum alienum. Quod ulteriùs ex eo oritur; quia cùm utraque hæc virtus, ordinetur ad abolitionem termini, in cujus remedium ordinatur, quî desiderabit illum non aboleri, sed poni? & licèt quidem Medicus interdum desideret efficaciter morbos, possitque toxicum propinare, ut vocetur curaturus; id tamen simpliciter reprehensibile est, cumque ars medicinæ non sit virtus moralis, poterit tales affectus compati, positoque, quod ars medicinæ foret virtus moralis, quia ipsa ægrotatio non est quid dissonum naturæ Intellectuali, quâ tali, poterit aliquo casu honesta actione, intendi ægrotatio. Jam autem Pœnitentia, est virtus, ex dictis, moralis; peccatum autem est semper dissonum naturæ Intellectuali, quâ tali, consequenter, nunquam ad peccatum inclinabit pœnitentia; non enim potest inclinare virtus, ad actionem dissonam naturæ Intellectuali, quâ tali.

OBJICIES 3. Virtutis objectum, debet esse bonum; objectum autem Pœnitentiæ, est malum: hoc est pecatum.

RESPONDETUR Huic objectioni fusiùs, ubi agitur: An possint dari actus meræ fugæ in voluntate? pro nunc sufficerit dicere: Habitum unumquemque, idem habere objectum, quod & actus illius; consequenterque idem dicendum esse de Habitu Pœnitentiæ; actus autem pœnitentiæ respiciunt proximè non peccatum, ut fortè imaginatur objectio, sed honestatem abolendi actiones dissonas naturæ Intellectuali, & quo ex fundamento justitia restitutiva erit virtus, ex eodem fundamento decidetur Pœnitentiam esse virtutem. Idem alio modo sic solvitur; virtutis pœnitentiæ objectum esse, malum destruendum.

OBJICIES 4. Virtus non vult DEUM non esse; pœnitentia vult DEUM non esse, ergo non est virtus. Minor Probatur. Vult aliquid impossibile, ergo vult Deum non esse. Antecedens est certum, vult enim ut peccatum quod præteriit, non sit. Consequentia Probatur, quia Deus dicit essentialem connexionem cum creaturis, ita ut ex possibilibus unâ redditâ impossibili, vel ex impossibilibus unâ redditâ possibili, Deus redderetur impossibilis.

RESPONDERI solet: quòd voluntas tendat in illud impossibile, circumscribendo illud conditione possibilitatis, & quòd possit aliquis affectu positivo excludere exprimereque se id velle; & non velle, ut desinat Deus. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia qui dicunt ex impossibili transire aliquid in possibile, circumscribunt illud conditione possibilitatis, & tamen hoc non obstante sequitur, vi illius suppositionis desinere Deum. Ergo idem hîc dicendum est. Tum quia circumscribere illud impossibile conditione possibilitatis, hoc ipsum est, quod dejicit Deum ad conditionem desinendi, nam si non circumscriberetur possibilitate, maneret in statu

statu impossibilitatis, status autem impossibilitatis, stat cum esse DEI, sed extractum impossibile extra suum statum, hoc ipso dejicit Deum ad conditionem desinendi, planè ac si revera statum impossibilitatis, impossibile illud mutaret. Tum quia factâ illâ exceptione per affectum, qui vellet, non fuisse peccatum, si id fieri possit, salvo DEI esse; & non tolleretur DEI essentia & tolleretur: non tolleretur quidem ut supponitur, tolleretur autem; quia illa exclusione posita, revera impossibile appetitur ut sit, nempe, ut præteritum non præterierit. Ergo nec facit quominus Deus intelligatur desinere esse, nam ex vi impossibilis, facti possibilis, sequitur DEI non esse. Et sicut dum oppositi supponunt rem impossibilem reddi possibilem, quantumvis dicerent se per hanc suppositionem nolle destruere esse DEI, arguerentur tamen destruere esse DEI illa suppositione, sic & in præsenti. Tum quia ponamus pœnitentem, exclusivam illam non facere, ut de facto nullus vel Doctorum, vel indoctorum expertus est, se illam ordinariè facere, numquidnè dicendi erunt voluisse Dei non esse, cùm dicebant: *Vellem non peccasse*.

Responderi debet ad hanc objectionem conformiter ad principia uniuscujusque Philosophica. Qui connexionem talem non tenuerunt: illos non premit Objectio. In nostris principiis Negatur Minor. Probationi illius, negatur Consequentia. Illa autem propositio: DEUS dicit essentialem connexionem cum creaturis. Distinguitur: DEUS dicit essentialem connexionem cum creaturis, attenditurque in illo actu, *Vellem non peccasse*, ad hanc connexionem. Nego. Et non attenditur in illo actu ad hanc connexionem, Concedo. Ergo tunc redditur impossibilis Deus, Nego Cons. Et ratio est, quia quamvis DEUS dicat essentialè connexionem cum possibilitate creaturarum, ex hoc in præsenti non potest inferri, quòd creatura velit eo casu Deum desinere, quod ipsum Probatur. Quia in tantùm non nisi sequitur; Impossibili reddito possibili, desinere DEUM esse, inquantum ponitur suppositio in eo statu, ex quo sequitur desinentia Divini esse, nam in re ipsa nunquam impossibile potest fieri possibile, vel è contra, sed id meræ est ex nostris suppositionibus. Porrò hæc desinentia Divini esse, intantùm sequitur vi suppositionis, inquantùm attenditur in illa suppositione ad connexionem DEI cum possibilibus vel impossibilibus, extra enim hanc suppositionem, non est fundamentum intelligendi DEUM desinere esse, cùm sola illa suppositio fundet illam conceptionem nostram, quæ ex illo fundamento oritur, ut concipiat DEUM desinere; quia verò dum peccator dicit: vellem non peccasse, non attendit ad connexionem essentialem DEI cum possibilibus vel impossibilibus, non ponitur jam talis suppositio ex vi cujus deberet DEUS intelligi desinere esse. Cæterum per hoc non negatur, quòd cum vult peccator aliquid impossibile sub illa conditione possibilitatis, quod postea formari possit suppositio, vi cujus consideretur connexio essentialis DEI cum possibilibus vel impossibilibus: eruique doctrina; quod si præteritum redderetur non præteritum, desineret Deus esse, sed in illo affectu: *Vellem non peccasse*, ad hoc non attenditur uti jam dixi.

Objicitur 5. Pœnitentia non est abolitiva actionum naturæ intellectuali dissonantium, ergò non est virtus, hoc enim solo titulo, dicitur esse virtus. Antecedens Probatur, quia non potest absolutè pœnitens dicere: *Nolo peccare*, quomodo enim vellet absolutè non peccare voluntas, cum jam præterierit peccatum, ergo id debet velle nonnisi sub conditione. Quodsi non potest id velle aliter, quàm sub conditione, sequitur, quòd non sit abolitiva actionum naturæ Intellectuali dissonantium. Quod ipsum Probatur. Quia velle sub conditione aliquid impossibile, vel est velle conjungere cum præteritione peccati, negationem præteritionis, vel velle habere potestatem, ut peccatum illud non fuerit quod fuit? sic autem velle, non est velle efficaciter, quia est velle sub conditione impossibili, & simul in suppositione tollente seipsam; ad eum modum, quo non vult efficaciter dare Petro Paulus centum, si Chimæram comederit; nec vult efficaciter abolere peccatum, qui dicit in suppositione tollente seipsam: Si hoc nonhonestum, esset honestum, facerem illud.

Hanc Objectionem variè solvunt Auctores, tractantque de ea sub hoc titulo: An actus detestationis peccati præteriti, sit Absolutus, an Conditionatus? Efficaxné, an Ineffícax?

Respondetur ad Objectionem. Negando Antecedens; negando item, quòd, si dicat conditionatè voluntas, *Vellem non peccasse*, quòd id velit inefficaciter; quis autem sit sensus istius actus? infra dicetur. Instantiis in oppositum adlatis: Negatur consequentia. Quia qui dicit: Dabo tibi centum si Chimæram comederis, non vult illud impossibile sub conditione alicujus possibilitatis; & quamvis id vellet sub conditione possibilitatis, nec dum vellet efficaciter dare centum, nam ille actus non esset illius energiæ, vi cujus determinaretur volens, ad quærendum media dandi centum. Jam autem qui dicit, *vellem non peccasse*, vult aliquid impossibile, sed sub conditione possibilitatis; nec vult illud in suppositione tollente seipsam; & insuper est ille actus talis energiæ, vi cujus determinatur homo ad quærenda media abolendi peccati & omninò abstinendi ab eodem. Et quamvis non sit efficax ille actus in hoc, ut faciat

præteritum non præteriisse; est tamen efficax *Imprimis*; Quia peccato non retractato quod jam præteriit, opponit actum cum quo impossibile est stare habitualem voluntatem peccandi. *Item* est efficax ille actus in ordine ad præsens tempus, determinat enim quousque non refellitur, ut homo non ponat volitionem peccandi. *Denique* est efficax ad tempus futurum, quia ponit talem actum qui quousque non retractetur, occuparam tenet voluntatem, nè velit peccare. Ut hæc omnia commodius intelligantur, *erit*

Punctum Difficultatis I.

Supponuntur quædam ad hunc actum: Vellem non peccasse, *explicandum.*

Suppono I. Contra Vasquez, posse dari aliquos actus voluntatis conditionatos. Cujus plura loca refert Lugo & Dicastillo in præsenti.

Ratio 1. Suppositi est: Auctoritas S. Thom. quem citat Lugo, quòd sit 1. 2. quæst. 13. art. 3. ad 1. Correxit autem eundem Dicastillo quòd sit art. 4. & de facto non est nisi art. 5. ad 1. Ubi cùm dixisset: voluntatem Completam esse de possibili: Incompletam, etiam de impossibili; subdit illam esse talem, *qua scilicet*, inquit, *aliquis vellet illud, si esset possibile.*

Ratio 2. est. Quia id ex nullo fundamento repugnat, ut patebit solutione paritatis objectæ à Vasquez, & si voluntas Divina potest aliquid velle sub conditione, ut cùm vult omnes homines salvos fieri, multo magis creata voluntas, poterit aliquid velle sub conditione.

Ratio 3. est. Datur in voluntate vis persequendi objectum, prout proponitur ab intellectu, quia si semel habeat hanc vim, non est ratio, cur non habeat illam semper; & ex quo fundamento colligitur, dari appetitum rationalem, qui est voluntas, ex eodem fundamento colligetur, haberi voluntatem, vim proportionandæ appetionis illi propositioni, ut notum est reflectentibus ad Animastica. Cùm ergo habeat Intellectus vim proponendi aliquid sub conditione, tanquam bonum subnecti etiam debet illi propositioni appetitio rationalis, volens illud bonum sub conditione.

Addo. Experimur nos elicere tales actus: *vellem non peccasse*, quos actus si negaveris esse voluntatis, dicam & ego: nullam dari volitionem: & cum dico volo deambulare; dicam actum hunc esse intellectûs, non voluntatis.

Neque valet si dicas cum Vasquez: Viderem, auditem, &c. non sunt actus conditionati potentiæ visivæ, vel auditivæ, sed merè actus Intellectûs, ergo & actus hic, quo dico: *vellem non peccasse*, non erit actus voluntatis sed intellectûs. Non inquam valet si id dicas. Quia non ex eo solo sequitur, posse aliquid oculum videre, quia Intellectus proponit videri debere, in hoc enim dependet oculus, ut objectum sit visibile, dependet item à præsentia objecti, lumine, debitâ distantiâ, &c. & non à solo Intellectu proponente. E contra autem, voluntas in suo operari, dependet à solo Intellectu præsentante objectum, modò aliunde supponatur paratus DEI concursus; & quia intellectus proponit objecta conditionata, poterit etiam illa appetere voluntas. In idem recidit, quod Alii dicunt: Sensus nonnisi circa præsentia versari, modumque illorum agendi esse nonnisi ad præsentia, quod autem præsens est, conditionatum non est, jam autem voluntas non est determinata, ut sit nonnisi circa præsentia, aliàs non posset unquam desiderare, desiderium enim, est, non præsentium. Consule Dicastillo Disp. 1. num. 232. Ubi ostendit ex doctrina ipsiusmet Vasquez, dari in voluntate, actus conditionatos.

Et hoc supposito quod ille actus: *vellem non peccasse*, posset esse actus voluntatis.

Suppono 2. Quomodo voluntas se habeat dum intendit aliquid sub conditione. Tripliciter potest aliquid intendere voluntas sub conditione. 1. Non ponendo actum illa conditione significatum, ut cum dicit: vellem tibi dare librum si peteres, quo casu, actus sub illa conditione significatus, est volitio dandi, quæ tunc non est, sed esset, si peteret, estque volitio quæ habet pro objecto volitionem conditionatam, estque exprimibilis his verbis: volo quod vellem.

2. Potest intendere aliquid voluntas, & quidem efficaciter, ponendo ipsum actum illa conditione significatum, sed non intendendo objectum absolutè, sed sub conditione, exprimibilem tamen per particulam Volo. v. gr. volo tibi dare librum si petieris. Quo casu, vult dare librum absolutè, habetque pro objecto dationem libri, licèt illi dationi opponat conditionem, quæ est petitio, quæ conditio non est, sed esset.

3. Potest intendere aliquid voluntas & quidem efficaciter, idque ponendo ipsum actum illa conditione significatum, ita tamen ut ille actus exprimi non possit aliter, quam per particulam *Vellem*, v. gr. vellem te, qui es simplex Parochus, facere Papam; estque hic actus similis in omnibus secundo, tantùm in hoc dissimilis

milis est, quòd nonnisi optativè exprimi possit. Hic tertius actus est circa aliquid volenti non possibile. Secundus autem est circa aliquid volenti possibile. Et hoc tertio modo procedit ille actus: *Vellem non peccasse*, ut id meliùs intelligatur.

Suppono 3. Actum conditionatum ex parte objecti, in re autem ipsa elicitum, posse esse vel circa conditionem possibilem, vel circa conditionem impossibilem; si sit circa possibilem conditionem, potest ut jam prædixi, exprimi per particulam, *volo*. Si autem sit circa conditionem impossibilem, exprimi non potest aliter, quàm per particulam *vellem*.

Suppono 4. Cur circa impossibilia non possit voluntas versari nisi per actum exprimibilem per particulam *vellem*?

Idque declaro discursu desumpto ex S. Th. 1. 2. quæst. 13. art. 4. o. Particula *Volo*, est signum & nota, absolutè efficacis voluntatis, nam velleitates, non exprimuntur per particulam *Volo*, sed per particulam *Vellem*. Porrò tum est efficax voluntas, quando trahit secum electionem mediorum; nam simplex appetentia finis, tunc promovet operantem ad volendum efficaciter, quando promovet ad electionem ut Suppono ex Animasticis. Jam verò Electio intantum est, inquantùm possunt poni media, seu actiones ad consecutionem finis, ordinatæ; quia verò actiones non sunt nisi possibilium: hoc enim ipso impossibile, non esset tale, si fieri posset; hinc fit ut & electiones non sint nisi possibilium, adeoque & volitiones, simpliciter efficaces, quæ perficiuntur electione, non sunt nisi possibilium; ac quod exinde consequitur, fit ut nonnisi volitiones possibilium, per particulam *Volo* exprimi possint: Quia verò, peccatum quod præteriit, non potest fieri ut non præterierit, nec potest simpliciter fieri, ut non fuerit, fit ut volitio quæ intendit (in sensibus explicandis) ne præterierit peccatum exprimi aliter non possit, quam per particulam *Vellem*.

Idem probatur alio discursu, desumpto ex eodem S. Thom. Tunc est electio, quando est assumptio eorum, per quæ quis possit consequi finem; ut notum est, noscenti naturam electionis; quòd si tunc est electio, cum est assumptio eorũ, per quæ quis possit consequi finem, fit ut tunc fiat hæc electio, quando assumuntur possibilia, nam per impossibile nemo consequitur finem, habet se enim consecutio finis sicut Conclusio, & sicut Conclusio de possibili non sequitur ex impossibili, ita nec consecutio finis, sequitur post medium impossibile, quia verò actus versans circa finem tunc nonnisi exprimi potest per particulam *Volo* quando est finis efficaciter obtinendus; qui cum medio impossibili obtineri non possit, fit ut medio impossibili assumpto, seu voluntate, circa impossibile versante, actus illius exprimi non possit per particulam *Volo*, sed per particulam *Vellem*.

Suppono 5. Quomodo se habeat voluntas exprimibilis per particulam *Vellem* circa objectum impossibile.

Et hic pensandum est, in qua sit classe illa conditio impossibilis. 1. Aliqua sunt impossibilia in re & præsentata ut impossibilia, & talia non merentur ullum prosecutionis actum, quia non ostenditur, objectum illo modo, esse bonum 2. Aliqua sunt impossibilia in re, præsentata tamen, ut possibilia. Et talia possunt terminare actum voluntatis. Rursùs impossibilia in re, præsentata tamen, ut possibilia, sunt duplicia, vel enim sunt impossibilia ex principiis intrinsecis, adeoque vel physicè, vel metaphysicè etiam impossibilia. Et alia sunt impossibilia ex principiis extrinsecis, adeoque nonnisi moraliter. Et ita verbi gratia rem factam fieri infectam, repugnat ex principiis intrinsecis, Plebejum autem fieri Regem, repugnat; nonnisi ex principiis extrinsecis.

Porrò, actus conditionatus circa objectum impossibile, sive ex principiis intrinsecis, sive extrinsecis dupliciter fieri potest. 1. Ut sit talis qui notet energiam, vim, posse, secundùm quod extendat sese actus, vel ad aliqua in illo objecto impossibili inclusa possibilia: vel ad alia, quæ sunt connexa cum illo objecto; quæ tamen voluntas operari possit. Et sic cùm dico: vellem te facere immortalem si possem: hic actus est circa impossibile physicè: habet tamen energiam efficacis, quia efficaciter vovet plures annos, qui in immortalitate includuntur, & determinat ad quærenda media retinendæ sanitatis amici. Aliûs etiam modi, potest poni actus circa impossibile objectum, sive ex principiis intrinsecis, sive extrinsecis, qui energiam talem non habet, ut si dicerem; vellem tibi reconciliari si Chimæram occideres.

Quod si quæras, quæ sit nota investigandi actus habentis, vel non habentis dictam energiam? Id ex duplici principio colligetur. Imprimis ex ipsa experientia elicientis; si enim eliciens ex vi actûs eliciti, sentiat se moveri ad media, &c. erit actus dictæ energiæ. Deinde exinde colligetur: An actus habeat dictam energiam? Quia actus qui est energicus, illam conditionem impossibilem, ut possibilem appetit, & prosequitur, actus autem qui non est energicus, refutat potiùs illam conditionem & non appetit sciensque non eventuram applaudit sibi tacitè, quòd non sit secuturus eventus, quem sub illa conditione dicebat se velle, ut cum dicitur: Vellem te amore, si chimæram occideres.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Natura hujus actus : Vellem non peccasse.

EX suppositis, explicatur natura hujus actûs: *Vellem non peccasse.* Actus ille : *Vellem non peccasse* est actus voluntatis ut dixi, Supposito 1. & quamvis sit actus sub conditione, de facto tamen exercetur ut dixi suppositio 2. Exercetur autem sub conditione, quia cùm sit circa impossibile, aliter quàm sub conditione exerceri non potest : ut dixi sup. 3. & 4.

Quia tamen est ille actus circa impossibile, vestitum conditione possibilitatis, poterit adhuc esse talis energiæ & de facto est, ut ex vi illius determinetur pœnitens, ad abolendum peccatum, tam præteritum, quàm præsens quàm futurum ut dixi sup. 5.

Ut autem explicetur: *Quomodò ille actus sit suppositione impossibili non tamen tollente seipsam?*

Suppono. Quid sit suppositio impossibilis tollens seipsam, & repeto ea quæ dixi in Corollario Dialectico circa primam operationem, & Dico: non per hoc suppositionem impossibilem esse tollentem seipsam, quia involvit duo contradictoria; imò illa involvere debet. Si enim suppositio impossibilis est, hoc ipso quia impossibilis est, debet involvere duo contradictoria, nam omne impossibile, saltem secundo essentialiter, involvit duo contradictoria. Itaque non in hoc stat suppositio tollens seipsam, quia involvit duo contradictoria; sed quia idem sub eadem formalitate, & immediatè, quod affirmabatur, negatur; ita ut in suppositione impossibili licitum sit imò & debitum, in re idem, affirmare & negare, sed non sub eadem formalitate, nec immediatè nec per locum intrinsecum. Hinc hæc suppositio v. g. Si homo non esset homo, esset animal Rationale; est suppositio tollens seipsam, negatur enim formaliter & immediatè homo de homine. Quod si dicas : si homo per impossibile esset leo, rugiret; suppositio non tollit seipsam; quantumvis revera si homo esset leo, hoc ipso non esset homo. Hunc modum explicandi suppositionem impossibilem olim dictum reperio apud Dicastillo hîc D. 4. numer. 77. coinciditque cum mente Durandi, qui eam suppositionem appellat non tantùm impossibilem, sed etiam, incompossibilem. Ad aliud etiam reflectendum est, nè suppositio impossibilis tollat seipsam, ut supponat aliquam propositionem veram, quæ assumi possit ad faciendum argumentum; & sic hæc propositio : Si homo esset leo, rugiret; suppositio non tollens seipsam, quia supponit hanc veram: Omnis leo rugit. Hoc supposito : Accedamus jam ad explicandum : quis sit sensus istius actus : *Vellem non peccasse.*

Primus sensus hujus actus; *Vellem non peccasse* est iste; si essem constitutus in illa circumstantia, in qua proximè liberum mihi fuit non peccasse, sed eram indifferens ad utrumque, non determinarem me ad peccatum, quamvis postea proximè determinârim me ad peccatum, maleque egerim. Quo in casu, quòd suppositio non tollat seipsam; sic explicatur.

Hæc voluntas : *Vellem non peccasse*, potest primò comparari ad instans præteritum, in quo intelligitur commissum esse peccatum, & sic importat suppositionem impossibilem tollentem seipsam, quia importat ut præteritum non sit præteritum, idemque formaliter quod affirmat, negat; adeoque illa comparatio ad instans præteritum, facit suppositionem impossibilem, tollentem seipsam 2. Potest comparari ad instans in quo proximè liberum fuit creaturæ determinare sese ad hanc vel illam partem; & pro illo instanti nondum intelligitur creatura determinasse sese ad peccatum. Hinc si dicat se nolle peccare, non item formaliter, quod affirmatum est, negabit; affirmat enim nonnisi statum illum determinationis, & negat seu non vult statum determinationis, quam habet in præsenti. Nihilominus hæc suppositio est de facto impossibilis, quia de facto sublecuta est determinatio. Insuper ille actus erit retractativus, quia totus processus illius actus, non claditur sola relatione ad instans illud primum, sed simul completur dolorosa agnitione ejus culpæ, quæ postea est commissa.

Secundus sensus est illius propositionis *Vellem non peccasse*: vellem quòd suppositio peccati non fuisset; vel vellem quòd actio dissona naturæ intellectuali, à parte rei posita non fuisset, quomodò autem hic sensus non procedat in suppositione impossibili tollente seipsam? inde colligetur : Possum comparare præteritionem cum non præteritione, eamque quæ fuit, velle, non fuisse, & sic erit suppositio impossibilis tollens seipsam. Et 2. possum non comparare præteritionem cum non præteritione, sed supponere unam nonnisi illius partem, quamvis in re ipsa detur etiam alia eaque opposita. Quo posito non erit suppositio tollens seipsam, quia non est suppositio nisi unius partis : suppositio autem impossibilis debet esse inter duos terminos, quorum unus tollat, alius tollatur, & quamvis in re sit etiam alia pars, non tamen supponitur intentionaliter, habetq; se pro suppositione illa intentionali, plenè, ac si non esset; & cùm suppositio tollens seipsam, debeat esse pro statu intentionali, inter duos terminos intentionaliter repræsentatos, hîc

hîc autem nonnisi una pars intentionaliter repræsentatur, hoc enim nonnisi solum dico: vellem, quòd suppositio peccati non fuisset; fit ut illa suppositio imposſibilis non tollat seipsam. Et sicut cum dico: si homo esset leo, rugiret; non attendo in leone ad non esse hominis in eo inclusum, ad quod si attenderem, fieret suppositio impossibilis tollens seipsam, sic etiam in præsenti, attendo ad hoc solum, quòd velit nè fieret suppositio peccati, & non attendo quòd fuerit.

Et sicut cùm dico: utinam Petrus non discessisset, non volo ut discessio non sit discessio, sed merè attendo ad negandam suppositionem discessûs, quamvis revera peractus sit discessus; sic etiam in præsenti: non volo ut præteritio peccati sit non præteritio, sed merè attendo ad negandam suppositionem peccati. Est tamen ille sensus qui involvit aliquid impossibile quia revera datur à parte rei suppositio peccati transacti.

Noto. In omnibus his, quando usurpatur, quòd Pœnitentia & actus illius retractivus exprimibilis per *Vellem non peccasse* sit abolitivus peccati, ly abolitivum non sumitur pro satisfactivo condigne, censeo enim nullum actum puræ creaturæ posse & satisfactivum pro peccato condignè, nec sumitur abolitivum, pro justificativo de se, non enim hoc prædicatum competit de se pœnitentiæ. Sed ly abolitivum sumi debet pro eo, quod est oppositum voluntati peccaminosæ, pro quacunque differentia temporis; indubiè actem ille actus est oppositus voluntati peccandi.

Punctum Difficultatis 3.

Sensus ejusdem actûs, ab aliis adlati, impugnantur.

Explicat 1. Aliqui quòd hujus actus *Vellem non peccasse* sit iste sensus: Vellem conjungere præteritionem peccati, cum negatione præteritionis. Hæc responsio firmari posset ex illis, quæ Lugo in gratiam illius, Disp. 4. num 15. addit: Quòd scilicet possibilis sit talis actus. Quia licèt adhuc posita illa conditione objectum maneat intrinsecè impossibile, non tamen repugnat, quòd aliquid intrinsecè ametur sub conditione possibilitatis: quid enim prohibet ut ego dicam: Si ego possem facere duo contradictoria simul, id facerem ad falsificandum regulam summulisticam. Cujus ulterior hæc ratio adferri potest. Quia sicut sufficit bonitas non absoluta sed conditionata ad amandum, ita sufficit ad hoc ipsum possibilitas sub conditione. Addit Lugo hunc actum fore parum utilem, quia tum terminaretur ad præteritionem & negationem præteritionis. Vellet enim ex una parte peccatum fuisse; & ex alia, vellet illud non fuisse; quod non videtur sufficere, ut voluntas simpliciter avertatur à peccato, ad eum modum, quo non videtur sufficienter averti à peccato præterito, qui diceret: vellem peccare & non peccare. *Hæc Responsio cum præsenti doctrina Lugonis.*

Non Satisfacit 1. Quia procedit in suppositione impossibili tollente seipsam, vult enim, præteritionem, & non vult, quia procedit in suppositione hac, ut quod formaliter & immediatè affirmabatur, idem formaliter & immediatè negetur; & sicut si nihil proponeret Intellectus, nihil vellet voluntas; sic nec potest velle negationem peccati in suppositione tollente seipsam, quia illa suppositio est talis, ex qua Intellectus non possit procedere ad proponendam nolitionem peccati.

Non Satisfacit 2. Quia rationes pro possibilitate talis actus adlatæ, non convincunt. Nam si sint duo contradictoria, quæ fundant suppositionem tollentem seipsam negabitur facilè: quòd possit aliquis velle illa facere, ad falsificandam regulam summulisticam. Deinde non potest aliquis ita dicere: Vellem facere duo contradictoria, ad falsificandam regulam Summulisticam, & simul non facere; ad falsificandam; vult enim falsificare eandem. Ergo etiam non poterit dicere: Vellem conjungere præteritionem cum negatione præteritionis; est enim etiam hîc suppositio tollens seipsam.

Non Satisfacit 3. Quia suppositio possibilitate dicti actûs immeritò dicit illum non fore utilem. Quod ipsum Probatur. Quia immeritò dicit Lugo, quòd is, qui vellet negationem præteritionis cum præteritione conjungere, vellet præteritionem, quia illius actus, non alius est sensus, quàm hic: Nollem quod præteriit, fuisse. Hic autem actus non vult præteritionem; ergo neque ille prior.

Explicat 2. Lugo Disp. 4. num. 16. quod hujus actus: *Vellem non peccasse*, sensus sit: Si ego haberem nunc potentiam, ut peccatum illud non fuisset, id facerem, per quod non vult voluntas conjungere præteritionem peccati, cum non præteritione, sed vult simpliciter, quòd non fuisset illud peccatum. Illustratq; instant à: Quia habeo nunc de facto potentiam, quod non fuerit in DEO unquam

præscientia absoluta de meo peccato hodierno.

Addit illam voluntatem non esse imprudentem, quia licet feratur in objectum sub conditione impossibili, ipsum tamen objectum secundùm se, posita illa conditione possibilitatis, esset undequaque, & bonum & possibile. *Hæc responsio*

Non Satisfacit 1. Quia non explicat: quî ista suppositio ita sit impossibilis ut non tollat seipsam, nam ly vellem facere si possem, ut quod fuit non fuerit; idem formaliter & immediatè negat, quod in alia parte suppositionis erat positum.

Non Satisfacit 2. Quia actus detestativi non est iste sensus per Lugonem: vellem conjungere cum peccato præterito negationem præteritionis si possem; ergo neque est iste sensus: Si ego nunc haberem potentiam ut peccatum illud non fuisset: id facerem. Probatur Consequentia. Quia hæ propositiones synonimicè sibi æquivalent. Certè enim termino: si possem, æquivalet terminus: si haberem potestatem, & huic termino conjungerem cum præteritione negationem præteritionis, æquivalet terminus: facerem nè fuisset. Quod ipsum Probatur, quia illud facerem nè fuisset; idem est, ac: vellem facere, ut quod fuit & supponitur fuisse non fuerit; hoc autem ipsum idem est, ac velle cum præteritione, seu cum eo quod fuit & supponitur fuisse, conjungere negationem præteritionis faciendo videlicet nè fuerit.

Non Satisfacit 3. Quia illa instantia de Scientia Divina, non convincit. Nam ante hodiernam meam operationem, ex una parte hodierna mea operatio non præcessit, sed tota stat *in* & *pro* hodie; ex alia parte præscientia Divina non antecedit nisi duratione meam operationem sed supponit; quam determinare ut sic vel ita supponat, est in mea libertate situm. Consequenter quidquid connexum est cum illa operatione, totum stat *in hodiè*. E contra præteritum jam præcessit & præsupponitur illi actui, in quo dico: *Vellem non peccasse*, non est item in mea libertate præteritum facere hodie: nec stat in mea potestate totum illud quod præteriit. Hinc fit, ut non possim facere, quod non præterierit præteritum; possum autem facere nè DEUS cognosceret, quod cognoscit.

Explicat 3. Dicastillo hîc Disp. 1. numer. 254. & ex illo Rosmer dicitque Prædicti actus sensum esse hunc: Displicet, nec peccasse. *Hinc*

Docet 1. De peccato præterito esse displicentiam absolutam.

Docet 2. Hunc actum displicentiæ, non esse actum qui significetur per illa verba: si possem facere ut peccatum non fuisset id facerem. Rationem dat, quia peccatum hominis, Deo displicet, & antequam fiat & quando patratur, & potest facere Deus ut non fiat, & quamvis sibi in illo displiceat Deus, non tamen hæc displicentia Divina explicatur per hoc: vellem facere, nè fiat, si possem.

Docet 3. Displicentiam tantam esse posse offensæ DEI, ac talem ut ea existente non possit simul esse affectus voluntatis erga peccatum, adeo ut si res esset integra & non exstitisset peccatum, faceret ut non existeret aut exstitisset. *Hæc doctrina*

Non Satisfacit 1. Quia quantumvis possit elici actus displicentiæ, quo dicatur: Displicet mihi actio præterita, nihilominùs potest elici hic alius: *Vellem non peccasse*, quæ enim implicantia in tali actu, quem præcipuè experimur nos elicere? Quòd si affirmat illum elici posse? debebit assignari sensus illius legitimus, Jam autem ejus Actus qui optativè & conditionaliter exprimitur, non potest esse sensus, nisi optativus & conditionalis, ut ita intercedat proportio inter explicatum & explicationem. Non ergo actus illius: *Vellem non peccasse*, poterit esse sensus absolutus.

Quod autem addit Rosmer: Illum actum per suam informationem ita afficere subjectum, ut revera tale peccatum non fuisset præteritum, si exstitisset, quando fuit peccatum, id non convincit. Tum quia tota hîc est difficultas de sensu istorum verborum: *Vellem non peccasse*, non autem de illa informatione, qua & quàm efficaci, informet ille actus voluntatem. Tum quia si actus detestationis creaturæ mensurari debet ex displicentia Divina ut illum mensurat Rosmer; sicut displicentia Divina præsens, circa præsens vel præteritum peccatum, non debet per hoc explicari, quod si illam Deus haberet, peccatum non fieret, verè enim fit vel factum est quantumvis sibi in illo DEUS, titulo sanctitatis displicuerit; ita & displicentia creaturæ de peccato præterito non debet ita explicari, quòd non fieret, si fuisset, tunc voluntas quæ nunc est. Tum quia tam impossibile est voluntatem, quæ nunc est & opposita illi fuit, tunc fuisse: quàm est impossibile, quod præteriit, non præteriisse. Ergo si Rosmer non est contentus, dicere hujus propositionis: *Vellem non peccasse*, sensum esse; vellem ut præteritum non esset præteritum; nec debet dicere quòd illud *Vellem non peccasse*; sit explicabile: si habuissem tunc voluntatem, quam nunc habeo, non peccassem.

Non Satisfacit 2. Quia tandem tota hæc illius doctrina devolvitur ad ea quæ jam sunt dicta. Nam numero citato explicans quid sit retractatio? dicit: Retractatio est talis actus ut actum illum priorem peccati destrueret & faceret ut non fuisset, si id fieri posset.

Quod

Quod idem planè est, ac Facerem si possem ne fuisset. Deinde quod dicit ex vi illius actus si res fuisset integra, non esset à me commissum peccatum, sensum reddit ab illo impugnatum. Nam ly: si res fuisset integra; idem est Synonimicè, ac si diceret: si non præteriisset. Et, ly: non esset à me commissum; idem est, ac: non facerem nunc.

Non Satisfacit 3. Quia illud quod affertur de displicentia Divina in præsenti locum non habet. Duplex enim cogitari potest displicentia. 1. Inefficax. Et hæc non attendit ad posse, quia nec respicit media. 2. Displicentia efficax. Et hæc necessariò respicit media; cùm in ratione efficacis, compleatur ordine illo ad media. Porrò Deus cum sit causa, prima & Universalis, propter titulum causæ primæ, non semper efficaciter absolutè detestatur peccatum ut non fiat à creatura, quia vult illam liberè operari. Si autem illi absolutè efficaciter displiceret peccatum, deberet, non exhibere concursum ad peccatum; adeòque impedire libertatem suæ creaturæ. Quia verò displicentia Creaturæ pœnitentis efficax est, hinc ad media reflectere debet, & per posse saltem conditionatum exprimi. Quia autem interdum displicentia Divina, in peccato est inefficax, & non respiciens de se media, nec debet explicari per Ly: possem. Quanquam etiam displicentia Divina, quam habet de peccato potest explicari sic: Vellem facere, ne fiat peccatum si possem, cum addito salvo titulo Causæ primæ.

Quando autem Deus habet absolutam & efficacem displicentiam peccati, non exprimetur illius displicentia per ly possem, quia quod vult efficaciter, absolutè potest. Nego tamen etiam in Deo displicentiam peccati præteriti exprimi non posse per Ly: si possem; licèt displicentia absolutè peccati, ita non exprimatur. Certè enim etiam posse Dei ad auferendam suppositionem præteriti non extenditur nisi sub conditione.

QUÆSTIO II.

De Specialitate Ordineque Pœnitentiæ virtutis; &, An illa sit de linea Iustitiæ.

Quæres 1. *An Pœnitentia sit specialis virtus?*

Assero 1. *Pœnitentiam non esse specialem virtutem in causando.* Nomine specialis virtutis in causando (si daretur) veniret illa virtus quæ nonnisi sub uno principali motivo actus suos exerceret, & non posset movere saltem imperativè ad actus specie & motivo principali distinctos. Hac notione vocis posita.

Ratio, Asserti est. Quia nulla virtus est specialis in causando. Ergo neque Pœnitentia. Antecedens Probatur. Quia nulla virtus est, quæ non habeat vim imperandi aliis virtutibus, ut ponant actus illis proportionatos. Ergo nulla est specialis in causando. Id enim venit nomine talis virtutis. Antecedens proximum probatur imprimis inductione. Nam Charitas potest imperare jejunium. Et virtus jejunandi, potest imperare virtuti charitatis; ut scilicet offerat id jejunium ob amorem. Idem Antecedens exinde Probatur. Quia nulla est virtus ita sibi sufficiens, ut possit sola, se, contra omnes inhonestates tutari, & decorare sese & actus suos quibuslibet ornamentis moralibus. Idem Antecedens sic Probatur. Quæro de hac universali: Omnis virtus respicit omnia motiva. Et: Nulla virtus respicit omnia motiva, quæ harum duarum sit vera, quæ falsa? debet autem alterutra esse vera, vel alterutra falsa. Nam in materia necessariâ universalis alterutra vera est, & ita cum dico: Omnis homo est Rationalis, vel: Nullus homo est Rationalis; prima est vera, secunda falsa; quæro itaque, illarum duarum priorum quæ sit vera? si prima affirmativa? ergo nulla est virtus specialis in causando; non enim haberet quod specialiter causaret: cum continendo omnia motiva, possit ex omnibus quoscunque actus principiare; consequenter habebit se sicut Sol; qui cum sit causa universalis plura causat. Si autem negativa est vera? Ergo nulla erit virtus specialis in causando, quia non poterit sola elicere actus illorum omnium, nec tamen desunt virtutes, quæ illos actus eliciant.

Assero 2. *Pœnitentiam esse specialem virtutem in essendo.*

Ratio est, quia illa virtus est specialis in essendo, quæ habeat speciale motivum sibi proprium, hoc enim intelligitur nomine specialis virtutis in essendo. Quòd autem pœnitentia habeat speciale motivum innui supra & probabitur inferiùs. Licèt autem aliæ etiam virtutes possint detestari peccatum; quia tamen id faciunt ex motivis propriis, & non ex motivo pœnitentiæ, benè in pœnitentia salvari poterit specialitas virtutis.

Assero 3. *Virtutem pœnitentiæ infusam, esse simplicem qualitatem.*

Ratio. Tum quia nulla est necessitas multiplicandi illam per entitates & plures qualitates speciales. Tum quia virtutes infusæ, habent se per modum potentiarum, potentiæ autem unitatem amant, & ita non datur nisi unus Intellectus. Una potentia visiva &c. Tum quia Amor inquantùm est principium afficiendi bono, & inquantùm est principium odiendi odium illius boni; est eadem indivisibilis qualitas quæ appellatur Charitas infusa. Ergo idem in præsenti dicendum. Ponendo autem Pœnitentiam esse simplicem qualitatem non excludo gradualem intensionem, sed quòd nullus

gradus sit, qui ad quoscunque actus concurrere per modum potentiæ non possit.

Quæres 2. *An Pœnitentia sit virtus naturalis an supernaturalis?*

Assero 1. *Posse dari Pœnitentiam naturalem nullo modo respicientem Deum.*

Ratio Asserti est. Quia potest aliquis non advertere ad aliud, quam ad præcisam turpitudinem peccati. Ergo & detestari illud. Ergo & dolere de illo.

Assero 2. *Posse dari Pœnitentiam quæ respiciat Deum & tamen sit in entitate naturalis.*

Ratio Asserti est. Tum quia possumus amare Deum tanquam summum bonum, actu nonnisi naturali; aliàs sciremus nos elicere actum supernaturalem amoris, adeòque nos non esse dignos odio, quia in eo in quo Charitas Dei manet, non est peccatum. Ergo & pœnitere possumus propter Deum, actu nonnisi naturali. Et certè potest ratio naturalis si non demonstrare, saltem persuadere probabilissimè: Deum displicere sibi in peccato. Et, quòd peccaminosa actione offendatur. Cur ergo propositionem illam non poterit sequi actus in entitate naturalis? Denique supernaturalitas actûs non desumitur ex motivo. Ergo fieri poterit, ut aliquis actus respiciat Deum pro motivo, & tamen sit in entitate naturalis.

Dices. Antiquos Philosophos nunquam meminisse pœnitentiæ; Nullo ergo fundamento, dicetur dari posse pœnitentiam naturalem.

Respondetur. Argumentum hoc nihil concludere, nunquidnè quia antiqui Philosophi Trinitatem non agnoverunt, illâ revelatâ, non poterit circa illam fieri actus naturalis? Deinde quamvis illi multa de virtutibus disputârint, non est tamen necesse, quòd de omnibus; quia sicut in multis naturalibus errârunt, ita & multa naturalia poterant ignorare. Rursùs argumentum est ab auctoritate negativa; & sicut nullibi illam impugnarunt, ita & nullibi defenderunt. Cur ergo, ex hoc secundo, inferetur illam non dari? & non inferetur ex primo, dari? Denique dici potest agnitam esse à quibusdam clarè, dicit enim Ovidius:

Sæpe levant pœnas irataque Numina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.

Ex prædictis assertis: Inferes, futuram fuisse pœnitentiam etiam in statu puræ naturæ, hoc enim probant rationes adlatæ.

Assero 3. *Pœnitentiam, quæ nunc est sicut oportet ad salutem, esse supernaturalem.*

Ratio, est auctoritas Tridentini Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem Credere, Sperare, Diligere, aut Pœnitere posse, sicut oportet, ut ei Iustificationis gratiam conferatur, anathema sit.* Ubi Tridentinum æqualiter loquitur de Pœnitentia ac de Charitate; quæ cum in entitate sit supernaturalis, consimilis supernaturalitas concedi debebit etiam Pœnitentiæ, in ordine ad consequendam Justificationem. Additur huic auctoritati congruentia. Quia Pœnitentia, est dispositio ad gratiam supernaturalem; ut agnoscit Ecclesia. Ergo debet esse supernaturalis; nam dispositiones, proportionatæ esse debent ei, ad quod disponunt.

Quæres 3. *An Pœnitentia sit Iustitia?*

Assero 1. *Pœnitentiam Theologicam non esse virtutem Iustitiæ rigorosè.*

Quia interim supponitur inter Deum & creaturam nullam intercedere justitiam rigorosam.

Assero 2. *Pœnitentiam, ex vi sui motivi formalis, quoad id quoad id quod dicit clarè, & expressè, non esse ullam etiam latiori modo sumendam Iustitiam.*

Quia, ut inferiùs dicam, tractando de objecto formali, nullam dicit clarè & expressè æqualitatem Pœnitentia. Et sicut non dicitur latiori modo intercedere Injustitia quando duæ chordæ secum dissonant, ita nec intercedit clarè & expressè Injustitia, cum peccatum dissonum Deo ponitur, ad quod abolendum procedit Pœnitentia.

Assero 3. *Pœnitentiam secundum ea quæ inre dicit & implicitè esse latiori modo Iustitiam.*

Ratio est, quia versatur circa actiones, quæ suo modo, sunt factæ contra jus Dei & debitum creaturæ; easque abolere nititur, adeòque, inte loquendo, reducere ad eam quam potest reducere ad eam quam potest recompensationem.

Assero 4. *Pœnitentiam in quantum est latiori modo Iustitia non posse revocari commodè ad Iustitiam distributivam.*

Ratio est, quia Justitia distributiva attendit ad proportionem geometricam, seu proportionem proportionum, ad quam non attendit Pœnitentia. Quia si attenderet? tunc quæ est proportio culpæ ad pœnitentes, ea deberet esse proportio Pœnitentiæ ad eosdem. Atque ita qui haberet culpam ut decem intensam, & alter ut centum, tunc habens culpam ut centum, si pœniteret ut decem, non satisfaceret pro culpa, quod falsum est. Rursùs Justitia distributiva non potest esse nisi unius respectu plurium, potest autem esse unius nonnisi Pœnitentia respectu Dei.

Assero 5. *Commodiùs revocari posse Pœnitentiam ad Iustitiam commutativam.*

Ratio, quia hæc est unius ad unum, & quia videtur quasi commutatio intercedere; quia pœnitens tradit actus suos Pœnitentiæ, & Deus cedit jure aversionis. Proportio etiam intercedit cum satisfactione humana, satisfactio autem humana, est quædam species commutativæ justi-

justitiæ. Quanquam habet etiam proportionem ad Justitiam vindicativam, licèt non rigorosam: inquantùm enim assumit pœnam (ut Pœnitentia verbaliter accepta pœnæ tenentia est) vindicat in se actiones suas, estque pœnitens sui quodammodo & Judex & Reus.

QUÆSTIO III.

An Pœnitentia sit virtus Theologica?

ASSERO 1. *Pœnitentiam non esse virtutem Theologicam.*

RATIO est. Tum quia sensus communis Theologorum, tres nonnisi agnoscit: idque exclusivè quoad alias. Tum quia virtus quæ pro formali non dicit Deum, imò nec pro materiali, non potest esse Theologica, Theologica enim virtus definitivè, pro formali saltem, debet dicere Deum. Quòd autem Pœnitentia pro formali non dicat Deum, infra probabitur; imò cum detestatur peccatum propter Deum, non detestatur tanquam propter motivum formale, hoc enim spectat ad amorem, sed propter Deum, hoc est propter finem, cui debetur detestatio. Tum quia si pœnitentia esset virtus Theologica, ex eo esset, quia respiciendo dissonantiam operationis ad Deum prout est natura intellectualis, respicit aliquid connexum cum Deo, sed id non arguit rationem virtutis Theologicæ. Certè enim Religio respicit honestatem cultûs supremæ excellentiæ, quæ honestas respicit Deum. Obedientia item erga Deum, respicit honestatem subdendi sese Dei dominio; & tamen utrumque hoc, non est virtus Theologica.

Fundatur autem totùm hoc ulteriùs, in hoc principio: Quia ad virtutem Theologicam requiritur ut nihil creatum, formale illius sit. Consonantia autem actionum nostrarum ad Deum, prout est natura intellectualis, honestas obediendi & colendi &c. sunt aliquid creatum, & sicut Conclusio sequitur debiliorem partem, restringitque perfectius ad gradum imperfectioris; ita, & aliquid creatum, quod est motivum formale, quamvis illud involvat aliquo modo Deum, restringet illud motivum ad rationem Creati.

Nec potest assumi pro principio; quod aliquid connexum cum Deitate, tanquam cum connotato, statuat rem in ratione Divinæ, & in ratione motivi formaliter Divini; alias creatura quæ dicit pro termino suæ Relationis Transcendentalis Deum, esset aliquid Divinum; non tantùm terminativè, sed intrinsecè: & quòd pro formali respiceret Creaturam, esset virtus Theologica: quia respiceret id, quod dicit connexionem essentialem, cum DEO.

ADDO. Commodiùs per nos salvari: quî Pœnitentia non sit virtus Theologica, quam salvetur per hos, qui pro formali, assignant æqualitatem ad jus Divinum, quâ Divinum. Quia illa æqualitas, quæ importat aliquid creatum; videtur esse in illorum principiis pro materiali; jus autem Divinum, quâ Divinum, pro formali: quod ipsum jus Divinum, est ipse Deus; & tamen Virtutes Morales, non debent dicere pro formali rationem aliquam Divinam. Non nego tamen quod etiam per oppositos idem salvari licèt non ità commodè, possit.

ASSERO 2. *Pœnitentia ut sic, nè pro connotato quidem, importat aliquid Divinum.*

RATIO est. Quia hoc ipso, non esset Pœnitentia ut sic; non enim esset quid commune ad pœnitentiam pro peccato philosophico, cùm illud dicat negationem respectûs ad DEUM.

ASSERO 3. *Theologicè acceptam Pœnitentiam importare Deum pro connotato.*

Quia tollit peccatum quod commissum est contra Deum, & per hoc solum constituitur in ratione Pœnitentiæ Theologicæ, quia tollit peccatum commissum contra DEUM.

DICES 1. Pœnitentia saltem quoad aliquos actus, respicit Deum. Ergo saltem respectu illorum actuum, erit virtus Theologica. Antecedens Probatur. Quia vult satisfacere Deo; vult item, illum habere placatum; jam autem illum placatum esse, est aliquid increatum; est enim actus, voluntatis Divinæ, acceptantis satisfactionem, & condonantis offensam. Actus enim ille Dei, est ipsemet DEUS.

RESPONDETUR. Pœnitentiam quoad aliquos actus respicere Deum pro connotato, importato ab iis, quæ per se respicit; sed non respicit Deum, tanquam motivum formale. Et ità quando creatura vult satisfacere Deo, intendit satisfactionem; quæ pro connotato, vel si mavis dicere, pro fine *Cui* fit satisfactio, respicit Deum. Ad eum modum, quo Religio, dum cultum Deo; & Obedientia, dum obsequium eidem præstat, intendunt directè actionem suam, Deum autem cui hæc fiunt, respiciunt tanquam finem *Cui*. Quando autem Pœnitentia vult habere Deum placatum, ly placatum dupliciter accipi poterit. 1. Pro actione placante Deum. Et hæc est quid creatum, nec potest habitum, qui hoc esse placatum respicit, elevare, ad conditionem habitus Theologici. 2. Potest accipi pro ipso interno actu Divino, dicente se non irasci, & hunc actum non intendit Pœnitentia sub præcisa ratione Divini, sed sub motivo sibi proprio ad ponendam scilicet desinentiam habitualis peccati, quæ completè haberi non potest, nisi Deo remittente offensam. Breviter: vult illum actum sub formalitate tollendæ dissonantiæ habitualis, sed non præcisè sub formalitate Deitatis.

INSTABIS. Quamvis Deus nonnisi pro connotato respiciatur à Pœnitentia, non dejiciet hoc Pœnitentiam à conditione virtutis Theologicæ.

logicæ. Quod ipsum Probatur. Imprimis, quia etiam spes pro connotato respicit aliquid creatum. Nam respicit Deum bonum nobis; ubi ly Nobis, creatum aliquid importat. Item cum amor Dei, vult Deo bona, extrinseca ipsi Deo, eo casu nonnisi pro connotato respicitur Deus: & tamen tunc verè elicitur actus virtutis Theologicæ. Ergo quantumvis Pœnitentia, nonnisi pro connotato, Deum respiciat; poterit esse virtus Theologica.

Respondetur Negando Consequentiam. Quia quando amor Dei respicit bona extrinseca Deo, non stat in hoc præcisè & ultimatè; quia illud bonum est extrinsecum DEO, sed totus ille actus resolvitur ultimò in ipsum Deum, in se bonum, & dignum omni possibili bono. Jam autem actus, quo vult peccator, sibi Deum placatum: inquantum est actus Pœnitentiæ, ultimò non resolvitur in aliquid increatum; sed in aliquid creatum, nempe, ut peccatum sibi non imputetur; habeatur pro non facto; deleatur à gratia, &c. similia. Quod autem attinet ad actum Spei paritas adlata potius est pro nobis: quia connotata nonnisi ratio creaturæ à Spe non dejicit Spem à ratione virtutis Theologicæ. Ergo nec tantùm connotata ratio Deitatis, à Pœnitentia attollet eandem ad rationem habitus Theologici. Rursùs quando Pœnitentia respicit Deum placatum; non attendit ad esse Divinum, tanquam motivum formale, sed attendit ad tollendum peccatum commissum, vultque Deum habere placatum, ut ponatur illa sublatio, quam solam tanquam sibi propriam, respicit Pœnitentia.

Dices 2. Fides respicit Deum revelantem, & tamen salvatur in fide ratio Fidei Theologicæ. Ergo etiam cum respicit Pœnitentia Deum condonantem, salvari poterit in ea ratio habitus Theologici.

Respondetur, adferendo imprimis disparitatem in sententia quæ censet non posse condonari peccatum sine infusione gratiæ. In hac sententia disparitas erit: Quia quando Fides respicit Deum revelantem respicit non revelationem passivam, sed activam quæ est ipsemet Deus; jam autem quando respicit Pœnitentia Deum condonantem, non respicit condonationem activam, sed passivam; quæ est quid creatum: nempe ipsa gratia quâ exercetur prædicta condonatio. Id ipsum ulterius in hoc fundatur. Quia si Fides respiceret revelationem passivam quæ est signum aliquod creatum manifestativum Dei attestantis, hoc ipso Fides deficeret à suo formali, primò & per se intento; respicit enim aliquid increatum: jam autem si respiciat Pœnitentia condonationem passivam, connotantem Deum, à quo fit illa condonatio, non deficiet per hoc à suo formali, de quo infra; & interim non probatur formale illius debere esse aliquid Divinum, quâ tale. Alia autem disparitas in principiis sententiæ non requirentis ad condonationem infusionem gratiæ, hæc assignari potest. Quia Deum revelantem ita respicit Fides, ut illum solum pro motivo formali & ratione *propter quam* habeat; jam autem Deum condonantem respicit Pœnitentia sub formalitate tollendi peccati commissi. Denique quia Fides respicit Deum revelantem, pro motivo habendo revelationem activam, adeòque Divinum quid, in eo ipso sistendo; jam autem Pœnitentia, respicit Deum placatum non sistendo in hoc ipso, sed inquantum esse placatum Deum, ordinatur ad abolitionem peccati.

Dices 3. Pœnitentia non vult Deum propter condonationem. Ergo falsum est, quod illum respiciat pro materiali.

Respondetur. Pœnitentiam non velle Deum propter condonationem, hoc est, ordinando Deum ad condonationem, tanquam ad ultimum finem, nam hoc esset inordinatum, ultimi enim finis qualis est Deus, implicat statuere alium ultimum finem, ut probatum in Ethica. Vult tamen Deum propter condonationem, restringendo Deitatem formalitate aliqua creata, qualis est formalitas tollendi peccati.

DISPUTA-

DISPUTATIO II.

De Differentia Pœnitentiæ Virtutis.

SUB hoc titulo tractabitur de Objecto Formali Pœnitentiæ. Itemque de Materiali. Sed hujus tractatio postponetur illi priori, plura enim quæ priori Disputatione tractavimus exinde lucem accipient; quî enim intelligitur quòd Pœnitentia, ex definitione sua, sit abolitiva peccati: quòd sit specialis virtus: quòd nonnisi moralis: non habitâ notitiâ de Formali Pœnitentiæ? Dandum itaque fuit connexioni Quæstionum, ut ordo cæteroqui usitatior, tantillùm inverteretur. *Sit*

QUÆSTIO I.

De Objecto Formali Pœnitentiæ.

PLures sententias de hoc puncto post alios recitat Lugo Disp. 2. à sect. 1. & Dicastillo. Disp. 1. n. 27. Nos principaliores attingemus.

DIFFICULTAS I.

An Æqualitas vel Inæqualitas ad jus Divinum, sit objectum formale Pœnitentiæ virtutis?

AFfirmat Vasquez, quem etiam sequitur Dicastillo, citatus n. 34. & Bertholdus n. 7. estque communis; quæ scilicet, actuum Pœnitentiæ, qui appellantur prosecutionis, objectum formale, assignat Æqualitatem ad jus Divinum, ut alii addunt secundùm quod Divinum est; seu, adæquatio ad exigentiam Dei, quâ Deus est. Actuum autem fugæ, objectum assignat, Inæqualitatem ad idem jus, quanquam ipse Dicastillo in processu discurrendi, impingit in secundam sententiam; de qua inferiùs.

DICENDUM est. *Æqualitatem ad jus Divinum non esse Objectum Formale Pœnitentiæ quoad actus prosecutionis; nec item actuum fugæ ejusdem Pœnitentiæ Objectum Formale esse Inæqualitatem ad idem jus.*

PROBATUR I. Formale Pœnitentiæ Objectum non debet deficere ab hac conditione objecti formalis, quæ est: primò, & per se intendi. Sed illa Æqualitas vel Inæqualitas ad jus Divinum, deficit in conditione, quæ est, primò per se intendi. Ergo illa Æqualitas vel Inæqualitas ad jus Divinum, non est formale Pœnitentiæ. Major Probatur, quia formale debet esse primò intentum in quocunque habitu. Quod ipsum Probatur. Tum quia objectum formale habet se sicut differentiæ in compositis seu Metaphysicis seu physicis. Nam sicut differentiæ faciunt differre & specificari compositum, ita & Objecta Formalia, faciunt differre & specificari habitus. Jam autem differentiæ & metaphysicæ & physicæ specificativæ ultimo, semper habent rationem primi. Et ita risibilitas non est differentia hominis, quia non est primum quid, nam illa prior rationalitas. Tum quia eandem Majorem suadet inductio. Ita enim veritas v. g. Logica non est formale Logicæ; quia non primò intenditur, sed fluit ex rectitudine. Rursùs in Ædificatoria, pulchritudo domûs non est formale Architectonicæ; quia non primò per se intenditur, sed fluit ex commoda & regulata totius ædificii structura; & cætera similia. Tum quia formale objectum debet esse per modum differentiæ ponibilis in definitione habitus, jam autem definitiones debent constare prædicatis Primis quæ sint radix reliquorum, & simul ultimis in methodo resolutiva. Probatur Minor. Sed Æqualitas vel Inæqualitas ad jus Divinum, deficit in conditione, quæ est, primò & per se intendi ab habitu Pœnitentiæ. Et imprimis agamus de actibus fugæ. Illud primò per se intendit fugere Pœnitentia, quod primò per se constituit objectum, quod fugit in ratione odibilis, aversabilis &c. sicut enim Ars Medicinæ, illud primò fugit, quod primò opponitur sanitati, quam vult reinducere; ita & primò Pœnitentia fugiet id, quod primò constituit illud malum, quòd vellet Pœnitentia reparare; & sicut duæ parallelæ, ita se habent, ut prima primis, secunda secundis opponantur, idque procedendo consequenter, etiam in infinitum productæ, nunquam inter se convenient. Ita & habitus fugæ, si comparetur ad id quod fugitur, hoc est peccatum, illud primò fugiet, quod primò constituit illud objectum, quod fugitur. Cujus ipsius hæc ulterior ratio assignari potest. Quia objectum fugæ debet habere aliquid, per quod primò constituatur in ratione objecti fugæ

seu

seu mali. Ergo & habitus natus aversari illud malum, debet aversari illud primò, quod primò illud malum constituit in ratione mali; sicut enim aversatur simpliciter malum, quia simpliciter malum est, ita & primò debet aversari, quod primò constituit malum in ratione mali. Sed Inæqualitas ad jus Divinum non constituit primò & per se, id objectum, in ratione aversabilis, quod aversari nata est Pœnitentia. Quod ipsum Probatur. Quia quod aversari nata est Pœnitentia, per omnes Patres est peccatum, supponitque id clarè Trident. Sess. 14. cap. 1. ubi necessitatem Pœnitentiæ deducit, ex necessitate habitûs, qui opponatur peccato. Sed peccatum non constituitur in ratione peccati per Inæqualitatem ad jus Divinum. Quod ipsum Probatur. Tum quia etiam Oppositi, in materia de Peccatis non adferunt dictam Inæqualitatem pro primo essentiali conceptu peccati. Tum quia nemo rigorosè loquendo, est injustus erga seipsum. Ergo rigorosè loquendo, respectu Dei, nullum erit rigorosum peccatum, & tamen agnoscuntur aliquæ actiones ita peccaminosæ, ut si per impossibile eas Deus committeret, rigorosè peccaret. Tum quia hujus ipsius, quod aliquid sit contra jus Divinum, ulterior ratio non quidem in ratione justitiali, sed in ratione aversabilis, à pœnitentia dari potest; quia dicit rationem dissonantiæ ad naturam intellectualem, adeòque ad Deum secundùm quod, natura Intellectualis est.

Probatur Conclusio II. Pœnitentia Philosophica pro peccato philosophicè accepto, quando peragitur, non aversatur primò per se differentialiter peccatum, sub formalitate Inæqualitatis Philosophicæ. Ergo neque Pœnitentia Theologica, aversabitur peccatum, sub ratione Inæqualitatis Theologicæ. Probatur Consequentia. Quia hæ Pœnitentiæ, non differunt, nisi secundùm præcisam rationem Philosophici & Theologici; sicut & ipsa peccata; debebunt ergo convenire in ratione motivi, & tantùm differre in ratione Philosophici & Theologici. Antecedens autem Probatur: Quia si per impossibile non esset Deus, nec ulla alia creatura præter peccantem, posset rigorosè adhuc committi peccatum philosophicum, & tamen tunc nulla esset Inæqualitas rigorosa, nam hæc ut suppono ex materia de Justitia, debet esse inter distincta realiter.

Probatur III. Quia si nihil obsit sub ea formalitate, assignandum est Formale Pœnitentiæ, quæ non importet aliquam rationem, quæ illi propriè rigorosè, non convenit, nam si formale est; proptiissimè convenire debet. Sed ratio Inæqualitatis ad jus Divinum, non est ratio propriè & rigorosè conveniens Pœnitentiæ. Quod ipsum Probatur. Tum consensu oppositum sentientium, qui docent inter Deum & Creaturam non intercedere rigorosam Justitiam. Tum quia id probatum est in materia de Justitia.

Objicies I. Æqualitas ad jus Divinum, secundùm quod Divinum; est finis intrinsecus Pœnitentiæ. Est enim quod intenditur ab actibus illius; & ita intenditur, ut inter illam & proximam Pœnitentiæ materiam, pariter nihil mediet, atque in Logica, nihil mediat inter operationes Intellectûs & earum rectitudinem. Ergo dicta Æqualitas, erit objectum differentiale Pœnitentiæ.

Respondetur. Conformiter ad fundamenta præjacta, quòd scilicet illa Æqualitas sit finis intrinsecus non primò per se intentus; & quòd sit finis intrinsecus quodammodo, quia peccatum saltem improp. iè est dicta Inæqualitas cum jure Divino; sed non est Inæqualitas formaliter & primò per se. Ex alio principio eadem Objectio solvi potest, quod etiam Ad Confirmationem Conclusionis adferri potest: Pœnitentiæ scilicet objectum, non posse esse idem cum objecto Justitiæ ut sic, aliàs pœnitentia, esset Justitia ut sic, esset que per modum generis ad Religionem, Obedientiam, &c. hæ enim virtutes sunt aliquæ species Justitiæ. Quòd si Pœnitentiæ objectum, non debet esse objectum justitiæ ut sic; nec erit Pœnitentiæ objectum, jus Divinum quâ Divinum; hoc enim jus Divinum quâ Divinum est objectum justitiæ ut sic. Nam sicut Justitia talis, respicit jus tale; ita Justitia ut sic (suppone Theologica) respiciet jus Divinum ut sic. Unde ex vi hujus principii, negganda est hæc propositio: quòd æqualitas ad jus Divinum ut sic, sit finis intrinsecus Pœnitentiæ.

Instabis I. Omnis virtus ad alterum formaliter prosequitur Æqualitatem ad jus alterius, cùm nonnisi hac obtenta, faciat nos rectè habentes ad alterum. Ergo etiam Pœnitentia, cùm sit quædam virtus ad alterum; hoc est, ad Deum: prosequitur Æqualitatem ad jus Divinum.

Responsum Jam est, quòd virtus ad alterum propriè & rigorosè, respiciat Æqualitatem primò, & per se; Pœnitentia autem non est rigorosè ad alterum, sufficietque, ut nonnisi in re illam Æqualitatem attendat, quam vis non primò per se. In idem recidet si dicas: quòd est ad alterum, alteritate justitiali prosequitur Æqualitatem ad jus alterius. Sed non est necesse, ut virtus ad alterum quoquo modo, attendas primò & per se, ad æqualitatem, quæ sit, ad jus alterius. Sic Religio, Obedientia, est ad alterum: neque tamen Religio primò per se respicit Æqualitatem; quod idem dicendum de Obedientia, proportionaliterque applicandum ad Pœnitentiam.

Instabis II. Æqualitas debita juri Divino, secundùm quod est absolutè & irrestrictè Divinum, est quædam honestas, per se laudabilis per seque expetibilis; debet ergo formalisare aliquam ad Deum virtutem, cùmque non formalisset aliam, formalisabit Pœnitentiam.

Respon-

Responsum est. Jus Divinum ut sic, formalisare Justitiam Divinam ut sic. Ex alio principio eidem Instantiæ respondetur, quòd illa Æqualitas sit per se laudabilis, hoc est, non per accidens participans laudabilitatem: sed non est per se laudabilis, quasi debeat non esse appetibilis gratiâ alîus vel per attributionem ad aliud, sive tanquam ad genericum illius prædicatum, sive tanquam ad aliquid in re coincidens. Et certè multa in Scientiis per reductionem ad objectum formale, considerantur; quantumvis non accidat illis considerari ab illa Scientia; sic etiam Æqualitas ad jus Divinum ut sic, attribui poterit ad Pœnitentiam, licèt non sit ultimò differentiale prædicatum, & finis primò intentus ejusdem.

Objicit II. Pœnitentia, non solùm servare, & reparare debet Æqualitatem, Divini dominii, vel excellentiæ, vel beneficentiæ &c. sed universaliter Æqualitatem ad omne jus Divinum. Ergo debet Universaliter jus illud considerare. Ad eum modum quo Metaphysica quia non solum considerat hominem, vel solùm corpus, sed omne ens: fit ut Metaphysica respiciat pro objecto ens, quà ens.

Respondetur. Æqualitatem hanc quoad rationem non ultimam specificandi, respicere Pœnitentiam; sed non respicere primò per se. De Metaphysica autem alia est ratio: quia nullus datur alius habitus, qui consideret ens quâ ens, & nulla formalitas prior, ad quam primò & per se attendere possit Metaphysica. Jam autem Æqualitatem ad jus Divinum: quâ tale, respicere poterit Justitia generatica, & Pœnitentia pro sua parte, potest habere aliquid aliud quod primò, per se intendat.

Objicit III. Omnes actus Pœnitentiæ versantur, circa restaurationem, aut conservationem juris Divini; tanquam circa objectum distinctivum Pœnitentiæ à cæteris virtutibus. Ergo illud erit formale; nam de ratione formalis est, ut omnes, talis virtutis actus, versentur circa illud, tanquam circa objectum distinctivum. Antecedens Probatur. Si aliquis actus non versaretur circa prædictum objectum, maximè non versaretur satisfactio; jam autem etiam hæc versatur, quia acceptatur ex desiderio satisfaciendi juri Divino læso. Quòd autem Pœnitentia versetur circa illud jus, tanquam circa objectum distinctivum, Probatur. Quia per hoc distinguitur ab aliis virtutibus; nam Charitas v. g. odit peccatum, non quia est Deo injuriosum ut sic, sed quia avertit à bonitate Divina, & sic de aliis.

Responsum jam est. Omnes actus Pœnitentiæ quodammodo versari circa reparationem aut conservationem juris Divini. Est enim contra jus Divinum omne peccatum, committitque saltem latiori modo dictam injuriam; sed ad illud jus Divinum, non attendunt primò & per se omnes actus Pœnitentiæ. Dictum item est, quòd jus Divinum quâ Divinum spectet ad rationem genericam Justitiæ, de qua specialis tractatio non habetur, quia nullam particularem considerationem habet, quæ nosci non possit & deduci, ex tractatu de aliis virtutibus. Et sicut non explicamus Justitiam ut sic, quæ respiciat jus humanum quâ humanum, eò quòd sic sumptæ Justitiæ, aliunde notitia peti possit; sic etiam eodem titulo non habet Justitia ut sic, respiciens jus Divinum quâ Divinum peculiarem considerationem.

Neque valet, si dicas: Justitiam ut sic, esse virtutem generalem; si enim ly generale accipias pro ratione superiori prædicabili de pluribus, in hoc sensu erit virtus generalis. Si autem ly generale accipias pro conflato ex pluribus particularibus virtutibus, non erit sic generalis, habebit enim speciale suum motivum & objectum, hoc est jus Divinum ut sic.

DIFFICULTAS II.

Utrùm Formale Pœnitentiæ, sit Bonum Pacis cum Deo? vel Compensatio? &c.

Affirmat Lugo Disp. 2. num. 49. & cum eo Rosmer.

Supponunt uterque I. Per omne peccatum, præberi DEO rationabile fundamentum odii, & indignationis, contra peccatum, vel gravis vel levis. Huic fundamento indignationis, opponitur Æqualitas moralis, quæ stat in hoc: ne homo habeat Deum rationabiliter offensum, hæc autem Æqualitas est Bonum Pacis.

Supponunt II. Dupliciter posse intelligi: quòd Pœnitentia intendat Bonum Pacis cum Deo. Primò quòd intendat Deum non habere Amicum. Secundò quòd intendat DEUM non habere Inimicum. Quæ duo sunt distincta; nam possem ego velle, ne aversus sit à me Paulus, adeoque illum non offendere, & possum tamen non desiderare, ut sit mihi amicus. Et ad hanc pacem attendit Pœnitentia.

Supponunt III. Æqualitatem hanc moralem, non esse rigorosè Justitiam, nec Inæqualitatem esse rigorosè Injustitiam; sed esse solùm offensam, quæ potest esse sive injuria: nam si amicus obnixè petat à me librum, quo unicè indigeo; offendo amicum, non illum dando, & tamen non facio illi injuriam, alioqui teneret ad restitutionem; per hoc tamen non negant offensam & injuriam in eandem entitatem coincidere posse. Contra sic explicatam Conclusionem.

Dicendum est I. *Formale Pœnitentiæ*

non esse dictam Æqualitatem, & intentionem Boni Pacis cum DEO.

PROBATUR I. Argumento jam facto; quod in præsenti applicari etiam debet. Quia scilicet Bonum Pacis, non est quid primò per se intentum, à Pœnitentia, nam etiam peccatum, in ratione peccati, non constituitur primò per se, quòd ab illo Deus avertatur, & quòd impediat pacem cum Deo. Quærendum enim restabit: Cur ab eo Deus avertatur? Et, cur impediat pacem? Illud autem quod pro ratione adferetur, erit ratio primò constituens peccatum. Quòd autem rationem primò constitutivam peccati, differentialiter respiciat actus fugæ Pœnitentiæ, jam est supra ostensum.

PROBATUR II. Si Bonum Pacis esset objectum Formale Pœnitentiæ, vera esset hæc Universalis: Nullus est actus Pœnitentiæ, qui non respiciat Bonum Pacis; (loquendo de actibus prosecutionis) nam formale habitûs, omnes actus illius respiciunt: Si enim illo formali non informarentur, hoc ipso non essent illius habitûs, actus. Sed falsa est illa universalis; quia, vera est hæc particularis: Datur actus Pœnitentiæ qui non respicit Bonum Pacis. Ergo illa universalis negativa, ut constat ex Dialecticis, erit falsa. Antecedens Probatur. Si ego dicerem quantumvis per impossibile propter meum peccatum Deus non fuisset à me aversus, nihilominus ex sola dissonantia illius ad Deum, detestor illud & retracto, verè hic actus esset Pœnitentiæ; nec illum à ratione actûs pœnitentialis, quisquam sine petitione principii eximere potest; & tamen ille actus, non respiceret formalem hanc rationem, quod est peccatum avertere à Deo. Ergo dabitur aliquis actus Pœnitentiæ, qui non respicit aversionem, consequanter nec intendit per se Bonum Pacis; & tamen erit actus Pœnitentiæ.

PROBATUR III. Et supponitur, quòd esse objectum aversionis Divinæ; & esse peccatum quà tale, sint formalitates conceptu nostro saltem formali præscindibiles: hoc enim quod est objectum aversionis, est quid posterius, sequens ex conditione peccati; adferri enim potest pro ratione, hanc actionem, esse dignam aversione Divina, quia est peccaminosa; quando autem dicam: ideò aliquid esse peccatum, quia Deus ab illo avertitur, erit ratiocinatio similis illi. Ideò Petrus est homo, quia est risibilis. Rursùs in humanis prius est aliquid esse malum, & postea causare aversionem. Hinc aversus, si ex illo quæratur; quare hanc actionem averteretur? redditurus est pro ratione, malitiam operis. Quòd si id est in humanis offensis; cur non idem reperitur in peccato?

Ex hoc autem deducitur. Rationem offensæ & peccati, præscindi posse, priusque esse rationem peccati, quam offensæ, vel causativi aversionis. *Hoc posito*; Quæro: Vel illam rationem manentem, post præcisam formalitatem offensæ, vel inquam, potest adhuc respicere Pœnitentia, versarique circa illam, retenta formalitate Pœnitentiæ; vel non potest? si potest? Ergo apparet, quòd aversionem non respiciat differentialiter, quia nullus habitus manet, sublato suo differentiali. Quòd si tunc non poterit versari circa illud objectum, pœnitentia? quæritur: cur non? modò reddatur ratio sine petitione principii. Insuper in oppositum ratio est. Quia omni illi, cui convenit esse peccatum, opponitur Pœnitentia. Sed illi actioni convenit esse peccatum, opponitur Pœnitentia. Sed illi actioni convenit esse peccatum, ut jam suppositio probavit. Ergo illi per actus fugæ opponere se potest Pœnitentia; adeòque illud præcisum à formalitate offensæ, erit objectum Pœnitentiæ.

RESPONDEBIS. Fore tunc Pœnitentiam specie distinctam.

CONTRA est. Quæro: an sit futura distincta in ratione Pœnitentiæ, quæ respicit peccatum, quà peccatum est? Vel quâ respicit objectum aversionis à Deo? Si primum? Quæro: In quo sit futura illa specifica differentia Pœnitentiæ in versando circa peccatum quà peccatum est? utrobique respiciatur dissonantia v.g. ad Deum quà naturâ intellectualis est: Si autem est differentia nonnisi in hoc, quia tunc non respicit peccatum, secundùm quod illud objectum aversionis est? hoc quidem verum est. Sed de hoc quæritur; Cur respicientia peccati sub tali formalitate, sit talis ratio, qua mutata, non sit futura eadem specie Pœnitentia.

DICENDUM est II. *Bonum Compensationis non esse objectum formale Pœnitentiæ.*

PROBARI solet I. ex Lugone. Illud motivum compensationis includit peccatum, adeòque est inhonestum. Ergo non est formale Pœnitentiæ, quæ est quid honestum. Antecedens Probatur. Quia orta illa bonitas, & honestas, consistit in bonitate Compensationis, ut Compensatio est. Ergo componitur intrinsecè ex illis, ex quibus componitur compensatio ut talis est. Compensatio ut talis est. Compensatio autem ut Compensatio, includit offensam præteritam; & actionem præsentem obsequii. Ergo virtus, quæ afficitur ad hanc honestatem, necesse est ut afficiatur ad utramque partem illius complexi; altera enim sola, prout condistincta ab altera, non est Compensatio adæquata.

RESPONDET ipse de Lugo huic argumento n. 36. retorquetque illud, circa objectum Justitiæ vindicativæ in Deo, quæ habet pro objecto honestatem punitionis; quæ non est sola bonitas tormenti, secundùm se; sed includit tormentum ut malum illius qui peccavit; atque adeo videtur includere ipsum peccatum præteritum. Concedit ulteriùs: quòd Deus habeat affectum ad illud totum complexum, & ad omnes ejus partes, non ad singulas seorsim, sed prout conjunctæ cum aliis, componunt illud

illud totum, quod est punitio peccati. Ex hoc tamen non sequitur, quòd Deus amet simpliciter peccatum præteritum, seu quod habeat etiam aliquem affectum erga illud; non enim est necesse, quòd qui vult vel amat aliquid propter bonitatem specialem illius, eodem genere affectûs amet bonitatem ipsam; quæ movet ad amorem. Ad eum modum, quo potest aliquis amare Petrum sapientem, non tamen eodem amore amare sapientiam Petri; nam amore amicitiæ amat Petrum & non sapientiam. Et certè potest DEUS gaudere de peccato præterito, per simplicem complacentiam & affectum; unde etiam, exclamat Ecclesia: O felix culpa! quæ talem, ac tantum, habuit Redemptorem! *Hæc Responsio.*

Non Satisfacit. Tum quia major sanctitas Dei, salvatur; si nullo modo ponatur in Deo complacentiæ actûs, vel amor peccati. Tum quia impossibile est, ut Deus habeat aliquem inefficacem affectum ut non sit. Ergo etiam impossibile est ut habeat aliquem affectum inefficacem ad peccatum: cum non magis connectatur cum suo esse quàm cum sua sanctitate, cui esse, opponitur non esse, & sanctitati, peccatum. Concedi tamen potest in Deo, imò & debet, inefficax voluntas impeditionis peccati, titulo causæ primæ. Sed ex hoc non sequitur, concedi debere, inefficacem amorem peccati: hæc enim duo valde diversa sunt. Ad eum modum, quo diversa sunt: ly: *Nolo impedire*; & ly: *Vellem ut facias*; primum requirit condicio causæ primæ; secundum requirit ejus sanctitas. Tum quia nulla est necessitas redigendi sese ad has angustias, ut fusiùs, si Deo cordi fuerit, infra ostendetur; ubi probabitur, peccatum non esse partem intrinsecam, Sacramenti pœnitentiæ; imò vel ex hoc solo medio termino rejici debet, nè appingatur Deo amor peccati.

Respondetur huic argumento, Retorquendo illud de appetitu Medicinæ in ægroto: An scilicet tunc appetens Medicinam quà Medicinam reparativam, appetat ægritudinem? quæ medicina reparativa intelligi non potest sine ægritudine. Item: An qui appetit inducere formam in materiam, quia est privata formâ, appetat privationem formæ? sed de his instantiis fusiùs postea. Directè ad argumentum dici potest: Negando Antecedens. Ad probationem illius dicitur: quòd includat quidem Compensatio offensam, sed non quâ partem sui componentem; sed potiùs tanquam aliquid extrinsecum intrinsecè requisitum; ut dictum in materia de Connotatis; idque adhuc à se destruibile. Negoque, quòd virtus quæ afficitur illi Compensationi, debeat affici illi extrinseco, quod destruit, hoc ipso enim, quia illud destruit non afficitur illi; imò si afficeretur, sequerentur duo contradictoria, scilicet affici & non affici: affici, ut supponitur, non affici autem, quia nemo afficitur ei, quod destruit; & infectum vult; positaque veritate eorum, quæ dicunt Oppositi, impossibilis esset detestatio peccati præteriti quâ talis; quia detestatio deberet illud semper quoquo modo velle, adeòque & ipsa detestatio, indigeret detestatione. Illa autem Ecclesiæ locutio non est nisi figurata: nec significat Ecclesiam complacere sibi in culpa; sed quòd gaudeat se liberatam à culpa tam insigni medio. Felicitas autem culpæ, est desinere esse culpam. Vel certè in hoc sensu intelligi debet: quòd infelix fuisset nisi eam Christus redemisset, quia nonnisi tali posita redemptione, remitti condignè potuit. *Hinc aliter*

Probatur II. Conclusio. Quia scilicet primò & per se nec formalitatem injuriæ nec formalitatem offensæ nititur abolere Pœnitentia; cùm neutra harum formalitatum, primò constituat peccatum, cujus tamen deletionem, primò respicit Pœnitentia.

Probatur III. Quia posset aliquis dicere: Doleo quia feci rem dilonam Deo, prout natura Intellectualis est. Quo casu, eliceret actum Pœnitentiæ, cur non enim? & tamen non attenderet ad offensam nec ad injuriam, quia nec attenderet ad jus Dei in meas operationes, nec ad Sanctissimam ejus dignitatem, quâ invita, eveniunt peccata. Ergo apparet, quòd illa Compensatio, non sit Formale Pœnitentiæ, cùm actus illius aliquis non illud respiciat; & tamen omnes actus alicujus habitus respiciunt formale illius habitûs.

Aliqui, longè aliter quam proponat hæc secunda Conclusio defendunt: Quòd bonum Compensationis respiciet Pœnitentia; docentque, quòd dolere de peccatis, non spectet ad pœnitentiam, inquantum attendit ad bonum Compensationis; hanc fusè doctrinam alii impugnant. Sufficerit dicere: Quòd ad eandem virtutem spectet, & dolere de opposito illius; & curare nè fiat; sicut ad eandem Justitiam restitutivam spectat; & detestari injuriam; & curare nè inferatur. Adde SS. PP. ejusmodi nobis proposuisse pœnitentiam, quæ sit principium dolendi de commissis; essetque hoc multiplicare sine necessitate virtutes, esset enim necesse adstruere virtutem, quæ ex communi motivo doleret de peccatis, & tamen non esset pœnitentia; quia ad hanc; ut tu dicis, non spectat dolere de commisso peccato. Legantur impressi.

Dicendum est III. Bonum deletionis peccati, prout assequibile per actus pœnitentis, non est objectum Pœnitentiæ.

Probatur I. Quia hæc explicatio duo complectitur, imprimis Ly Bonum deletionis peccati. 2. Ly Prout assequibile per actus pœnitentis. Primũ illud difficultatem Theol. facessit quæ objectum formale, debet esse tale, quod possit esse ratio definitiva Pœnitentiæ, consequenter per claros & proprios conceptus

debet procedere, jam autem prædicti termini non sunt tales, hoc enim quod propriè delet peccatū, est aut satisfactio infinita, aut gratia justificans, vel actus amoris sive formalis sive virtualis. Nihil autem horum competit pœnitentiæ. Et quæcunque modificatio adhibebitur istius deletionis peccati ponibilis à Pœnitentia, illa restrictio condistinctum conceptum habebit, & si erit legitima, illa potius definiet Pœnitentiam.

Secunda etiam pars habet difficultatē Philosophicam. Videtur enim hæc esse petitio principii, nempe quod Pœnitentia sit virtus intentiva boni deletionis peccati, prout assequibilis per actus pœnitentis, de hoc enim ipso quæritur quid sit istud ipsum ly *pœnitentis*. Et qui ignorat definitionem Pœnitentiæ, ignorat etiam ly *Actus pœnitentis*.

Probatur II. Quia objectum formale debet esse ultimum resolutorium quæstionum in illa linea instituibilium, ut alibi probatum: prædictum autem formale non est tale resolutorium, quærere enim restat, quid tibi displicet Pœnitentia in peccato, quod delere vis. Quod ipsum argumentum viâ negativâ proponitur. Dantur interdum aliqua quæ sunt ultimum resolutorium v. g. Rationalitas in homine radicaliter accepta, & alia quæ non sunt resolutorium v. g. Risibilitas. Debet ergo dari taxativū & major unde dignosci possit quare aliquid sit ultimum resolutorium, & hæc si legitima detur, ostendet, posse ex virtute Pœnitentiæ quæri intendente bonum deletionis peccati, quare tu vis delere peccatum, quid tibi in illo secundùm rationem tuam propriam displicet?

Probatur III. Tum quia hoc quod est delectio peccati videtur potiùs esse effectus pœnitentiæ, inquantum imperat actus aliarum Virtutum v. g. actum Charitatis; vel disponentis in Sacramento ad Justificationem. Et quantumvis Deus faceret decretum de non delendo peccato, non hoc ipso censeretur facere decretum ne ullus pœniteat; sed solùm sequeretur in ordine ad deletionem peccati inutilem fore pœnitentiam, licèt foret ad alia utilis, nempe ad proportionandum actum meritis objecti, adeòque ad detestandum v. g. peccatum. Tum quia, quando detestatur, per nos peccatum Pœnitentia, quia est dissonum naturæ intellectuali, datur ut volunt oppositi tunc, nonnisi objectum Virtutis ut sic, ergo & bonum deletionis peccati, erit objectum Virtutis ut sic, in quantum virtus ut sic est Ratio opponendi sese cuicunque peccato; & si rectè restringitur. Pronum deletionis peccati per ly Prout assequibile per actus pœnitentis restringatur simili modo & formale illud aliud. Multomagis si illa dissonantia ita sumatur, prout à nobis restricta est, nempe per modum procedendi, ex suppositione peccati, quod impugnari debuit, sicut & alia inibi ponenda. Tum quia si ex quocunque fideli fortè & ex ipso conclusionem docente, ante ipsam extraditam quæreretur, an Pœnitentia doleat de peccato, responderet quod doleat, cum tamen ex eo quod placuit prædictū principium docere, sequatur, ex motivo sibi proprio non posse illam dolere de peccato: quomodo enim doleret ex bono deletionis peccati. Hocque vult & ipsa auctoritas Hieronymi adducta ab Authore, in Psal. 118. Vera Pœnitentia est, fletibus commissa diluere, quomodo autem flet si non dolet? dolet ipsa.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Lugo Quia S. Thom. hîc q. 85. ar. 3. o. dicit Pœnitentiam esse, ad destructionem peccati, inquantum est offensa DEI; &, in 4. Dist. 14. q. 1. ar. 1. q. 3. ad ultimum, dicit: Debere esse alicujus virtutis, ut homo Deum placet, quem peccando offendit. Qua Phrasi utitur etiam Ecclesia, in Oratione: *Deus qui culpa offenderis*, &c.

Respondeo. Eodem loco S. Thomam meminisse recompensationis; meminisse etiam Justitiæ; ad quam certè injuria spectat; & tamen, ex eo loco, non infert Lugo, vel recompensationem; vel sublationem peccati, quâ injuria est; esse de formali Pœnitentiæ. Cur ergo inferet, de formali illius esse, nonnisi sublationem offensæ?

Directè autem explicari potest hic locus & alii similes: quod agat S. Th. de peccato destruendo, secundùm quod est à parte rei; nam à parte rei peccatum est, & offensa & suo modo injuria, & diminutio bonorum Divinorum; vultque ostendere: quòd Pœnitentia Theologica, moveat se ad destructionem peccati, non Philosophici, sed inquantum est offensa Dei; non determinando: an illa offensa sit primò essentialis conceptus peccati; adeòque primum id quod tollere nata sit, etiam per ordinem ad nostros conceptus, Pœnitentia?

Objicit II. Idem: Datur inter homines virtus, quæ inclinat ad habendam pacem ad invicem. Laudabile enim est: neminem habere offensum; nec rationabiliter aversum. Ergo etiam debet dari similis virtus hominis, ad Deum, hæc autem virtus non potest meliori nomine appellari, propter prædictas auctoritates quam Pœnitentia.

Respondeo: quid evincant Auctoritates? dictum est supra. Ad paritatem adlatam: Negatur Consequentia. Disparitas est; quia non ex eo ipso, quia est aliquis vir probus moraliter, hoc ipso habet pacem cum aliis; nec hoc ipso, jam est habilis ut alii ab illo non avertantur; debet ergo dari in humanis aliud principium; quæsitivum pacis; quòd principiū appellari potest studiositas parandæ pacis, quæ studiositas, importat quandā suavitatē agendi; industrias excogitandi modos, placendi aliis; ipsamq; compositionē morū, tractivam

ctivam ad affici. Sed id respectu Dei locum non habet, nam si sis vir probus, hoc est, si servaveris mandata, habebis jam pacem fundamentalem cum Deo; si autem arripias consilia; majora adhuc præsidia retinendæ pacis nanciscerisi & si exerceas opera supererogationis, penitùs tem Dei gratiam, adeòque pacem cum eo, insinuabis. Data ergo speciali virtute inter homines, quæsitiva Boni Pacis cum aliis, non erit necesse, dari specialem virtutem, ad habendam pacem cum Deo, quæ hoc ipso habetur, si serventur mandata &c.

Addo. Etiam hoc concesso, quòd detur specialis virtus respectu Dei: attendens ad Bonum Pacis, numquidné jam illa virtus non dico vocabulariter, sed verè erit pœnitentia? numquid iste qui suavitate agendi reddit sibi alios non inaddictos, censetur esse pœnitens? ad quam autem virtutem spectet quæsitio pacis cum Deo: mox attingetur.

Instat Rosmer: Possibilis est talis virtus. Ergo datur. Quia si possibilis sit, nullum est fundamentum negandi quod de facto detur.

Respondetur. Non ex eo præcisè, quia potest dari habitus aliquis virtutis, inferri debet, jam illum dari; quia potest dari habitus consimilis spei viatorum, qui primò per se inclinet ad sperandum bona aliis; qualis in Beatis ordinariè ponitur, & tamen modò de facto talis habitus non datur, sed volitionem, sperandi bona aliis, principiat indivisibilis habitus spei. Rursùs posset dari habitus, primò inclinativus ad odiendum odium Dei; & nihilominùs talis habitus non datur, sed nonnisi habitus Charitatis, qui & amat Deum, & odit odium illius. Non ergo præcisè ex eo, quia potest aliquis habitus dari, inferri debet de facto illum dari. Sed illatio tunc tenet, quando non potest referri principium actuum illorum, in aliquem habitum, de quo aliàs sine controversia constat, ita enim satisfiet illi regulæ; quòd sicut entia ita & habitus non sint multiplicandi sine necessitate, scilicet non ponendo condistinctum habitum, nisi tunc cum aliùs habitus, idem præstare non potest. Jam autem hæc virtus, quæ est nolendi Deum habere offensum; potest benè revocari ad charitatem; quia nolle habere Deum aversum, est inchoativè, & dispositivè, amicitia; eò quòd sit talis rationis, ut si sit in subjecto, quod est capax, & appetens amicitiæ; hoc ipso disponat ad amicitiam. Et certè sicut ad eandem virtutem spectat, amare amorem amati boni, & odisse odium amati boni: ita ad eandem virtutem spectat velle habere amicum Deum; & nolle illum habere aversum. Et sicut dispositiones præcedunt formam; ita hanc formam, velle habere amicum DEUM; præcedit tanquam dispositio, discontentum esse, illius aversione. Et licèt sub hac formalitate, quòd peccatum sit malum Dei, quæ formalitas spectat ad charitatem, non ita clarè eluceat, quòd ad illam spectet detestari peccatum; inquantum reddit Deum aversum; nihilominùs inquantum Charitas est quæsitiva amicitiæ cum Deo, sequitur, quòd etiam quærere debeat, nè illum habeat inaddictum, seu aversum; seu potiùs addictum seu conversum per amorem.

Potest Responderi aliter eidem difficultati; Concedendo, quòd hoc quod est non habere Deum aversum, si attendatur præcisè explicatio Lugonis, in respectu ad Pœnitentiam; & in re Bonum Pacis, esse formale illius. Negando tamen, quòd primò & per se ordinem ad nostras intentiones, sit differentiale objectum Pœnitentiæ Bonum Pacis.

Notari potest contra hanc sententiam, quod sicut Lugo condistinguit hæc: habere aliquem amicum, &, habere non aversum; ita condistingui posse habere Deum non aversum; &, habere cum illo pacem; quia etiam in humanis, ista sunt condistincta; & ita Polonos habere pacem, cum Tartaris aliud est, & aliud non habere aversos à se Valachos; fundaturque in hoc: quòd habere pacem, aliquam positivam moralitatem significat, indicatque quandam communicationem, quæ in præciso titulo, non esse aversi, non elucet. Ergo etiam respectu Dei, aliud erit nos cum illo habere pacem; & aliud, non habere illum aversum; quærendumque restabit: quid ex his duobus Pœnitentiæ conveniat? Quod si dicas: hæc bene ad invicem revocari posse in humanis: dicemus & nos non habere Deum aversum, revocari posse ad habitum Charitatis, Observantiæ mandatorum, & in re, ad ipsam Pœnitentiam.

Objicit III. quidam: Virtus reconciliativa Dei cum homine, habet pro objecto formali prosecutionis, Bonum Pacis cum DEO; Pœnitentia est virtus reconciliativa. Ergo. Major est certa; quia hæc est natura virtutis reconciliativæ alicujus cum aliquo, ut ex averso, faciat non aversum rationabiliter, adeòque conciliet pacem. Minor quoque patet; quia cum esse reconciliativum hominis cum DEO, sit valdè honestum, & necessarium; spectare debebit ad habitum alicujus virtutis specialis; & cum non alius in hunc finem commodior assignetur habitus, quàm virtus Pœnitentiæ specialis; sequitur ad Pœnitentiam pertinere reconciliationem dictam.

Respondetur. Virtutem primò per se reconciliativam habere pro Objecto Bonum Pacis cum DEO; Pœnitentia autem quamvis in re sit virtus reconciliativa cum DEO, non tamen primò per se, est reconciliativa; quia datur prior formalitas in Pœnitentia, quàm esse reconciliativam; imò potest stare ratio pœnitentiæ sine formalitate reconciliationis; uti jam dictum est: Consulantur dicta.

Si etiam spectetur probatio Minoris ut sonat; dici potest: quòd reconciliatio, sub præcisa formalitate, nè habeatur Deus aversus, spectet ad virtutem amoris, & amicitiæ cum Deo; nam non habere aliquem aversum, est, ut jam dixi, inchoata & præsuppositivè amicitia; inchoamenta autem & præsuppositæ amicitiæ, ad eandem amicitiam ordinantur, tanquam ad objectum attributionis. Ad eum modum, quo dispositiones ad formam revocantur, vel ad totum.

Addo: Si esse placatum, apprehendatur sub formalitate Dei boni in se; spectabit ad virtutem Charitatis; si apprehendatur, sub formalitate Dei boni nobis; revocabitur ad spem; accedente præcipuè formalitate arduitatis. Vel, ad maximum, habebit se, sicut aliquid consequens ex possesso fine Pœnitentiæ; nam præhabita remissione peccati, quam intendit Pœnitentia, consequitur, ut Deus sit placatus, & non aversus. Ad eum modum, quo ex commoda ad habitandum compositione partium, sequitur pulchritudo domûs, quæ non est formale objectum Architectonicæ, sed nonnisi sequens ad objectum ejusdem.

Instabis. Virtuti, quæ attendit ad Bonum Pacis, tribuuntur omnia, quæ tribuuntur Pœnitentiæ; plangit enim, & dolet de peccatis, & providet, nè ista pax, malè agendo turbetur. Ergo Pœnitentia attendit ad illam pacem.

Responsum jam, Pœnitentiam, in re attendere ad istam pacem, sed non primò per se; dicereque posset pœnitentia: Ego jam feci satis officio, & inhonestatem peccati quâ talis, expuli honestate actionis oppositâ; ut autem Deus sit placatus, vellem hoc, sed non est mei officii, curet id charitas.

DIFFICULTAS III.

Quodnam sit Objectum Formale Pœnitentiæ?

EXplicanda jam venit nostra Sententia, à qua lucem accipient hactenus dicta. *Sit.*

Punctum Difficultatis I.

Præmittuntur aliqua.

Præmitto I. *Formale Pœnitentiæ Objectum tradi non posse bene, nisi per prædicatum, importans & respiciens rationem, & formalitatem peccati seu destruendi, seu vitandi.*

Ratio est. Tum quia: omnes SS. PP. per ordinem ad peccatum Pœnitentiam definiunt. Sufficerit Divus Gregor. qui hom. 34. in Evang. & lib. 9. Regi: epist. 39. *Pœnitentiæ*, inquit, *est, peccata præterita plangere, & plangendo iterum non committere.* Idem supponit Trid. Sess. 14. cap. 1. dum ait *Fuit*, inquit, *quidem Pœnitentia, universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore* &c. *necessaria.* Ubi necessitatem ejus ex ordine ad tollendum peccatum colligit. Tum quia: sublatâ Pœnitentiâ, nulla alia virtus est, quæ se peccato quâ tali opponat; imò intantùm reliquæ sese opponunt, inquantum saltem latiori modo, participant rationem Pœnitentiæ.

Præmitto II. *Plures esse in peccato formalitates*, sed inquantum ad præsens spectat, tres potissimum. 1. Formalitas Offensæ. 2. Injustiæ. 3. Peccati, quâ peccatum est; posse autem has formalitates distingui; ratio est. Tum quia: de facto tradentur distincti illarum, conceptus. Tum quia: etiam in Creatis distinguuntur ista, nam non ex eo, quia alius manet offensus, hoc ipso habet injuriam; & habendo injuriam, jusque prosequendo ut illi satisfiat justitialiter, potest tamen hoc ipso non averti, nec irasci. Jam autem ipsa ratio peccati, adhuc est condistincta; quia potest aliquis, aliqua actione non offendi, ut si non curet sive fiat illa actio, sive non fiat; si item illud ad se non pertineat, vel si non sit invitus ut fiat; potest item non injuriari illâ; & tamen illa actio poterit in se esse defectuosa moraliter. Sic lutulenta facies Domini, non est injuria nec offensa mancipii, & tamen in genere morum, est quid defectuorum. Quod si in Creatis, hæ formalitates sunt condistinctæ, facile colligi potest, quòd conceptus unius, secundùm rationes communes spectatus, non sit conceptus alius; adeòque quòd etiam in peccato hæ formalitates, ratione nostra distingui possint. Tum quia præsumptio est communis: distincta hæc esse; & cùm synonima non sint, tam diversas appellationes non habuissent, nisi persuasione communi diversitas inter hæc fuisset agnita.

Præmitto III. *Quis sit formandus Conceptus, de dictis tribus formalitatibus?*

Et quidem incipiendo à formalitate Injuriæ, ea sic concipi poterit. Injuria est aliquid oppositum justo. Justum autem, apud Aristotelem idem est, quod æquale. Æquale autem est, cujus neutrum extremum minus habet. Porrò in Justitia tunc est Æqualitas, quando juri alterius commensuratur operatio debita, & quando habens jus non habet minus quàm jure deposcat. Fit autem Injuria, quando hoc, quod debitum est juri alterius, non solvitur: peccatum itaque intantum erit Injuria, inquantum non satisfit juri Divino, quod habet in nostras operationes; & quando eæ, & tales non solvuntur, quales sunt, Deo debitæ.

Quod attinet ad formalitatem Offensæ, illa sic explicari potest: Offensa non est nisi peroordinem ad alium, tolle alium, quem offendes; & si alius non offendetur, non erit Offensa actualis; si autem non est offensus, sed poterat offendi vel offensa

offensa æquivalenter, seu virtualiter. Porrò hæc Offensa, quæ est ad aliud, requirit tria: Objectũ displicentiæ; Actum displicendi, si sit actualis Offensa; & insuper Titulum Dignitatis exigentis, nè fieret illud Objectum displicentiæ. Et certè solâ displicentiâ, non stat Offensa; potest enim subditus displicere sibi, ut dixi, in actione Domini, nec tamen eâ offendi, dicereque: quid ad me spectat? præter ergo objectum & actum displicentiæ, Offensa importat in eo qui offenditur, titulum indignè ferendi; quòd hoc vel illud, actum fuerit; idque ob interesse, ut vocant, suæ dignitatis; seu suæ personæ. Unde dicit metitum & dignitatem in offenso, nè actio illa fieret, cui merito & titulo oppositi sese offendens, sua actione.

Quòd denique attinet ad formalitatem peccati, illam per se explicare spectat ad materiam de Actibus humanis & peccatis, nunc supponendo potiùs, quàm probando: dicitur peccatum in ratione peccati constitui Dissonantia ad naturam Intellectualem. Hoc ipsum ut explicetur.

Præmitto IV. *Nec præcisa formalitate Injuriæ, nec præcisa formalitate Offensæ primò essentialiter constitui peccatum?* Rationem jam innui, quia non ideo aliquid est malum, quia DEUM offendit, sed ideo offendit, quia est malum; quod etiam in simili probatum, ex offensa creata. Item non ideo aliquid est malum, quia ad illud exigendum, quia est malum. Ergo apparet rationem mali primò essentialiter non stare in formalitate Offensæ, vel Injuriæ. Cùm ratio mali, pro ratione reddi possit Offensæ & Injuriæ.

Præmitto V. *Explicationem illius, quod est primò essentialiter constitutivum peccati; & dico:* In omnibus illud est primò constitutivum alicujus, quod est ultimum resolutorium, omnium aliorum prædicatorum; adeoque principium & radix reliquorum. Et ita risibilitas, non est primo essentialis conceptus hominis; quia resolvitur, in admirativitatem, quæ est radix risibilitatis; benè enim dico: ideò hominem esse risibilem, quia est admirativus. Admirativitas item, non est primò essentialis conceptus hominis, quia resolvitur in rationalitatem radicaliter acceptam; quâ, quia in homine, per ordinem ad nostros conceptus, nihil reperitur prius, quod habeat rationem ultimò differentialis; fit ut illa sit primò essentialis conceptus differentialis; dixi rationalitate radicaliter sumpta, non haberi prius, quod habeat rationem ultimò differendi. Certè enim sensitivitas, est quid prius rationalitate, sed non in linea ultimò diversificandi. Porrò, quia esse dissonum naturæ Intellectuali, est in peccato prima radix reliquorum prædicatorum, & resolutorium illorum; fit, ut illa dissonantia, sit primò differentialis conceptus peccati. Quòd autem prædicta dissonantia, sit prima radix reliquorum prædicatorum, & resolutorium ultimum, jam dictum est. Et insuper, breviter ex inde colligitur. Si enim quæras: Cur Deus detestetur peccatum? respondebitur: quia illo offenditur & læditur. Si quæras: Cur illo offenditur, & lædditur? Respondebitur: quia est malum, & indignum Deo, &c. Si autem quæras: Cur est malum? Responderi bene poteris: quia dicit dissonantiam ad naturam Intellectualem. Si autem quæras: quare dicit dissonantiam ad naturam Intellectualem? jam non est aliquem priorem conceptum adferre ex rationibus nobis notis. Et sicut ex rationibus, nobis notis, nihil est in homine, prius rationalitate, quod habeat rationem differentiæ; itemque sicut in ipsa præcisè natura Intellectuali, nihil est prius ipsa natura intellectuali; ita & esse dissonum naturæ Intellectuali, est tale, ut non sit in peccato ex formalitatibus nobis notis, prior alia, quæ possit habere rationem resolutivi reliquorum prædicatorum, & rationem differentialis formalitatis. Sed supposita explicatione terminorum; Inductione nonnisi notificari debet. Ad eum modum: quo rationalitas in homine supposita notificatione terminorum, nonnisi inductione ostenditur. Qualis est, v. g. in præsenti inductio,: Furtum est peccatum, dissonat enim naturæ Intellectuali, accipere tanquam tuum, quod non est tuum. Mendacium item, est peccatum; quia dissonat naturæ Intellectuali, aliter dicere, & aliter sentire. Si ergo inductio ostendit peccata in particulari, esse dissona naturæ Intellectuali, etiam peccatum ut sic, erit dissonum naturæ Intellectuali.

Quod si quæras explicationem terminorum: Quid sit dissonantia ad naturam intellectualem? Si eam explicatam velis per terminos non figuratos? nihil aliud dicit quàm indecens aliquid, nec conveniens excellentiæ naturæ intellectualis. Et sicut non convenit principi actio servilis aut puerilis, hæcque actio dissonat dignitati illius; ita omne peccatum habet disconvenientiam ad naturam intellectualem. Quod si prædictam dissonantiam notificatam velis terminis figuratis? quemadmodum dissonantiam in Musica, facit sonus chordæ non contemperatæ, sicut contemperari exigit natura melodiæ; ita & actio tunc est dissona moraliter, cùm non ita attemperatur & componitur, prout illam componi & attemperari exigit natura intellectualis, & sicut stridor qui serra fabri ferrarii fit, dissonat auribus, hominique in assueto horrorem quendam adfert, multoque majorem si sint delicatæ aures; sic peccatum, delicatissimæ (si corruptelam demas) naturæ intellectuali, horrorem incutere natum est. Restringendo au peccatum ad rationem Theologici peccati; dices illud stare, in dissonantia ad Deum, prout natura intellectualis est. *His præmissis. Sit*

Punctum Difficultatis 2.

Quid tenendum?

DICENDUM est I. *Pœnitentia Theologica, pro formali actuum fugæ dicit dissonantiam actuum, Deo, prout natura Intellectualis est*, ita ut illud formaliter nata sit fugere Pœnitentia Theologica, quòd dissonat Deo, prout est natura Intellectualis.

PROBATUR I. Argumento negativo: Pœnitentia non respicit pro formali actuum fugæ, Inæqualitatem, vel Offensam; nec quidquam aliud. Ergo respicit Dissonantiam prædictam cùm in illa reperiri nihil possit, quod illam dejiciat à ratione Formalis Objecti Pœnitentię, secundùm quod illa principiat actus fugæ.

PROBATUR II. Illud est Objectum Formale Pœnitentiæ, quoad actus fugæ, quod pro ultimò resolutorio, potest adferri: Cur Pœnitentia fugiat aliquid in suo genere, ut jam probatum est; idque tum ex eo, quia in aliis virtutibus illud est Formale Virtutis, quoad actus fugæ, quod pro ultimo resolutorio, adferri potest: Cur virtus fugiat sibi oppositum; & ita formale est Temperantiæ quoad actus fugæ circa gulam, Inhonestas excessûs in usu ciborum; qui ipse excessus, est ultimum resolutorium, cur fugiat gulam Temperantia; virtus item Religionis pro formali actuum fugæ habet inhonestatem derogandi Excellentiæ Divinæ, quæ ipsa inhonestas, est ultimum resolutorium; cur Religio fugiat despectum DEI. Tum quia: sicut se habet forma in Physicis, vel differentia in Metaphysicis, ita Formale Objectum in virtutibus; in physicis autem est illud forma, in quod ultimò differentialiter resolvitur compositum, idéque dicitur de differentia Metaphysica. Ergo & in virtutibus illud erit formale actuum fugæ, quod est ultimum resolutorium: Cur virtus fugiat hoc vel illud objectum. Denique finis virtutis, est formale illius. Ergo debet esse & ultimum resolutorium; nam ultra finem sicut & ultra ultimum; nam ultra finem sicut & ultra ultimum, non proceditur ulteriùs. Sed dissonantia ad Deum, tanquam ad naturam Intellectualem, est istud resolutorium. Tum quia: nullum aliud potest ostendi resolutorium. Tum quia: assignato huic resolutorio nihil opponi potest. Tum quia si quæratur: Cur pœnitens avertetur peccatum furti? Respondebitur; quia est offensa Dei; quæram: Cur est offensa? Respondebitur: quia est Deus invitus ut fiat; quæram? Cur est invitus? Respondebitur: quia est Sanctus, & Sanctitas illius non permittit ut quidquam mali velit, aut quod illi meritò displicere possit; quæram: Cur peccatum sit talis offensa? &c. hujusque non alia potest dari ratio, nisi ipsa Dissonantia ad DEUM, ut natura Intellectualis est. Quod argumentum proportionaliter de Injuria aliisque proponi debet.

PROBATUR III. Quia si dissonantia dicta, est primò essentialis Conceptus peccati, videtur magis consequenter assignari pro Objecto Pœnitentiæ, quoad actus fugæ. Vide plura ubi de mortalitate objectiva.

DICENDUM II. *Pœnitentia quoad actus prosecutionis versatur, tanquam circa suum formale, circa Consonantiam actuum, Deo, prout natura Intellectualis est.*

PROBATUR Actuum fugæ objectum in Pœnitentia est Dissonantia, &c. Ergo actuum prosecutionis erit Consonantia; nam contrariorum, contraria debent esse objecta. Et sicut Temperantia, pro objecto fugæ habet excessum in cibo verbi gratia, ita actuum prosecutionis qui sunt contrarii actibus fugæ, contrarium debet esse objectum; nempe moderatio in usu ciborum. *Sed*

DUBITARI adhuc posset. Quænam sit ratio attributionis; ad quam scilicet & actus prosecutionis & actus fugæ referantur in Pœnitentia? Debere autem eam rationem assignari, probari posset: quia scilicet unius virtutis unum debet esse objectum saltem per attributionem. Sed huic difficultati, sufficienter occurri posset, assignando pro formali attributionis, nonnisi ipsum Formale actuum prosecutionis. Cujus ratio hæc reddi posset: Quia imprimis in aliis virtutibus, nonnisi Formale actuum prosecutionis assignatur pro objecto. v. gr. communiter dicitur: Objectum Religionis, esse Cultum Divinum. Deinde etiam in Scientiis, non est necesse quærere nomen communem objecto, & oppositis objecti; sed illud sufficienter revocatur objectum, eò quòd contrariorum eadem sit scientia. Hinc & in Logica, sola rectitudo assignatur pro objecto, nec est necesse, quærere aliquam rationem communem rectitudinis & irrectitudinis; ita & in præsenti, non esset necesse quærere aliquam communem rationem actibus prosecutionis & fugæ in Pœnitentia, sed sufficeret tradere solum objectum formale actuum prosecutionis. Nihilominus tale objectum posse assignari, scilicet actiones quæ dicant habitudinem ad Deum prout est natura Intellectualis, Maximè tamen, attendi debet ad actus fugæ in Pœnitentia, quia primò intendit abolitionem peccati, primaque ejus ratio est, esse remediativam.

RESPONDET I. Quidam. Esto peccatum primò essentialiter constituatur per dissonantiam ad naturam intellectualem, de quo in materia de peccatis, hîc interim negatur, hanc Dissonantiam afferri posse pro ultimo resolutorio Cur Pœnitentia aliquid fugiat, potiùs enim hoc ultimum resolutorium est, cur virtus ut sic aliquid fugiat?

Con-

Contra. Si primò essentialiter constituitur peccatum per dissonantiam ad Naturam intellectualem, cur Pœnitentia nata opponeret sese peccato, & quidem ita, ut sicut nullum est peccatum, à quo non removeat Virtus, ita nullum sit peccatum circa quod versari proportionatè non possit Pœnitenta, ergo primis peccati prædicatis, opponet prima sua prædicata Pœnitentia; Sicut enim opponit se peccato, ita primis peccati opponere debet prima sua. Hinc si peccatum illa Dissonantia primo formalisat, etiam actus fugæ in Pœnitentia formalisabit. Nego ulteriùs resolutorium prædictum, esse resolutorium, cur Virtus ut sic aliquid fugiat, ut infra videbitur, & si pro resolutorio habet deletionem peccati Pœnitentia, quærere ex illa restabit: Quare illud vis delere? Ex hoc erit dicta dissonantia.

Respondet II. Si quæratur ex Pœnitentia Cur fugiat peccatum per actus imperatos Respondebo: Quia per actus elicitos amat deletionem peccati, & fugit negationem deletionis. Si autem quæratur: Cur amet deletionem peccati? Respondebo, amat illam ratione sui, & sistendo in ipsa, immò si propter aliquid aliud amaret, non esset Pœnitentia sed alia virtus.

Contra. Sicut si quæratur, quare hoc Animal sit homo, & respondeatur, quia est risibilis radicaliter, non est sistere in hoc ipso, sed necesse est aliquid altiùs adferre, eò quòd & sit interrogare, & sit respondere per aliquid prius in illo genere, nempe, per rationalitatem radicaliter sumptam; Ita quia rationabiliter est adhuc quærere, quid Pœnitentiæ displicet in peccato, cur velit illud delere, cumque ad hanc quæstionem responderi possit tanquam per prius in hoc genere per dissonantiam peccati; hinc in illa deletione peccati non sistet adhuc Pœnitentia, & si sistat Pœnitentia in dicta dissonantia; Nego quòd non erit adhuc Virtus Pœnitentiæ.

Respondet III. Si quæratur: Cur Pœnitentia amet deletionem peccati respondeaturq; quia peccatum est malũ ly illud: quia malum; denotat motivum intellectûs dirigentis Pœnitentiam ad eliciendum suum actum, sed non denotat motivum ipsius Pœnitentiæ, residentis in voluntate. Instantiam habes in Virtute Religionis, quæ juxta omnes sistit in bonitate cultus Divini tanquam in suo ultimo resolutorio & tamen ideo est bonus cultus divinus quia eo est digna Majestas divina. Idque ex eo accidit, quia Majestas Divina non est motivum Religionis (aliàs Religio esset Virtus Theologica) sed potiùs judicii dirigentis Religionem.

Contra. Quia si prædictum motivum est motivum intellectus dirigentis Pœnitentiam ad eliciendum suum actum cùm hæc directio hîc & nunc non fiat aliter, nisi propositione motivi, hoc ipso illo motivo movebitur Pœnitentia. Quod attinet ad Virtutem Religionis quæ est bonitas cultûs divini, hæc sola est motivum intellectus dirigentis voluntatem, dignitas autem Divina est quidem id quod noscit intellectus, sed nego; quod illa notitia dirigat Virtutem Religionis, cùm tamen Responsio dicet, quòd ly Quia peccatum malum est, sit motivum intellectus dirigentis Pœnitentiam ad suum actum. Redibuntque supra proposita argumenta quod hoc motivo dirigi possit Pœnitentia, quamvis præcisè dignitate Divina, non possit dirigi Virtus Religionis.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicies I. Objectum Pœnitentiæ debet assignari tale, quod ostendat illam esse specialem virtutem. Sed dictum objectum non est tale. Quod ipsum Probatur: Quia inhonestatem dissonantiæ actionum ad Deum, vel honestatem consonantiæ, respicere possunt bene aliæ virtutes, nam unaquæque & prosequitur suam honestatem & refugit oppositam sibi inhonestatem.

Respondetur. Quòd virtutes aliæ respiciant quidem honestatem dictæ consonantiæ & inhonestatem dissonantiæ, sed non sub hoc nomine, sed nec sub ratione universali & irrestricta; sed attendendo specialiter ad particulares rationes & contractas, iisque solis moventur, & sic Temperantia non respicit suum objectum secundùm præcisam rationem hanc, quæ est consonantia ad naturam intellectualem, sed propter particularem honestatem in moderatione inclusam.

Instabis I. Pœnitentia per responsionem adlatam respicit irrestrictam rationem, quæ est in honestate Consonantiæ actionem ad Deum, & irrestrictam rationem inhonestatis dissonantiæ. Ergo hoc ipso non est virtus specialis, assignatur enim illi pro objecto irrestricto ratio.

Respondetur. Quòd ratio irrestricti objecti, possit stare cum specialitate virtutis, uti mox explicabitur. Sufficerit dicere: quòd irrestricta ratio objecti, possit esse Formale specialis virtutis, si illa ratio sit appropriata illi virtuti, & non merum conflatum ex motivis particularium virtutum. Quamvis autem Pœnitentia debeat contrariari omni peccato; non est necesse, ut contrarietur ex rationibus particularibus singularum virtutum, sed sufficit ut contrarietur ex ratione sibi propria, quantumvis, ut dixi, extensibili ad singula peccata; Et sic detestari, potest peccatum Intemperantiæ non sub formalitate inhonestatis Intemperantiæ, sed hanc ipsam formalitatem circumscribendo per hoc, quia Intemperantia, est quid dissonum Deo, prout est natura intellectualis.

Insta-

INSTABIS II. Illa irrestricta ratio respiciendi honestatem Consonantiæ, &c. quantumvis sit propria solius Pœnitentiæ, necdum potest constituere Pœnitentiã in esse virtutis specialis. Ergo prædicta consonantia, quantũvis approprietur pœnitentiæ, non erit Pœnitentiæ Objectum. Antecedens Probatur: velle respicere honestatẽ virtutis quâ virtutis, non potest constituere virtutem aliquam specialem: aliàs nulla esset unquam virtus, quæ non foret specialis. Ergo neque honestas dictæ Consonantiæ constituet Pœnitentiam in ratione virtutis specialis:

RESPONDETUR. Etiam illam virtutem quæ respicit honestatem ut sic, esse adhuc specialem; potest tamen dari aliqua virtus non specialis, qualis est justitia, quæ est conflatum omnium virtutum. In quo autem stet specialitas virtutis? & unde desumenda sit? hoc discursu proponitur.

Quotiescunque virtus habet appropriatum sibi motivum, quo reliquæ virtutes non moventur, quantumvis illud motivum sit universale, & irrestrictum, adhuc erit virtus specialis; idque probat Inductio. Nam v.g. Religio, respicit honestatem cultûs ut sic Divini; quæ ratio est universalis & irrestricta in ratione cultûs. Quia tamen Religio procedit per appropriatum sic motivum, fit ut Religio sit adhuc specialis virtus. Rursùs Metaphysica est specialis scientia, quamvis consideret irrestrictam rationem, Entis quâ Entis; quia procedit sub sibi proprio scibilitatis modo; ita & habitus virtutum, quamvis moveantur aliqua irrestricta honestate, modò sit illis appropriata, salvabit in illis specialitatem virtutis; neque enim apparet, cur si semel universale motivum & irrestrictum potest stare cum virtutis specialitate, non possit stare semper? Non destruit itaque specialitatem virtutis, habere motivum irrestrictum, sed destruit habere motivum commune cum aliis, & conflatum ex particularibus. Et sic v. gr. Justitia, inquantùm dicit complexionem omnium virtutum, non est virtus particularis, quia non habet motivum sibi proprium, sed conflatum ex particularibus virtutibus. Jam verò quia ratio honestatis ut sic; ratio item Consonantiæ ad Deum, prout est natura intellectualis, cùm non sint rationes conflatæ ex particularibus, sed sunt nonnisi rationes universales, & irrestrictæ, fit ut in istis duabus rationibus & in aliis similibus, possit bene salvari ratio specialis virtutis; specialis inquam per appropriationem motivi, licèt non specialis per restrictionem motivi.

SUPPOSITO autem quòd ratio honestatis ut sic, possit esse specialis virtutis objectum, restaret quærere: An de facto detur virtus, & specialis habitus de facto & re ipsa infusus respiciens honestatem ut sic? Et quidem si quæratur: An detur talis virtus, in ordine naturali? facile est respondere: ante omne exercitium actuum ex motivo honestatis ut sic, non dari virtutem naturalem habitualem respicientem honestatem ut sic. Ratio est quia nullæ virtutes naturales dantur in nobis nisi quas exercitio acquirimus. Si quis tamen se exerceret in actibus, ex motivo honestatis ut sic, eliciendis; posset sibi in ordine naturali tamen virtutem parare. Sed si procedat difficultas de habitu virtutis supernaturali infuso respiciente honestatẽ ut sic; non improbabiliter negari posset, infundi de facto nobis talem habitum: quia eos non nisi de facto habitus dari dicere debemus, quos dari meminerunt Patres & Concilia; non meminerunt autem habitûs virtutis, solam præcisè rationem honestatis ut sic, spectantis. Nec videtur fuisse necessitas ponendi talis habitûs, quia homines ut plurimum operantur, secundùm motiva particularium honestatum.

Neque valet si dicas: Ex eodem fundamento dici posse, quòd nè Pœnitentia quidem detur, obstabit enim auctoritas Patrum & Conciliorum, dari Pœnitentiæ habitum affirmantium. Quod autem illius sit Objectum? restrictané an irrestricta honestas? jam decernere muneris erit Theologici. Ad eum modum, quo docent Patres dari Fidei habitum: An verò illius objectum sit sola veritas Divina? subjectum est Disputationi Scholasticæ.

OBJICIES II. Objectum, actuum prosecutionis Pœnitentiæ, non debet esse idem, quod virtutis ut sic. Nam virtus ut sic, non est Pœnitentia ut sic. Sed Objectum virtutis ut sic, est Consonantia ad naturam Intellectualem; quod enim aliud? Ergo.

RESPONDEO. Objectum virtutis ut sic, esse honestatem ut sic operationum; jam autem restricta ratio honestatis, per Consonantiam ad naturam Intellectualem modò infra explicando, spectat ad Pœnitentiam. Et sicut honestatem virtutis ut sic, restringit sibi Charitas, per formalitatem Boni in se, ad quam attendit; ita honestatem ut sic, restringit sibi Pœnitentia, per formalitatem Consonantiæ ad naturam Intellectualem. Addo: Cùm Pœnitentia, opponatur cuicunque peccato, debet habere amplissimum Objectum; & cùm ratio inhonestatis, includatur in omni peccato, debet pœnitentia ad illam attendere.

INSTABIS: Adhuc probari posse; quòd idem sit objectum virtutis ut sic; & Pœnitentiæ; imò quòd Objectum Pœnitentiæ, sit universalius, objecto virtutis ut sic. Nam si quæratur: Quid est actus Justitiæ? respondebis: Est actus virtutis. Si quæratur: Cur sit actus virtutis? Respondebis: quia est honesta & laudabilis actio, non compatibilis cum vitio. Si ulteriùs quæras; unde proveniat, quòd sic operari ad destructionem vitii, sit res laudibilis? pro ratione adferri potest, quia taliter operari, est

est Consonum naturæ intellectuali. Ergo illa Consonantia est, quid superius. Ergo & Pœnitentia, quæ illam Consonantiam respicit, erit aliquid prius virtute, quod est absurdum.

Respondeo imprimis, retorquendo Argumentum: pone enim, quòd Offensa vel Injuria Dei, sit Formale Pœnitentiæ; tamen Pœnitentia erit virtus. Ergo quid inferius virtute, & tamen non esset inferius; quia pro ratione, cur hoc sit honestum? Respondi posset: quia est æquale Juri Divino; & adfert Bonum Pacis cum DEO.

Directè autem ad difficultatem Respondeo duplici via. Imprimis, Concedendo: quòd diverso respectu Pœnitentia, sit inferius quid, virtute, inquantum scilicet, est ejus species: & quod diverso respectu, sit aliquid æquale, inquantum scilicet respicit peccatum vel reparando factum, vel conservando nè fiat. Idque ideo, quia peccatum est membrum oppositum immediatè virtuti; quæcunque enim actio virtuosa, potest habere sibi oppositam peccaminosam. Non ergo minus patebit actio mala, quàm virtus. Consequenter ob hanc causam, æque latè patebit Pœnitentia ac virtus.

Aliâ viâ Responderi potest, eidem Argumento: quòd Pœnitentia respiciat Consonantiam, per modum principii reparativi & medicinalis: jam autem virtus respicit Consonantiam, secundùm rationem honestatis, non ex suppositione peccati procedentem. Deinde dici posset, quòd quando redditur pro ratione honestatis ut sic, Consonantia, &c. non redditur ratio à priori & formalis, quare sit honestas? sed potiùs: quare non sit peccaminosa: eò quòd nulla virtus sit, peccare, immò omnis virtus est, non peccare.

Objicies III. Si vera sit Conclusio? sequitur, quòd nihil aliud sit pœnitere, quàm conformari rationi & ejus dictaminibus.

Respondetur. Multos quidem Patres de Pœnitentia egisse, tanquam de ea, quæ nos facit vivere, secundùm rationem; & facit, nè vivamus *sicut equus & mulus, quibus non est Intellectus.* Posset que dici pœnitere, esse conformari rationi, non utcunque, sed abolitivè, reparativè, &c. Tamen absolutè loquendo, pœnitere, non est præcisè conformari rationi. Ratio: Quia ipsum peccatum, formaliter non constituitur eo, quod est non conformari dictaminibus rationis. Ergo neque pœnitere, primò formaliter, erit tollere facta, contra dictamen rationis. Vis consequentiæ jam est probata ante. Antecedens Probatur? Quia adhuc quærere restat: Cur peccatum, non possit dictari à ratione? Quod ipsum bene resolvi potest in id, quia est dissonum naturæ Intellectuali. Ergo apparet, quòd in illa præcisè dictamina, ultimò non resolvatur peccatum; tanquàm in aliquid primò essentialiter constitutivum peccati. Rursùs non potest dici quòd peccatum Theologicè, constituatur eo, quia est difforme dictaminibus, & mandatis Divinis; restabit enim quærere: Cur peccatum sit tale quòd à Deo mandari non possit, & esse secundùm dictamina Divina? Ergo neque peccatum ut sic, stat difformitate ad dictamina rationis; licèt mediis his dictaminibus innotescat, quod aliquid sit dissonum Naturæ intellectuali.

Addo. Quod sicut veritas prima in dicendo activa, applicatur nobis in fide, revelatione passiva, & manifestativa interioris Divini conceptus quæ tamen ipsa manifestativo ut potè aliquid Creatum, non potest esse ultimò resolutiva actûs, innitentis veritati increatæ, ut dictum in materia de fide. Ita etiam in præsenti, Dissonantiam peccati ad Deum, prout natura Intellectualis est, applicant nobis dictamina Divina, & mandata facta; ita tamen, ut ultimum resolutorium malitiæ, non sistat in oppositione ad mandata. Et certè peccatum quod natura sua est malum, non ideò est malum quia prohibetur; sed ideo prohibetur, quia est malum. Ex quo ulteriùs.

Colliges. Quòd Formale Pœnitentiæ, quoad actus fugæ, non sit inhonestas, actuum contra Deum, prout est regula humanarum actionum; nam hæc ipsa regula, potest ulteriùs resolvi in aliud: quærendum enim restabit: Cur peccatum non possit esse secundùm Deum, prout est regula humanarum actionum. Nè autem Dissonantia mortuo quodam modo, faciunt mandata Divina, quæ vitali modo, hoc est imperiis Divinis, & mandatis, explicant & applicant nobis Dissonantiam illam ad Deum prout est natura Intellectualis.

Objicies IV. Nemo ita Formale Objectum explicuit Pœnitentiæ. Jam autem Formalia virtutum, debent explicari, per rationes nobis cognitas.

Respondeo. Hanc sententiam notam esse in principiis, inquantum scilicet per Dissonantiam dictam, explicatum fuit à pluribus peccatum. Ad Scholasticos autem spectat, indagare ratione primò constitutivam peccati, ex eaque inferre, quid pro formali respiciat Pœnitentia. Meminerunt item sufficienter Patres Dissonantiæ peccati ad Deum; inquantùm dixerunt: peccatorem facere; quantum est ex illo. peccando, nè Deus sit: quæ autem major Dissonantia chordæ cogitari posset, quam si sonus faceret non esse eum, cui dissonat? Quando autem Concilia supponunt, supposito peccato, esse Pœnitentiam simpliciter necessariam; loquuntur, ut bene inquit Lugo hîc, Disp. 2. numero 65. de Pœnitentia communiter sumpta, prout comprehendit, quemcunque actum doloris efficacis ex motivo sufficienti ad Contritionem vel Attritionem: non vero loquuntur de Pœnitentia stricta, & prout hîc de illa.

Quod

Quod attinet ad Tritendinum. Illud videtur meminisse nostri Objecti Sess. 14. cap. 4. dum meminit Doloris, orti ex turpitudine peccati; quem condistinguit à Dolore, orto ex metu gehennæ & pœnarum; turpitudo autem radicalis stat in Dissonantia explicata.

Addo: Quamvis scriptura, & Patres, non meminissent prædictæ Dissonantiæ, posset tamen illa constitui pro Formali peccati, adeoque pro Formali actuum pœnitentialium; quia consuetudo Scripturæ est, nõ tractare ea quæ intrinseca rei sunt; & ita ostenditur in materia de Incarnatione: Primò decretam esse Incarnationem propter intrinsecam excellentiam unionis, quam potiùs supponebat quàm explicabat Scriptura.

Objicitur V. Multi actus Pœnitentiæ, non attendunt ad Consonantiam vel Dissonantiam prædictam. Ergo illa non erit Objectum.

Respondeo. Nullum actum imperatum, attendere ad prædictam Consonantiam vel Dissonantiam, attendere tamen omnes elicitos. Quando autem censent aliqui, de ratione Objecti virtutis esse, ut apportet difficultatem, quam non videtur apportare Consonantia ad naturam Intellectualem.

Responderi facile potest; speculative. esse facilè regulare omnes actiones, secundùm Consonantiam ad naturam intellectualem; sed in praxi id difficultatem adferre.

Recentiora Argumenta.

Objicit I. Quidam cui placuit rationem supra à nobis loco secundò positam urgere. Objectum Formale Virtutis ut sic non est objectum Pœnitentiæ, quia hæc non est Virtus ut sic, sed consonantia actuum nostrorum cum Deo, ut est natura intellectualis, est objectum Formale virtutis ut sic; Quod ipsum probatur, quia sicut talis honestas actûs in particulari est objectum formale talis in particulari Virtutis; ita honestas generica actuum, communis ad omnes honestates in particulari, est objectum formale Virtutis Genericæ; Atqui consonantia actuum cum Deo, ut est Natura intellectualis, est formalissimè honestas generica actuum, siquidem hæc etiam per Adversarios definitur per prædictam Consonantiam. Neque valet si dicas: quod honestas actuum ut sic, sit objectum formale virtutis, nihilominus tamen restricta ratio honestatis per Consonantiam ad naturam intellectualem, sic objectum Pœnitentiæ, non inquam valet; quia nullum definitum restringitur per suam definitionem, unde qui habitus habet pro objecto formali definitum, etiam habet pro eodem objecto definiti definitionem.

Respondetur. Uti videre est immediatè in dictis num 91. Negatur per nos Honestatem ut sic Virtutis, definiri per Consonantiam, & quidem ex suppositione peccati reparativè & medicinaliter procedentem Rursùs nullum prius rectè definitur per posterius; jam autem ut dictum in ibi num. 92. Ratio honestatis ut sic, habet rationem Prioris, quod & exinde colligitur: quia finis in intentione, prior est mediis, porrò Pœnitentia, est de linea intentionalium aliæque cum illa Virtutes, & cum ad finem honestatis ut sic, per modum medii, habeat se consonantia descripta, ideo consonantia habebit rationem posterioris. Denique si quis velit definire honestatem ut sic secundùm prædicatum quòd non sit quid peccaminosum, benè sic definiretur ut dictum etiam supra, sed non secundum se præcisè spectata. In idem recidet si usurpes terminos impugnantis, dicasque non definiri honestatem ut sic per consonantiam prout deletivam peccati; quæ omnia in id recidunt negando, quòd per nos honestas ut sic definiatur per prædictam consonantiam.

Negatur etiam in principiis Respondentis, & omnium non posse objectum formale restringi per ipsam definitionem, quia major est identitas definiti cum definito cum nec voce distinguantur, quam definitionis cum definito, & tamen hoc non obstante, potest esse objectum formale ipsum definitum, per definitum restrictum, & ita Metaphysicæ objectum est ens qua ens, adeoque importans definitum, per definitum restrictum. Hinc si aliunde non probet objiciens objectum Pœnitentiæ non esse prædictam consonantiam, non convincet argumentum.

Cæterùm minimè nego, quòd restrictæ consonantiæ ad quas attendunt particulares Virtutes, referantur tanquam ad aliquid superius ad Consonantiam ut sic, ad quam attendit Pœnitentia eo quòd in Linea pœnitendi de peccato habeat se per modum Generis & speciei subalternę, Pœnitentia ipso, cum quo stat ut possit habere rationem inferioris respectu Virtutis ut sic, & habere rationem virtutis specialis ut dictum supra.

Objicit II. Meritò dixit Scotus: Ad primum genus boni Rationis, non dari Virtutes speciales. Et ratio est, quia virtutes speciales dantur ad superandas speciales difficultates, nulla autem est, difficultas in amando bono rationis ut sic, & si quæ est ea sufficienter tollitur, per complexum omnium Virtutũ. Atqui Consonantia actuum ad naturam intellectualem quà talis est præcisè, est primum genus boni Rationis: nam bonum Rationis ut sic, non est ratio superior quàm dicta consonantia, utrinque enim valet Consequentia hoc modo: Est bonum Rationis, Ergo est consonum ad Naturam intellectualem. Est consonum ad naturam intellectualem. Ergo est Bonum Rationis.

Re-

Respondetur. Majorem Scoti hoc sensu esse veram, quod bonum ut sic, quia in eo nulla apparet ratio mali, necessariò ametur, adeoque non ex virtute; Sed quis non experitur ut dixi, difficultatem, ut consonet naturæ intellectuali in multis, immò si non esset in hoc difficultas nunquam peccaremus, unde inibi dixi in praxi esse in hoc multam difficultatem, vide dicta superiùs N. 85. an circa honestatem ut sic possit versari virtus specialis. Conformiter ad immediatè dicta & aliàs supra nego, quod Consonantia ex suppositione peccati procedens, seu Consonantia reparativa, medicinalis, ut loquitur objiciens deletiva peccati, coïncidat cum Bono rationis ut sic, & tamen in terminis de tali Consonantia dictum est supra. Quod autem ex eo colligit arguens prædicta duo non comparari ad se tanquam superius ad inferius ex eo, quia in his ab utrinque valet subsistendi consequentia, hæc regula non tenet. Nam ab Admirativo ad Rivisum & è contra, à Rationali item ad Admirativum & è contra, tenet subsistendi consequentia, & tamen hæc admittunt prioris & posterioris comparationem. Hinc prædicta regula tantum negativo sensu tenet, nempe. Si ab illo non tenet subsistendi consequentia superius illud erit. Sed non tenet hæc regula positivè; tenet subsistendi consequentia, ergo jam non est prius. Et universaliter sicut ex eo, quia aliquid convenit, omni, soli, & semper, non infertur habere illud rationem naturæ sed solùm proprietatis, ita nec ex subsistendi consequentia inferetur non habere illud rationem prioris; videtur que etiam Ratio boni ut sic, esse superior Consonantiâ.

Objicit III. Virtus conservativa innocentiæ non est Virtus Pœnitentiæ, unde PP. docent Pœnitentiam versari circa peccatum commissum, circa quod peccatum non versatur Virtus conservativa innocentiæ, aliàs sequeretur, dari virtutem Pœnitentiæ in Christo & Beatissima, sicut in illis datur Virtus conservativa innocentiæ. Sic stabilitâ majori formatur minor. Sed Virtus amans consonantiam actuum cum natura rationali, quâ talem, & fugiens oppositam dissonantiam, est Virtus conservativa innocentiæ, nam enim hæc datur in Christo & in Beatissima.

Respondetur. Ex dictis supra quod Virtus amans consonantiam sed reparativè medicinaliter deletivè peccati, non sit conservativa innocentiæ. Talis autem est Pœnitentia, hocque conceditur voluisse PP. Rursùs Pœnitentia vel potest accipi secundùm actus suos propriissimos, qualis est dolor detestatio præteriti, & secundùm hos non est conservativa innocentiæ. Cæterum secundùm actus suos quibus se habet etiam præservativè quod illi est commune cum aliis Virtutibus potest esse conservativa innocentiæ, potest enim dictare: Præserva te à dissonantia perdendæ innocentiæ. Tales actus præservativos habuit Beatissima, quia habuit Pœnitentiæ habitum, non habuit Christus, quia caruit habitu. De quo vide disputatione. 5. infra quæst. 3.

QUÆSTIO II.

De Objecto Materiale Pœnitentiæ.

Assignari debet Objectum Materiale, tam Actuum Prosecutionis, quàm Actuum Fugæ pœnitentialium; idque tam secundùm quod est Pœnitentia Reparativa peccati commissi; quàm secundùm quod est Conservativa, nè fiat peccatum. Ut id totum expediatur. *Sit*

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur quædam & inferuntur.

Præmitto I. *Quomodo sit procedendum in assignandis Objectis virtutum moralium & practicarum*: Atque *Imprimis* Observari debet, nè illis assignetur actio ut sic honesta; quia virtutes si sunt practicæ, debent habere tale Objectum, quod in praxim reducere possint: adeoque, circa illud practicè versari; jam autem non est praxis circa rationes communes, hæ enim speculantium sunt. Observandum *deinde*: Quamv virtutum practicarum non debeat pro materiali assignari actio ut sic, nihilominùs debent assignari in particulari actiones per modum unius. Ratio est; quia sic illas assignari nihil obstat; & ex alia parte, est ita necessarium, ut salvetur unitas quædam habitûs practici. Et sicut etiam in Mæchanicis, pro Objecto assignatur particularia, prout cadunt in unam quandam rationem formæ artificialis; ita & in aliis practicis habitibus idem & præstat, & debet fieri. Observandum 2. rationem illam unius, in actionibus quas exercet habitus practicus, deberi peti ex Formali. Ratio: quia Formale, sicut speciem, ita & unitatem debet dare scientiæ; procedit autem de Formali Attributionis; nam in principiis, in Logica, datis: Illud solùm est, quod unitatem dat. & solùm specificat, ut ibidem explicatum est.

Præmitto II. *Si attendatur ad Actus Prosecutionis, Materiale illorum erunt actiones honestæ*, quibus adde Formale, jam explicatum; Nempe, inquantum dicunt Consonantiam ad Deum, ut natura intellectualis est. Quod ipsum Formale, aptari debet proportionaliter ad Pœnitentiam Philosophicam, quæ respicit Dissonantiam ad naturam intellectualem, sistendo præcisè in ordine naturæ. Aptari item debet ad Pœnitentiam abstrahentem à Theologica & Philosophica, dicendo nimirum, quod

pro Objecto illius, sint actiones honestæ, prout dicunt Consonantiam ad naturam intellectualem ut sic. Si autem attendatur ad Actus Fugæ: hi duplices possunt esse; vel Actus Fugæ præteriti peccati, adeoque retractativi; vel detestativi; aut possunt considerari Actus Fugæ futuri, vel ponibilis peccati; & hi Actus respiciunt pro Objecto, actiones, inquantum possent dicere explicatam Dissonantiam. Quia verò Actus Fugæ, æquivalenter est actus Prosecutionis, & sunt in bonum virtutis; fit ut ipsos Actus non fugiat Pœnitentia sed prosequatur, & illis ipsis quos prosequitur, tanquam bonis sibi, fugiat peccatum.

PRÆMITTO III. *Objectum Immediatum Materiale Pœnitentiæ prout est principium Actuum fugæ*; quâ talis, non sunt actiones honestæ seu *non est Objectum Materiale ipsa fuga intentionalis.*

RATIO est: Quia illud est Objectum Fugæ Pœnitentialis, quòd fugit Pœnitentia sub suo Formali: sed non fugit illas actiones sub suo Formali, sed peccatum. Ergo illud est Materiale Objectum, & non ipsa fuga.

PRÆMITTO IV. *Accipiendo Pœnitentiam, pro eo quod fugit, seu principio elicitivo actum fugæ; sic sumpta Pœnitentia, immediatius respicit actiones, quas elicit, & quibus conjungit suum Formale.*

RATIO est. Quia actiones illas nullo alio mediante appetit Pœnitentia, & illis nonnisi mediantibus, & tanquam ratione formali fugiendi, seu exercitio Fugæ, ipsum postea peccatum fugit.

PRÆMITTO V. *Regulam universalem dignoscendi, an aliquid sit materiale Objectum Pœnitentiæ hanc esse:* An illi conjungi possit Formale Pœnitentiæ; terminareque actum retractationis, doloris, detestationis, &c. *Ex quo Præmisso.*

INFERES I. Mortale Peccatum esse Objectum Materiale Pœnitentiæ; quia circa illud sub Formali sibi proprio potest versari Pœnitentia.

INFERES II. Idem dicendum esse de veniali. Quia quamvis gravem turpitudinem non adferat, adfert tamen levem.

INFERES III. Originale non posse quidem retractationis actuum fundare, quia retractatio supponit aliquid à me quâ tali, tractatum; potest tamen fundare actum detestationis, odii &c. Huic transferenda erunt proportionaliter ea quæ dicentur de peccato alieno.

DIFFICULTAS II.

Peccatum Habituale: & Reatus pœnæ: imperfectiones; suntne Materiale Objectum Pœnitentiæ?

Quoad Primum.

ASSERO I. *Peccatum habituale, inquantum dicit actionem peccaminosam, quæ præteriit, & insuper conservationem sui, in voluntate non retractante, fundat actum & Detestationis & Retractationis.* Retractationis inquam, quia tractatum est à peccante; Detestationis autem, quia importat in se Dissonantiam ad naturam intellectualem.

ASSERO II. *Peccatum habituale, inquantùm dicit negationem condonationis exhibitæ à Deo, non potest fundare actum Retractationis absolutæ.* Ratio est quia id nemo retractat, quod non tractavit: & quod in sua potestate non est ponere, absolutè loquendo: non est autem in potestate creaturæ absolutè loquendo, positio Condonationis Divinæ; est enim actus DEI liber ab illo ponibilis.

ASSERO III. *Peccatum habituale ut dicit negationem condonationis exhibitæ, potest fundare actum Retractationis conditionatæ.*

RATIO est, quia si possum rationabiliter dicere: Si possem vellem Deum amare, ita, sicut ille se amat. Et hic actus, hunc sensum reddit: vellem ponere actum tam perfectum amoris, quàm ponat Deus, si possem. Si inquam id rationabiliter possum dicere, cur non possum dicere rationabiliter: vellem si possem, condonare mihi nomine Dei, omnia peccata; & ita me purum illi sistere? Efficacia autem hujus actus debet proportionaliter defendi, ad efficaciam jam defensam illius actus: *Vellem non peccasse.*

ASSERO IV. *Peccatum habituale inquantùm dicit negationem abolitionis ponendæ à creatura, intantùm cadit sub retractationem absolutam.*

Quia est in potestate creaturæ, gratia Dei adjutæ, ponere illam abolitionem, consequenter habetur etiam à creatura, fundamentum retractationis absolutæ.

ASSERO V. *Quod dictum est de mortali, proportionaliter dicendum esse de venialibus.*

RATIO: Quia etiam venialia dicunt aliquam veram Dissonantiam ad naturam intellectualem, licèt levem.

Quoad Secundum.

ASSERO I. *Pœnas satisfactorias diverso respectu esse Objectum Prosecutionis; & diverso re-*

forespectu Objectum Fugæ. Quòd sint objectum prosecutionis.

Ratio est. Tum quia sunt in eodem ordine, in quo sunt Actus Detestationis, qui ipsi non sunt in Objectum Fugæ, ut dixi, sed Prosecutionis. Tum quia ejusdem virtutis est, intendere finem, & prosequi media; Cùm ergo Pœnitentia intendat abolere Culpam, & in ordine ad hoc, prosint pœnæ satisfactoriæ tanquam media; poterit bene pœnitentia, illa media prosequi. *Quòd autem pœnæ sint diverso respectu Objectum Fugæ.*

Ratio est. Quia de facto sunt malum aliquod; inquantùm scilicet pœna qua talis circumstantionatur, & reponitur in formalitate pœnæ peccato commisso debitæ. Hinc & Attritio, quæ est actus Fugæ à peccato, bene pro formali respice potest, metum pœnatum.

Assero II. *Reatum pœnæ accipiendo per debito subeundi tales pœnas orto ex peccato; in hoc sensu, reatus pœnæ, est Objectum Fugæ & Detestationis.*

Ratio est. Quia est quasi effectus necessario connexus cum peccato; & malæ arboris malus fructus. Ergo ad plenitudinem & complementum Pœnitentiæ, spectabit detestari illum reatum.

Assero III. *Accipiendo reatum pœnæ pro vindicativa seu ira Dei, quam meretur homo in ordine ad pœnas, etiam dimissâ culpâ remanentes, non est absolutè dicendum: quod ita sumptus reatus sit Objectum Detestationis:* Ratio. Tum quia ita sumptus reatus pro ira Dei involvit actum Justitiæ Divinæ, nos volentis punire; nihil autem Divinum potest esse objectum detestationis; si enim Divinum est? bonum est; si bonum est? sub detestationem non cadit. Tum quia potest intercedere approbatio Intellectualis, quâ approbetur ille actus Divinus; Cur ergo pœnitentia non poterit subnectere suum actum, qui sit prosecutio, immò & appetitus, ut Deus in pœnitente puniat, quàm gravissimè sua scelera, secundùm dictum Augustini: *Hic ure hic seca.* Tum quia. In illa ira Dei, sunt duæ formalitates; formalitas actûs Divini: & formalitas nostræ actionis, merentis pœnam; prior formalitas non meretur detestationem; posterior meretur. Ergo absolutè non est dicendum, & sine distinctione: quod reatus pœnæ sumptus pro ira Dei, sit objectum nonnisi Fugæ. Illustrari hoc posset instantiâ ductâ ex Justitia Divina vindicativa; quæ refugit peccatum quod punit, nihilominùs, ipse vindicans non refugit suum actum, sed nonnisi occasionem vindictæ detestatur, ita & in præsenti. Dixi: Absolutè loquendo, quia potest fundare aliquem actum fugæ; inquantùm scilicet malum est creaturæ, ira Dei; & comparando illam ad peccatum, à quo circumstantionatur.

Quoad Tertium.

Assero I. *Quod imperfectiones, secundùm quod sunt præcisa formalitas, non positi actus perfectioris; adeoque, secundùm quod sunt imperfectiones negativæ; non sunt ullo modo Objectum Fugæ pœnitentialis.* Tum quia actus v.g. Attritionis, in se spectatus est, quem prosequitur, non fugit pœnitentia; & tamen est quid imperfectum negativè; non enim est ita perfectus actus, atque Contritio. Tum quia etiam in ipsa Beatissima Virgine, fuerunt aliqui actus, qui non omnes erant perfectissimi: erant enim aliqui qui non erant Charitas, & tamen actus charitatis, ex genere suo sunt perfectissimi. Immò, non spectata dignitate operum Christi, oriundâ ex dignitate operantis, sed ex ipso Objecto Formali, non fuerunt omnes æquè perfectæ actiones; & tamen Christus Dominus, nihil tale commisit, quod indigeret Pœnitentiâ. Ergo apparet, quod imperfectiones negativæ, non sint Objectum Materiale Pœnitentiæ. Tum quia ostenditur in materia de Incarnatione: quòd Deus non necessitetur semper ad optimum; & quòd non faciat semper id, quod absolutè & extra omnes circumstantias perfectissimum est; & tamen nulli actus in Deo sunt, de quibus Deus pœnitere possit. Ergo præcisa Formalitas non positi actus perfectioris, non potest fundare, & esse Objectum Pœnitentiæ.

Assero II. *Imperfectiones etiam secundùm quod sunt defectus aliqui, non accedentes tamen ad gradum culpæ venialis; adeoque Imperfectiones positivæ: qualis est, in Religiosis, transgressio Regularum, non obligantium etiam ad veniale, tales inquam Imperfectiones, non sunt immediatum Objectum Pœnitentiæ.*

Quia ut supponitur non sunt illæ actiones naturæ intellectuali quà tali dissonæ; hoc enim ipso jam essent illæ actiones peccata. Ergo nec sunt immediatum Objectum Pœnitentiæ, quia hæc, ut suppono ex dictis, pro Formali, respicit in actibus Fugæ prædictam Dissonantiam, quæ quando applicari non potest alicui Objecto, signum est illud Objectum, non esse Materiale Pœnitentiæ.

Assero III. *Prædictas Imperfectiones positivas, esse Objectum mediatum & propter aliud.*

Ratio, quia scilicet ejusdem virtutis est, aversari malum; & aversari disponentia ad malum. Ad plenitudinem enim virtutis spectat, etiam dispositiones mali, aversari, talium autem dispositionum vim habent Imperfectiones positivæ duplici ex capite. Imprimis quia habilitant Subjectum ad malas resolutiones. Deinde, quia erga tales non est liberalis Deus.

Neque dicas: quòd Imperfectiones positivæ non sint Objectum Pœnitentiæ Sacramentalis;

adeoque quòd nec possint esse Objectum Pœnitentiæ virtutis. Non inquam valet si id dicas. dispar enim est ratio de Pœnitentia Sacramentali: nam illa includit Absolutionem Sacramentalem, quæ ipsa est à peccatis. Et quia Imperfectiones, ut supponitur, non sunt peccata, cadere Absolutio in illas præcisè non potest; esset que absurdum dicere: Absolvo te à peccatis, si non habuit peccata. Tale autem nullum absurdum est, quòd Pœnitentia, pro Objecto mediato respiciat Imperfectiones positivas.

DIFFICULTAS III.

An Actus materialiter Malus, sit Materiale Pœnitentiæ Objectum?

SEnsus tituli est: An peccatum factum sine advertentia ad Offensam Divinam, sit Materiale Pœnitentiæ Objectum? Quòd sit Objectum Materiale Pœnitentiæ Philosophicæ: ex dictis colligitur. Nã Philosophica Pœnitentia, non attendit ad Offensam Divinam. Sed Difficultas est: An tale peccatum sit Objectum Materiale Pœnitentiæ Theologicæ?

Dicendum est I. *Actum materialiter malum, quantumvis fiat sine advertentia ad turpitudinem peccati Theologici; adhuc esse Objectum Materiale Pœnitentiæ radicaliter.*

Probatur I. Quia in actione peccaminosa materialiter, independenter à turpitudine Theologica peccati, adhuc est radix peccati formaliter & origo: Cur advertentiâ positâ fuisset formaliter & proximè detestabile, à pœnitentia Theologica. Adhuc enim in illo Objecto, quòd appellamus materialiter peccatum, reperitur aliquid plus, quàm reperiatur in præcisa Imperfectione negativa. Ergo independenter ab advertentia, & turpitudine Theologica; adhuc actus ille materialiter malus, erit radicaliter detestabilis.

Probatur II. Illa advertentia, non facit malum, sed advertit esse malum. Versatur enim circa actiones, ut excubiæ; quæ non faciunt hostem, aut periculum, sed ad illud advertunt. Ergo apparet independenter ab advertentia, dari in ipso Objecto malitiã radicalem; & ratione illius radicalis malitiæ, poterit illa actio esse, Materiale Objectum Pœnitentiæ, ut dicimus radicaliter.

Probatur III. Quia si quæreretur ex ipsa advertentia: quare mendacium est peccatum? Responderet advertentia: quia ego adverti illud esse malum & turpe. Restabit quærere: quod fundamentum fuerit advertendi hoc esse malum? & tunc redire debebit advertentia, & recurrere ad malitiam radicalem. Ergo illa malitia radicalis, datur independenter ab advertentia. Ergo & independenter ab advertentia, est radicaliter Objectum Pœnitentiæ, sicut & malum est radicaliter.

In idem recidet si dicas; vel habet aliquid in se, v. g. peccatum mortale materialiter acceptum, quod non habet defectus, vel imperfectio negativa: vel non habet aliquid? Si non habet? quod fundamentum habebit advertentia, dictandi hoc esse graviter malum, & discordinatum? Si autem habebit fundamentum illius dictationis? Ergo habetur radix malitiæ, ratione cujus poterit spectare aliquomodo ad Objectum Pœnitentiæ etiam præcisâ advertentiâ. *Vnde ulteriùs.*

Colliges. Illam malitiam propriè, proximè, & immediatè, esse detestabilem radicaliter; si per ly, propriè; non intelligas metaphoricam aliquam malitiæ radicem; sed non erit propriè detestabile, si per ly propriè intelligas, ultimò completam rationem peccati. Item erit proximè detestabile, hoc est non propter aliud, quod ulteriùs radicem illam mali constituat; sed non erit proximè detestabile, hoc est, habens completam suæ detestabilitatis rationem; consequenter immediatè illud poterit detestari Pœnitentia, tanquam radicaliter malum; sed non immediatè, tanquam aliquid in ratione peccati completum, hæc enim completio habetur ab advertentia.

Dicendum est II. *Actus materialiter malus non est Objectum Pœnitentiæ ultimò completum.*

Probatur I. Quia omne peccatum completum in ratione peccati, debet esse actus moralis & humanus; ut suppono ex materia, de Actibus humanis & Peccatis. Ergo debet fieri cum advertentis. Nam hæc, ut suppono ex materia, de actibus humanis; fundat moralitatem. Ergo sine advertentia actus, non est ultimò completum Pœnitentiæ Objectum, quæ procedit ex suppositione peccati, completè talis? Et certe in rebus moralibus, prima excusatio est: Ignorans feci, consequenter absque advertentia. Quæ excusatio non valeret, si sine advertentia haberetur ratio ultimò completa Objecti Pœnitentialis.

Probatur II. Quia Objectum, in re revelatum, nisi proponatur ab Ecclesia, non est in ordine ad nos revelatum. Ergo & actus nisi proponatur ab advertentia malitia illius, non erit, in ordine ad nos, Objectum, in ratione peccati ultimò completum; pariter enim se ista habent.

Probatur III. Quia advertentia, vel requiritur ad constituendum peccatum tanquam pars essentialis vel tanquam conditio sine qua non, quocunque modo requiratur, sequitur, si illa desit, non haberi rationem completam peccati. Ad eum modum, quo non habetur principium completum agendi; deficiente, vel comprincipio, vel conditione, & applica-

plicatione requisita; licèt alia incompletio oriatur, ex defectu principii; alia, ex defectu conditionis.

Hanc totam Quæstionẽ de actu materialiter malo, proponit Martinus Perez Disp. 1. Sect. 5. de solo actu externo. An scilicet ille sit Objectum Materiale virtutis Pœnitentiæ? Jam autem commodius examinatur Quæstio hæc, ut à nobis factum est; nam ille propriè est actus materialiter malus; qui potest de materialiter malo, transire ad formaliter malum; hoc autem non habet actus externus, qui semper est, nonnisi de nominativè malus; consequenter, semper nonnisi reductivè, & denominativè spectans ad Pœnitentiam.

Objicies I. Aliæ virtutes independenter ab advertentia, habent completam rationem in suis objectis, v. g. in ordine ad Actus Fugæ. Et ita Justitia detestatur furtum, etiam sine advertentia factum; estque principium restituendi, etiam sine advertentia ablati. Temperantia item, detestatur etiam casualem comestionem carnium die veneris, &c. Ergo etiam Pœnitentia, independenter ab advertentia, habebit in peccato, completam rationem detestabilitatis.

Respondet I. Dicastillo negando Antecedens, nam v. g. malitia indecentiæ inesu carnium prohibitarum; itemque v. g. in ebrietate inclusa, quam odio habet Temperantia, non est effectus ipse alienationis v. g. sensuum, & usûs rationis; sed exhibitio voluntaria causæ, scilicet immoderatæ potatio; quia hæc dissonat rationi, & prohibetur, nec posset prohiberi præscindendo à voluntario; voluntarium autem esse non potest, præcisâ advertentia. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit I. Quia stando in exemplo ebrietatis, quod urget Dicastillo: possumus distinguere in illo, turbationem sensuum quasi effectum; nimiam potationem, quasi causam; & ipsam advertentiam. Et quidem facilè est dicere: quòd immediatè Temperantia non aversatur illum effectum; nam ex eo, quia effectus est, est quid posterius causâ, quæ mediat ad positionem illius; adeoque etiam nonnisi mediatam detestabilitatem habebit. Sed redit difficultas: Cur ipse ille effectus, & ipsa illa causa, non sint absolutè detestabilia, cum illis etiam competat radicalis & fundamentalis malitia.

Non Satisfacit II. Quia quamvis nonnisi voluntaria ebrietas prohibeatur, non sequitur, quod in illo prohibitionis objecto, non sit inclusa radicalis & fundamentalis malitia; idque universaliter est verum de illis, quæ non ideo sunt mala, quia prohibentur: sed ideo prohibentur, quia sunt mala. Immò proportionaliter de hac malitia participant etiam ea, quæ ratione prohibitionis, evadunt mala; nam in illis, etiam præcisâ advertentiâ, est quædam radicalis malitia: nam independenter ab advertentia, est in objecto malitia; malitia inquam faciendi contra prohibitionem. Quod si hæc dicunt radicalem malitiam? redibit quæstio: Cur independenter, ab advertentia, non sint illa objecta detestabilia?

Non Satisfacit III. Quia tandem idem Dicastillo dicit, quod independenter ab advertentia ebrietas v. gr. habeat malitiam physicam: quod idem est, ac dicere: Habet malitiam radicalem. Consequenter nihil docet contra nos.

Respondet II. Lugo: Quidquid sit de aliis virtutibus, disparitatem esse de Pœnitentia; quia seclusâ advertentia, non manet ratio Offensæ Divinæ, quàm detestatur Pœnitentia. Aliæ enim virtutes, præscindendo ab advertentia vel in advertentia, inveniunt formalem malitiam, quam odio habeant; talem rationem invenit Temperantia in ebrietate, indecentiam cum Natura rationali: Pœnitentia autem est virtus reflexa, quæ odit malitiam Offensæ quà talis, quæ ipsa Offensa, non potest esse sine advertentia. Et sicut, si poneretur aliqua virtus, cujus proprium munus esset, prohibere nè homo operetur contra conscientiam; hæc virtus nullum actum posset detestari, nisi factum cum advertentia, alioquin detestaretur aliquid, quod non esset nata detestari, cùm esset nata detestari nonnisi facta, contra conscientiam; sic etiam in præsenti, Pœnitentia detestari non potest, quod non est Offensa Divina. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia: si Temperantia in ebrietate non voluntaria, invenit quod detestetur; hoc est, Indecentiam ad naturam intellectualem; Cur eadem Indecentia non fundabit sufficienter Objectum Pœnitentiæ? Nego enim, quòd Pœnitentia attendat ad formalem nonnisi rationem Offensæ; & quòd attendere non possit ad id, quod est radicaliter Offensu. Tum quia etiam virtus, quæ detestaretur nonnisi ea, quæ sunt contra conscientiam, posset detestari ea, quæ independenter à conscientia actuali, nata sunt radicaliter esse contra eandem. Cur ergo idem non faciet Pœnitentia? quàm restringere ad id, ut nonnisi detestari possit ea, quæ formaliter sunt Offensa; esset velle multiplicare entia sine necessitate; deberet enim dari alius habitus Pœnitentiæ, qui detestaretur & id quod formaliter & id quod radicaliter malum est.

Respondetur. Itaque secundùm datas Conclusiones; dicique potest: quòd independenter ab advertentia, reperiatur in ebrietate v. g. radicalis malitia, & detestabilitas. Independenter autem ab advertentia, ebrietas non habet completam rationem malitiæ, detestabilem à Temperantia. Ratio peti debet ex dictis, pro secunda Conclusione. Quia scilicet

advertentia, necessaria est ad completam malitiam ebrietatis, detestandæ à Temperantia, quæ supponitur tunc non haberi.

Objicies II. Non est usitatum, denominare aliquod objectum radicaliter, seu fundamentaliter, alicujus virtutis, & scientiæ: quia alias peccatum Philosophicum, posset dici radicaliter, seu fundamentaliter, Theologicum; consequenter peccatum Philosophicum non distingueretur adæquatè à Theologico, & Pœnitentia Philosophica, à Theologica.

Respondetur. Tritam esse quæstionem: In quonam, sita sit radicalis malitia peccati; seu moralitas objectiva peccati? quam quia habet actus moraliter malus; est enim ipsa Dissonantia ad naturam intellectualem, quæ illi competit; fit, ut possit dici radicaliter malus, seu radicaliter peccaminosus; hocque sensu à nobis usurpatur. Et quia similis radicalitas in aliis materiis, non est obvia; fit ut aliis materiis, non dicatur aliquid esse radicaliter objectum. Peccatum Philosophicum non potest dici radicaliter Theologicum: quia in suis prædicatis, nihil Theologicum involvit: potest autem dici radicaliter malum; quia hæc radicalis malitia, stat in Dissonantia, cujus prædicata habet peccatum Philosophicum. Certum est enim peccatum Philosophicum, & Theologicum, adæquatè non distingui; quia rationes dividentes idem genus sive analogum, sive univocum, nunquam adæquatè distinguuntur. Ratione ergo formalitatum distinguuntur, non ratione radicalis malitiæ, hoc est Dissonantiæ ad naturam Intellectualem.

Objicies III. Radicalis malitia posset tribui, non tantum actibus malis materialiter, sed ipsi entitati creatæ; eo enim ipso quod sit Entitas intellectualis creata, est defectuosa & peccabilis; quæ defectibilitas fundatur in ipso esse creato: proinde potest quis detestari ipsam Entitatem creatam Sanctorum, & Beatissimæ.

Respondetur. Negando sequelam. Quia hæc radicalis malitia, stat in Dissonantia ad naturam, &c. quam in suis prædicatis non dicit creatura intellectualis.

Instabis. Sequitur eundem actum devotionis, esse radicaliter malum, & detestabilem. Nam idem actus devotionis actualis, si esset contra præceptum, esset actus inobedientiæ. Ad eum modum, quo actus materialiter malus, dicitur esse radicaliter malus, quia idem in individuo, si cum advertentia exercetur, esset malus.

Respondetur. Hanc sequelam procedere ex alia acceptione radicalis malitiæ. Nomine enim radicis malitiæ venit hîc Dissonantia ad naturam intellectualem, quam non dicit actus devotionis; casu autem quo prohibetur, non haberet radicalem detestabilitatem intrinsecam: quia nec esset intrinsecè malus; sed malitiam nonnisi ratione extrinsecæ prohibitionis; nec ita se habet actus materialiter malus; quia ipse quoad sua intrinseca, jam habet rationem malitiæ radicalis, quam advertentia præsupponit in Objecto.

Supponunt hæc omnia duo. *Primum*: Actus dissonus naturæ Intellectuali dicit radicalem malitiam, hæc enim est acceptio hujus Termini. Actus autem materialiter malus, est dissonus naturæ Intellectuali. Ergo, &c. *Secundum*: Si Pœnitentia respicit Dissonantiam ad naturam intellectualem in peccato, cum ea reperiatur in actu materialiter malo, illum etiam respiciet, licèt cum restrictione, ut dixi.

QUÆSTIO III.

An Peccata aliena sint objectum materiale Pœnitentiæ?

Non est difficultas: An peccata aliena, possint esse interdum Objectum alicujus virtutis? Quia posset aliquis detestari peccata proximi, inquantùm sunt impeditiva ejus spei, quæ habetur de salute proximi; qui actus spectabit ad spem. Nec item est difficultas: An peccata aliena cadant sub pœnitentiam, inquantùm est virtus retractiva? Nam propriè nihil retractatur, quod non est tractatum: peccatum autem alienum, nec facit quisquam, nec tractat. Non nego tamen etiam circa peccatum alienum, posse haberi actum conditionalis retractationis; ut notum est ex dictis supra. Est ergo in hoc difficultas: An motivo formali, quod respicit Pœnitentia, subjici possint peccata aliena adeoque, esse Materiale Objectum ejusdem.

Dicendum est. *Aliena peccata esse Objectum Materiale Pœnitentiæ Theologicæ.* Ita post Suarez, Lugo. cum aliis hîc, Disp. 3. num. 26. Martinus Perez hîc, Disp. 1. Sect. 10. Konink contra Dicastillo hîc, Disp. 1. n. 155.

Probatur I. Sub Objectum Pœnitentiæ ut sic, cadit omne peccatum. Ergo sub Objectum Pœnitentiæ Theologicæ, cadit omne peccatum Theologicum. Ergo falsa erit hæc particularis: Aliquod peccatum Theologicum non cadit sub Objectum Pœnitentiæ Theologicæ. Ergo ulteriùs, falsa erit hæc: Peccatum alienum non cadit sub Objectum Pœnitentiæ. Antecedens primum Probatur. Quia aliàs præter Pœnitentiam, quæ agnoscitur, deberet assignari alius habitus Universalior, qui respiceret omne peccatum, seu peccatum ut sic; præcipuè quia posset illud, sub motivo sibi appropriato; hoc autem esset multiplicare entia. Deinde sub Objectum Pœnitentiæ ut sic, non potest cadere aliquod tantum peccatum; quia aliàs Objectum & habitus, non adæquarentur.

rentur. Pœnitentia enim esset ut sic, & non respiceret peccatum ut sic, tanquam Objectum. Cùm ergo supponatur in Antecedenti Pœnitentia ut sic, & de illa procedat Antecedens; sit ut peccatum ut sic, debeat esse ejus Objectum. Denique possibilis est Pœnitentia ut sic, respiciens peccatum ut sic. Ergo non debet negari Pœnitentiam ut sic, respicere peccatum ut sic. Consequentia Probatur, paritate rationis, & iisdem rationibus, quibus immediatè probatum est antecedens.

Probatur II. Illud omne respicit Pœnitentia, ad quod respiciendum est nata. Sed etiam ad aliena peccata respicienda est nata. Quia si non esset nata, respicere peccata aliena, non esset nata id facere, vel ex eo: quod motivum formale illius, non posset se extendere ad peccata aliena. Vel ex eo: quia ipse habitus de se esset restrictus, nonnisi ad hæc v. g. detestanda peccata. Neutrum dici potest. Nam peccatum etiam alienum, verè est dissonum Deo secundùm quod est natura intellectualis. Ergo motivum hoc extendit se etiam ad peccatum alienum. Rursùs, non est determinatus habitus Pœnitentiæ, qui est in Paulo, nonnisi ad detestanda peccata Pauli: quia hic ipse numero habitus, potuisset in alia rerum serie ponì in Petro. Ergo si in Petro positus potuisset detestari peccata Petri: etiam positus in Paulo, detestari poterit peccata Petri. Habet se in hoc consimiliter habitus Pœnitentiæ, eductus ex potentia obedientiali Petri; qui potuisset educi ex potentia Pauli, sicut albedo, quæ est posita in Petro, & eadem potuisset ponì in Paulo; & sicut albedo, in Petro existens, non potest dealbare nisi Petrum; sic etiam existens habitus Pœnitentiæ in Petro, non potest esse principium actuum pœnitendi, nisi in Petro. Nihilominùs sicut Petrus, non est subjectum alienum albedini Pauli, illudque albedo illa informare posset; ita & peccata Pauli non sunt subjectum alienum, & improportionatum, habitûs pœnitentiæ in Petro positi, poteritque sub Formali eodem, detestari peccata aliena.

Respondebis. Sicut albedo, posita in Petro, non dealbat Paulum, nec ad illum se extendit; ita nec habitus Pœnitentiæ, extendet se, ad peccata aliena.

Contra. Albedo Petri, & habitus Pœnitentiæ, in Petro positus, in hoc sunt pariæ; quòd sicut albedo Petri, non dealbat Paulum, ita nec Habitus Pœnitentiæ in Petro, est Principium elicitivum actuum Pauli. Sicut enim, quòd non dealbat Paulum illa albedo, inde oritur: quia deest unio; ita nè sit Principium elicitivum actuum Pauli, ille Habitus, facit defectus unionis, & quia ille habitus, non est eductus ex hac Potentia. Hoc tamen non obstante, potest Habitus Pœnitentiæ Petri, detestari in Petro peccata Pauli: quia nihil obest; universalitasque motivi, quo movetur Pœnitentia, extendit se, etiam ad peccata Pauli; multa autem obsunt, nè albedo Petri dealbet Paulum: Nam illa albedo, deberet bilocari; vel non unita, tribuere effectum suum formalem; quod absurdum est; redibitque paritas: Paulus est subjectum informabile albedine Petri. Ergo & peccata aliena, erunt sub motivo eodem detestabilia, ab Habitu Pœnitentiæ, v. g. Petri.

Probatur III. Communiter, à pari: Eadem Fides Theologica credit, credenti posse dari beatitudinem, & aliis à credente. Eadem Spes sperat speranti, & aliis à sperante beatitudinem. Eadem Charitas, & sibi bonum amat, quod est Deus, & proximo. Ergo etiam, eadem Pœnitentia, poterit detestari peccatum pœnitentis, & aliûs à pœnitente.

Respondet Dicastillo: Negando Antecedens, rationemque dat: quia quando moveor ad desiderandum v. g. alteri bonum; vel moveor, quia ipsi alteri bonum est, & tunc est actus benevolentiæ erga proximum; vel moveor ad desiderandum illud bonum, ex complacentia Dei, & erit actus Charitatis erga Deum; vel denique moveri possum ad illud desiderandum, ex complacentia mei, & tunc ad quam virtutem pertinebit illa complacentia, discerni debebit ex motivo, ex quo mihi placet; nunquam tamen erit locus illi generali complacentiæ, qualem adstruit Conclusio. Idque ideo: Quia illa Justitia, quâ alius est justus, non est materia circa quam ego exercere possim actum Justitiæ.

Contra est: Tum quia hoc ipsum negatur, quòd justitia, qua alius justus est, non sit materia, circa quam ego exercere possim actum justitiæ. Tum quia licèt ex allatis formalitatibus à Dicastillo, optando alteri v. g. justitiam, non optem eam, ex motivo formali justitiæ; sed inquirere restat: Cur optari non possit ex præcisa honestate justitiæ? quo casu non esset ratio: Cur operans non tenderet in suam, & alienam justitiam ex eodem motivo? Tum quia per Dicastillo, ex complacentia mei, possum mihi optare bonum & alteri. Ergo ex complacentia in honestate virtutis, possum illam & mihi, & alteri velle.

Objicit I. Dicastillo: si honestas intenta à Pœnitentia, est ejusdem rationis in pœnitente ac aliis? vel in eo sensu, est ejus rationis, quòd tale malum morale peccanti, est ipsius peccatum; quale malum morale fuit peccatum ejus, dum illud haberet antequam pœniteret? Et hæc consideratio ad præsens non facit, vel in eo sensu est ejusdem rationis dicta honestas Pœnitentiæ: quòd peccatum aliûs, respectu mei, habeat eandem comparationem, atque peccatum meum, respectu mei? & hoc falsum est. Nam constituit illum peccatorem, peccatum illius, me non constituit.

Respondetur. Ex alio sensu eandem esse honestatem, intentam à Pœnitentia, sive in pœnitente sive in aliis; quòd scilicet possit ex eodem motivo formali, utrique subjecto intendi.

Objicit II. Idem: Non dicitur esse abstinens, qui vult alios jejunare; nec humilis, qui vult alios esse humiles; aliàs deberent dici jejunare Angeli: volunt enim, ut nos jejunemus, & superbus Princeps, deberet dici humilis; quia vult suos subditos esse humiles. Multis huic objectioni respondet Lugo à num. 26. Consulatur.

Respondetur. Ad Difficultatem: Dupliciter posse aliquem optare alicui bonum aliquod; vel ex præcisa ratione honestatis virtutis; vel præcisè, ex amore benevolentiæ. Sic ebriosus, potest optare alteri, nè inebrietur, ex præcisa ratione honestatis inclusæ in Temperantia; potest optare nè inebrietur; quia illum amat; velletque, nè pecuniam, in potu abliguriat. Hoc secundo modo qui optat nè alius inebrietur, sed ut sit temperans, non hoc ipso debet dici optans, esse etiam virtuosè temperans. Ad illum autem priorem modum optandi, quod attinet; quando scilicet amatur alicui bonum ex præcisa ratione honestatis; id adhuc dupliciter fieri potest: Vel enim est subjectum capax illius honestatis? vel incapax? sic v. gr. Angelus est incapax virtutis jejunandi, capax homo. Rursùs incapacitas hæc, vel est per se, qualis est in Angelo nè dicatur jejunans? vel per accidens ebrioso nè dicatur temperans? Hoc posito: Respondetur ad objectionem: Omnem illum non dici v. g. abstinentem, qui non ex præcisa honestate abstinentiæ, vult alium esse abstinentem; secus si ex præcisa honestate abstinentiæ, id vellet; & si supponatur subjectum capax illius denominationis, & nec per se, nec per accidens impeditum, ad illam denominationem habendam. Supponimus enim virtuosè temperantem eum dici, qui habet possessionem Temperantiæ in seipso, & nisi illam habeat, erit subjectum per accidens impeditum, ad habendam denominationem temperantis.

Objicit III. Idem: Potest detestatio peccati alieni, pro diversitate motivi, spectare ad alias virtutes.

Respondetur. Posse quidem id fieri, sed insuper posse etiam fieri illam detestationem, ex motivo appropriato Pœnitentiæ; & si potest fieri, ex motivo appropriato aliarum virtutum, cur non fiet ex motivo Pœnitentiæ?

Neque valet quod dicit idem: non esse scilicet ejusdem rationis motivum, & rationem objectivam mali, sub qua quis sibi malum apprehendit, peccatum alterius. Nam illa ratio mali, quam quis invenit in peccato proprio, est quatenus est malum operanti offendisse Deum; hoc autem non invenitur in peccato alieno, comparatione ducta ad ipsum pœnitentem. *Non inquam valet*; quia id quod affert, probat tantum: quòd non semper sit ejusdem rationis motivum, in detestatione peccati proprii, & alieni; sed non probat ex eodem præcisè motivo pœnitentiali, utriuslibet detestabilia non esse peccata.

Tractandum hîc fuerat: An peccatum jam dimissum, possit esse Materiale Pœnitentiæ, sed id commodiùs resolvetur, ubi tractabis: An peccata dimissa, sint materia Confessionis. *Ex his.*

Colliges, Id quod jam sæpius intimatum est: Objectum conflatum ex Materiali & Formali, actuum prosecutionis pœnitentialis, & quidem Theologicę esse actiones honestas, prout conformes ad Deum, secundùm quod est natura intellectualis; procedentes secundùm suppositionem peccati, seu remediativè, reparativè, &c. procedentis.

Quod si quæras: de objecto Pœnitentiæ quoad actus Fugæ? vel accipi eam pro principio elicitivo actuum fugiendi; & sic habet pro Objecto immediato actiones honestas, prout fugiunt Dissonantiam ad Deum secundùm quod est natura intellectualis. Ubi ulterius vides: Ipsum peccatum, futurum nonnisi mediatum & remotum Objectum, ita acceptæ Pœnitentiæ. Si autem accipis Pœnitentiam per simpliciter ad id quod fugit? pro immediato Objecto respicit peccata prout sunt actiones dissonæ Deo, secundùm quod est natura intellectualis.

Noto hîc: ut Conficiatur Definitio Pœnitentiæ virtutis, commodiùs id fieri posse per ordinem ad id, quod fugit Pœnitentia; adeoque, accipiendo Pœnitentiam, in ordine ad actus Fugæ.

Ratio est: Quia etiam medicinæ remediativæ & curativæ definitio, commodius traditur, per ordinem ad ægritudinem, quàm tollit; est enim tale medicamentum, medicamentum ægritudinis depulsivum; quantumvis, possit habere etiam denominationem conservantis bonas dispositiones, & humores, vel spiritus sanitati servientes. Ita etiam, cùm Pœnitentia sit virtus remediativa, commodiùs ejus Definitio tradetur, per ordinem peccatum, cui remediatur. Quod autem Pœnitentia sit virtus remediativa; communis apprehensio probat; & suadet discursus, qui redditur pro ratione numeri septenarii Sacramentorum. Ubi cùm acceditur ad Pœnitentiæ Sacramentum, dicitur, illud constitui debuisse, ut esset principium restituendi sese ad vitam spiritualem, & depellendi ægritudines ab anima.

Neque

Neque valet quod aliæ virtutes primò non sint depulsivæ, oppositæ turpitudinis, sed suæ honestatis, collativæ; quia etiam alia entia, non sunt primò essentialiter relativa, ut suppono ex Logica, & tamen ipsa Relatio, est primò essentialiter relativa; ita etiam potest dari virtus, primò essentialiter remediativa; quid enim implicat? Et hæc erit Pœnitentia. *Hoc ergo supposito:*

Dici potest, *Pœnitentiam esse Virtutem Abolitivam, reparativam, remediativam, peccati, prout est Dissonum Deo, secundùm quod est natura Intellectualis.* Quod si velis, proportionaliter ad alias virtutes, eandem definire, quæ definiuntur per ordinem ad actus prosecutionis. Dices: *illam esse virtutem raparativam & principiativam actuum, secundùm quod consonant Deo, prout natura Intellectualis est.* Addo autem ly *Reparativa* propter ea, quæ suo loco de Subjecto Pœnitentiæ dicentur.

DISPUTATIO III.

De objecto remoto Pœnitentiæ; seu de Peccato Remissibili.

Tractavimus jam, de Materiali Pœnitentiæ Objecto immediato; nunc tractabimus de mediato. Et hoc Objectum, est peccatum, quod respiciunt tam actus Prosecutionis; dixi enim illos procedere secundùm suppositionem peccati; quàm actus Fugæ, ut jam dictum est. Nè verò, consideratio peccati esset nimis ampla; restringitur ad prædicatum Remissibilis. Hinc agimus de illo, prout Remissibili. Pars hujus materiæ, spectat ad materiam de Justificatione, & alia ad materiam de peccatis, nihilominùs ex usu Auctorum gravium, huc etiam potest transferri. Est quidem consuetudo, de remissione peccati agere, tractando de effectibus Pœnitentiæ, sed quia exinde infra tractanda lucem accipient, hîc commodiùs subnectetur. Cùm autem Media, exsecutione priora sint fine; etiam consideratio Mediorum, ad remissionem peccati ponendam, præcedet, & postea subsequetur ipse terminus intentus, qui est peccati Remissio, vel peccatum remissum.

QUÆSTIO I.

De Mediis Remissionis Peccati.

Tria hîc examinabuntur. Necessitas, ponendi actûs nostri, ut remittatur peccatum: & Necessitas infundendæ Gratiæ: & Necessitas favoris Dei, seu condonationis extrinsecæ.

DIFFICULTAS I.

An sine ullo actu peccatoris, possit remitti peccatum?

Sine ullo actu peccatoris, non posse remitti peccatum, pauci docent; hoc est Dominicus Sotus: in 4. Disp. 15. ar. 2. Petrus de Soto: lect. 4. de Pœnitentia. Conradus 1. 2. q. 112. ad 1. Citat. Ripalda pro hac sententia Becanum, de Justificatione Catholi. cap. 3. n. 28. qui tamen oppositum sentit; & illo capite, non habet nisi numeros 6. & ultimò mentem suam in oppositum aperit. Citat etiam Lorcam, sed eum pro opposita, citat post alios Oviedo. Affirmant plures: Suarez, Vasquez, Lugo, Ripalda: disp. ultima S. 24. & plures alii cum Oviedo: de Justificatione Cont. 2. Punct. 9. quibus accessit Esparza de Justificatione quæst. 11. Rosmer - - - - - & alii est autem quæstio de adulto pœnitente; nam infantibus infunditur gratia in Baptismo, justificanturque sine ullo actu.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur argumenta Affirmantis Sententiæ.

1. Argumentum est Vasquez: DEUS potest infundere peccatori habitum gratiæ, absque ulla dispositione. Ergo & remittere peccatum absque ulla dispositione. Probatur Antecedens ab eodem: Nam ut aliqua forma, vel deno-

denominatio, quæ est in subjecto producta, impediat contrariæ productionem; aut debet esse talis naturæ, quæ nunquam amitti ullo modo possit; aut debet à potentiori agente conservari, veluti si potentius agens, conservet frigus, contra activitatem caloris, non posset tunc à minùs potente, introduci calor. Nihil autem horum est in præsenti; nam & status peccati suapte natura amitti & destrui potest, & à nullo potentiori conservatur peccatum; ut patet: Ergo.

RESPONDETUR dicendo: quòd independenter ab omni dispositione possit infundi gratia. An autem sit remittendum peccatum: cùm distinctione respondendum esset: Si enim nomine remissionis peccati, intelligatur, quòd Deus tunc testetur amorem suum ad creaturam, & ad eam se convertat? in isto sensu remittetur peccatum, quantumvis nullus intercesserit actus pœnitentis; sed non remittetur, inquantùm remissio, dicit, etiam conversionem creaturæ ad Deum; & inquantùm dicit abolitionem volitionis habitualis, seu abolitionem ejus, quod est: voluisse peccâsse.

Deinde ad probationem dici potest: Retorquendo argumentum. Nam eo instanti, quo Petrus peccat, per Vasquez, non potest ei infundi gratia; item, secundùm communiorem sententiam, non potest determinati subjectum à Deo, ad habendum simul actum amoris, & odii, circaidem objectum; & tamen nec à potentiori agente, conservaur v. g. odium; nec est forma, naturâ suâ inamissibilis. Quòd si id referas in id: quia scilicet peccatum, vel amor, est in talibus circumstantiis, in quibus illi tolli non competit; & quòd circumstantiæ sint, sicut agens fortius impeditivum, nè tunc ponatur gratia, vel v. g. amor; idem inpræsenti dicere poteris, quòd peccatum si non ponatur retractatio conservetur à circumstantiis, scilicet non positæ illius retractationis, quæ circumstantiæ possunt appellari agens fortius, saltem per accommodationem. Vel dici poterit: Naturam esse peccati, ut nisi retractetur, remitti non possit; remissione, vi cujus non tantùm Deus dicatur converti ad Creaturam, sed etiam Creatura convertere sese ad Deum, adeòque, nisi accedat retractatio, non esse amissibilem hanc formam; quæ est non esse conversum ad Deum: licèt, non accedente retractatione, possit infundi gratia, esseque DEUS conversus ad Creaturam. Suppono etiam ex dicendis aliàs, posse infundi gratiam & non remitti pecatum. Hinc concesso Antecedenti, Negatur Consequentia.

II. Argumentum est Oviedi citati: Peccatum actuale præteritum permanet secundùm esse suum habituale, tantùm in obligatione satisfaciendi, sed debitum etiam voluntariè contractum, potest à persona offensa, seu à creditore, remitti, sine voluntate debitoris. Ergo, id in quo habitualiter remanet peccatum actuale præteritum, potest auferri, sine voluntate peccatoris. Ergo potest sine tali voluntate remitti peccatum. Quòd si inter homines, remissio debiti, indiget perfici, per acceptationem debitoris sicut, donatio, per acceptationem donatarii; respectu Dei donantis, talis acceptatio necessaria non est; idque ob titulum supremi Dominii, quod habet in voluntates creatas, ac proinde, ut illius remissio efficaciam habeat, acceptatione non indiget.

RESPONDETUR negando Antecedens; quod etiam multi Doctorum negant, ut videbitur agendo de essentia peccati habitualis. In nostris principiis inter alia, manet peccatum habituale, inquantum conservatur in aliquo sui; hoc est, in voluntate conservante permanentiam moralem peccati transacti; quæ conservatio exercetur non retractatione. Quod attinet ad Instantiam; dici potest: Debitum voluntariè contractum, posse à creditore remitti, remissione tali, non quâ dicatur actu solvisse, & satisfecisse juri alterius, sed quâ dicatur alter, exercuisse cum illo actum clementiæ, amoris, liberalitatis &c. Et sicut in solutionibus, aliud est creditorem cessisse jure, & aliud actu debitorem solvisse; etiamsi enim nihil solutum fuerit, potest alius cedere juri suo; ita & in præsenti; aliud est, Deum testari suam amicitiam, & transferre creaturam, in habentem participationem supernaturalem naturæ Divinæ: hocque fieri poterit, sine ullo actu creaturæ; & aliud, creaturam esse conversam ad Deum, & aversam à peccato: hoc enim negatur fieri posse, sine ullo actu peccatoris.

Neque valet, si dicas? Correlativa hæc esse. Debitum remittit creditor. Ergo alius nihil debet. Nam valet quidem: Creditor remittit, ergo nihil illi debetur; sed hæc nihil valet: creditor remittit, ergo debitor solvit. Et sicut, valet quidem dicere: Petrus amat Paulum, Ergo Paulus amatur à Petro. Non tamen valet dicere: Ergo Paulus amat Petrum. Sic etiam quantumvis Deus collatione, gratiæ, exerceat amorem erga creaturam, & non se avertat ab illa; non sequetur tamen, quòd sine suo ullo actu, convertatur creatura ad Deum, & non sit aversa à DEO.

Quod autem dicit, respectu Dei donantis, talem acceptationem non esse necessariam, eò quod sit supremus Dominus; id tantùm in eo sensu verum est; quia potest movere creaturam, imò & necessitate, ut ponat suum actum conversionis. Ad eum modum, quo fortior, potest adigere alium, si nollet ad se converti, ut convertatur; sic etiam inpræsenti, quia potest Deus facere, ut se liberè convertat peccator; imò & necessitare, ut se convertat; ideo habet dominium nostrarum voluntatum; sed non in hoc sensu habet dominium, quasi possit Deus facere, ut sine voluntate propria, cessetur velle hoc creatura,

tura, quod Deus vult, adeòque censeatur, convertere sese ad Deum, & avertere à creatura, quantumvis nihil velit: censeatur inquam id habere ex eo præcisè, quia Deus vult. Et sicut quando Prædeterminantes salvant ex eo libertatem, in prædeterminatione, quia scilicet Deus habet in sua potestate actiones nostras liberas, ita ut debeant poni eo modo, quo poni illas vult Deus, vult autem poni, cum prædeterminatione, liberum consensum; dicimus illos contradictoria dicere ut ostensum in prima parte. Sic & in præsenti, implicat, ut ex eo, quia Deus vult creaturam esse aversam à creatura, & conversam ad se, hoc ipso etiam sine ullo suo actu, possit esse, creatura rationalis aversa à creatura, & conversa ad Deum ut infra probabitur.

Instat I. Oviedo: Eo ipso, quòd cesset homo à peccato, status peccati jam illi non est voluntarius actualiter, vel virtualiter; quia voluntarium virtuale, non est sine aliquo voluntario actuali.

Respondetur. Esse illic voluntarium virtuale in causa; quia scilicet posita est aversio à Deo, & conversio ad creaturam, quæ est causa illius habitualis peccati, quòd remitti deberet, aversioque illa submoveri conversione, quæ est in potestate peccatoris, suppositâ gratiâ Divinâ. Rursùs quamvis peccatori, status ille peccati, non sit voluntarius adæquatè, & subjectus plenè dominio illius, est tamen, suppositâ libertate, subjectus ille status inadæquatè voluntati peccatoris, inquantùm in illius libertate est, non conversio ad Deum, quâ etiam stat habituale peccatum. Deinde virtuale voluntarium, sicut & virtualis intentio, non requirit actum præsentem, sufficit præteritus; consequenter, & status ille peccati, poterit dici virtualiter voluntarius.

Instat II. Peccatuale, vel dicit essentialiter, tanquam constitutivam peccati habitualis, negationem retractationis; idque tanquam rationem formalem adæquatam? vel dicit negationem retractationis, tanquam rationem inadæquatam? aut ad minimum essentialiter includit talem negationem retractationis: Non potest dici, peccatum habituale consistere in tali negatione; quia eâ ablatâ absque ullo alio, auferretur peccatum; proinde posita attritione, quæ est quædam retractatio commissi peccati, auferretur jam habituale peccatum. Nec potest dici, essentiam dicti peccati, saltem inadæquatè, vel tanquam aliquid essentiale, dicere negationem retractationis; ob eandem rationem: quia ablato aliquo constitutivo inadæquato, vel aliquo essentiali, tota essentia aufertur; sicut ablatâ tantùm materia, etiamsi forma permaneat, & è contra, compositum aufertur. Quodsi negatio retractationis, est extra essentiam peccati habitualis, debet dari aliud constitutivum illius; quod quodcunque erit, non erit tale, quod auferri non possit, etiam negatione retractationis permanente.

Respondetur. Imprimis, quòd in negatione retractationis inadæquatè idque adhuc ex consequenti consistat peccatum habituale; illâ tamen sublatâ, necdum aufertur peccatum completè; quia illius completa ablatio, dicit constitutionem subjecti, insuper in esse amari à Deo, & in esse ejus ad quem conversus est Deus; quod esse descriptum, quia est bonum quoddam, debet esse ex integra causa, adeòque ex suppositione positorum omnium, ad hoc prærequisitorum. Et licèt quidem desinat totum, vel unâ parte ablata; si tamen illa desitio totius, sit fundata in aliquo bono ponendo, nisi ponantur omnes partes illius, nec illud bonum ponetur: consequenter nec ponetur desitio adæquata illius totius, fundata in positione boni succedentis. Nam ut scitum est, Bonum est ex integra causa.

In idem recidet si dicas: Ablationem alicujus partis, adferre destructionem totius, si destructio totius, sit malum quoddam, non verò, si sit bonum quoddam. Vel si vis dicere? dixeris: ablatâ unâ parte positivâ, auferri totum positivum; sed ablatâ unâ parte negationis, non est necesse auferri aliam partem negationis. Sic v. g. si quis sit pauper ægrotans, hoc est dicens negationem, & sanitatis & divitiarum, ablatâ negatione sanitatis, non auferetur hoc ipso negatio divitiarum; potest enim idem esse sanus, & non esse dives. Idem etiam in præsenti dici potest, peccatum habituale esse totum quoddam negativum, adeòque ablata una negationis parte, v. g. negatione retractationis, non erit necesse, auferri totum hoc negativum, quod est peccatum habituale. Tota ergo responsio in hoc stat: Quia desitio totius positivi, est desitio in non esse, adeòque in malum, quod est ex singulis, defectibus; hinc sublatâ vel unicâ parte, desinet totum positivum: desitio autem totius negativi, est desitio per esse; non non esse non desinit nisi per esse: si desitio totius negativi, est per esse, est in esse, adeòque in bonum, quod debet esse ex integra causa, adeòque ex esse positivo utriusque partis.

Deinde ex alio principio responderi potest eidem Argumento: Quòd scilicet negatio retractationis, non sit quidem adæquatè constitutivum peccati habitualis, nec inadæquatè per modum partis; sed quòd sit connotatum necessarium, non tamen primò importatum, nec se solo constituens habituale peccatum: sed insuper, esse necessarium, nè Deus conservet jus quod habet ad offendi, commisso peccato; quod jus exercet negatione condonationis.

Proportionaliter ad præjacta aptatur hæc Responsio: quòd habituale peccatum, dupliciter considerari possit: vel inquantum dicit

Deum

Deum non conversum ad creaturam, & sic non respicit actum non retractationis creaturæ, sed negationem conversionis DEI ad creaturam. Vel considerari potest, inquantum peccatum habituale dicit negationem conversionis creaturæ ad Deum; & sic importat negationem retractationis creaturæ ad Deum; & fundatam in actu præterito peccati, gratiæ expulsivi. Sublata itaque negatione retractationis, propter positam retractationem reddetur creatura conversa ad Deum, si fit retractatio, qualem pro eo statu requirit Deus; hoc est, si sit pro præsenti statu, facta Contritio, vel Attritio jungatur Sacramento. Si autem sit retractatio, non qualis requiritur; hoc est, si sit Attritio sine Sacramento, erit nonnisi inadæquata, inchoata, & imperfecta conversio.

Notò hîc, in peccato perpetrato duo considerari posse: Primò permanentiam moralem voluntatis in peccato facto, & hæc moralis permanentia peccati, stat in hoc præcisè: voluisse peccasse, ad quod sequitur non retractasse. Et hæc permanentia moralis, tollitur actu, qui sit noluisse peccasse. Secundò, in peccato perpetrato considerari potest offensio Dei; & hæc non potest tolli ab ulla creatura, secundùm rigorem justitiæ; potest tamen, si ponatur requisitus à Deo actus, tolli de congruo; hoc est, vel per actum Amoris, vel actum Contritionis extra Sacramentum; cum Sacramento autem potest tolli, per actum Attritionis. Suppono autem hîc, hos actus requisitos esse, inquantùm sunt supernaturalis ordinis.

III. Argumentum est Suarez hîc, Disp. 9. Sect. 2. Actus peccatoris non requiritur ad remissionem peccati, tanquam forma per se ipsam, formaliter excludens culpam; sed tanquam dispositio congrua; & ex natura rei, simul etiam, & ex Divina ordinatione; non repugnat autem, Deum conferre effectum formalem, sine prævia dispositione ad formam.

Respondetur. Actum peccatoris, esse nonnisi dispositionem, ad justificationem, inquantùm justificatio dicit conversionem DEI, ad creaturam, quam exercet qualitate supernaturali infusâ, quæ appellatur Gratia; & ad hoc, non est necessaria retractatio. Sed non est meta dispositio ad justificationem retractatio, inquantum justificatio dicit conversionem Creaturæ, ad Deum, & aversionem à creatura; & inquantum justificatio, dicit depulsionem eorum prædicatorum, quæ in actu inhonesto, ante perpetrato, continebantur. Quamvis autem aliquis diceret, quòd actualis conversio creaturæ, sit dispositio, sed necessariò prærequisita; necdum sequeretur, sine illa, absolutè loquendo, posse perfici justificationem; dantur enim talia necessaria prærequisita, quæ nec Deus quidem supplere potest: & ita ratio fundandi in relatione; modalitas item, quam aliqui ponunt pro dispositione, aut pro connotato ad unionem; negatio item distantiæ, requisita ad formalitatem Ubi; & ad formalitatem unionis sunt inter prærequisita, & tamen hæc omnia supplerì à Deo non possunt; imò quantumvis Dominus Deus posset facere, ut inter effectum, & principale agens, intercipiatur distantia, vi cujus agatur in effectum, non transmittendo virtutem per medium, quæ distantia potest appellari distantia loci; nihilominùs non potest Deus facere, ut intercipiatur distantia inter ipsum passum, & ipsam virtutem; & tamen illa indistantia, est nonnisi prærequisitum agendi, & non ratio ultima. Dabuntur ergo aliqua prærequisita, quæ tamen, nè Deus quidem supplere possit. Porrò talis necessitas posset poni in hoc prærequisito, quod est creaturam se convertere ad DEUM.

Proponuntur reliqua Argumenta.

IV. Argumentum est commune fere omnibus, quod contra responsionem hactenus usurpatam, & usurpandam, sic formari posset: Etiam in parvulis, datur aversio à Deo, in Capite, hoc est, Adamo; & tamen illa aversio tollitur in illis, sine ullo actu, dum illis confertur Baptismus, & in Baptismo gratia. Ergo & aversio, quæ est in peccato actuali, tolli poterit sola infusione gratiæ.

Responsum jam, quòd etiam in adultis, absolutè non sit necessarius proprius actus ad hoc, ut infundatur gratia. Quod autem attinet ad paritatem adlatam; Illa pluribus viis solvi potest. *Imprimis.* Quia aversio illa inclusa in peccato originali, nil aliud est, quàm actuals disobedientia Adam; in cujus pœnam decrevit Deus, se non datutum gratiam ejus posteris; & cùm non sit actualis aversio posterorum; benè poterit tolli, sine ullo illorum actu & conversione. E contra, quia peccatum proprium, & actuale est, propria actualis aversio à Creatore, tolli non poterit, nisi per propriam & actualem conversionem. Nec potest ostendi ullum absurdum in eo, quòd peccatum in voluntate Adami, tanquam Capitis factum, tollatur etiam sine ulla actuali voluntate, sicut commissum est sine ulla actuali voluntate. Imò proportionatum est, ut contractum sine ulla voluntate actuali posterorum peccatum, tollatur etiam, sine ulla actuali illorum voluntate; est autem absurdum, ut ex infra dicendis patebit, peccatum actu, per propriam voluntatem commissum, tolli & auferti, sine propria actuali volitione; absurdumque est, expelli hoc, quod est voluisse peccasse propria voluntate, expelli inquam per aliud, & non per noluisse peccasse.

Deinde, cùm per aliquos peccati originalis perma-

permanentia in posteris, non sit aliud in re, quam negatio justitiæ Originalis, in pœnam peccati Adami. Ergo cùm hæc tollatur infusione Justitiæ Originalis (negatio enim gratiæ tollitur infusione gratiæ) benè etiam dicetur, sine ullo actu, plenam justificationem ab Originali haberi. Sed quia actualis peccati perpetrati permanentia, quam habet moralem, non stat in sola negatione gratiæ; sed etiam dicit, aversionem à Deo transactam, & negationem conversionis ad eundem; fit ut nondum tollatur dictum peccatum, sola infusione gratiæ; sed sicut negatio gratiæ tollitur positione gratiæ, ita & negatio conversionis, tolli debet, positione conversionis. *Rursus* ex eo etiam non convincit Argumentum: Quia diversa est natura permanentiæ peccati Originalis; & diversa permanentiæ, peccati propri habitualis; aliud enim pro recto & connotato dicit utraque permanentia; ex qua diversitate colligitur: unum posse remitti, sine ullo actu proprio, quantumvis aliud non possit, sine tali actu remitti.

Quod ipsum sic explanatur: Originalis peccati permanentia in posteris, pro Connotato dicit disobedientiam Adami, & conversionem ad creaturam, cujus tamen Adami voluntati, fuerunt alligatæ nostræ voluntates, & simul in recto, seu proabsoluto, dicit in nobis negationem gratiæ in pœnam illius peccati; unde etiam definitivè peccatum Originale est; Carentia Justitiæ Originalis, vel, Carentia Justificationis, in pœnam peccati Adami, cui erant nostræ voluntates alligatæ. Jam verò illud connotatum, hoc est disobedientia Adami, non est in nobis, sed in alio & ad aliud. Unde etiam tolli debuit non nostra actuali voluntate, sed in voluntate Adami, cui cùm post peccatum infundebatur gratia, & remittebatur peccatum, necesse fuit retractare suam actionem. Absolutum autem, quod dicit permanentia Originalis in posteris, est negatio gratiæ justificantis denegatæ in pœnam aversionis, quam fecit Caput, & nos in illo, cujus voluntati eramus alligati. Porrò, si actio illa aversionis actualis est, nonnisi connotata à nobis, non debuit in nobis tolli; non enim erat in nobis, sed in alio; si non est necesse illam tolli in nobis, non est necesse nos converti, conversione nostra actuali, quæ sit in nobis. Quia tamen in nobis, est etiam absolutum illud, quod est pœna & effectus illius aversionis in alio actualiter præcedentis, hic effectus in nobis tolli debet: quæ pœna & effectus, qui est negatio gratiæ, tolli debebit positione gratiæ; nam negatio A, non potest tolli nisi positione A: jam autem peccati nobis actu commissi permanentia habitualis, connotat in nobis actionem præteritam, & simul etiam dicit in recto negationem gratiæ in nobis, cumque utrumque hoc in nobis sit & non in alio habitualiter, hinc fit ut utrumque hoc, tolli in nobis debeat, & sublata negatione gratiæ, per positionem gratiæ, tolli adhuc debebit, voluisse peccasse, per positionem: Noluissem peccasse.

Hactenus dicta de peccato Originali. In nostris principiis, paulò aliter proponi deberent; sed placuit disparitatem dare, quæ esset conformis ad principia eorum, qui Originale, secundùm phrasim Patrum explicant per Carentiam Justitiæ Originalis, nè adferendo disparitatem, nova difficultate responderetur. Facile autem erit colligere, quid sit in nostris principiis dicendum? ex iis, quæ adferentur tractando de peccato habituali.

Sed insuper, ad adlatam paritatem aliter? Respondetur *Imprimis*: ex auctoritate Patrum. Nam in Tridentino (qui locus inferiùs stabilietur) docetur, Justificationem adultorum fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum; & quia voluntarium, non est sine ullo actu; nec Justificatio illorum fiet, sine ullo actu. Jam autem non dicit Justificationem parvulorum, fieri per voluntariam susceptionem gratiæ. *Deinde* Aversio, & Conversio, debent inter se proportionari; cumque Aversio Originalis, sit Aversio nonnisi in Capite, & non est Aversio exercita, in & ab ipsismet, v. g. infantibus; etiam Conversio illa, nonnisi in Capite poni debuit, & non est necesse illam poni in ipsismet posteris, potestque dici Conversio hæc facta esse in Capite Christo Domino, qui appellatur Caput hominum & Angelorum, & simul mundum sanctificans in se. Et sicut nostræ voluntates, erant alligatæ Adamo; ita & nomen nostrum, seu ut nomine nostro fieret satisfactio à Christo Domino, erat quædam adligatio nostrorum nominum, quæ, ut salvaretur, (in materia de Incarnatione supponitur) Redemptorem debuisse esse hominem; quantumvis hæc alligatio, præter alia, in hoc diversæ sit rationis, quia executio illius alligationis voluntatum nostrarum in malum, extemplo habet effectum ex quo nascimur, effectum autem illum, quòd nomine nostro oblata sit satisfactio, est necesse nonnisi adhibita Sacramenti Baptismi, vel in re, vel in voto, susceptione, perfici. Hæc disparitas fundamentum habet in S. Th. 1. 2. q. 113. art. 3. ad 1. Verba sunt S. Doctoris. *Sicut peccatum Originale, à quo justificamur non propria voluntate ad eos pervenit, sed per carnalem originem, ita etiam per spiritualem regenerationem, à Christo, in eos, gratia derivatur.* *Denique* dici posset; distinguendum esse Antecedens. Sine ullo actu tollitur aversio Originalis, Justificatione, quâ dicatur se Deus convertere ad parvulum. Concedo Antecedens. Justificatione, quâ dicatur esse conversus peccator. Nego. Aversio etiam ipsa distingui deberet: sunt enim parvuli aversi à DEO in capite, sed non aversione per exhibitionem proprii actus dissoni Deo. De

hoc proposito sic discurrit Augustinus de peccat: & meritis, lib. 1. cap. 19. *Dicet aliquis, quomodo ergo & ipsi vocantur in pœnitentia? nunquid tantillus posset aliquid pœnitere? Huic Respondetur; Si propterea Pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum Pœnitendi nondum habent; nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur? Cur non priùs pœnitentes habentur, cum per eorum verba gestantium, Diabolo, & huic sæculo, renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit, vi Sacramenti, & Divinæ Gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ.* En Augustinum, actum fidelis & pœnitentis, revocantem, in actum alterius.

V. Argumentum est ex iis quæ adfert Esparza. Subjectum, quod præeunte idonea dispositione, recipit connaturaliter aliquam formam, ejusque effectum formalem, necesse est, ut secundùm se præcisè consideratum, habeat incompletionem respectu ejusdem formæ; peccator autem adultus, prævia dispositione supernaturali, recipit gratiam habitualem. Ergo idem secundùm se consideratus, habet incompletionem ad eandem. At virtus Omnipotentis Dei, potest explere incompletionem creaturarum, operando supernaturaliter. Ergo & Deus infundere gratiam adulto, sine ullâ dispositione.

Respondetur. Concedendo primum Syllogismum totum. Concedendo item subsumpti Antecedens; Consequens autem distinguo: quòd scilicet adulto, infundi possit gratia, sine ulla dispositione, vi cujus Deus convertatur ad creaturam, idque exerceat collatione gratiæ. Sed ex hac infusione non fieri, ut per illam præcisè reddatur Creatura conversa ad Deum, & aversa à creatura. Negatur item, quòd ad hoc, ut dicatur aliquis conversus, habeat incompletionem, ut id fiat per aliam formam, quàm per actum proprium.

Instati. Esparza: Quando aliquis ad Sacramentum accedit nonnisi attritus, accedente gratia Sanctificante, ex vi Sacramenti, redditur perfectè justus, & recedens à priori aversione, & conversus perfectè ad DEUM. Ergo gratia habitualis, continet in se, & communicat ei, qui prius erat peccator, perfectam cessationem, prioris aversionis à DEO.

Respondetur. Quòd quando homo redditur, justus vi Sacramenti, cùm nonnisi fuerit attritus; redditur in hoc sensu perfectè conversus: quia scilicet Deus, se ad illum convertit, non convertendus vi solius Attritionis; non redditur tamen conversus perfectè, in hoc sensu; quasi actus illius, per hoc reddatur melior in se, & perfectior in se; semper enim manet in se, cum prædicatis Attritionis: consequenter gratia habitualis continebit in se perfectam conversionem; non quòd actum illius suppleat; nec quòd addat illi aliqua prædicata intrinseca; sed juvando nonnisi illum. Quòdsi inquiras: Cur sine ullo actu, non possit plenè justificari pœnitens? & tamen possit justificari sola Attritione cum Sacramento. Ratio reddi potest ex dictis: Quia cùm justificatur sola Attritione cum Sacramento, ostenditur conversio illius ad Deum, & ostenditur: quî depellantur prædicata inhonestatis, inclusa in actu peccaminoso perpetrato, quod ostendi non potest: quî fiat sine actu peccatoris?

Instat II. Idem: Substantia quælibet rationalis, independenter ab omni sua appetitione elicita, & libera electione, est intrinsecè secundùm suam naturam ordinata, ad ultimum suum finem. Ergo independenter ab omni sua dispositione, informabilis per formam, inclinativam in ultimum finem; estque proinde capax, suscipiendi effectum proprium talis formæ, dummodo non habeat in se actualiter inclinationem, ac deordinationem contrariam. Consequentia Probatur: Quia unumquodque secundùm suam substantiam, est capax formæ, & effectus formalis, perficientis ordinationem, & inclinationem intrinsecam; si non sit impeditum per formam contrariam, actualiter sibi inexsistentem; talis autem est habitualis gratia, & ex peccato habituali nihil remanet actu inclinans in contrarium, ac deordinans.

Respondetur. Conformiter ad jam dicta: Concedendo totum. Quia non negatur: posse sine ulla dispositione infundi gratiam à Deo, quæ est inclinativa ad ultimum finem, per quam Dominus Deus convertat se ad creaturam; sed negatur; illâ gratiâ, convertendam esse actu, ex parte sua, creaturam ad Deum, tanquam ad ultimum finem; & depulsuram inhonestatem disordinationis, inclusam in eo, quod est voluisse peccasse: quæ licèt non maneat physicè simpliciter, manet tamen physico moraliter, ut postea explicabitur. Deinde, quamvis unaquæque substantia, sit capax formæ & effectûs formalis, perficientis ordinationem suam intrinsecam, id tamen verum est, si cætera sint paria. Et sic, v. g. ordinatur homo ad amandum bonum, numquidnè in ordine ad hoc perfici potest à Deo, ut sine ullo suo actu, dicatur amare Deum? æquè autem repugnat, sine ullo actu amare Deum, atque sine ullo actu, esse conversum ad Deum ex parte sui.

Instat III. Justificatio remissioque peccati, in hoc essentialiter stat, quòd homo permanenter ac habitualiter ordinetur ad ultimum suum finem; hoc autem habetur per gratiam habitualem, & non per aliquem actum justificati, aliàs dispositio peccatoris, non solum esset dispositio, sed & forma partialiter justificans.

Respondetur. Per gratiam habitualem inde-

independenter ab actu proprio, habitualiter in hoc sensu converti peccatorem, quia scilicet illâ positâ, habetur principium, vi cujus, se convertere possit ad Deum; sed non habetur habitualis Conversio, vi cujus, dicatur se jam convertisse ad Deum. Porrò Justificatio accepta prout eam accipit Tridentinum pro conversione Dei ad creaturam habetur sine ullo actu. Sed nego haberi posse Justificationem sine ullo actu, si sumatur etiam pro conversione creaturæ ad Deum, non repugnat autem illam conversionem, diverso respectu esse dispositionem, ad justificationem, (sumptam scilicet pro conversione Dei ad creaturam) & diverso respectu, esse quandam formam depulsivam peccati. Ad eum modum, quo formæ substantiales partiales, habent rationem dispositionum, & formarum; imò & omnes formæ accidentales, ita sunt dispositiones, ut simul sint formæ.

VI. Argumentum est Tanneri, Disp. 6 de gratia Dub. 4. Gratia sanctificans seipsa justificat hominem, ipsa conversione actuali; in genere causæ formalis, minimè concurrente, ut videre est in Trid. Sess. 6. can. 7. ad quid ergo requiretur actus proprius?

Respondetur. Quòd justificatio, prout justificatio est, dicta talis, sine addito, importet conversionem Dei ad creaturam, quam Deus exercet infusione gratiæ; & hæc habetur sine ullo actu, sed tamen negatur: Justificationem, sumptam etiam pro conversione creaturæ ad Deum, haberi posse, sine ullo actu; hinc, ut jam innui; docet Trid. perfici justificationem per *voluntariam* susceptionem gratiæ.

Instat Idem: Remissio peccati, non est opus peccatoris, sed opus Dei. Ergo per se non pendet à voluntate peccatoris,

Responsum jam: Remissionem peccati, inquantùm dicit conversionem Dei ad creaturam, esse opus Dei; conversionem autem creaturæ ad Deum, esse opus peccatoris, gratia Dei adjuti; ut in simili dicit Augustinus: *Non ego solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei mecum.*

Quando autem dicit Ripalda citatus: posse hominem remittere offensam sibi irrogatam, quin offendens illam retractet; id jam supra explicatum est; quòd scilicet tum sine ullo actu offendentis remittenda sit offensa, remissione, quâ reddatur offensus conversus ad offendentem; sed non potest homo remittere offensam, sine ullo actu offendentis, quâ remissione reddatur offendens, conversus ad offensum.

VII. Argumentum est Commune, cum aliquibus paritatibus. Si mortale peccatoris, implicat remitti, sine actu illius? vel id implicat ex ratione mortalis? vel ex ratione mortalis talis? vel aliunde? Nullo ex his modo implicat. Non primo; Quia defacto Originale, parvulis remittitur, sine ullo eorundem actu. Non etiam ex vi mortalis talis: Quia in hoc nulla est implicantia.

Respondetur. Quæ sit implicantia, nè actuale peccatum remittatur in sensu inculcato, sine ullo actu, colligi poterit ex dictis, & infra dicetur. Cur autem Originale, sine ullo actu, remitti possit: explicatum supra.

I. Paritas est: Si peccator aliquis, ad unionem hypostaticam assumeretur, hoc ipso justificaretur formaliter. Et, si aliquis in mortali, ad visionem raperetur, hoc ipso formaliter justificaretur.

Respondetur. Si unioni hypostaticæ addatur Amor, sequens visionem beatificam, debitam unito hypostaticè, tunc justificaretur peccatur, ita ut simul dicendus esset, esse conversus ad Deum; præciso autem amore, justificaretur nonnisi, conversione Dei ad eundem. Idemque dicendum est, si raperetur ad visionem. Et nè dicatur ille DEUS peccator ratione naturæ, quæ peccavit, necesse foret omninò dari illi actum retractationis. Sed de hoc inferiùs; aliquid enucleatiùs. Ubi de subjecto Pœnitentiæ virtutis; & de ipso objecto difficultatis. Videatur Materia de Incarnatione, de impeccabilitate Christi.

II. Paritas est: Potest dormiens in mortali, justificari per Martyrium sibi voluntarium, ex præcedente somnum, affectu, sine ulla de eodem peccato Pœnitentia.

Respondetur. Negando, talem, sine ulla de peccato pœnitentia, fore Martyrem. Est Conclusio satis communis, ut videre est, apud Koninck, q. 66. num. 140. Et Ratio est, quia non firmiùs promittitur peccati remissio, martyrio afficiendis, quàm baptizandis; & tamen baptizandi, tenentur elicere actum, ad minimum Attritionis, de suis peccatis; quam Attritionem ita elevat quodammodo, Martyrium, atque eadem elevatur à Sacramento.

III. Paritas est ex Rosmer: votum, itemque juramentum, tam est essentialiter voluntarium, quàm sit peccatum, & tamen potest relaxari absque ulla retractatione voventis, aut jurantis; imò, si actus propriæ Conversionis, sit necessarius ad justificationem, ille solus justificare posset; quod ipsum Probatur alia Paritate. Quia voluntas consecrandi, & applicandi Missam, desinit perseverare moraliter, per hoc præcisè, quòd Sacerdos mutet suam voluntatem. Ergo etiam peccatum, per hoc præcisè destruetur, quòd peccator retractet suam voluntatem; & tamen id falsum est.

Respondetur. Quòd quando fit relaxatio voti, vel juramenti, quantum est ex parte relaxantis, ille exhibet favorem; non sequitur tamen quod is qui relaxatur, censeatur se avertere à suo voto, & convertere se ad suam libertatem, pristinam; sic etiam potest DEUS,

ex parte sua convertere se ad creaturam, eamque conversionem infusione gratiæ exercere, independenter à conversione illius, necdum tamē tunc erit & denominabitur creatura conversa. Quod attinet ad illam Paritatem de Intentione conficiendi Sacramentum. Negatur Consequentia. Quia intentio, v. g. consecrandi, non stat alio, quàm voluntate consecrandi; jam autem remissio peccati, non stat sola retractatione; sed etiam conversione Dei ad creaturam; ut jam inculcatum est, quæ tamen non habetur præcisè, posita retractatione peccatoris.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Argumenta Sententiæ Negativæ.

I. Argumentum est. Si absque ullo actu peccatoris, posset illi remitti peccatum; eo casu, & remitteretur peccatum, & non remitteretur; remitteretur quidem; quia infunderetur gratia, non remitteretur autem; quia tamdiu peccatum non remittitur, quamdiu manet habitualiter; tamdiu autem manet habitualiter, quamdiu non retractatur.

Respondet quidam ex Lugone citato Disp. 7. num. 110. & ex Ripalda citato, num. 365. Duplici sensu dici posse, quòd peccatum habituale maneat. *Primò.* Quatenus actio, quæ fuit physicè, & jam præteriit, ita prudentum judicio, reddit exosum odibilemque Deo, ac si actu esset. *Secundò.* Quatenus peccantis voluntatem, ita, prudentum judicio affectam constituit, ut si de facto peccatur interrogaretur: approbaret quod facit. Priori modo habituale peccatum, tamdiu manet, quamdiu non remittitur; secundo autem modo, eò usque manet, quousque non retractetur. Et quidem priori modo manens, maculat peccatorem; non item manens secundo modo; non enim odio quisquam habetur, propter id, quod solùm, posita conditione committeret. Deinde, hæc permanentia secunda, solùm est, judicio prudentum probabilis; fortè enim, quantumvis interrogaretur, non complaceret sibi in illo peccato. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit I. Quia non dividit adæquatè permanentiam peccati habitualis. Nam præter illas duas acceptiones, est hæc permanentia peccati habitualis, primariæ ut ita dicam, considerationis; quòd scilicet, eadem actio, quæ præteriit, censeatur moraliter manere, & servare habitualiter peccatorem aversum à Deo, & conversum ad creaturam; quòd quidem priùs est, quàm illum esse odibilem DEO, vel paratum complacere sibi in peccato. Hinc illa priori acceptione sublatâ per Dei condonationem, restabit adhuc tollenda hæc alia; hæc autem permanentia, stat in hoc: quòd est voluisse peccasse; id autem non apparet, qui tolli possit, quàm per, *vellem non peccasse*, adeòque per proprium actum.

Non Satisfacit II. Quia si posterior acceptio peccati, quam recenset responsio, non esset solùm hypothetica, revera commacularet animam; nam ex eo solo præcisè, non illam commaculat, quia est intra ordinem conditionatorum, quæ nihil ponunt in esse. Ergo illa non retractatio, & permanentia habitualis peccati, tertio loco numerata, cùm non sit quid merè conditionatum; est enim aversio à DEO habitualis, planè atque si actu exerceretur; maculabit animam, quæ non apparet qui tolli possit, sine mutatione voluntatis per actum?

Deinde ea quæ sunt conditionata, duplicia sunt: Alia, quæ non fundantur supra aliquid absolutum exercitum, vel præsens, vel præteritum; & talia non fundant titulum laudabilitatis, vel vituperabilitatis; & Ratio est, quia neque in se, neque in aliquo sui, de potentia transierunt in actum. Alia autem sunt hypothetica quæ habent aliquod absolutum fundamentum, ut cum transacta intentione baptizandi baptizaturus, si interrogaretur, paratus esset respondere: quòd velit baptizare. Tale esse conditionatum, potest mereri laudem vel vituperium. Ergo etiam & hypothetica illa approbatio peccati, fundata super præteritam volitionem peccati, erit vituperabilis; quæ tamen, ut dictum in responsione est, tolli non potest, sine retractatione propria, adeòque sine illa, nec habitualis vituperabilitas peccati, tolli potest.

Non Satisfacit III. Quia, quantumvis responderet posset is, qui non retractavit peccatum, pro contrario; adeòque non complacere sibi in peccato: id tamen non est ex vi dispositionis, quam habet titulo peccati transacti & non revocati. Ergo prudenter, ex vi illius status, formari debet judicium approbatoriæ voluntatis, contra quàm assumebat responsio; quantumvis autem prudenti judicio humano, non satis appareat, quomodo responsurus esset peccator, si responsio spectetur in illamet ipsa, hoc enim solus Deus novit scientia conditionalium, apparet tamen, quid responsurus esset, attendendo præcisè ab statum, quem habet non retractati peccati, vi cujus, & standō in illo, deberet approbare peccatum.

Respondet II. Rosmer ex Ripalda, & ex de Lugo, notatque Aliquam rem tripliciter posse permanere. I. Permanentiâ habituali, quali physicâ. II. Permanentiâ morali. III. Permanentiâ virtuali. Habitualis permanentia stat voluntate præterita, non retractatâ, Sic is, qui habuit animum occidendi aliū, tamdiu censetur in illo permanere, quamdiu non retractat. Virtualis autem permanentia est, ratione cujus, aliquid

aliquid producitur, aut fit. Perseverantia autem Moralis est, quatenus res ita se habet in ordine ad denominandum subjectum, ac si physicè præsens esset. Jam verò fieri potest, ut aliquid permaneat moraliter, quamvis non permaneat habitualiter, quasi physicè; & è contra, potest permanere habitualiter, & non virtualiter. Illustrat id exemplo voti: Si enim Pontifex dispenset in voto, ignorante vovente, non manet moraliter votum, in ordine ad eosdem effectus, quos causaret non dispensatum; manet tamen habitualiter, quia non est retractatum: è contra si non dispensaret Pontifex, & vovens retractaret, permaneret moraliter, non habitualiter. Sic etiam in præsenti, quando Deus condonat peccatum non retractatum, peccatum permanet habitualiter, non tamen permanebit moraliter, in ordine ad reddendum hominem odio dignum: si verò sit retractatum, & non condonatum, permanebit moraliter, non habitualiter. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit I. Quia ex ea clarè colligitur: peccatum habituale manere, si non retractetur; nè verò recurrat ad hoc, quia non manet moraliter, Deo condonante offensam. Contra erit; quia permanentia illa habitualis quasi physica, reddit vel laudabilem, vel odio dignum illum statum; nam laude est digna, non retractata voluntas vivendi benè; & odio digna, non retractata voluntas occidendi alium. Cur ergo peccatum non sequetur hanc classem odio digni, titulo solius permanentiæ habitualis, quam tamen agnoscunt prædicti, tolli non posse, nisi retractatione? Ergo nisi ponatur retractatio, erit adhuc Objectum illud, odio pignum Divino.

Non Satisfacit II. Præcisa hæc formalitas non revocandi peccatum, est odio digna; est enim habitualis continuatio ejusdem actionis pravæ, & retentio status mali. Ergo cùm, dicto casu, maneat habitualiter peccatum, manet objectum odio Dei dignum, quousque non tollatur illa habitualitas, quam responsio assumit non auferri nisi retractatione.

Non Satisfacit III. Quia ut ex decursu patebit, hæc triplex divisio permanentiæ, patitur suas difficultates.

Respondetur III. Eidem Argumento: sine ullo actu remittendum esse illud peccatum, remissione, quâ dicatur Deus se convertere ad creaturam; non verò remissione, quâ ipsa creatura, se convertat ad Deum.

II. Argumentum est ex variis Paritatibus.

I. Paritas est. Non potest Deus creaturam reddere aversam à se, sine ullo actu peccatoris. Ergo neque conversam.

Respondetur Communiter. Esse creaturam aversam à Deo, est fieri peccatorem; DEUS autem neminem potest facere peccatorem; hoc enim repugnat Deo, jam autem converti ad Deum est bonum aliquod, adeòque, si cætera sint paria, tale, quod à Deo reduci possit in actum.

II. Paritas est. Actus bonus præteritus, reddit hominem habitualiter bonum, dum non retractatur, nec ejus bonitas habitualis tolli potest, voluntate extrinseca alterius. Ergo & actus malus præteritus, reddet hominem habitualiter malum, nec ejus habitualitas tolletur voluntate extrinseca alterius.

Respondet Ripalda citatus retorquendo Argumentum. Sed retorsiones, sunt potiùs propositiones difficultatum non connexarum.

Retorquet autem sic: Bonitas habitualis, actus præteriti, non extinguitur supervenienti peccato, quin redeat integra, supervenienti gratia. Ergo nec gratia habitualis, extinguetur per peccatum superveniens, quin redeant omnia peccata. Extrinseca item Dei prohibitio, reddit ex actu indifferente, malum; neque tamen potest reddere bonum. Obsequium item exhibitum Principi, non tollitur sola voluntate principis. Ergo nec Offensa. Itaque inter bonitatem & malitiam habitualem, non est adæquata proportio. Disparitatem autem universaliter assignat: quia scilicet perseverantia moralis malitiæ, potest pendere à voluntate alterius, ex qua non pendet bonitas. Addit Deum contra malitiam moralem, duplicem habere potestatem: & vindicativam, & remissivam; respectu autem bonæ operationis, habet potestatem nonnisi remunerativam. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit I. Quia, ut jam dixi, hæ retorsiones, excepta ultima, non tam sunt retorsiones, quàm propositiones difficultatum, non connexarum; quid enim habet ad præsens reviviscentia boni, vel reditus mali operis? quid item: an actio indifferens possit reddi mala? &c. quod autem recurrit ista ostendere, quòd non æque se habeant, opera bona & mala, id ad præsens non facit; non enim paritas illa vult omnimodam similitudinem boni & mali, ponendi vel auferendi. Illa retorsio de principe condonante offensam, facit ad præsens, sed ex dictis supra solvitur.

Non Satisfacit II. Quia reddit paritas: Non potest bonitas actûs, pendere à voluntate alîus, ut tollatur alio volente. Ergo nec malitia tolli poterit, alio volente.

Non Satisfacit III. Non habet Deus respectu operis boni voluntatem duplicem remunerandi, & ponendi volitionem independenter à voluntate. Ergo nec habebit duplicem voluntatem, vindicativam & remissivam peccati, independenter à voluntate, vi cujus censeatur pœnitens, jam non velle habitualiter peccatum.

RESPONDETUR aliter. Quòd etiam peccatum habituale, sine ulla retractatione remitti non possit, ita, ut dicatur convertere sese creatura ad Deum, sicut etiam imputari non potest actus bonus, si illum non eliciat voluntas. Et sicut potest dari præmium actûs boni, sine ullo actu; ita & infundi gratia, sine antecedenti retractatione, sed non dicetur tunc peccator convertere se ad Deum.

III. ARGUMENTUM est. Si sine ullo actu peccatoris, posset illi infundi gratia, tunc æquales in malitia, possent ita constitui, ut unus diligatur, & alter odio habeatur. Nam uterque esset non retractans, & tamen alteri non retractanti, infusâ gratiâ, hoc ipso afficeretur DEUS.

RESPONDETUR. In suppositione, in qua proceditur, non fore illos æquales simpliciter, quia alterutri infunderetur gratia, quæ eum redderet Deo amabilem. Jamque ille, cui infunderetur gratia, non haberet malum Dei à se aversi, consequenter, non esset æqualis in malo alteri, à quo Deus aversus.

Punctum Difficultatis 3.

Deciditur Quæstio.

PRÆMITTO I. *Conversionem Creaturæ ad Deum, significare actum vitalem Creaturæ rationalis, quo se ad Deum convertit.*

RATIO I. Quia per Conversionem Creaturæ ad Deum, talem actum intelligit Scriptura. Sic 1. Petr. 2. *Conversi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* Ubi loquitur Apostolus, de fide credentium, & illorum patientiâ, & virtutibus, ad quas illos exhortatur Princeps Apostolorum.

RATIO II. est: Quia quando S. Thomas dicit, Hominem, in primo usu rationis, obligari, ut se convertat ad Deum; ly Conversio. significat illic actum vitalem, & non infusionem gratiæ, quæ saltem in parvulis Christianorum, supponitur præcedere.

RATIO III. est: Quia Conversio Creatoris, ad Creaturam, significat actum Dei vitalem; Conversio item vel physica naturalis, qualis est dum luna convertit se ad solem; vel physica moralis, qua oratione dicitur Ecclesiastes convertere orationem ad Auditores, &c. important motum conversi. Ergo etiam Conversio voluntatis creatæ, erit motus ejusdem.

Neque valet quod dicit Aliquis: quòd, si sit homo aversus à sole, sufficit ut sol se ad illum convertat, non verò ut ille se convertat ad solem; non valet inquam; quia quòd dicitur esse hominem illum conversum ad solem, id abusivè, & impropriè dicitur: nam posset negare ille homo, quòd se ad solem converterit; posset autem dicere: Sol est ad me conversus, non ego ad illum; ille me quæsiit, non ego illum. Et alias dum sol incipit illustrare fenestram vesperi, quam non illustrabat mane, dici deberet fenestra cum domo convertisse sese ad solem, quod nemo dicet; sed solùm convertisse se solem versus fenestram. Deindè hæc Conversio materialis, stat nonnisi in tali collocatione partium, quæ habetur sive solus sol se convertat, sive etiam convertat se domus, non talis autem, ut ita dicam, erit constituio peccatoris, sive ille proprio actu se convertat, sivè non; consequenter non habebit rationem conversi, nisi proprio actu se in hoc statu constituat. Denique in conversione materiali hominis, duo spectari possunt: Primò ipse terminus & Ubi; hoc cùm non sit quid vitale, potest sine ullo actu vitali haberi, adeòque etiam parieti convenire. Et aliud est ipse motus, sive vitalis, sive ab extrinseco; conversivus; hic non potest haberi, nec denominatio ab illo oriunda, sine ullo actu.

PRÆMITTO II. *Aliud esse, Deum esse conversum ad Creaturam, & aliud, Creaturam esse conversam ad Deum.*

RATIO præmissi colligi potest, ex dictis; & insuper ista est: Quia scilicet Conversio Dei ad Creaturam, importat actum liberum Divinum; Conversio autem Creaturæ ad Deum, importat actum creatum; certum autem est, non idem esse actum liberum Divinum, & actum liberum creatum.

PRÆMITTO III. *Possibile esse separari hæc duo: scilicet, Deum esse conversum ad Creaturam; & hanc esse conversam ad Deum.* Ut etiam innuit Lugo, Disp. 5. num. 67.

RATIO II. Præmissi est: Quia id non implicat contradictionem. Et certè, non implicat, ut posito, quòd actus Contritionis non sit forma justificans, ponatur Contritio in anima, & tamen non infundatur illi forma justificans gratia. Ergo jam poterit esse Contritio, quæ est Conversio Creaturæ ad Deum, & non poni gratia, quâ Deus per communem sententiam, exercet Conversionem sui ad Creaturam: Ex alia etiam parte, fieri potest separatio, quia Oppositi docent, sine ullâ actuali Conversione, posse fieri infusionem gratiæ, quâ exercet Deus suam Conversionem ad Creaturam. Ergo jam ista duo sunt separabilia.

RATIO II. est: Quia Conversio Dei ad Creaturam, dicit actum Dei liberum; & Conversio Creaturæ ad Deum, dicit actum liberum creaturæ. Cur ergo hæ duæ libertates unà necessariò convenire debent?

RATIO III. est: à pari. Quia in physicis, potest unus convertere sese ad alium, & non alius ad illum, potest unus esse addictus alteri, & non alter illi, &c. Cur ergo idem etiam in præsenti fieri non poterit. Et saltem ex ratione generica, Conversio unius, non est Conversio alterius; consequenter etiam in Conversione justificativa, distingui ea debebunt.

PRÆ-

Præmitto IV. *in Iustificatione Iusti completa, utrumque hoc perfici debet, ut scilicet & Deus ad Creaturam, & Creatura ad Deum convertatur.*

Ratio I. est: Quia ordinariè Scriptura, quotiescunque de Justificatione loquitur, utriusque illius Conversionis meminit. Clarus est ille locus Zachar. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Item Jerem: *Si conversa fuerit gens illa, convertar & ego, & miserebor.* Significat hoc & illa emphasis Christi Domini, quâ vult sibi aperiri, quod est creaturam converti ad Deum; & promittit se mansionem facturum, quod est Deum convertere ad creaturam; quæ Conversio exercetur permanentia infusæ gratiæ.

Ratio II. est: Quia Tridentinum Sess. 6. cap. 7. describens justificationem, dicit de ea: quòd sit peccatorum Remissio, & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Ubi Concilium conjungit infusioni gratiæ voluntariam susceptionem. Et licèt quidem meminerit illic Tridentinum, etiam aliorum donorum, quæ tamen ad complendum Justificationem non spectant, id non obest; quia verba Conciliorum, ut sonant, sunt accipienda, nisi aliquod obstet; obest autem dicere: quòd Justificationem intrinsecè illa dona compleant; non enim apparet, unde habeant oppositionem depulsivam peccati, cùm sint merè nonnisi principia supernaturalia actuum; nihil autem obest dicere: compleri Justificationem, in suo genere, per conversionem Creaturæ ad Deum; non quidem, ut compleat, tanquam pars formæ justificationis rigorosè, & antonomasticè acceptæ; hæc enim ex Tridentino est sola gratia; sed ut compleat, tanquam forma ex habitualiter non converso, seu potiùs, habitualiter averso, reddens formaliter conversum. Et sicut cùm dicitur homo in communibus principiis reddi amans, per vitalem receptionem amoris, & vitalitas, quæ stat in motu ab intrinseco, & receptio amoris, erit necessaria ad hoc perficiendum; ita cùm dicitur per voluntariam susceptionem gratiæ, justificari hominem, & voluntarietas & gratia, erunt de necessitate justificationis.

Ratio III. Est, communis apprehensio justificationis, ita ut nemo etiam ex Oppositis, qui absolutè pronuntiant posse infundi gratiam, sine actuali retractatione, dicat eo casu non converti simul peccatorem ad Deum.

Præmitto V. *Conclusionem à nobis ponendam, procedere de justificatione, remissione peccati, conversione, &c. vi cujus, & Creatura sit conversa ad Deum, & Deus ad Creaturam.* Et qui, positionem nonnisi unius partis, requireret; v. g. nonnisi conversionem Dei ad Creaturam; hic contraveniret præmisso 4. sed non puncto Conclusionis. In hoc enim totus punctus difficultatis stat: an sine ullo actu peccatoris, possit ille justificari, justificatione, quæ reddat, & Deum conversum ad peccatorem, & peccatorem conversum ad Deum?

Dicendum est I. *Possibile peccatum, quod sit imposs. le actu remitti, sine ullo actu peccatoris.* Probat. Quia possibile est Deum dicere: Nolo ex æternitate remittere peccatum, sine retractatione peccatoris. Ergo erit impossibile actu illud remitti, sine ullo actu peccatoris; impossibile enim est illud fieri actu, quod Deus decrevit non facere tota æternitate. Dixi autem *actu:* quia illud peccatum, quantum est ex illo, etsi tale decretum non intercessisset, potuisset remitti.

Dicendum est II. *Accipiendo Remissionem peccati, Iustificationem &c. pro sola Conversione Dei ad Creaturam, hæc potest haberi sine omni actu peccatoris.*

Probatur I. Omnibus argumentis adlatis Puncto primo.

Probatur II. Argumento Negativo; Quia scilicet id non implicat. Ex alia parte, ponit Deum in libertate amandi, dominio suorum infundendorum donorum, quæ omnia si non obsit implicantia tribuenda sunt Deo.

Probatur III. Potest Deus ponere gratiam in lapide. Ergo & in peccatore, non retractante Offensam.

Dicendum est III. *Accipiendo Remissionem peccati, Iustificationem, &c. pro Conversione etiam peccatoris ad Deum, & aversione à Creatura, hæc non potest haberi sine omni actu.* Habet hæc conclusio fundamentum in Auctoritatibus.

Prima sit S. Thomæ hîc Quæst. 86. ar. 2. o. verba. S. Doctoris sunt hæc: *Offensa peccati mortalis, procedit ex hoc, quòd voluntas hominis, est aversa à Deo, per Conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad Remissionem Divinæ Offensæ, quòd voluntas hominis, sic immutetur, ut convertatur ad Deum, cum detestatione Conversionis prædictæ, & proposito emendæ; quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ secundum quòd est virtus. Et ideò impossibile, quòd peccatum alicui remittatur, sine Pœnitentia, secundum quod est virtus.* Neque valet si ly *impossibile* explices, per ly *de lege ordinaria*, quia impossibile, tunc per ly *Ordinariâ potentiâ*, explicari debet, quando in oppositum urget convictiva ratio; aliàs cùm dicitur, esse impossibile Deum producere Chymæras; intelligendum esset, *de lege ordinaria*; nulla autem convictiva ratio urget, quòd possit fieri justificatione sine ullo actu peccatoris, vi cujus, etiam homo sit conversus ad Deum. pro eadem Assertione stat alibi eadem S. Tho. 1. 2. quæst. 113. ar. 1. & magis 3. Ubi ad 2. dicit: *Donum gratiæ, justificantis præcipuè, ordinat hominem ad bonum, quod est objectum voluntatis; & ideo ad ipsum movetur homo per motum voluntatis.* Ex quo loco sic por-

est confici argumentum. Justificatio est ordinatio hominis ad bonum, per motum voluntatis. Sed impossibile est, esse ordinationem hominis ad bonum, per motum voluntatis, sine ullo actu voluntatis. Ergo impossibile est, sine ullo actu voluntatis esse justificationem.

Secunda auctoritas sit S. Augustini & aliorum Patrum, quas videre erit infra, ubi agetur: An contritio sit forma justificans? Cito aliquas nonnisi S. Augustini auctoritates, quas ad manum licèt habere. Explicans illud Psalm. 33. *Accedit ad eum, & illuminamini*, inquit: *ut autem accedas & illumineris, displiceant tibi tenebræ tuæ, damna quod es, ut merearis esse quod non es; es iniquus, esse debes justus. Nunquam justitiam percepturus es, si adhuc tibi placeat iniquitas.* Ita loquitur expositione in Psal. 99. ly autem, *Nunquam*, videtur extendi ad omne possibile tempus. Et in Psal. 102. inquit: *Non sit ante oculos tuos delectatio præteriti, sed sit ante oculos tuos damnatio peccati; damnatio à te, remissio à Deo.* Ubi S. Augustinus ad justificationem æque requirit remissionem à Deo, & damnationem à peccatore. Subdit. *Quanta* inquit, *ergo miseria est, longè esse ab eo, qui ubique est? esto ergo similis pietate, & diligens cogitatione.* En S. Augustinus conjunctionem cum Deo, quæ fit in justificatione tribuit cogitationi diligenti. In Psalm. autem 103. *Ergo anima decora esse non potest, nisi confessa fuerit fœditatem ei, qui semper pulcher.* Ubi S. Augustinus negationi confessionis, subnectit, non posse esse justificatam, quia nec habentem decoram animam. Similia sunt in Psalm. 84. Ubi ait de conversione. *Quid ergo hoc tibi præstitisti tu, ô homo! ut quia conversus es ad Deum, merearis misericordiam ipsius? quia autem conversi non sunt, non sunt adepti misericordiam, sed invenerunt iram.* Huic loco, & antecedentibus, aliisque Patrum Auctoritatibus, inde efficacia additur: Quia Oppositi, ex similibus locutionibus, quæ important donationem gratiæ: colligunt: Impossibile esse justificari hominem, sine gratia. Cur ergo non colligent; impossibile esse eundem justificari, sine Conversione sua actuali?

Tertia Auctoritas est Tridentini jam citati, quod dicit nos justificari, per voluntariam susceptionem gratiæ; qui locus supra, & propositus & defensus est.

Probatur I. Conclusio. Impossibile est transire, à contradictorio, ad contradictorium, sine sufficienti mutatione; ut ostensum est, in materia de Distinctione Modali; ubi contra Recentiorum responsiones, hoc principium abundè propugnatum est. Ergo etiam, à non esse converti ad Deum, ad esse converti, transiri non potest, sine sufficienti mutatione. Sed nisi ponatur aliquis retractationis actus in peccatore, non ostenderetur sufficiens mutatio. Ergo ille actus poni debet. Subsumpti Antecedens Probatur. Quia si esset aliqua sufficiens mutatio, illa esset positio gratiæ in peccatore, quamvis sine ullo illius actu. Sed hæc non est sufficiens mutatio. Quod ipsum Probatur. Possibile est Deum esse conversum ad Creaturam, & non esse Creaturam conversam ad Deum; ut dixi in Præmitto 3. Ergo etiam possibile erit infundi illi gratiam, quâ exercet Deus sui Conversionem ad Creaturam esse conversam ad Deum. Ergo infusio gratiæ non est sufficiens mutatio, per quam transeatur, à non esse converti ad Deum, ad esse converti ad Deum.

Respondebis I. Dupliciter accipi posse conversionem. *Primò*, Pro ipso actu vitali. Deinde pro habituali Conversione, quæ sit qualitas conversiva Creaturæ ad Deum; & hæc sola posterior requiritur ad justificationem; sufficienterque habetur, per meram infusionem gratiæ.

Contra est I. Quia habitualis Conversio, ut jam prædictum est, non potest alium habere sensum, nisi unum ex his duobus. *Primò*, Quòd jam se converterit peccator ad Deum, nec Conversionem retractârit. *Secundò*, Quod habeat in se principium elicitivum Conversionis; ad eum modum; quo habitualis amor, stat vel in non retractato amore, vel in habitu seu principio amoris. Priori modo accepta Conversio habitualis non est tunc, cùm supponitur nullum actum proprium elicere peccator, & antecedentes peccatum Conversiones jam sunt retractatæ per odium Dei positum. Secundò autem modo Conversio habitualis tunc datur, sed non est sufficiens ad hoc, ut dicatur peccator, à non esse converti, transire ad esse converti, quia tantùm transit, à non esse habentis principium elicitivum Conversionis, ad esse habentis principium elicitivum Conversionis; hîc autem non quæritur, de principio ad Conversionem, sed de Conversione.

Contra II. Quamvis habitualis Conversio, sufficiens sit ad justificationem, Nego tamen sufficientem esse solam istam, quæ stat in posse converti; sicut enim tunc non debet esse posse justificari, ita & non debet esse posse converti, sed esse conversum actu; quod non explicatur qui fiat sola infusione gratiæ. Hinc sic ulteriùs restauratur Argumentum: Impossibile est transire à contradictorio, ad contradictorium, sine sufficienti mutatione. Ergo & ad esse conversi, &c. Sed mutatio quæ est per infusionem habitûs conversivi vel habitualis, ut tu dicis, conversionis; non est talis, quia potest poni habitus conversivus, & nondum esse creatura conversa ad Deum, sed tantùm potens converti. Et sicut non sufficit posse poni gratiam, sed est necesse illam poni; ita ad justificationem, non sufficit posse poni Conversionem Creaturæ, sed est necesse illam poni.

Contra III. Quia illa infusio gratiæ, vel reddit etiam Creaturam pro sua parte conversam

sam ad Deum ? vel non reddit? si non reddit? Ergo non respondes ad propositum. Si autem reddit conversam, Contra est quia non implicat contradictionem, poni gratiam, & illam habitualem Conversionem; & tamen peccatorem, non esse conversum. Hæc tertia probatio, solo modo proponendi, differt à secunda.

Respondet II. Quidam: nisi ponatur aliquis actus retractationis, non ostenditur sufficiens mutatio in transitu, à non esse converti, ad esse conversi; si ly *Converti ad Deum* sit aliquid positivum; secus si ly *Converti ad Deum*, sit aliquid negativum, seu non positivum, quòd sciceat aliquis aversus à Deo per peccatum, non sit nec censeatur aversus habitualiter.

Contra. Tum quia, reddit argumentum, per quid transitur à non esse conversi negativè, ad esse cõversi negativè? non ipsa infusione gratiæ; quia possibile est, ut ullâ infusâ, maneat adhuc positivè aversus peccator; vel si hoc negas, ostendis Conversionem negativam, tenentem se à parte gratiæ. Hîc autem quæritur de Conversione, tenente se à parte peccatoris; non repugnat autem ut posita positiva & negativa Conversione peccatoris ad Deum, tenente se à parte gratiæ, non sit conversio, & positiva & negativa peccatoris, tenens se à parte peccatoris; curque hoc non posset esse, ut positâ gratiâ non sit dicta negativa conversio? hoc probari debuisset. Cujus tamen nulla adfertur ratio, de quo tamen est Quæstio. Et certè positiva Conversio peccatoris ad Deum, non potest stare in sola infusione gratiæ, sed requirit per respondentem positivitatem actûs, qui se teneat à parte ipsius peccatoris. Ergo & negativa Conversio peccatoris ad Deum, non potest stare in sola infusione gratiæ sed requiret negationem, quæ se teneat ex parte ipsiusmet peccatoris, & ratione illius sit, in quo ergo illa stat? Tum quia negativa ista Conversio, vel est mera non aversio actualis à Deo? qualis habetur, quando post transactum peccatum, nihil homo cogitat de peccando; & hæc non est sufficiens pro præsenti cum habeatur etiam tunc, cùm non est gratia & justificatio. Rursùs, vel ista negativa Conversio, sic sumpta, est pura omissio libera? si pura omissio libera? hæc non datur; si non pura omissio libera? Ergo fit ratione actus alicujus, adeoque nec erit conversio peccatoris, sine ullo illius actu; vel ista negativa Conversio erit à parte gratiæ, & de hoc non procedit nostra quæstio; quia gratiâ ex sua parte, & positivè convertit ad Deum, & negativè, quia non avertit. Sed est quæstio: quomodo gratiâ etiam negativè convertente, hocipso reddatur etiam peccator pro sua parte negativè conversus? ditque factum argumentum. Posita illa negativâ conversione, tenente se à parte gratiæ, quæ non avertit à Deo, cur non sit possibile peccatorem à sua parte, non dicere negationem aversionis à Deo? Tum quia: suppono, quod priùs natura, ponatur peccatum, & posterius tollatur gratia; secundùm illud, quod Deus, neminem deseratur, nisi ipse prius deseratur. Pro illo ergo priori quo intelligitur peccatum, intelligitur etiam gratia licèt, Physicè jam non sit; & tamen non intelligitur negativa conversio ad Deum: quia non aversio à Deo, & aversio à Deo, nullo instanti possunt secum non tantùm esse, sed nec cointelligi. Ergo apparet negativam hanc conversionem non habet à gratia, siquidem illa, pro illo priori, habitâ, non habetur conversio negativa. Rursùs, sine ulla infusione gratiæ, potest remitti peccatum, adeoque fieri peccator negativè conversus. Item in statu puræ naturæ. Ergo hæc negativa Conversio non habetur à gratia.

Respondet III. Hoc loco propriè non esse transitum, à non esse conversi ad Deum, ad esse conversi; sed potiùs ab esse aversi à Deo, ad non esse aversi.

Contra. Quia redit Argumentum: quomodo transeatur ab uno contradictorio ad aliud?

Respondet IV. Radicaliter seu fundamentaliter conversus redditur homo infusione gratiæ, formaliter autem non aversione, seu negatione aversionis; quæ negatio aversionis est aliquid morale, & ad infusionem gratiæ consequitur: ita ut tunc non reddatur homo, ex averso conversus, sed ex averso non aversus.

Contra. Tum quia; de hoc ipso quæritur: quomodo transeatur ad hanc negationem aversionis? Tum quia, de hoc ipso quæritur: quomodo non possit esse simul gratia, & carentia negationis aversionis à Deo? Tum quia, non potest ex averso, reddi conversus, nisi aliquo positivo de linea voluntatis. Ergo & non aversus non potest reddi, nisi per aliquod negativum, quod tamen sit de linea voluntatis, & ut dixi, non potest includi in ipsa gratia.

Respondet V. Nihil faciliùs, quàm hic ostendere mutationem.

Contra. Quæritur quæ illa sit?

Probatur II. Si sine ullo actu peccatoris, infusâ gratiâ, redderetur hocipso peccator conversus ad Deum, & non solus Deus conversus ad peccatorem; & redderetur conversus, & non redderetur; redderetur quidem conversus, ut supponitur; non redderetur autem, ut probatur. Quia vel redderetur conversus actu suo vitali; vel infusione qualitatis; neutro ex modo redderetur conversus. Non priori; quia supponitur nullum exercuisse actum. Non posteriori modo; quod ipsum probatur. Quia Conversio actualis, vel semel perficitur actu nostro vitali: per se loquendo; ergo jam à nullo, quod vitale non est, produci potest, cum vi denominandi. Ergo nec producta illâ infusâ qua-

qualitate, denominabitur peccator conversus; sic. v.g. producat Deus qualitatem, quæ est amor Petri, mihique illam infundat, illa qualitas non me denominabit amantem Petri. Item humanitas Christi Domini, non potest reddi sciens scientiâ increatâ. Denique si Petrus & Paulus penetrarent sese ad invicem; itemque Gabriel & Michaël, nihilominus unus non redderetur intelligens, intellectione alius. Quod totum in hoc fundatur: quia nulla denominatio petibilis ab actu vitali, si non producatur ab intrinseco, potest denominare subjectum. Ergo & ratio conversi, cum sit vel semel per se desumibilis ab actu vitali, non potest cum vi denominandi haberi, ab extrinseco sibi indita qualitate. Quod ipsum ulterius fundatur, in hoc principio: Quia denominatio ab actu vitali oriunda petitur ab eo, quod est ab intrinseco; si petitur ab eo quod est ab intrinseco; à nullo quod intrinsecum non est, suppleri potest; proficisceretur enim ab eo, à quo petit non proficisci, cùm petat proficisci, nonnisi ab intrinseco.

Neque valet, si dicas: hanc denominationem conversi, proficisci quidem interdum ab intrinseco, sed non semper; dicam enim; etiam denominationem intelligentis, volentis, &c. proficisci quidem ab intrinseco, sed non semper; posse aliunde supplere & oriri.

Neque valet si dicas: quod infusio gratiæ denominet Deum amantem, quæ tamen est quid illi extrinsecum; non inquam valet si id dicas, quia exhibitio gratiæ, denominat Deum amantem, eo modo, quo, signum affectûs denominare potest, nam in re, Deus denominatur amans, à suo actu interno; ad quam denominationem amantis, censetur transire in circumstantia exhibitionis gratiæ.

Punctum Difficultatis 4.

Probatur ulterius, & Defenditur Conclusio.

Confirmatur Conclusio I. Fieri potest in humanis, ut Petrus convertatur ad Paulum per amorem, nec amor Petri reddat Paulum conversum ad Petrum. Ergo etiam in his supernaturalibus, idem dicendum.

Neque Valet si dicas: quòd amor Petri, nihil producat in Paulo; adeoque non reddat illum conversum. Quia pone, quòd Divinitus transferatur amor ille in Paulum; pone item, quòd aliquid producat, v.g. Species ad sui amorem requisitas; num quidnè ex hoc præcisè dici debebit jam amari à Paulo Petrus? Quid ergo tu speciale ostendis in gratia, vi cujus infusi, oritur, indispensabiliter denominatio conversi, in habente gratiam?

Confirmatur II. Duplex est sententia inter Auctores: Quidam enim censent, quòd Divinitus stare possint secum, peccatum & gratia. Ergo etiam stare secum possent saltem Divinitus, gratia, & hoc, quod est Petrum non esse conversum ad Deum, quantumvis Deus convertatur ad Petrum. Ergo aliud quid erit convertì Petrum. Ergo ut urgebatur, non sufficienter explicabitur, per quid sine ullo actu proprio, censeatur reddi, ex non converso ad Deum, conversus ad Deum? Alii autem negant posse secum stare. Contra illos sic formabitur Argumentum: *Bona est hæc illatio, Potest stare gratia, quamvis homo non retractet voluntatem peccaminosam. Ergo etiam poterit stare gratia, cum peccato. Ergo bona etiam erit hæc illatio:* si Per te non potest stare gratia cum peccato, Ergo nec stare poterit justificatio, sine retractatione; quomodo autem est retractatio, sine ullo actu?

Confirmatur III. Eo casu, quo sine ullo actu peccatoris, remittitur peccatum, vel tollitur peccatum habituale, vel non tollitur? si non tollitur? qui dicetur justificari? si autem tollitur tunc peccatum habituale? Contra erit: quia tolli peccatum habituale, est tolli peccatum non retractatum; sicut enim voluntas habitualis, est voluntas non retractata; ita & peccatum habituale, est peccatum non retractatum, saltem ex consequenti; sed tunc non tollitur peccatum non retractatum, si scilicet nullus ponatur actus, ut supponebat Rosmer; & fundatur in hoc: quia positio actûs vitalis non retractati, non potest tolli, nisi alio vitali actu retractante; illa enim non retractatio, est negatio actûs vitalis. Ergo tolli non potest, nisi positione actûs vitalis. Ad eum modum, quo negatio Intellectionis, non tollitur, nisi Intellectione.

Deinde, quamvis peccatum habituale, non stet solo defectu retractationis, immò, quamvis illud non ingrederetur, illa ipsa duratio in peccato ejusque non retractatio, est inhonesta formaliter; per quid ergo formaliter tolletur? Nam si dicas: Quòd si nullus ponatur actus pœnitentis retractativus, mansurum sit quidem peccatum habitualiter, sed non moraliter si inquam id dicas. Contra erit: Quia & non manebit moraliter, & manebit: non manebit quidem, ut dicis, manebit autem, quia illa ipsa duratio non retractati peccat, est inhonesta, & vituperio digna; est enim quasi, ut ita dicam, peccaminosæ actionis reproductio & continuatio moralis.

Probatur III. Rationibus quas Esparza objecit sibi, & illis aptavit solutiones.

I. Ratio est. Ex peccato actuali præterito, manet habitualiter ratio voluntariæ aversionis à Deo quousque non retractetur; & repugnat metaphysicè, ut auferatur per ullam alicujus alterius voluntem. Ergo et ã manet ratio peccati,

peccati, nec potest auferri, per solam Dei voluntatem, præcipuè cùm ratio peccati, sit indistincta à ratione voluntariæ aversionis à Deo. Antecedens Probatur. Quia voluntarium, est ab intrinseco essentialiter. Ergo repugnat, ut quod est voluntarium, & potest permanere ut tale respectu alicujus, desinat esse tale, & reddatur non voluntarium respectu ejusdem per solam voluntatem alterius.

Respondet Esparza: Fieri quidem naturaliter non posse, ut quod fuit aliquando liberè volitum, non sit habitualiter deinde voluntarium, quousque non retractetur per actum contrarium; ad fieri supernaturaliter potest, ut esset, atque revocetur habitualiter prior ratio voluntarii, Deo infundente habitum incompossibilem, cum ratihabitione actus præteriti, & perfectè dispositivum animi, ad actum contrarium, datâ occasione. Hujus rationem dat. Quia Deus dominatur voluntati creatæ, non minùs quam causis necessariis, ideoque Divinitus fieri potest, ut nulla præeunte dispositione, ex parte peccatoris, infundatur ipsi habitus incompossibilis, cum actu, simili ei, qui præcessit.

Contra I. est: Quia hæc Responsio non satis explicat: an repugnet metaphysicè, actum voluntatis tolli, ab alio, quàm ab actu voluntatis; vel non repugnet metaphysicè? si non repugnet metaphysicè? redibunt Argumenta superiùs facta. Et insuper probatur ex eo, Quia alligatio voluntatis, ut ipse loquitur, ad unam partem, non potest formaliter haberi ab alio, quàm ab actu voluntatis; sicut nec alligatio Intellectûs, per assensum, haberi potest ab alio, quàm ab actu Intellectûs; ergo & alligatio voluntatis ad non voluisse peccasse, quæ dat sublationem præteritæ voluntatis, non poterit ab alio haberi, quàm ab actu proprio. Si autem id repugnet Metaphysicè: Ergo immeritò dicit, naturaliter id tantùm fieri non posse. Deinde Concedo posse Deum infundere qualitatem, quæ sit impossibilis cum ratihabitione actûs mali præteriti; sed quærere restat: Cur gratia sit talis qualitas? Denique etiam concesso, quòd gratia sit incompossibilis cum ratihabitione actus præteriti peccaminosi, & impeditiva, nè ad illam prosiliatur; sed quî illa gratia ad hoc extendetur, ut reddat ex non converso conversum; ex averso, non aversum? sicut potest quidem dari qualitas impeditiva, nè homo ponat actum intellectionis; sed non potest poni qualitas, vi cujus homo reddatur intelligens, sine ullo actu, ita nec poni poterit qualitas, vi cujus homo dicatur conversus, sine ullo actu. Et certè, illo casu concesso, non ponetur affectus Formalis, sine forma; vel denominatio vitalis, sine actu vitali; quod tamen contingeret, si sine ullo actu redderetur homo conversus. Concedo interim gratiam esse qualitatem dispositivam animi, idque infallibiliter ad actum contrarium peccato, sed unde illa qualitas erit infallibiliter adlativa, (independenter ab actu, ad quem disponit) denominationis conversi? Si autem inferet etiam positionem actus, jam dabitur quod petit argumentum.

Contra II. Quia recurrere in præsenti ad id, quòd Deus dominetur voluntati creatæ, nihil evincit. Quod ipsum Probatur: Quia ex eo, quòd Deus dominetur voluntati creatæ, inferri quidem potest, ut si non egi, agam: sed inferri non potest, ut si non agam, censear agere. Ergo etiam inferri non potest, ut si me proprio actu non converti ad Deum, censear conversus ad Deum. Rursùs Dominium Dei, non prodest ut possim reddi amans, sine ullo amore. Ergo nec potest efficere, ut reddar conversus; sine ulla conversione propria.

Contra III. Quia, ut jam dictum est, nullæ denominationes vitales, haberi possunt, sine ullo actu proprio; & si semel, esse conversum, est quid vitale, metaphysicè repugnabit, sine ullo actu haberi conversionem.

Respondebis: Posse hominem habere divitias, & proprio actu, & si ab alio ditetur. Cur ergo etiam conversio non potest haberi, à proprio actu, & ab habitu infuso? Rursùs, potest aliquis accedere ad locum A, & proprio motu, & si in illo loco A ponatur, hinc poterit aliquis esse cõversus, & proprio actu, & qualitate infusâ.

Contra dicam etiam: Posse nos intelligentes, & volentes, non tantùm proprio actu, reddi. Deinde, disparitas magna est: Quia hoc, quod est me esse divitem, non est unquam denominatio vitalis; sed est id, quod acquiritur operatione aliqua vitali; esse autem me conversum, est vel semel actus meus vitalis, & ab illo denominor. Denique: In accessu duo spectari possunt; Imprimis, Possessio præsentialitatis, seu Ubi, sive illud sit modale, sivè formalitas; & hæc non est vitalis; adeoque acquisibilis sine vitalitate. Jam autem conversio peccatoris, est quid saltem semel vitale, adeoque semper. Rursùs, in accessu spectari potest ipsa motio, & hæc nunquam potest esse non vitalis; nec potest dari qualitas, quæ sit accessus, sine ullo motu. Et ita nec potest dari conversio, quæ sit sine ullo motu.

Neque valet si dicas ulterius: Posse aliquid moveri ab intrinseco, & ab extrinseco; ut fit in motu projectorum, motu tractionis, &c. Ergo & conversio potest esse, & ab intrinseco, & ab extrinseco. Non inquam valet, si id dicas: Quia Imprimis retorqueo Argumentum dicamque: Posse nos reddi intelligentes, & volentes, etiam ab extrinseco. Deinde, quando dicimur moveri ab extrinseco, non aliud intelligitur, quàm nos successivè acquirere, alias & alias præsentialitates; quæ acquisitio præsentialitatum, non est denominatio vitalis, adeoque petibilis ab extrinseco: jam autem, esse peccatorem conversum,

versum, est denominatio vitalis, adeoque non petibilis ab extrinseco.

II. Ratio apud eundem est: Quia repugnat actu justificari, & non desistere ab actu peccandi. Ergo repugnat peccatum habituale Justificari; quin justificatus desistat habitualiter peccare; repugnat autem, ut quia est habitualiter peccator, desinat peccare habitualiter, quin retractet propriâ libertate priorem actum; quia qui semel voluit actu, semper vult habitualiter idem, dum nõ succedit actualis retractatio.

Respondet Esparza: In hoc esse discrimen, quòd peccatum actuale cessare non possit, quin peccator, vel liberè, vel necessariò suspendat suam actionem; peccatum verò habituale, cessare potest, per solam actionem alterius; quia conceptus ejus adæquatus non consistit in solo actu præterito, & incarentia actûs contrarii, sed indefectu contrariæ animi dispositionis habitualis, quæ per solam Divinam operationem induci potest, eminenterque retractatur.

Contra I. est: Quia redit paritas assumpta: Peccatum actuale cessare non potest, nisi peccator, vel liberè, vel necessariò suspendat suum actum, tamen ab intrinseco. Ergo nec peccatum habituale cessare potest aliter, quàm ab intrinseco. Item, sublatio peccati actualis, non consistit in contraria dispositione, per solam Divinam operationem inducibili. Ergo nec peccatum habituale, cessare poterit, per solam contrariam dispositionem, inducibilem à Deo. Deinde, Concesso, quòd peccatum habituale non stet adæquatè in solo actu præterito; stat tamen in esse aversi à Deo; sicut justificatio in esse conversi; quî ergo habebirur hoc esse conversi, sine ullo actu, per solam dispositionem inducibilem à Deo? Rursùs sicut ille negat peccatum habituale stare adæquatè in solo actu præterito, moraliter manente, dicemus etiam non stare in contraria illa dispositione inducibili à Deo. Denique, redit quod ante proposui: Non apparet, quî contraria illa dispositio possit adferre denominationem conversi? sicut nulla dispositio adferre denominationem intelligentis, sine ullo actu; dispositioque illa poterit facere, nè peccetur de novo; sed cur faciet conversum?

Contra II. Quia redeunt Argumenta facta: quî scilicet ratio conversi, quæ est denominatio vitalis possit haberi, Deo contrariam dispositionem inducente.

Contra III. Quia non apparet, quî salvari possit illa eminentialis retractatio? nam non potest aliquis reddi eminenter intelligens, sine ullo actu. Ergo nec poterit reddi eminenter conversus, sine ullo actu.

III. Ratio est quam ille 6. loco ponit: Justificatio sine ulla dispositione ponenda, seu liberans hominem ab onere sese disponendi, est majus Dei beneficium, quàm si justificetur, prævia dispositio; repugnat autem justificatio magis benefica ex parte Dei, quam quæ de facto datur. Tum quia illa, quæ de facto est, est summum præmium meritorum Christi Domini, præmium autem summi ac infiniti meriti, oportet esse opus summæ perfectionis. Tum quia: ab Augustino appellatur maximum opus Dei. Ergo si sine ulla retractatione, adeoque dispositione peccatoris, fieri posset justificatio, foret illa majus Dei beneficium. Ergo talis justificatio, sine retractatione, est impossibilis; quia est impossibilius justificatio, quæ sit dignior & majus Dei beneficium, præ præsenti.

Hoc argumentum in seipso spectatum, non urget in nostris principiis; sed urget in principiis illorum qui censent esse impossibilem Creaturam, perfectiorem his, quæ de facto dantur; licèt imperfectiores dari possent. Sed quicquid sit de hac doctrina, ex alio etiam capite Argumentum non concludit. Quia ut dictum in materia de Incarnatione non est de facto datum summum præmium meritis Christi Domini, nec esse ullum possibile, excepto casu, quo alia persona Trinitatis, assumeret naturam creatam. Quando autem Augustinus Justificationem dicit esse summum præmium, id intelligi debet comparativè ad hæc quæ de facto, & quidem in vita dantur: quia etiam visio beatifica, datur nobis in præmium meritorum Christi Domini; & tamen majus est quid justificatione, utpote finis ejusdem. Videamus sensum de hoc argumento prædicti Auctoris. Itaque

Respondet Esparza: Justificationem conjunctam dispositioni peccatoris, majus esse absolutè beneficium. Rationem dat; quia actus disponentes, sunt per se boni, & persecutivi, peccatoris, utrumque est donum Dei, magisque manifestatur potentia Dei, faciendo hominem cooperatorem sibi in opere justificationis, quàm faciendo eandem per se solum. Et rationem dat; quia causa adæquata alterius causæ & effectus, simul, plus communicat de sua perfectione, quam si causaret eundem effectum per se solam, atque potentia cujusque causæ, eo magis manifestatur, quò plus communicat aliis de sua perfectione. Congruit igitur magis dignitati meritorum Christi Domini, ut illi rependatur justificatio adulti, conjuncta cum ejusdem dispositione prævia, quàm sine ipsa; ostenditurque in hoc, summa absolutè ostensio potentiæ Dei, ut justificatoris. *Hæc responsio*

Non Satisfacit I. Quia hîc intentio arguentis est, solùm quærere de dignitate ipsius justificationis, & non dispositionis; quæ dignior esset, si à solo Deo produceretur; ad ejus productionem, non concurrentibus dispositionibus; & sic dignior est productio verbi gratia, Angeli, quàm formæ ignis. Ergo etiam in præsenti idem dicendum, & per hoc non redderetur dignior productio Angeli, si ad illam, per possi-

possibile, vel per impossibile, concurrerent aliquæ dispositiones.

Non Satisfacit II. Quia destructis dispositionibus organi videndi, major est dignitas restitutæ visionis, & majus circa non videntem miraculum, si producatur independenter à dispositionibus. Item major est dignitas actionis creativæ, quàm eductivæ; quia illa prior procedit minùs dependendo à pluribus; & universaliter, quicunque effectus à paucioribus causis dependet, & ex alia parte non dejicitur per ignobilitatem prædicatorum intrinsecorum, ille effectus est nobilior, ut patuit instantiâ adlatâ de Angelo. Ergo idem in præsenti dicendum.

Non Satisfacit III. Quotiescunque de excellentiis res est, tunc attendendum est ad excellentiam principalis. Sed ipsa gratia producenda, est hoc principale. Ergo ad excellentiam illius, est attendendum. Major autem foret illius excellentia, si sola produceretur, ut jam probavi, immediatè à solo Deo. Et si attendatur, quia hîc plura dignificantur meritis Christi Domini, nempe etiam dispositiones, hæc dignitas, major tantùm foret extensivè: tamen si comparetur hæc dignificatio dispositionum, & dignificatio ipsius gratiæ; major hæc foret solo Deo illam producente, quàm quæ oriretur, ex dignificatione etiam dispositionum; & sic melius est, principem esse excellentiùs formosum, solùm, quàm illum quidem esse utcunque formosum, & simul utcunque famulum formosum, idque universaliter verum est, quoties minùs principalium dignitas, non est dignificativa magis principalis, ut bene vestiti famuli, dignificant Dominum. Jam autem dignificatio hæc dispositionum, non attollit justificationem, quàm primò per se intendit Christus Dominus; nec attolletur dignitas Christi, quæ provenit ex dignitate à se dignificatorum; major autem erit, dignitas justificationis à Christo dignificatæ, si exigat independenter à dispositionibus produci.

Punctum Difficultatis 5.

Solvuntur Objectiones.

Objicies I. Ad Justificationem sufficit sola Conversio Dei ad hominem, Ergo immeritò ponitur tertia Conclusio.

Respondetur. Ad Justificationem adulti, sufficere solam Conversionem Dei ad hominem, positam in suis prærequisitis. Et sicut sufficit quidem ad esse hominis anima & corpus, nihilominus ad hoc esse hominis, requiritur etiam organizatio debita, sine qua non est, nec dicitur completè homo. Item ad esse filii adoptivi, sufficit gratia & natura Intellectualis; quia tamen hæc gratia in Christo Domino, non ponitur cum debitis prærequisitis, non denominat illum filium adoptivum. Jam autem si ponatur gratia sine conversione peccatoris, ponitur sine debito prærequisito. Deinde, negari potest Antecedens; quia si Creaturâ non conversâ ad Deum, fieret justificatio; fieret, ut dictum est, manente peccato habituali; manente discordinatione habituali voluntatis, &c. quæ omnia sunt contra mentem Patrum, ut vidimus supra. Denique, si tu ad justificationem non requiris conversionem peccatoris, nobiscum non disputas; quia nostra Conclusio procedit contra eos, qui docent eo casu reddi hominem conversum ad Deum.

Neque valet si dicas, nos facere tantùm quæstionem de voce; de re enim est quæstio, quærere: An denominationes vitales possint haberi, sine ullo motu denominati? Item de re est quæstio: An discordinatio voluntatis, moraliter permanens ex actu præterito, tolli possit alio, quàm actu proprio, &c. quæ quæstiones non sunt de voce.

Objicies II. Non potest esse major Conversio Creaturæ rationalis ad Deum, quàm esse ejus filium, hoc autem habetur sola infusione gratiæ.

Respondetur. Passivam conversionem, vi cujus Deus supernaturaliter communicet sese Creaturæ puræ, non posse esse majorem in hac vita, & pro præsenti rerum ordine, quàm infusâ gratiâ; posse tamen esse majorem activam, vi cujus, pro sua parte, illa etiam, se convertat ad Deum. Nego etiam, quòd si adulto infundatur gratia, non retractanti peccatum, sit ille futurus Filius Dei.

Objicies III. Ex Esparza: sola habitualis amicitia, est absolutè & simpliciter amicitia: quæ consistit in habitu amoris mutui, & hic habitus, costituit amicum eum, cui inest, etiam pro tempore, pro quo actualiter non amat.

Respondetur. Habitualem amicitiam, denominare etiam pro eo tempore, pro quo actualiter non exercetur amor, si præcesserit conversio utriusque partis; si autem sit conversio nonnisi unius partis, nego tum fore amicitiam mutuam.

Instat idem I. Deus potest infundere homini dispositionem permanentem ad bene operandum, etiam meliorem, quàm quæ ab homine acquiri posset per suos actus. Ergo fieri potest, ut fiat amicus Dei, tametsi nullum prius exercuerit Actum.

Responsum Jam est: infusione illâ denominandam Creaturam, ad quam se DEUS convertit; sed non denominandam, quæ se converterit ad DEUM. Et sicut DEUS, sola suâ activitate, non potest nobis infundere dispositionem intellectionis, quæ denominet intelligentem; sic nec poterit infundere dispo-

sitionem conversionis, quæ denominet conversum.

INSTAT Idem II. Potentia Dei potest infundere habitum, perinde incompossibilem cum actu vitii, atque est incompossibilis cum eodem actu virtutis, per quem proinde habitum, homo sit determinatus ad honestatem, non minus, quàm per actum intentivum honestatis.

RESPONDETUR. Retorquendo Argumentum, quòd scilicet potentia Dei perinde possit infundere habitum incompossibilem cum actu non sciendi, atque est incompossibilis cum eodem actu non sciendi, vel non cognoscendi, actus sciendi, vel cognoscendi, & tamen non potest facere, ut sit aliquis intelligens, sine ullo actu. Directè autem responderi potest: Infusione illius habitûs denominandam Creaturam eam, ad quam se Deus convertit: sed non denominandam eam, ad quam se creatura converterit; nam hæc denominatio sine ullo actu peccatoris haberi non potest.

INSTARI potest III. Non solùm is vocatur sciens, qui actu novit; sed etiam is, qui habitualiter novit; & doctus, non tantùm is vocatur, qui didicit; sed etiam, cui Deus infunderet illo non discente, habitum. Ergo etiam & conversus poterit dici, cui Deus infunderet, gratiam, illo non convertente se actu, poteritque ille dici conversus ad Deum.

RESPONDETUR. Habitualiter noscentem vocari scientem, ratione actûs scientiæ qui præterit; quod si nunquam exivit in actum, sed illi est habitus aliunde infusus, vocabitur sciens potentiâ. Rursùs esse doctum, quantum ad præsens, duo dicit: Noscere habitualiter, & possidere species habitumque scientiæ; illud prius est vitale, nec habetur sine ullo actu: secundùm non est vitale, potestque à Deo infundi. Jam autem esse conversum, ut vidimus, est quid vitale.

QUÆRI hîc posset. *An casu quo Deus se converteret ad creaturam, & non Creatura ad Deum, deberet dici peccator justificatus absolutè?* Sed id resolvi debet proportionaliter ad hanc aliam quæstionem: An si miraculosè, conservaretur gratia cum peccato, dicenda foret illa Creatura DEO grata? quando autem in nostra suppositione, ad Creaturam dicitur conversus Deus, non facit hunc sensum: quòd non oderit aversionem illam à peccatore non retractatam; sed facit hunc sensum: quòd remiserit & cassarit jus ad offendi, quod habuit; propter quod rationabiliter à Deo retentum, merebatur Creatura habere Deum aversum.

Argumenta Aliorum.

OBJICIT I. Quidam. Quando ex communi ferè omnium sententia, Martyri dormienti, & in peccato mortali existenti, infunditur gratia, sine ullo actu illius; vel ille adhuc est aversus à Deo, vel non? si est aversus à Deo habitualiter? Ergo adhuc peccator erit habitualiter, cum gratiâ; imò & in æterna Beatitudine. Hoc autem est inconveniens. Sequela ostenditur. Quia peccatum, inquantùm est malum, in ratione moris, primariò & principaliter, imò intrinsecè dicit aversionem à Deo, & conversionem ad Creaturam, quo posito, jam peccatum manet in illo Martyre, quoad totam suam intrinsecam malitiam; & solum non manet, quoad aliquid extrinsecum, videlicet quoad aversionem DEI à peccatore.

RESPONDETUR. Formabilem esse Syllogismum, cujus Major & Minor sint de fide, & tamen ostendant Martyri dormienti adulto non infundi gratiam, sine ullo actu illius; qui syllogismus est hîc. Nulli adulto, sine proprio motu & actu, infunditur justificationis gratia; est definitum in Tridentino de Justificatione. Nam dicitur anathema esse, qui dicit: quòd in justificationis opere, mere passivè nos habeamus. Definitur nos justificari per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum; docuitque Augustinus in illa propositione. *Creare te potui sine te, salvare te non possum sine te.* Omni Martyri dormienti adulto, quando infunditur gratia Martyrii, infunditur gratia Justificationis: tres enim sunt Baptismi species, *Majoremque charitatem nemo habet, &c.* Ergo nulli Martyri dormienti adulto, quando infunditur gratia Martyrii, infunditur sine ullo actu illius.

Deinde, vel procedit Argumentum de actu, vel de possibili? si de actu? nunquam infundetur gratia Martyrii, nisi saltem imperfectè conversio: quia nec gratia baptismalis infunditur aliter. Si de possibili? dico talem Martyrem, sine ullo actu suo fore justificatum; ita ut dicatur Deus ad illum esse conversus, non ille ad Deum; non ergo jam hæc ratio valebit, sed alia danda erit. Dico possibile esse ut cum peccato illo habituali, habeat gratiam Martyrii. Dico esse possibile ut etiam cum visione habeat illud peccatum, si simul non amet, si verò amet quamvis amore necessario, manebit jam conversus: quia adhuc vitaliter operans. Imò ad Martyrium in eo qui peccavit mortaliter, requiri actum Contritionis, docuit Palud. Alen. Can. Bann. Less. Sylu: post illos Bass. V. Martyrium. Sufficere tamen Attritionem docuit Henriq. Kon. Suar. qui tamen tom. 3. in 3. p. d. 24. S. 2. cum posuisset Conclusione prima, per se requiri Contritionem; Conclusione 2. ponit sufficere Attritionem. Conclusione 3. excusat Martyrem ab Attritione ob inadvertentiam naturalem. Sed §. *Secundò, igitur*: appellat hanc Conclusionem non esse certam, sed satis dubiam. Non ergo potest dici, quod sit communis sententia, talem Martyrem Justificandum, sine omni actu. Saltem enim debet habere volun-

voluntatem patiendi Martyrium, quam virtualem Contritionem appellant Docti, apud eundem Suar.

Objicit II. Idem. Quando aliquis elicit actum Attritionis, in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ; vel est adhuc habitualiter aversus Deo, vel non? si non est habitualiter aversus? Ergo jam non habet habituale peccatum? Ergo ulteriùs, nec Deus erit aversus ab illo: qui enim non est à Deo aversus; nec Deus ab illo est aversus, consequenter justificabitur ante absolutionem, quod est contra fidem; vel dicitur adhuc aversus? Ergo dum absolvitur, & infunditur illi gratia, adhuc erit aversus à Deo, propter mortale quod commisit. Quod ipsum Probatur; quia stante actu Attritionis ante absolutionem, est aversus à Deo. Ergo & posità absolutione, erit aversus: quia absolutio, & infusio gratiæ, non est actus peccatoris.

Respondetur. Talem peccatorem non esse tunc habitualiter aversum, sed imperfectè; adeoque habere tunc adhuc habituale peccatum; quia malum est ex singulis defectibus; quando autem illi infunditur gratia, imperfectio illa, in ordine ad consecutionem gratiæ suppletur à Deo infundente gratiam; licèt hoc ipsum non sit de fide, ut alibi notavi. Hoc tamen est, & de fide, & secundùm Metaphysicam; de fide, inquam, quòd actus Attritionis non sit æqualis actui Amoris, & quòd non sit æque perfecta Conversio ad Deum. Et secundùm Metaphysicam, quæ docet esse impossibile, ut unus actus secundùm rationem suam specificam, transeat in alium actum, secundùm rationem ejus specificam. Cæterùm posità Justificatione, uterque sunt pares, contritus & attritus, in habere gratiam Justificationis, & non habere peccatum habituale. Licèt imperfectiori modo veniat ad habendam gratiam, qui est solùm attritus. Et certè, cùm ex fide constet, esse imperfectam conversionem ad Deum, Attritionem, quod ille dicet de illa, cùm accedit absolutio, Idem nos.

Instat Quòd impertinenter se ad remissionem peccati habeat actus proprius; procedit id de possibili, non de eo quod modò est.

Respondetur. In principiis arguentis hoc non posse dici; quia loquitur de Attritione, quam est de fide, nō auferre de facto peccatum mortale habituale; & tamen possibile fuit, etiam cum illa non stare (licèt fortè nonnisi de congruo) peccatum habituale.

Objicit III. Idem. Posito, quòd Petrus sit per actum aliquem à me irrationabiliter aversus, & me injuriaverit, si actus Petri retractans priorem actum, non est ex se & natura sua talis, ut secundùm rectam rationem censeatur Petrus ad me conversus absolutè & simpliciter, sed tantùm id haberet ex mea liberalitate & favore, certè propter hunc actum, non censeretur Petrus ad me conversus absolutè & simpliciter, sed ego potiùs ad illum. Ergo similiter actus Attritionis, imò & Contritionis elicitus, cùm pondus habeat ex liberalitate & favore illum acceptantis Dei, & ex natura rei sit insufficiens, non potest dici absolutè & simpliciter vi illius peccator conversus ad Deum, sed magis Deus ad illum. Et sicut qui debet millionem & offert Creditori unum obolum, si Creditor id ex favore, & liberalitate acceptet; non potest dici talis debitor solvere debitum. Ergo & in præsenti idem.

Respondetur. In præsenti duo condistinguenda sunt. Imprimis sublatio aversionis; & sublatio injuriæ, acquisitioque alicujus favoris, & doni; ut Attritio (licèt modo imperfecto) & Contritio, sit sublatio aversionis Creaturæ à Deo, ad hoc non indiget acceptatione: quia hæc sublatio non aliud est, nisi prædicatis aliùs actùs moraliter durantis, & ad hoc nec Contritio nec Attritio indiget acceptatione. Si non indiget acceptatione? verè erit illis conversus peccator, & non dicetur tunc, Deus tantùm; converti, de quo erat difficultas. Rursùs potest considerari sublatio injuriæ seu Offensæ, acquisitioque doni alicujus. Ad hanc dico indigere acceptatione, licèt diverso modo, ut dictum in materia de Merito. Quia verò sublatio injuriæ, & acquisitio illa doni, primò stat remissione à Deo, & illius datione, fit, ut in illa sublatione injuriæ, & doni acquisitione, potius Deus, quàm nos agamus. Unde etiam dici potest conversionem ad Deum, stare indivisibili, adeoque perfici etiam Attritione; est enim oppositio prædicatorum actùs, prædicatis peccati. Sed modum ejus esse, non in indivisibili consistentem; consequenter non tantùm Contritione, sed & Attritione perfici potest.

Instat I. Impertinens est ad remissionem peccati, actus proprius peccatoris.

Respondetur. Est de fide oppositum: quia est de fide; nos adultos in negotio salutis; non habere nos mere passivè, justificarique nos voluntaria susceptione gratiæ.

Instat II. Est de fide id, solùm in præsenti ordine.

Respondetur. Etiam discursus oppositorum procedit de præsenti ordine: quia procedit de Attritione, non abolente mortale; cùm in alio ordine abolere illud posset, modo alibi explicato. Et sicut damnabilis esset hæc propositio: Impertinens est, ad ablationem culpæ mortalis satisfactio Christi, quamvis in alio ordine potuerit auferri, & non sanguine Christi; ita damnabilis est hæc propositio? Impertinens est ad remissionem peccati actus proprius peccatoris; licèt poneret quis in alio rerum ordine, posse sine ullo actu remitti peccatum.

Instat III. Alia hæc est propositio: Omnis

homo est albus; & alia: Omnis homo contentus in hoc Musæo, est albus. Ita ut unâ manente verâ, quæ est restricta; altera universalis sit falsa; ita differunt inter se. Quoties secundùm præsentem statum, & quidem ordinariè, peccatum non est retractatum, toties peccatum manet; hęc posterior est vera, prior falsa.

Respondetur. Terminos hîc positos non esse eosdem, cùm terminis positis in Prima Instantia, quibus solis diximus oppositum esse de fide. Deinde. Nego, si procedat hæc propositio de adultis, esse illam falsam: Quoties peccatum in adulto non est retractatum, toties peccatum manet.

DIFFICULTAS II.

An Infusio Gratiæ, sit medium necessarium Remissionis peccati?

Huic titulum sic alii proponunt: An sine infusione gratiæ, possit, perfici Remissio? In qua quæstione divisi sunt Auctores. Affirmat Suarez, Disp. 9. Sess. 4. Tann. Disp. 6. de Gratia. n. 84. Koninck, Disp. 2. Dub. 10 Oviedo de Just. Contr. 4. n. 77. Ripalda. De Ente supernaturali, lib. 6. Sect. 21. Lugo, Rosmer, & alii. Negat Vasquez, Disp. 206. cap. 2. Dicastillo Disp. 1. num. 306. Esparza de Just. quæst. 8. & alii.

Dicendum est I. *Accipiendo remissionem peccati, & justificationem, pro constitutione intrinseca, in esse Filii Adoptivi, implicat id fieri sine infusione Gratiæ.* Hanc sententiam in re tenet Scotus, in 4. Disp. 1. qu. 6. §. *Ad Argumentum* ubi dicit in Justificatione, duplicem esse mutationem: unam privativam; quâ fit ex inimico non inimicus. Et aliam positivam, quâ fit ex indigno, dignus. Et hanc negat posse fieri, sine infusa forma, secus sentit de priori.

Probatur I. Conclusio: sine infusione gratiæ, Justificatus peccator, & esset intrinsecè constitutus in esse Filii Dei, & non esset intrinsecè constitutus: esset constitutus, ut supponitur; non esset autem constitutus, ut Probatur. Quia esse constitutum intrinsecè in esse filii Dei, est habere rationem constitutivam, in esse filii Dei hæc enim synonima sunt. Sed non infusâ gratiâ, nemo haberet rationem constitutivam intrinsecè in esse filii Dei. Ergo non infusâ gratiâ, nemo constituitur in esse filii Dei. Minor Probatur: Quia ratio constitutiva intrinsecè in esse filii Dei, est participatio specialis naturæ Divinæ. Sed hæc specialis participatio sine gratia infusa non habetur; quia ista participatio naturæ Divinæ, vel est definitivè gratia; vel aliquid essentialiter illi annexum, ut videre est in pluribus Tridentini, & Augustini locutionibus, fundatis in illo scripturæ dicto, quæ nos dicit admitti, in Consortium naturæ Divinæ.

Probatur II. Impossibile est habere effectum formalem primarium, sine ipsa forma; quia aliàs haberetur sine seipso; cum enim effectus formalis, sit ipsa forma, & subjectum aptum, unita; si haberetur effectus formalis sine forma, haberetur sine seipso. Ergo etiam impossibile est, habere esse constitutum intrinsecè filii Dei, sine gratia; quia gratiæ effectus formalis, est illud constitutum.

Hoc idem sic aliter proponitur. Nunc de facto habetur hic effectus à gratia. Ergo impossibile est, illum haberi ab alio, quàm à gratia; sicut impossibile est aliquid dealbari, sine albedine; & si daretur albedo specie distincta à nostrate, nihilominùs deberet esse albedo, ut dealbaret; ita si nunc à gratia habetur esse filii Dei, non poterit habere nisi à gratia, quantumvis fortassis specie distincta. Argumentum procedit de causis Formalibus, non efficientibus.

Probatur III. Auctoritate S. Thomæ qui 1. 2. q. 113. ar. 2. o. in ait. *Non posse intelligi remissionem culpæ, si non adsit infusio gratiæ*, quæ auctoritas illius, si non posset intelligi in sensu Conclusionis mox dandæ, saltem intelligi poterit in sensu hujus primæ Conclusionis.

Neque valet si dicas: quòd possit aliquis in esse filii adoptivi constitui, sine ullius qualitatis participatione; nam Conclusio addidit terminum. *Intrinsecè* addidit item terminum: per participationem specialem naturæ Divinæ; id autem non habetur in adoptione oculi.

Dicendum est II. *Accipiendo remissionem peccati, prout supponit pro se ipsa, hoc est pro mera remissione peccati, & condonatione Offensæ, illa perfici potest sine infusione gratiæ.* Hæc Conclusio prout condistincta à priori, fundamentum habet in Tridentino, quod condistinguit remissionem peccati, ab justificatione; sic enim ait Sess. 6. cap. 7. quæ scilicet justificatio, *non est sola peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio.* Idemque repetit infra. Item habet fundamentum in Patribus quos citatos habes apud Ripalda D. ultimâ num. 226. inter quos est Chrysostomus, in Eph. 16. *Deus nos gratiosos habuit in dilecto filio suo, gratiosos nos reddidit, hoc est, non modò à peccatis liberavit, sed & dilectos & amicos effecit.* Idem sentit S. August. lib. 12. de Civ. cap. 17. incipiunt verba: Ipsa nostra Justitia. Et in Ench. cap. 52. & lib. 1. de Peccatis & meritis cap. 13.

Probatur I. Negativa: Quia id non implicat contradictionem.

Confirmatur. Non implicat, ut Deus tantùm sit non offensus, & tamen non positivè amicus in ordine supernaturali, hoc est, largitor donorum excellentium; quæ enim est in hoc implicantia? &, si in humanis, potest aliquis esse non offensus alteri, non tamen amicus positive; cur idem in præsenti, dici non poterit? Ergo per hoc,

hoc, non debet transire in conditionem non offensi, per quòd transit in conditionem amici positivè. Sed in conditionem amici positivè, transit per illos infusione gratiæ. Ergo in conditionem non offensi, non debet transire per infusionem gratiæ. Ergo remissio culpæ, quâ talis, quæ per nos est nonnisi formalitas, Dei non offensi; non debet haberi per infusionem gratiæ. Quod autem Deus, per idem non debeat transire, in conditionem non offensi, per quod transit in conditionem amici positivè & effectivè, Probatur. Tum quia hoc ipso jam foret amicus, si per idem transiret, per idem ut suppono in genere causæ formalis. Tum quia etiam in creatis, non per idem transitur ad esse non offensi, & ad esse amici. Tum quia si Deus auferret ab homine justo gratiam, non diceretur ejus amicus, ut erat suppositâ gratiâ, sed Deus inciperet esse illi tantùm non offensus. Ergo in eo casu, transiret ad esse amici, per infusionem gratiæ, ad esse autem non offensi tantùm, transiret potiùs ablatione gratiæ. Ex eo autem quòd dicamus, quòd possit Deus esse non offensus, & tamen non esse amicus positivè, non sequitur poni à nobis in Deo puram omissionem, posset enim Deus, formare hunc positivum actum. Non amo quidem Petrum volendo illi bona, sed etiam non odi illum, nec volo illi mala. Hoc ipsum sic brevius proponitur: Non implicat ut Deus præcisè stet in hoc, quod est, non esse illum peccatori offensum. Ergo poterit, remitti peccatum sine ulla infusione gratiæ, quia hâc infusa, jam hoc ipso intelligitur Deus positivè, & effectivè amare hominem.

Responderi potest ex Esparza. I. Omne odium est indistinctum à voluntate intentiva mali, & omnis amor à voluntate intentiva boni. Rursùs Intentionem Divinam efficacem inferendi malum, esse inseparabilem ab ipsa illatione mali; & similiter est inseparabilis Divinæ ejusmodi intentionis suspensio, à suspensione & impeditione ipsius illationis mali. II. Impossibile est, inesse cuiquam malum aliquod, suspendente Deo suam illius illationem, quia suspensâ Causâ primâ quoad aliquid, consequenter suspenduntur omnes aliæ Causæ quoad idem. III. Impossibile est ut non insit alicui malum aliquod, quòd verè habeat rationem mali, respectu ipsius, simulque non insit eidem bonum oppositum; impossibile namque est ut removeatur ab aliquo cæcitas, aut tenebræ non inducto visu vel luce; eademq; est ratio de quovis malo, quia omne malum consistit in privatione boni, quæ non tollitur nisi per ipsum bonum. IV. Ergo Divina non illatio mali, est essentialiter inseparabilis à collatione boni oppositi, quælibet autem collatio boni, essentialiter est effectus alicujus amoris Divini, conferentis illud. Ergo consequenter, suspensio odii, & iræ Divinæ, conceptæ propter peccatum, est remissio peccati, essentialiter inseparabilis à dilectione, & amore collativo boni ablati propter peccatum.

Contra I. Quia rigorosè loquendo, prima propositio: Amor est voluntas intentiva boni; si reddat hunc sensum: Amor intendit versaturque circa bonum, ei, sub præcisa ratione boni, inhærendo; est vera. Sed ex ea non sequitur, debere quidquam conferri amato ab amante. Potest item dicta propositio hunc sensum facere: quòd Omnis amor sit voluntas practica, effectiva, intendens collationem boni, & ex hoc sensu sequitur: si Deus amat hominem, quòd debeat illi conferre, v. gr. bonum gratiæ; sed nego hunc sensum esse legitimum; & nego omnem amorem, habere hanc intentionem boni. Inde ulteriùs, nego ex vi remissionis peccati, debere descendere Deum ad intentionem collativam boni: nisi fortè ad collativam hujus boni negativi, quod est, non habere Deum offensum. Et licèt impossibile sit, in iis quæ sunt secundùm exigentiam naturalem, ut si non insit bonum exigitum, hoc ipso non insit malum illi oppositum, ut probant illæ instantiæ de cæcitate: tamen possibile est in iis, quæ sunt bonum alicujus, sed supposito favore alteriùs, ut bonum non adsit, nec tamen inficiatur malo opposito. Ad eum modum, quo non est malum huic vel illi; non esse Regem Poloniæ, qui titulus libera electione confertur; & tamen, non habet hoc bonum, quod est excellentia Regalitatis Polonæ.

Adverti hîc etiam debet quod possit bene concedi: non infusâ gratiâ, manere malum hoc, non infusæ gratiæ; sed nego manere malum hoc, quod est habere Deum offensum; cum non probent Oppositi, sine infusione gratiæ, non posse DEUM reddi in offensum Creaturæ.

Contra II. Transeat interim prima & secunda propositio; sed negatur tertia. Nam in statu puræ naturæ, qui possibilis fuit, non fuisset malum peccati, inquantum dicit actionem peccaminosam, quæ actu privat gratia; numquidnè pro illo statu, intelligi debuisset hoc ipso poni bonum supernaturale, infusæ gratiæ? Quodsi dicas: Gratiam non esse bonum puræ naturæ? dicam & ego: non esse bonum peccatoris gratiam, in statu, in quo ei Deus manet tantùm non offensus, licèt sit bonum peccatoris, inquantùm intelligitur illi Deus positivè affectus, & inquantùm intelligitur peccator, in esse Filii Dei adoptivi constitutus. Rursùs potest aliquis in Creatis, esse alteri non offensus, neque tamen per hoc esse jam illius amicus; potest item esse non offensus, neque tamen tenebitur propterea conferre aliquid amico. Ergo apparet, quòd esse non offensi, non inferat ex sua ratione, esse amici aut largitoris. Item non implicat contradictionem, ut DEUS spoliet justificatum Paulum gratiâ; subtrahatque concursum con-

servativum illius; quo casu, non habebit bonum, gratiæ, numquidnè jam habiturus est malum, & peccatum, quod tollit illa gratia? Concedo item: Omne malum consistere in privatione boni, quantumvis etiam de hoc non immeritò dubitetur, quia ægritudo est malum quoddam, nov tamen consistens præcisè in privatione boni, sed in exorbitantia humorum; sed posito, quòd omne malum consistat in privatione boni, eo casu cui remitteret Deus offensam, & non infunderet gratiam, haberet malum privationis gratiæ, sed non haberet malum Dei à se aversi. Denique posset Dominus Deus simpliciter auferre pœnas, adeoque non ponere illationem mali, nec tamen per hoc ponere & conferre illi bonum oppositum positivum; nam immunitas à pœnis, est bonum nonnisi merè negativum, sicut furi non flagellati à judice. Et hæ omnes Instantiæ probant, quòd si alicui adsit negatio boni oppositi, non hoc ipso debeat inesse malum, vel è converso; nisi nomine mali intelligas præcisè negationem illius boni.

Contra III. Quia immeritò negat inferiùs, quòd quantumvis Creatura possit esse alteri non offensa, quin sit amica; immeritò inquam negat, idem fieri posse inter Deum & Creaturam, cur non enim? nam quod dicit: Nonnisi in offendente respectu Dei posse esse mutationem, per quam intelligatur DEUS transire ab esse offensi, ad non esse offensi; sed nego mutationem hanc debere fieri per gratiam, in quo est punctus; nego item, quòd etiam in Divinis contingere non possit, cessatio odii, sine ulla collatione boni oppositi; nego item, quòd remissio Divina, debeat semper transferre, nonnisi in amicum, concessoque quòd odium sit indistinctum, à voluntate intentiva mali; itemque amor à voluntate intentiva boni; nego tamen, quòd non detur inter hæc medium, nempe: nec intendere malum, nec intendere bonum, sed negativè se habere.

Continuatur Probatio.

Probari solet II. à pari. Quia potest offensa inter homines deleri solâ extrinsecâ condonatione. Ergo etiam & offert quæ intercedit inter Deum & Creaturam, poterit remitti, per condonationem extrinsecam, sine infusione gratiæ.

Respondet I. Meracius; Quòd condonatio inter homines non remittat, offensam, sed solùm pœnam, & obligationem ad illam; hæc enim sola, & non illa, est dependens à voluntate hominis; nam si offensa esset ab ejus voluntate dependens, etiam in ipso instanti, in quo offensa committetur, posset remitti.

Contra I. est. Quia si in condonatione humana remittere offensam non spectat ad condonantem, eò quòd sequeretur in eodem instanti fieri posse, & offensam & remissionem; ex eodem argumento dici posset: ad Deum non spectare remittere offensam, quia alias posset remittere eandem, eo quo fit instanti. Quod si Dicas: Obstare: Quia infundi deberet gratia; hoc ipsum est in quæstione, petisque principium.

Contra II. Quia rediret paritas: Cur in humanis possit remitti obligatio ad pœnam, sine mutatione intrinseca? & cur non possit remitti offensa? Quando autem addunt Aliqui; quòd Divina condonatio requirat sui acceptationem; id imprimis falsum est, & quantumvis verum foret; cur id fieri non posset, independenter ab omni infusione gratiæ justificantis?

Contra III. Quia in offensa duo spectari possunt. I. Aversio ipsius offensi. II. Malitia intrinseca actionis, quę meretur illam offensam. Secundùm istud, nec Divina, nec humana condonatio abolet; quia semel malum, semper est malum. De priori autem formalitate loquendo, non est ratio: Cur tam homo, quàm Deus, aversionem non possint deponere, per condonationem extrinsecam.

Respondetur II. Communiter: Quòd homo offensam passus; posit in propria voluntate, realem & sufficientem suscipere mutationem, Deus autem non potest in propria. Deinde quia homo ex non offenso, sit offensus formaliter, per sui mutationem, semper mentis suæ aversionem intraneam; ita è converso, sui mutatione, aversæque mentis suæ conversione, fieri debet ex offenso, non offensus; contra autem DEUS, sicut non mentis suæ mutatione fit ex non offenso offensus, sed mutatione sibi extrinsecâ, & offendenti intrinsecâ ita ex offenso fieri debet non offensus, non mentis suæ mutatione, sibi intrinsecâ, sed mutatione offendentis.

Contra est. Tum quia fortè nollent hoc transferri, quòd non possit justificatio peccatoris adulti fieri, sine proprio actu, cùm offensa facta fuerit proprio actu, & tamen assumunt. Quia per mutationem intrinsecam peccatoris, factus est Deus offensus, etiam reddi debere non offensum per intrinsecam mutationem, eamque completam infusione gratiæ. Sed quidquid sit de hoc assumpto. Responsio intentum non evincit. Concedatur interim, quòd ista mutatio debeat fieri extra Deum, sed inde non sequitur; quòd jam fieri non possit, sine infusione gratiæ; quod tamen hîc principaliter intenditur. Tum quia, ut ait Suarez citat. Sect. 4. Quidquid potest humana voluntas rectè velle, per plures actus, & mutationes eorum, potest voluntas Divina excellentiori modo, velle ex æternitate, simplicissimo actu, cum respectu & determinatione libera, ad diversa

diversa tempora; poterit ergo pro tali tempore permittere offensam, pro altero remittere; sed de hoc infra. Tum quia ostendetur inferiùs: quî Deus sine infusione gratiæ, transire possit ab esse offensi, ad esse non offensi?

CONFIRMATUR Conclusio: In statu puræ naturæ, potuisset Deus remittere offensam sine infusione gratiæ. Ergo etiam & pro statu gratiæ, poterit idem præstare, sine infusione gratiæ.

RESPONDET I. Esparza: Ad nullum unquam opus, indiget DEUS, pluribus, vel paucioribus, ex parte sua; solùm enim indiget determinatione, ex parte suæ voluntatis; cæterùm ex parte operis, & subjecti, circa quod operatur, pluribus eget, ad removendum majus malum, quàm minus, ut ad removendam cæcitatem, quàm ad amovendam lippitudinem? peccatum autem hominis elevati ad finem supernaturalem, est intrinsecè deterius, quàm peccatum exsistentis in pura natura, quia illud est contemptivum Dei; ut auctoris supernaturalis, & impeditivum itidem gratiæ supernaturalis; istud verò, est contemptivum Dei; solùm ut auctoris naturalis, & impeditivum dilectionis itidem naturalis. Opus igitur est effectu præstantiori, pro remissione, & deletione peccati, in statu elevationis.

CONTRA I. Concedo Deum, ex parte sua, nunquam pluribus, aut paucioribus indigere, ad aliquid ponendum, sed nonnisi ex parte operis & subjecti. Concedo interim excellentioribus, & pluribus indigere, ad justificationem hominis, in statu gratiæ; sed nego, quòd hæc excellentia importet positionem gratiæ; potest enim v. g. importare solam positionem actus retractativi supernaturalis; cum circumstantia decreti Divini, inferiùs explicandam. Rursùs, potest etiam quædam excellentia extrinseca, in ipsa condonatione poni, quia excellentius bonum est, quod majus malum expellit, expelleret autem illa condonatio peccatum commissum, in statu gratiæ; quod supponitur esse majus.

CONTRA II. Quia ex vi hujus responsionis sequitur: non esse necessariam infusionem gratiæ, ad salvandum transitum à non esse offensi ad esse offensi, sed solùm ad salvandam excellentiam remissionis. Cur ergo sine hac excellentia, quæ deberet esse ratione gratiæ, transire Deus non posset, ad esse non offensi?

CONTRA III. Quia licèt sit necessaria gratia ad remissionem, quæ constituat hominem in esse, statu, & conditione supernaturali: Cur tamen sine eo, quòd constituatur, in hoc statu tam excellenti, remitti ei peccatum non poterit? non enim apparet: Cur ex parte subjecti, pluribus indigeat condonatio peccati, pro statu gratiæ remissi, si illa remissio non debeat eum ponere in statu gratiæ, sed in simili omninò statu, qualem habuisset in pura natura. Hinc paritas sic restitui potest: Peccatum commissum contra Deum ut auctorem naturæ, potest remitti sine ullo superaddito, quod sit æqualis ordinis statui illi naturæ. Ergo etiam peccatum commissum contra Deum ut auctorem supernaturalium, remitti poterit pro statu gratiæ, sine ulla infusione qualitatis supernaturalis, æqualis statui gratiæ, adeòque sine infusione gratiæ.

Et certè, quamvis hoc, quod est esse Deum amicum, pro statu naturæ, & pro statu gratiæ, sint omnino inæqualia; tamen negatio offensæ, pro utroque statu, non apparet unde debeat esse diversa, excepta diversitate petibili ex terminis. Imò videtur peti principium in responsione; assumit enim, quòd sit necesse ad tollendum peccatum contemptivum DEI, ut auctoris supernaturalis, poni effectum præstantiorem; si enim per effectum intelligit gratiam, petit principium; si autem per effectum intelligit effectum impropriissimè dictum, hoc est, aliquid positum à voluntate Divina, præstantiùs extrinsecè, quàm poneretur ad remissionem peccati, pro statu puræ naturæ; id quidem verum est; sed cur illud præstantius, non poterit esse ipsa condonatio extrinseca præstantior in ordine ad nos, quia majoris mali repulsiva?

RESPONDERI solet II. Quòd etiam in statu puræ naturæ, danda fuisset qualitas gratificativa Creaturæ, pro illo statu, quantumvis esset ordinis naturalis.

CONTRA I. est: Quia videtur arbitrariè asseri ista qualitas, ægreque illius asserendæ fundamentum in Classicis haberi posset.

CONTRA II. Non implicat, ut eam qualitatem auferat DEUS à Creatura; tunc quæro: Illâ ablatâ, poterit nè adhuc Creatura peccare; vel non poterit? si non poterit? Cur? imò redderetur impeccabilis defectu ejus, quod illam deberet facere non peccatricem. Si autem illa qualitate ablata, poterit adhuc illa Creatura peccare? cur à DEO non poterit reduci ad pristinum statum? reddique talis, cui DEUS non sit offensus? quo tamen casu, non esset necesse illi infundi qualitatem gratificativam, cum in ante illam non habuerit. Ergo siquidem spoliatus gratiâ, posset peccare, etiam posset ad illam statum reduci, sine infusione qualitatis. Ergo ulteriùs infusio illius qualitatis, non est de necessitate, ut Deus ab esse offensi, transeat ad esse non offensi.

NEQUE valet si dicas: Illo casu quem supponit instantia, actu non auferendam qualitatem gratificativam, poni tamen actionem, quæ, quantùm est de se, illam auferret; nam eodem jure dici posset: Divinam condonationem, quantum est ex illa, esse collativam gratiæ; licèt possit illa haberi sine actuali illius collatione; posseq; sine illa perfici remissionē, ut sine gratiæ

ablatione, etiam per primum peccatum, poni potest ratio offensæ.

Contra III. Quia esse offensum non stat formaliter in hoc, ut Deus tollat illam qualitatem, in ordine naturali, vel gratiæ; estque quid posterius offensâ. Ergo neque Deum, non esse offensum, stabit formaliter in positione illius qualitatis. Ergo positio illius, in neutro statu est necessaria ad hoc, ut Deus censeatur, ab esse offensi, transire in statum non offensi; præcipuè, quia inferiùs ostendetur sufficiens mutatio ad hunc transitum, etiam sine infusione gratiæ.

Probatur III. Quoties aliqua causa adjuvat aliam, tribuendo illi vires agendi, eamque confortando; toties illum effectum potest ponere sola, nisi specialis repugnantia adsit, orta ex ipsa exigentia effectûs, petentis nonnisi à duabus causis produci: quomodo v. g. petit produci actus vitalis; & quomodo petit haberi omnis effectus formalis, primarius. Sed condonatio Divina, est talis, quæ nisi adesset, nec veniale, nec mortale, per gratiam remitteretur, ut infra probabitur. Ergo illam remissionem poterit se solâ ponere condonatio Divina. Major Probatur Inductione. Nam scriptor peritus, dirigens manum imperiti, potest formare characteres per seipsum; & Deus in aliis materiis, potest facere per seipsum, quod facit per causas secundas, exceptis dictis limitationibus. Et ratio est; quia si potest adjuvare, & tribuere vim agendi alteri, supponitur continere in sua vi, illum effectum: cur ergo ad illum producendum non procedet?

Punctum Difficultatis I.

Solvitur Principalis Objectio.

Objicitur I. Argumentum commune, quo & supra, & in materia de modis, usi sumus. Cui à DEO peccatum remittitur, transit DEUS ab offenso, ad non offensum. Atqui hunc transitum fieri implicat, absque ulla peccatoris reali mutatione. Ergo. Minor Probatur, Implicat fieri transitum, à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione, atqui si fieret transitus, ab esse offensi, ad non esse offensi, sine peccatoris reali mutatione; fieret sine sufficienti mutatione. Ergo. Minor, in qua est difficultas. Probatur inquisitione: quænam scilicet foret mutatio sufficiens?

Respondetur I. Hoc Argumentum ut sonat propositum, non impetere Conclusionem à nobis datam; quia nostra Conclusio procedebat de eo, quòd remitti possit peccatum, sine infusione gratiæ, de qua nihil agit præsens Argumentum. Porrò mutatio sufficiens (ut illa assignetur Argumento paulò aliter proponibili) vi cujus intelligatur transire Deus ab esse offensi, ad non esse offensi, est actus proprius peccatoris, detestativus peccati; non utcunque sumptus, sed in circumstantia, in qua Deus decerneret se depositurum Offensam, quotiescunque retractaret peccator, sicut oportet ad salutem, peccatum. Et sicut positis actionibus Sacramentalibus, ponitur gratia; idque ex vi decreti Divini, volentis illas assumere ad productionem gratiæ, quantumvis illæ actiones se solis non exigant producere gratiam; ita posset facere decretum, de subjungenda sua condonatione, quotiescunque peccator, ut oportet, retractaret peccatum, quamvis illa retractatio, se sola non exigeret, poni condonationem Divinam.

Respondetur II. Quamvis Deus non alligaret suam condonationem ad actum retractationis, nec per illam tanquam per mutationem sufficientem transire vellet ad esse non offensi, posset poni alia sufficiens mutatio; si scilicet revelatione promulgaret, quòd tot vel tot exactis annis pœnarum, vellet desinere pœnas, & simul ex misericordiæ suæ abysso, remitteret offensam; quo casu sufficiens mutatio, ut Deus transeat ab esse offensi, ad esse non offensi, esset negatio pœnarum, alligata certo tempori in circumstantia decreti Divini. Quod ipsum sic ulteriùs illustratur: Quia, quid implicat ut dicat DEUS: volo eò usque irasci pro peccatis, quousque puniam? quo casu, ab esse irati, ad non esse irati, transiret Deus actu suo, in circumstantia negationis punitionis. Et sicut, ab esse non irati, ad esse irati transiit positione punitionis, ita ad non esse irati, transire poterit negatione punitionis. Item poterat esse Iris, & non esse signum DEI placandi, nec jam puniturî diluvio mundum, transitque ad esse signi per decretum Divinum, vi cujus infertur negatio diluvii. Cur etiam quantumvis possit esse negatio pœnarum, & non esse negatio offensæ Divinæ, cur inquam negatio pœnarum, in circumstantia decreti Divini, non erit sufficiens mutatio, ut DEUS transeat ad esse non offensi? Rursùs poterat esse infusio gratiæ per Oppositos, & non esse abolitiva venialis, nisi accedat intentio abolendi veniale; cur non etiam accedente intentione Divina, remittendæ offensæ, si desinant pœnæ, cur inquam non erit sufficiens mutatio desinentia pœnarum, in circumstantia illius intentionis, & decreti Divini?

Hoc totum in hunc brevem discursum colligi potest. Non implicat, ut una eademque ratione diversi decreti & temporis, sit sufficiens mutatio, vi cujus dicatur Deus, à pluribus etiam contradictoriis, transire ad alia, ut patet instantiis adlatis, & inferiùs declarabitur. Quod si fieri potest ut idem ratione diversi decreti & temporis, sit sufficiens mutatio, poterit Deus negatione

gatione pœnarum, transire & ad esse non punientis, & ad esse non offensi.

Responderi potest III. (quam Responsionem, tractando hanc materiam, antequam tractâssem materiam de Deo, appellaveram supererogatoriam, eò quòd per priores duas, commodè satisfiat Argumento.) Cui responsioni alacritatem quandam addere possunt verba Suarii; qui cæteroqui modestus Auctor, & bene noscens vim Principii hujus Modalistici, nihilominùs hæc formalia enunciat: Ratio illa prior de mutatione, nunquam me multum movere potuit, quia optimè & sine difficultate intelligo, DEUM sine ulla sui mutatione, posse efficere hanc *formalem* mutationem in homine. Subditque inferiùs: quomodo? volente id scilicet voluntate Divina excellentiori modo. Difficultas tantùm est in explicando illo excellentiori modo. *Quod ut fiat*

Suppono I. Quòd actus Divinus liber, quantumvis respiciat aliquam circumstantiam extrinsecam nihilominùs illâ circumstantia non componitur; quia aliàs aliquo creato componeretur increatum, & actus vitalis componeretur aliquo non vitali. Tota itaque exigentia illius extrinseci connotati, non est in ordine ad componendum actum Divinum liberum, sed nonnisi ad circumstantionandum.

Suppono II. Quòd illa circumstantia, & illud connotatum extrinsecum, sit adinventum nonnisi ex eo, quòd nesciamus, quî salvanda sit contingentia, quæ est innexa omni actui libero, est enim de ratione liberi indifferentia, adeòque posse esse, & non esse. Ex alia parte cùm actus Dei liber, sit Divinus, si est Divinus? est necessarius; quia de ratione esse Divini, est necessitas essendi; ut ergo salvaretur indifferentia, & necessitas in actibus liberis Divinis, & ut formaremus aliquem de iis conceptum, salvantem & necessitatem essendi, & indifferentiam; dicimus, in recto & entitativè actum Divinum, esse necessarium; ratione autem connotati, quòd posset adesse & abesse, indifferentem esse; Deo fortassis ex suæ Sapientiæ abysso, longè alium de sua libertate formante conceptum.

Suppono III. Duplices nos posse imaginari actus Divinos liberos; alios quidem efficientes & productivos; alios autem non productivos; his qui sunt productivi, pro circumstantia, est necesse assignare aliquam Creaturam, quia illâ non assignatâ, & essent productivi, & non essent; essent, quia tales supponuntur esse; & non essent productivi; quia nihil producerent; producere enim deberent, in supposita materia, aliquid creatum illis actibus respondens. Cæterum actibus Divinis non productivis, non debet respondere aliquid creatum, sed potiùs negatio creati, qualis respondet actui Dei libero, nolenti millionem mundorum.

Suppono IV. Actus Divini liberi tam productivi, quàm non productivi, interdum primò respiciunt & important aliquid creatum, vel negationem creati; ita, ut id quod circumstantionat actum liberum, primò per se, sit aliquid creatum, vel negatio creati. Interdum verò illi actus, respiciunt & important primò per se, aliquid increatum connotans creaturam, ita ut id, quod primò per se circumstantionat illum actum, sit aliquid increatum; sic v. g. actus quo Deus vult producere mundum, primò respicit & importat mundum; actus verò, quo Deus dicit: Nolo in hoc mundo, tantùm esse prædestinatos, respicit primò per se aliquid Divinum, nempe negationem volitionis Divinæ efficacis de salute singulorum. Item cùm Deus dicit: volo decernere creationem mundi, propter gloriam Christi Domini; hic actus primò respicit voluntatem Divinam decernentem, quæ connotat aliquid creatum, hoc est gloriam CHRISTI & ipsum CHRISTUM.

Suppono V. Quotiescunque actus Divinus liber, primò respicit & importat aliquid increatum, hoc est, alium actum Divinum liberum, tunc una eademque Entitas creata, sive negatio entis creati, potest esse sufficiens mutatio plurium, ratione nostra actuum Divinorum; & attendi debet ad solos actus, quasi revera plures in se essent. Illustratur hoc instantiâ certâ, in sententia aliquorum oppositum sentientium: nam decreta est Incarnatio, in principiis plurium ex ipsis, ob triplex motivum, hoc est: Excellentiam mysterii intrinsecam. Dignitatem Capitis. Bonitatem Redemptoris. En voluntatem Divinam, & actus illos tres voluntatis Divinæ, circumstantionat eadem entitas unionis hypostaticæ. Item quando DEUS dicit: volo non prædestinare Cainum, negatio prædestinationis, potest esse sufficiens mutatio, ratione cujus, ex pluribus motivis, adeòque per eosdem auctores pluribus etiam ratione nostra actibus Divinis liberis, possit illam velle voluntas Divina respondentibus pluribus motivis & finibus circumstantionatis ab eadem negatione salutis. Rursùs eadem gratia si detur intentione abolendi veniale, per Oppositos, est illius abolitiva; si non detur, non est abolitiva; ubi intentionem abolendi, vel non abolendi, circumstantionat eadem entitas gratiæ. *His suppositis.* Ille excellentior volendi modus de quo innuit Suarez, sic explicari potest.

Una eademque indivisibilis entitas Deitatis, ex infinitate suæ perfectionis, hoc habet: ut æquivaleat distinctis realiter, præstando hoc totum, salvâ identitate, quod præstant in creatis, duo distincta realiter. Et ita, verbi gratia,

Divina

Divina essentia, æquivalet distinctis realiter, v. g. ei quod communicatur, & ei, quod non communicatur; ei quod producitur; & ei, quod non producitur. Et sicut in creatis communicato uno, non est necesse communicari aliud distinctum realiter; producto item uno, non est necesse produci aliud distinctum realiter: ita beneficio illius æquivalentiæ, sine ulla pluralitate & imperfectione, potest communicari essentia, non communicata paternitate, quæ illi identificatur realiter; & producta filiatione, potest non produci essentia, quæ est illi identificata realiter.

Sic etiam ex infinitate perfectionis, Divina essentia, æquivalet pluribus actibus, v. g. actui necessario, & actui libero; itemque pluribus actibus necessariis, & pluribus actibus liberis, vi cujus æquivalentiæ, habet hoc, ut sine ulla pluralitate, possit hoc præstare, quod præstarent actus distincti realiter.

Quia verò si in Deo poneretur actus DEI liber distinctus realiter, illemet ipse esset sufficiens mutatio, ratione cujus transiret Deus, ab esse offensi, ad non esse offensi; ita beneficio illius æquivalentiæ ad actus liberos distinctos realiter, habet hoc, ut sine ulla sui mutatione, pluralitate, imperfectione, per solam æquivalentiam ad actus distinctos realiter, & per æquivalentiam ad mutationē sine mutatione, transire possit ab esse offensi, ad esse non offensi, seclusis imperfectionibus & mutatione.

Cùm verò imperfectio sit in actu libero, Contingentia; illâ exclusâ, determinat sibi necessitatem essendi, seu ut actus liber, sit entitativè necessarius; è contra quia est perfectio, non velle necessariò, quod non est volibile necessariò; determinat sibi infinita perfectio essendi, ut non velit necessariò, sed liberè, quod non est volibile necessariò. Rursùs, quia in actibus liberis, imperfectio est pluralitas, & mutatio; illā excludit esse Divinum, in quo sicut est esse unum & immutabile, ita & operari est unum & immutabile; è contra autem, quia est perfectio, hoc posse facere, quod facerent actus distincti realiter; item est perfectio; esse sufficientem rationem trasiseundi, ab esse offensi, ad esse non offensi. Item est perfectio, sine ulla mutatione facere hoc, quod faceret mutatio. Item, est perfectio continere se solâ & sua entitate, actus ratione distinctos, planè ac si revera plures essent actus. Denique perfectio est, id habere per æquivalentiam ad terminandum, ac si desineret esse, novusque succederet actus, cùm desinentia actûs in creatis; perfectionem importat; quantumvis actus divinus semper sit, nec possit desinere esse, nec novus illi succedat actus; cùm inquam hæc omnia perfectio sint; fit, ut illam perfectionem totam determinet sibi plenitudo, & infinitas essendi, Divina.

Hoc totum ad præsens applicando, & totum discursum in compendium redigendo; Dici potest: Transire DEUM, ab esse offensi, ad esse non offensi, per actum suum æquivalentem actui novo, sine ulla novitate; & per æquivalentiam ad faciendum, quod faceret desinentia actûs offensæ, sine ulla desinentia. Plura vide in 1. parte de actu Dei libero.

ADDO I. Quia quæri adhuc potest, quòd possit esse entitas Divina & non habere æquivalentiam v. g. ad esse non offensi, sed potiùs ad esse offensi; per quid ergo transibit ad esse non offensi? Ad quod ut respondeatur; præ oculis habendum est, quòd sicut datur æquivalentia in ordine ad plures actus; ita datur æquivalentia, sine ulla pluralitate, imperfectione, mutatione, ad ipsum transitum, pro hac potius æquivalentiæ parte, quàm pro alia æquivalentiæ parte. Et sicut, si DEUS per aliquid distinctum realiter, transiret ad esse æquivalentis non offenso, sufficiens tunc haberetur mutatio; ita sine ulla mutatione transit à non esse æquivalentis offenso, ad esse æquivalentis offenso, per transitum æquivalentem, seu per æquivalentiam ad mutationem, sine mutatione; ita ut admittatur, & æquivalentia ad plures actus, & æquivalentia ad ipsum transitum; & mutationem, sine imperfectione transitûs & mutationis.

ADDO II. Posito actu, quo Deus dicat: Non offendor Creaturæ; consurgit formalitas in Creatura, quasi à posteriori, & effectus prioris, quòd jam sit ea, cui DEUS non offenditur. Quòdsi quæras: Unde consurgat? Responderi potest: vi actûs Divini, quo Deus dicit se non offendi Creaturæ. Quod si quæras? Per quid Deus veniat ad hunc actum? Responderi potest: quia actus, quo dicit se non offendi, terminatur ad negationem prioris actus, cujus negatio, non est quidem realiter, sed in ordine ad terminandum sequentem hunc; ratione nostra actum, & alligatum posteriori differentiæ temporis, ita se habet planè, ac si verè desisset. Quod si ulteriùs quæras: unde hoc fiat? ad duo attendi debet. Imprimis ad titulum libertatis, cui liberum est remittere suam offensam. Deinde ad titulum æquivalentiæ explicatæ, idque ità, quia quamvis ab æterno Deus habuerit æquivalentiam ad esse non offensi, non tamen denominatus est semper non offensus, sed transiit ad denominandum in tempore per æquivalentiam ad actus elicitos nonnisi in tempore. Et sicut si haberet actus nonnisi in tempore, nonnisi in tempore denominaretur non offensus; ita ob æquivalentiam ad actus, nonnisi in tempore, transit ad esse habentis denominationem non offensi, transit inquam nonnisi in tempore.

ADDO III. Quotiescunque actus DEI liber, respicit aliquid creatum positivum, toties debet illi respondere pro circumstantia

stantia aliquid positivum creatum; ut colligi potest ex Supp. 3. & 4. Item: Quotiescunque actus DEI liber respicit aliquam negationem Creaturæ, actus ille circumstantionari debet à negatione; ut colligi debet ex dictis suppositis; nec recurri in explicatione actus liberi ad solam præcisè æquivalentiam hactenus delineatam, sed ad illam recurri debet nonnisi tunc, cùm actus Dei liber primò per se, respicit alium actum liberum. Probari autem debet bonitas hujus explicationis, duobus principiis, utroque negativo. Imprimis, quia contra hanc explicationem nullum inconveniens objici potest. Deinde, quia omnis perfectio quæ non implicat contradictionem, estque melior ipsa, quam non ipsa, Deo tribui debet; jam autem æquivalentia, vi cujus Deus fortiri possit denominationem, quæ aliàs in creatis sine mutatione haberi non potest, est quædam perfectio non implicans, tribui ergo Deo debebit.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Instantiæ, pro eadem Objectione, factæ.

INSTABIS I. In Deo non potest esse actus liber, cui non respondeat ex parte Creaturæ aliqua mutatio, proportionata decreto Dei. Ergo idem dicendum, cùm ex offenso Deus transit, in non offensum; hæc autem mutatio non potest esse alia, nisi gratia infusa.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum, cùm actus liber primò per se respicit aliquid creatum: sed esse falsum, si actus liber respiciat primò per se aliquid increatum. Concesso quòd actui libero in Creatura respondere deberet mutatio; hæc independenter ab infusione gratiæ ostendi posset, in positione actûs liberi, vel desitione pœnarum, alterutri horum. alligante Deo decretum condonandi.

INSTAT II. P. Martinus Olszevvski, Sac. Theologiæ Doctor, Vir solidissimè doctus, & in impugnando rarâ excellentiâ insignis: Impossibile est voluntatem Divinam; nunc offendi, nunc non offendi, nulla in objecto facta mutatione; cùm enim in Deo, quicunque actus liber, sit in re necessarius, & non potest esse alius & alius, nisi ratione aliûs & aliûs objecti seu termini, consequenter nè quidem concipi potest alius, si objectum prorsus sit invariatum.

RESPONSUM jam. Variationem objecti fore, ratione actûs detestativi, vel negationis pœnarum, si his Deus alligaret decretum condonandæ offensæ.

Conformiter autem ad phrasim usurpatam dici posset: Impossibile esse Divinam voluntatem, nunc offendi, nunc non offendi, nullâ in objecto factâ mutatione, & non suppositâ æquivalentiâ ad actus distinctos realiter, & æquivalentiâ ad præstandum sine mutatione, quod præstaret mutatio; possibile tamen hoc erit, suppositâ æquivalentiâ ad actus distinctos realiter, & æquivalentiâ ad præstandum sine mutatione, quod præstaret mutatio. Sicut ergo, si essent in DEO novi actus realiter, nullâ in objecto factâ mutatione, posset DEUS reddi nunc offensus, nunc non offensus; ita sine ulla mutatione, per solam æquivalentiam ad actus distinctos realiter, & per æquivalentiam, ad mutationem, idem præstari poterit.

Vel dic actum DEI liberum primò per se respicientem aliquid creatum, non posse esse alium, nisi ratione aliûs & aliûs objecti creati; secus tamen si actus DEI liber primò per se respiciat aliquid increatum; ut: Nolo offendi, respicit negationem actus Divini, quo offendebatur creaturæ, juxta dicta superiùs.

INSTAT III. Idem. Nullo modo Theologicè percipitur: Quomodo DEUS in primo rationis signo indifferens ad velle, & non velle hunc, quem de facto voluit mundum, transierit ad velle eundem: nisi Divina volitio intelligatur terminata ad mundi futuritionem; adeòque nisi intelligatur terminata ad mundum aliter se ex parte sua habentem, quàm haberet in primo signo rationis, in quo, ad fore & non fore, indifferens erat. Ergo etiam nullo modo percipi potest, quomodo DEUS, qui Petro in ante fuit offensus, jam nunc non offendatur; nisi Divina volitio intelligatur terminata ad Petrum aliter se ex parte sua habentem. Et sicut DEUS non alio transivit ab indifferentia volendi mundum, ad determinationem volendi mundum, quam prorsus eodem & immutabili necessariæ voluntatis actu, terminato ad objectum, aliter atque aliter se habens, ita & in præsenti idem dicendum.

RESPONSUM jam. Ostendi mutationem in objecto, ratione actus retractativi, vel negationis pœnarum. si alterutri horum, DEUS decrevisset adnectere suam condonationem. Hoc est, formando tale decretum: quando condonabo culpam, nemo punietur.

Conformiter autem ad responsionem tertiam. Negatur Consequentia. Disparitas est; quia prior ille actus Divinus, est productivus, respiciensque primò per se aliquid creatum, consequenter illi respondere debet esse productum & creatum, ut ita respicienti, id quod respicitur, proportionetur. Et cùm illud productum, illudque creatum sit formalis mutationis capax, debuit in illo poni mutatio; sed in præsenti actus Divinus, quo dicit: Nolo offendi; primò per se, non respicit Creaturam, sed negationem actûs offensæ respi-

respicitque aliquid in se, hoc est, positionem actûs, quo dicat se non offendi, quamvis postea hic actus importet aliquid creatum, ut dixi addito secundo, consequenter hîc, respiciente uno actu libero alium actum liberum, non erit necesse, ut aliquid formaliter in objecto creato mutetur, excepto hoc, quòd subjectum reddendum sit non invisum, sed sufficiet æquivalentia terminandi, talis, qualis daretur, si de facto mutaretur Deus. Potest hoc illustrari exemplo à creatis deducto; in quibus interdum est necesse, sequi mutationem immediatè extra volentem, interdum non est necesse sequi; nam cùm dicit Petrus: efficaciter volo Paulo dare centum, impossibile est velle id efficaciter, quin respondeat centum; quod est extrà volentem; & tamen potest dicere: volo condonare offensam, quin ponatur aliquid extra condonantem; sic etiam in præsenti non potest DEUS dicere: volo producere mundum, non respondente immediatè mundo, qui est extra Deum; potest tamen dicere: volo condonare offensam, quin respondeat immediatè aliquid extra Deum, qui per æquivalentiam ad mutationem, sine mutatione, id præstare potest, quod præstaret, si intrinsecè mutaretur per actum, qui sit volitio condonandi.

Eadem disparitas sic aliter proponi potest: quia si voluntati Divinæ, volenti liberè producere mundum, non responderet mundus productus, & esset illa voluntas producendi mundi, & non esset; esset, ut supponitur; non esset autem, quia illi non responderet mundus quoad produci; jam verò Deo volente condonare offensam, responderet condonatio, quæ esset ipsemet actus Divinus; responderet autem titulo æquivalentiæ, vi cujus habeat hoc, ut sine ulla mutatione & inceptione, id incipiat condonare, in certâ differentia temporis, quod non condonavit ante; planè ac si tunc primùm, & de novo, & cum mutatione sui, condonaret & inciperet esse.

Instat IV. Idem. Sequitur ex Responsionibus datis, quod voluntas Divina in idem volibile, quantumvis ex parte sua prorsus invariatum, aliter, atque aliter, feratur; hoc autem dici non potest, quia Divinus Intellectus, in idem intelligibile invariatum, ex parte sua non potest, aliter & aliter ferri, nunc scilicet assentiendo, nunc dissentiendo. Et sicut esset defectus in Divino intelligere, si de eodem intelligibili prorsùs invariato, nunc haberet assensum, nunc dissensum. Ergo erit etiam defectus in voluntate, si nunc ponatur offensa, nunc non ponatur, invariato manente objecto; & sicut à rectissimo Intellectu, omne v. g. affirmabile, si sit invariatum, semper affirmari debet, ita & à rectissima voluntate, semper debet odio haberi, quod semel odio habitum est, si sit invariatum objectum, libertasque voluntatis Divinæ, non in hoc stabit, quòd possit idem invariatum objectum, nunc amare, nunc odisse; sed in eo, quòd possit objectum non amabile, pro libitu amare, faciendo illud amabile.

Responsum jam, quòd ostendatur illic objectum variatum, ratione retractationis, vel negationis pœnarum, in circumstantia decreti Divini; sed conformiter ad phrasim usurpatam, Negatur Consequentia. Disparitas antequam adferatur. Retorqueri potest Argumentum, Cur Intellectus creatus, eidem invariato objecto, non possit nunc assentiri, nunc dissentiri, & tamen manente invariato suo inimico, potest voluntas creata, nunc illi offendi, nunc non offendi, etiam rationabilem offensam, propter dictamina Evangelii deponendo? Disparitas autem directò hæc assignatur: Quia cognitione, quæ sit assensus, vel dissensus, est necesse vel conjungere, cum objecto, vel disjungere prædicatum ab objecto; si ergo nihil est variatum disjunxitque Intellectus verè prædicatum ab objecto, non poterit illud conjungere assentiendo, quia non potest conjungere nisi prædicatum quod inest, revera autem non inest sicut & ante; & si inesset illud prædicatum, cùm non infuerit ante, revera variatum esset objectum. Quodsi non sit Intellectio assensus & dissensus, sed simplex apprehensio, idem sequitur; quia bonum Intellectûs est verum: verum autem dicit conformitatem cum objecto; si ergo objectum eodem modo se habet quo ante, qui aliter apprehenderetur verè; aliter inquam quàm ante? Cùm autem voluntas possit non respicere bonitatem in objecto, nequè illâ moveri, sed aliunde quæsitâ & præsentatâ sibi bonitate, hinc manente etiam objecto invariato, aliunde quæsitâ bonitate potest allici voluntas ad illud amandum quod antea non amavit, non quòd velit amare malum, quod est malum, & quod antea, quia malum est, noluit amare; sed quod respiciat potiùs ad præsentatam, & aliunde quæsitam bonitatem, & honestatem, in ponendo actu.

Tota itaque breviter disparitas desumitur ex modo tendendi utriusque potentiæ: quia scilicet intellectus non potest adsciscere aliunde scibilitatem objecto invariato, nec potest adsciscere aliunde albedinem & dicere album, quod non est album; jam autem voluntas aliunde quæsitâ honestate, in actu ponendo, sibique præsentatâ, potest ferri in objectum in se invariatum.

Quod autem additur: In eo stare libertatem Divinam, quòd possit facere bonum quod antea erat malum; id quidem verum est, sed non in hoc solo stat libertas Dei; cùm possit stare etiam in gratuita condonatione, positâ, vel in circumstantia mutationum explicatarum, vel titulo æquivalentiæ; & nihilominùs absque infusione gratiæ.

Instat V. Idem, præcipuè contra responsionem

sionem secundam: Temporis mutatio, est generalis & indifferens circumstantia, tam ad esse ingrati, quàm ad esse grati; deberetque esse continuus à quovis contradictorio in aliud fluxus; sicut est continua in tempore fluentia.

Respondetur. Temporis quidem mutationem secundùm se spectatam, esse generalem, & si illa sola præcisè foret mensura transitûs ad contradictoria deberet esse perpetuus fluxus à contradictoris, ad contradictoria, quantumvis spectata hæc circumstantia temporis, cum alligatione ad certum illius terminum; alligatione inquam decreti Divini, non erit jam generalis circumstantia, sicut non est generalis circumstantia, cum à non esse satisfacientis plenè, in purgatorio, ad esse satisfacientis plenè, transit anima per pœnas quas subiit, quarum durationem alligavit Deus certo tempori; ita & in præsenti.

Instat VI. Idem. Non majorem esse mutationem, quæ sit ratione mutationis in tempore, ut aliquis transeat à non esse grati, ad esse grati; atque est passeris extra scholam saltatio.

Respondetur. Non sola hîc temporis circumstantia ponitur, sed cum alligatione decreti Divini ad eandem, unà cum pœnis toleratis. Et sicut percussionem Regis Syriæ, alligârat Deus percussioni terræ; sic etiam poterat alligâsse decreto, suæ voluntatis impletionem, certæ differentiæ temporis, ut alligat condonationem pœnarum Purgatorii.

Instat VII. Dicastillo. Homo ex peccato præterito non dicitur maculatus, & dignus pœnâ pro tali tempore, sed absolutè pro omni, neque per voluntatem DEI, sed absolutè ante omnem DEI voluntatem. Ergo non potest Deus lapsu temporis, accessu voluntatis, talem maculam tollere; veluti non potest tollere denominationes ex forma aliqua intrinseca, vel extrinseca, non potest inquam tollere, solâ suâ voluntate, & lapsu temporis.

Respondetur. Hæc difficultas intentum non convincit; Nam imprimis procedit contra principia Vasquez, cui ille adhæret; nam si quid probat, probat etiam obligationem ad pœnam, cum tempore remitti non posse; pro omni enim tempore ex natura rerum meretur mortale pœnam æternam. Docet i[illegible] Vasquez, ad arbitrium Dei, sine infusione gratiæ remitti Originale. Directè autem ad punctum Difficultatis dicitur: quòd in potestate peccantis vel ipsius Dei non sit, ut id quod malum est, malum non sit; adeòque solâ suâ voluntate id tollere non potest; est autem in potestate condonantis Dei, vel Creaturæ, auferre offensam suam gratuitò, & liberaliter condonando eandem. Unde solvitur etiam paritas desumpta à formis; Nam denominationes oriundæ à formis intrinsecis, vel extrinsecis, dum sunt, non subsunt voluntati Divinæ vel humanæ, nam nec Deus potest facere, ut non sit nigrum, dum est nigrum, quod est nigrum: jam autem est in potestate offensi remittere suam offensam.

Addo. Ex supposita doctrina, non sequi: quòd à non esse uniti, ad esse uniti; à non esse agentis, ad esse agentis transiri possit, sine ulla modalitate, aut per solam æquivalentiam actuum Divinorum; nam alligatio decreti, respicit aliquid creatum ponendum; non posset autem ostendi: quid poneretur determinatè; jam autem voluntas condonandi, non est decretum productivum, transferreque ad creaturas similem æquivalentiam actuum, qualem concessimus in Divinis, est invehere immutabilitatem in creaturis, rationem actus puri, & per paritatem arguendi, etiam mysterium Trinitatis in creatis.

Punctum Difficultatis 3.

Objectiones reliquæ solvuntur.

Objicit II. Vasquez, appellatque argumentum evidentem ratiocinationem; & ad illam supponit præter obligationem pœnæ, dari adhuc maculam peccati, nam oppositum est doctrina Baji in Prop. 53. damnata. Rursùs macula etiam, & dignitas seu meritum pœnæ, distinguuntur; non enim homo ideo dicitur esse maculatus, quòd sit dignus pœnâ, sed potiùs, ex eo quia maculatus est, censetur esse dignus pœnâ. Unde docet sola condonatione posse remitti obligationem ad pœnam; sed solâ condonatione non posse remitti maculam, sic Probat. Aut homo præteritâ jam actione peccati semel commissi manet maculatus, injustus & dignus pœnâ æternâ, ex natura peccati, aut ex sola lege & voluntate Dei imputanti peccatum? sed non ex imputatione Dei. Ergo ex natura ipsiusmet peccati. Probatur Minor: Quia non ideo dicitur maculatus, & dignus pœnâ, quia DEUS vult ipsum ita manere, sed quia ipse peccavit, nec explicari potest: quî homo, ex sola imputatione DEI, constitui possit peccator?

Respondetur. Duæ illæ formalitates peccati, quæ sunt macula & dignitas ad pœnam, vel possunt spectari secundùm malitiam objectivam, vel possunt spectari secundùm moralem permanentiam, & in aliquo sui; spectantur secundùm malitiam, objectivam & in se, inquantùm dicunt Dissonantiam actionis, & v. g. connexionem amoris cum objecto odibili, vel connexionem odii cum objecto amabili, sub palliatis rationibus. 2. Possunt illæ duæ formalitates spectari in sui morali permanenti-

nentia & in aliquo sui, hoc est, in effectu; causant enim aversionem Dei, faciunt illum offendi &c. formalitates illæ secundùm malitiam objectivam spectatæ, non subsunt libertati condonationis Divinæ, non tantùm independenter ab infusione gratiæ, sed etiam posità infusione gratiæ; nam nec gratia potest facere, ut objectivè malum non sit objectivè malum; quia impossibile est idem esse, & non esse; consequenter impossibile est, ut quod est peccatum, non sit peccatum. Quodsi illæ formalitates spectentur in aliquo sui, hoc est, in permanentia morali, & in hoc effectu, qui est reddere Deum aversum & infensum; reddere item Deum proximè potentem respondere pœnâ, ad dignitatem pœnæ; sic sumpta macula & dignitas, tolli possunt & quidem dupliciter: vel constitutione pœnitentis etiam in gradu filii adoptivi; hocque fieri non poterit sine infusione gratiæ. Vel pura remissione offensæ; & hoc poterit fieri sola extrinseca condonatione, qualem hîc defendimus, & qualem non posse dari, Argumentum Vasquez non evincit.

Neque valet si dicas: Eligendas esse opiniones quæ maximè distant ab hæreticis; magis autem distabitur à sententia hæretica, quæ justificationem refert in imputatam justitiam; nihil inquam valet si dicas: quia debemus eligere opiniones magis ab Hæreticis distantes, si cætera sint paria; benè enim advertit Ripalda, magis distaremus ab Hæreticis si diceremus implicare ut in Eucharistia sit simul panis & corpus Christi, & tamen hoc nemo tenet; magis item distaremus à Semi-Pelagianis, si negaremus dari scientiam conditionatorum; item si negaremus possibilem esse Creaturam ab æterno, magis distaremus ab Arianis: & tamen utrumque hoc posterius, viri docti tenent. Veritas autem fidei non indiget fulciri falsis; abest autem longè hæc sententia Suarii, ab illa imputatione hæretica, quia error illorum in hoc stat, quòd etiam defacto noluerint concedere justificari nos per infusionem gratiæ. Deinde quia defacto dicebant nos semper post peccatum esse maculatos, manere dignos pœnâ æterna, & quòd in nobis maneat semper peccatum, Deus tamen, inquiunt, illud non punit, & ita se gerit cum homine, acsi peccatum in illo non esset, imputando nobis justitiam Christi. De hoc puncto fusè Suarez citat. plusquam per paginam, à n. 16.

Objicit III. Esparza: Injuria homini ab homine illata, nequit remitti absque mutatione offendentis, vel offensi. Ergo & injuria Deo illata ab homine, non potest remitti absque mutatione alterutrius; sed hæc impossibilis est ex parte Dei. Ergo. Deinde effectus præcipuus peccati, quod est injuria erga Deum, est privatio gratiæ, voluntas autem sola hominis, non potest impedire hunc effectum, nec compensare ad æqualitatem injuriam Dei gravem. Ergo necessaria erit voluntas impeditiva privationis gratiæ, quod non aliter fieri potest, quàm per infusionem gratiæ; quæ sola, mutat peccatorem, mutatione necessariâ ad deletionem peccati.

Responsum jam. Mutationem posse intercedere ratione actûs supernaturalis retractativi, qui actus non tollet quidem effectum, qui est negatio gratiæ, tollet tamen moralem permanentiam, quæ tunc beneficio retractationis auferetur, Deo præcipuè, retractatione posità, actum condonationis exhibente. Et licèt retractatio, non compensèt ad æqualitatem, id non obstat; nam sufficit accedere tunc condonationem Divinam; nam etiam infusâ gratiâ non satisfit ad æqualitatem, & tamen perficitur remissio peccati, accedente condonatione Divinâ.

Conformiter autem ad usurpatam phrasim dici potest: Intervenire tunc in DEO aliquid æquivalenter præstans, quod præstaret mutatio; quæ æquivalentia, cùm non possit haberi in creatis, imò, ut dixi, debet non haberi; potest autem haberi in Divinis; adeòque habetur. Hinc ratione ejus salvatur quomodo Deus remittat offensam.

Instat idem. Nequit remitti & deleri peccatum, manente malo, quod induxit vel ipsum peccatum, vel odium, quod habet Deus in peccatum; aliàs nullum bonum foret illa remissio, aut valdè contemnendum: cùm tamen debeat injuriæ remissio multum æstimari, si fiat à persona insigni; mala autem quæ sunt inducta per peccatum vel odium Dei in illud, sunt plura, nec apparet quî tollantur sine infusione gratiæ; quale malum est aversio à Deo, offensa adversus eundem, inimicitia cum eodem, vilitas peccatoris, &c. Item privatio gratiæ, & juris ad gloriam &c.

Respondetur. Quòd sine infusione gratiæ, aliqua mala non tollantur, inter alia negatio constitutionis in esse filii adoptivi; consequenter illa remissio sine infusione gratiæ, non esset perfecta & absoluta; & licèt non foret digna tanta gratitudine, quantâ remissio simul cum filiatione, tamen mereretur magnam gratitudinem, sicut reus læsæ Majestatis ipsam condonationem multum æstimat, quantumvis non addatur illi evectio in dignitates; mala autem, quæ tollit extrinseca condonatio, sunt aversio Dei, quæ tollitur per illam conversionem Dei, tollitur offensa per remissionem; & cùm ante male illi voluerit Deus, fueritque peccatori offensus, tollitur hoc malum, dum redditur, Deus non offensus.

Ad plura autem quæ ex eodem adferri possent solvenda, habeatur præ oculis. I. Amare positivè seu amore stante in communicatione bonorum, manifestatâ ad invicem, est velle alicui bonum; potest autem aliquis amari

amari à Deo nonnisi negativè, quia scilicet Deus est illi non offensus. Et tali non est necesse, ut DEUS conferat aliquod positivum bonum præter hoc bonum, quod est ipsamet condonatio. II. Licèt repugnet duos inæqualiter positivè dilectos, non esse inæquales in bonis, possunt tamen duo inæqualiter amari negativè, nec tamen alteruter plus donorum habere; sicut etiam in creatis possunt aliqui inæqualiter amari, quin unus plus præ alio recipiat bonorum v. g. pecuniæ. III. Sufficere, ut tales quos DEUS diligit, ex consequenti sint inæquales, hoc autem consequens potest dici, quòd sit formalitas non invisi Deo, & formalitas objecti DEO non ingrati.

Illa autem propositio: Nullum est DEI donum distinctum ab omni forma justificante, quod ratione suæ bonitatis, non sit conferibile peccatori, illa inquam propositio supponit talem esse gratiam, quod dubium est. Et posito etiam, quòd gratia esset incompossibilis cum peccato, verum id esset, quòd nullum Dei donum intrinsecum sit incompossibile cum peccato, exceptâ gratiâ; falsum tamen esset, quòd non esset possibile donum extrinsecum, incompossibile cum peccato, qualem incompossibilitatem dicit condonatio extrinseca. Sed adhuc

Instat Vasquez: si semel admittatur possibilis remissio peccati extrinseca, nunquam jam fieri poterit illa per infusionem gratiæ, præcedet enim pro priori condonatio, quæ remittet peccatum, jamque ad remissionem & justificationem peccatoris, nonnisi concomitanter se habebit infusio gratiæ.

Respondetur. Pro priori naturæ, priùs intelligitur Deus non offensus, & postea amicus; sicut pro priori intelligitur, priùs Paulus non offensus Joanni, & pro posteriori positivè amicus, si antea fuit inimicus. Cæterùm tamen, quia justificatio absoluta, dicit constitutionem in esse filii DEI, & ad hanc nonnisi per gratiam, tanquam per formam pervenitur, fit ut ad sic sumptum genus justificationis, non se habeat gratia merè concomitanter.

DIFFICULTAS III.

De Medio abolendi peccata, quod est Favor Dei, vel Condonatio Extrinseca.

Præmitto I. *Connaturaliter pugnare inter se gratiam & peccatum.* Quia Tridentinum Sess. 6. c. 7. Causam formalem nostræ justificationis, dicit esse gratiam; omnis autem forma, dicit repugnantiam suo contrario; ut patet inductione; & fundatur in hoc: quia unaquæque forma, sicut habet vim informandi subjectum, ita habet jus deposcendi conservationem sui, ut ita exerceat id, quod exercere nata est. Et quia suæ conservationi obest oppositæ forma, singulæ debent habere exigentiam, ut contrarium illi tollatur. Deinde, talis qualitas, quæ connaturaliter pugnet cum peccato, non est impossibilis; & talem esse de facto gratiam, vel ipse communis sensus DD. suadet.

Nequè valet si dicas cum Coninck Disp. 21. de Char. à num. 96. sequi inde necessitandum Deum ad amandum hominem, in quo est gratia, vel ad amandum ipsam gratiam; non inquam valet si id dicas: Quia si peccatum & gratia stare secum possunt; clarè sequitur non necessitari Deum ad amandum hominem, gratiâ informatum; si autem id fieri non potest; nondum necessitabitur Deus necessitate antecedenti ad amandam gratiam, sed ex suppositione consequenti; hoc est, quòd ex suppositione, quòd Deus amet, exerceatque hunc actum infusione gratiæ, non poterit non amare; item, ex suppositione, quòd velit producere gratiam, non potest illam odisse; sed non necessitabitur ad amandam gratiam, ex suppositione antecedenti, vi cujus obligaretur ad illam ponendam. Porrò sola necessitas antecedens destruit dominium Dei & libertatem; sic non destruit dominium Dei, quòd Angelus ex naturalibus suis principiis petat durare semper; non destruit, inquam, Dei dominium, quia non necessitat antecedenter ad illum ponendum, & potest tollere absolutè illam suppositionem, auferendo concursum conservativum, quo etiam planè modo habet se DEUS in ordine ad amandum gratiam; consequenter ad illam amandam non erit ita determinatus, atque determinatur ad amandum se, quia ad se amandum non ex suppositione quòd se amet determinatur tantùm, sed simul determinatur ad ponendum amorem sui.

Præmitto II. *Independenter ab omni acceptatione, dari radicalem bonitatem in gratia*, vi cujus meretur condonationem & favorem Divinum, extrinsecum in ordine ad expellendum peccatum.

Ratio I. est. Quia bonitas talis qualitatis non implicat, & dari eam vel hoc ipsum suadet, ut ita ponatur Deus conformiter exigentiis creaturarum agere, adeòque ad exigentiam radicalem gratiæ, ponere ejusmodi favorem & acceptationem, aliàs tota justificatio, deberet tribui nonnisi favori Divino, nullo prædicato gratiæ id deposcente.

Ratio II. est. Quia si nihil obsit, ita debemus discurrere de merito sicut & de principio merendi, hoc est, gratiâ, jam verò in materia de merito, dictum est: Dari radicalem condignitatem.

Ratio III. est. Quia illud quod Deus tanquam effectum (si cætera sint paria) suæ condonationis ponit, saltem radicaliter debet esse favor Divinus, ut ita proportionentur inter se illa duo; favet autem si cætera sint paria, exhibendo gratiam.

Præmitto III. *Oppositionem illam gratiæ cum peccato esse Physicam*, si per ly physicum intelligas formam physicam; nam gratia est omnino forma physica; si autem accipias ly physicum per oppositionem ad aliquid physicum, sic non dicit gratia oppositionem physicam peccato, cum peccatū nihil sit physicè; sed hæc acceptio ly physicè est impropria, quia etiam lux in communi acceptione dicit oppositionem physicam tenebris, quamvis illæ nihil sint. Posset commodè appellari hæc oppositio physicomoralis, nè existimet quispiam ex solo prudentum judicio, & non ex natura rei, intervenire oppositionem gratiæ, cum peccato.

Præmitto IV. *Pro nullo instanti reali, simul posse esse peccatum & gratiam.*

Ratio est. Quia opposita sententia damnata est à Pio 5. & à Gregorio 13. inter propositiones Baji.

Deinde duæ formæ substantiales, nunquam sunt pro eodem instanti in eodem subjecto. Ergo neque peccatum & gratia, cum hæc duo non minus sint opposita, quam dispositiones contrariæ ad diversas formas substantiales servientes.

Oppositum præmisso videtur sensisse Lorca, quem aliqui excusant, sed excusatione graviorem illi errorem impingunt, de quo vide Ripalda, cit. & Oviedo Tract. 8. de Just. Cont. 4. p. 1. Quomodo autem expellant se hæc duo ut intelligatur, præ oculis habendum est, quòd eo instanti in quo fit peccatum, possumus duo ut ita dicam instantia naturæ & considerabilitatis partiri, & in illo instanti peccati reali, pro priori intelligibilitatis nondum intelligitur expulsio gratiæ, sed sola positio causæ expulsionis; in secundo autem intelligibilitatis intra idem instans reale, intelligitur facta expulsio gratiæ; & quia hoc secundùm instans est identificatum realiter uni illi instanti, toto illo instanti, jam non est gratia; sicut in eodem instanti reali non sunt tenebræ, si est positio lucis. Respici item ad hoc singulariter debet, quod terminus à quo in privativis nunquam debeat esse simul cum termino ad quem, licèt alia principia possint esse simul secum.

Præmitto V. *Peccatum à gratia excludi formaliter & non efficienter.*

Ratio, quia ex una parte appellat Trid. gratiam nomine formæ justificantis; ex alia parte non apparet quid efficiat illa forma; ergo sequitur conditionem aliarum formarum, formaliter expellentium sibi oppositas, modo adsint alia prærequisita, ad eum modum quo forma bruti expellit formam herbæ, quæ est cibus animalis, si adsint prærequisita; quod requisitum, An sit Condonatio.

Sit

Punctum Difficultatis I.

An Condonatio Dei sit medium necessarium abolendi peccati?

Dicendum est Affirmativè, hoc est, *Condonationem DEI, extrinsecam, esse medium necessarium abolendi peccati*; alii id ita exprimunt. Gratiam indigere ultimo compleri in ratione formæ abolitivæ peccati, per favorem Divinum: Est Conclusio contra Suarez, Vasquez, Granadum, Tannerum, Valentiam, Oviedo de Just. Cont. 4. num. 5. & Esparza de Just. q. 9. Sed eam docent Scotistæ & Nominales Scotus, Occam. Gabriel, & alii, & ex nostris Ripalda Dis. ultima S. 16 Coninck, quibus favet Salaz. & Lessius apud cit. Oviedo. Habet hæc sententia fundamentum in Chrysostomo Hom. 80. ad populum. *Nè tuæ confidas pœnitentiæ, tua enim pœnitentia, tanta nequit peccata delere; si sola foret pœnitentia, jure timeres: sed postquam in pœnitentia committetur Dei misericordia, confide.*

Probari solet I. Quod scilicet peccatum & gratia possint secum stare; ergo est necesse, ut accedat favor extrinsecus.

Sed ista probatio si ut sonat accipiatur, non convincit; nam Divinitus possunt secum stare frigus & calor, forma ignis & aquæ; nihilominùs hæ formæ, ut sint expulsivæ sui ad invicem, non indigent favore Divino extrinseco, qui duplex cogitari potest: unus negativus hoc est non impediendi, & hic est quidem, etiam formis naturalibus necessarius, sed de illo in præsenti, non agitur; secundo positivus, hoc est, pondus & vim superaddendo, & de hoc in præsenti agitur, sed illo formæ aliæ ut se expellant non indigent. An autem indigeat gratia in præsenti quæritur.

Probatur II. Si condonatio Divina, non esset medium necessarium abolendi peccati, seu quod idem est: Si gratia in ratione formæ remissivæ peccati, ultimò non indigeret favore extrinseco compleri, sine hoc favore, sine hac condonatione, & aboleret peccatum, & non aboleret; aboleret quidem ut supponitur, non aboleret autem ut probatur (procedit autem probatio de peccato mortali) quia nulla pura creatura habet vim abolendi peccatum, quod est infinitum in ratione offensæ ut suppono ex materia de peccatis; illa autem abolitio, deberet esse involvens satisfactionem, non enim est imaginabile, quî injuria, debitum, offensa, si non ponatur satisfactio, aboleri possint sine condonatione. Quod autem peccatum dicat infinitatem offensæ, in hoc fundatur, quia magnitudo offensæ crescit ex dignitate offensi, adeòque si offensus sit infinitus, offensa erit infinita; è contra, quia satisfactionis dignitas pensatur ex dignitate satisfacientis, & nullum satisfaciens creatum, est infinitæ dignitatis,

tatis, vel si esset, non esset adhuc par infinitati Dei offensi, fit ut à nulla creatura possit poni satisfactio sufficiens pro mortali, consequenter nec hanc vim habebit gratia. Sed de hoc actum in materia de peccatis, & in materia de Incarnatione.

Habeatur præ oculis parallela cum formis naturalibus. Quando duæ formæ possunt se expellere independenter à favore Divino extrinseco, tunc inter prædicata utriusque debet esse ad minimum commensuratio, imò ut defacto sequatur expulsio, debet aliquid semper esse in expellente, quod non est in expulso, nam victoria, semper est à fortiori. Fiat ergo hæc comparatio inter peccatum & gratiam, peccato convenit prædicatum quòd sit DEO displicens; gratiæ autem convenit, quod sit placens; peccato convenit, quòd sit constituens in esse odibilis Deo; gratiæ convenit ut sit constituens; in esse grati Deo. Sed peccato convenit insuper prædicatum offensæ infinitæ, non habet autem vim satisfaciendi infinitam gratia; hinc pro peccato semper debet stare victoria, sicut si forma ignis haberet infinitam adhærescentiam materiæ ignis, non posset vinci à finitis viribus, impugnantis hanc adhærescentiam v. g. aquæ; ergo nè stet victoria penes peccatum titulo prædicati infinitæ offensæ, cui non potest gratia opponere aliquid æquale, fit ut aliunde gratia adjuvari debeat, & hoc non aliud est, quàm condonatio extrinseca.

Respondebis I. Peccatum veniale; esse finitæ malitiæ, & tamen si poneretur in DEO expelleret infinitam illius sanctitatem; cur non ergo etiam à gratia depelli poterit infinita offensa.

Contrà est. Quia minores sunt vires necessariæ ad faciendum malum, quam ad faciendum bonum; & ita gressum rectum non possunt facere, nisi duo pedes recti; ad claudicationem autem sufficit unus; quia ergo hoc quod est expellere infinitam sanctitatem, est malum, poterit benè à finita malitia præstari; hoc autem quod est expellere peccatum, est facere bonum, hinc ad hoc majores vires erunt necessariæ; quod ipsum fundatur in hoc, quod bonum debeat esse ex integra causa, adeòque ex prædicatis ita oppositis peccato, ut nullum sit, cui aliud non opponatur, ut ita bonum depulsionis sit ex integra causa; non apparet autem, quid infinitæ offensæ in gratia opponi possit.

Rursùs, quamvis possit per impossibile supponi dari in Deo peccatum veniale ex objecto; nullum tamen potest esse veniale ex subjecto, siquidem illo tolleretur ipsummet esse DEI, & sicut si propter verbum otiosum; interminaret Deus auferendam gratiam; ratione illius damni incurrendi, veniale, esset mortale, ita & in præsenti; unde ex subjecto, adfert infinitatem opponibilem sanctitati infinitæ.

Denique peccatum veniale in DEO adferret defectum infinitatis; quod ipsum probatur; quia infinita sanctitas Dei, hoc ipso quia infinita est, includit omnem possibilem sanctitatem, adeòque includit nè aliqua desit; quia verò veniali peccato adfertur desinentia aliqua sanctitatis in Deo, fit ut à peccato veniali adferatur defectus formalis infinitatis, pulsivus infinitæ sanctitatis; tale autem nihil ostendi potest in gratia ad expellendam offensam infinitam, secluså condonatione.

Responderi potest II. ex Oviedo cit. n. 18. Rationem adlatam probare quidem, quod gratia non tollat peccatum per modum condignæ satisfactionis, sed non probare, quod id præstare non possit, nonnisi per incompossibilitatem formalem, quam habet cum peccato, ad eum modum, quo auctores tribuunt contritioni vim justificandi, & non vim condignè satisfaciendi.

Contra I. est. Quia eo casu forma illa incompossibilis & esset depulsiva peccati & non esset; esset ut supponitur, non esset autem, quia nullum prædicatum adferret oppositum infinitæ offensæ; quia huic non apparet, quid sit incompossibile secluså satisfactione; nisi condonatio; quid enim remittit debitum, nisi solveris; vel condonatum tibi fuerit; contritioni etiam tribuitur vis satisfaciendi, sed non independenter à condonatione.

Contra II. est. Quia sicut gratia est forma incompossibilis cum peccato, ita & peccatum est incompossibile cum gratia; non ergo erit ratio, cur potiùs ad positionem gratiæ tollatur peccatum, & non maneat, jam præhabitum peccatum; ergo incompossibilitati gratiæ debet aliquid accedere, ut pro illa stet victoria, ut vincatur peccatum; ad eum modum, quo formæ succedenti debet aliquid inesse, ut vincat præcedentem; hoc autem non apparet quid aliud sit, quam condonatio extrinseca.

Contra III. Quia oppositi, videntur enervare doctrinam communiorem de necessitate Incarnationis, possibilis enim est gratia, quæ & sibi & aliis sit principium merendi; ponatur illa in creatura puræ; illa poterit mereri gratiam & sibi & aliis, quæ ipsa gratia, haberet in abolendi peccati, æquè benè, ac nunc, quando datur ex meritis Christi Domini; & per ordinem ad delendum peccatum, non minùs illi puræ creaturæ debita fuisset, quam nunc debeatur Christo Domino; quæ ergo jam esset necessitas Incarnationis, daretur enim alius modus salvandi generis humani, condistinctus à liberali condonatione, & tamen non indigens interventu Personæ increatæ.

Probatur III. Offensa creaturæ, si non ponatur satisfactio æqualis, non potest remitti sine accessu condonationis, ergo & offensa creatoris, si non fiat æqualis satisfactio, non potest remitti, si non accedat condonatio.

OBJICITUR I. Non implicat contradictionem qualitas, quæ independenter ab omni condonatione extrinseca, dicat vim deletivam peccati; & non est ratio, cur talis non sit gratia nostras, pertinebitque hoc ad exaltandum Christum Dominum, quod meruerit nobis tam perfectam justificationem. Ergò &c.

RESPONDERI potest imprimis retorsione argumenti. Non implicat contradictionem, dari qualitatem sanctificantem, quæ independenter ab omni cõdonatione extrinseca, non sit depulsiva peccati, nec est ratio cur nõ sit defacto talis nostras gratia; nam sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec dignificanda; præcipuè cum defacto multa prædicata non repetiantur in justificatione, quæ reperiri in ea possent; & multum omnino conducerent ad dignificationem ejusdem, ut incompossibilitas etiam cum veniali peccato, impeccabilitas, certitudo salutis, identificatio lumini gloriæ; quæ omnia si mera & sola dignitas gratiæ spectanda foret, tribuenda illi essent. Gratia autem quamvis quàm maximè dignificanda sit, id tamen faciendum cum fundamento in Patribus & Scriptura habito; vis autem satisfaciendi pro mortali nullibi creaturæ tribuitur. Directè autem ostenditur ejus implicantia; quia & depelleret offensam mortalem & non depelleret; depelleret quidem ut supponitur, non depelleret autem, quia nullum prædicatum haberet, quod infinitæ offensæ opponeret, ut jam supra dictum est.

OBJICIUNTUR II. Paritates aliquæ.

I. PARITAS est. Peccatum sine ullo accessu extrinsecæ ordinationis Divinæ, est destructivum gratiæ; ergo & gratia sine ullo accessu condonationis extrinsecæ, est destructiva peccati.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia peccatum adfert prædicatum infinitæ offensæ, sufficienter depulsivum finitæ gratiositatis; cùm autem gratia non adferat prædicatum commensurabile infinitæ offensæ si secludatur condonatio, non apparet, quomodo aboleat infinitam offensam. Deinde de natura cujuscunque offensæ, est destruere gratiam, ut patet etiam in humanis offensis; de natura autem cujuscunque retractationis vel satisfactionis, non est, delere offensam, seù id facit nonnisi satisfactio condigna, quam pura creatura non ponit, aut condonatio.

II. PARITAS est. Conversio sine ullo extrinseci accessu tollit aversionem; ergo & gratia delet peccatum.

RESPONDETUR. Si procedat antecedens de cõversione & aversione materiali, verum est; nam non est possibile, sine bilocatione, easdem partes duplicem locum, ratione duplicis situs habere, esseque hoc absurdum, si formaliter conversio materialis, non tolleret aversionem materialem, absurdum autem nullum, imò conforme rationi, ut, quod non est satisfactivum pro offensa, non deleat offensam, nisi accedat condonatio.

Si autem Antecedens loquatur de conversione & aversione morali, verum quidem est, Conversionem personæ A, tollere aversionem ejusdem personæ A, quia duos contrarios actus non potest simul habere saltem naturaliter; sed falsum est, quòd conversio personæ A, tollat aversionem personæ offensæ B, nisi ponatur condigna satisfactio, quæ in præsenti non habetur: aut condonatio offensæ, à persona offensa B, procedens.

III. PARITAS est. Actus Charitatis independenter ab acceptatione, essentialiter opponitur inimicitiæ Dei; ergo & gratia habitualis peccato; quia, qui illum actum habet, credit etiam & sperat supernaturaliter se amari à DEO; ergo amor ille opponitur inimicitiæ Dei, actus enim fidei id exigit, nè reddatur falsus.

RESPONDETUR. Amantem Deum supernaturaliter, credere & sperare se amari à DEO, suppositâ acceptatione & condonatione extrinsecâ offensæ; nam ex natura rei potuisset peccator amare Deum, & tamen Deus non illi reconciliari, nec condonare offensam. Quod si paritas procedat de actu, quo Deus amat peccatorem, ille cum sit virtualis condonatio, bene habebit vires remittendi peccati.

IV. PARITAS est. Independenter à favore extrinseco, forma pellit privationem. Ergo & gratia peccatum.

RESPONDETUR. Infrà videbimus, peccatum non stare formaliter in privatione gratiæ. Directè autem disparitas hæc est; quia in privatione respectu formæ, nullum est invenibile prædicatum, quod possit prætendere jus, nè expellatur à forma, & in quo excedat vires formæ, jam autem in peccato, invenibilis est talis titulus, propter quem deposcat non expelli, eò quòd habeat titulum infinitæ offensæ, & gratia non habet prædicatum, infinitæ satisfactionis.

V. PARITAS est. Vita expellit mortem, independenter ab omni favore extrinseco, ergo & gratia, quæ est vita animæ, sine ullo favore, expellit peccatum, quod est mors animæ.

RESPONSUM jam est: eadem enim aptari debet disparitas mutatis terminis, quæ immediatè ante adlata est. Addit Ripalda, peccatum non esse propriè mortem animæ; nec gratiam, vitam; quia si esset propriè mors animæ, quomodo in peccato exerceri possent actus vitales supernaturales. Quando autem alii addunt, Innocentiam sine ulla acceptatione expellere peccatum, jam autem August. dicit gratiam justificare restitutione innocentiæ; id etiam non convincit; nam Innocentia si sit restituta, nego quod sine ulla acceptatione opponatur pecca-

peccato, sed primitus Innocentia possessa non indiget acceptatione, quia nec pro tunc est depulsiva peccati præexistentis.

Objicitur III. Si independenter ab acceptatione Divina, non habet vim expellendi peccatum, gratia; non esset ratio, cur illud deleret, in quantùm illud est contra legem naturæ, quod ipsum probatur, quia in quantùm est contra legem naturæ, non dicit respectum ad Deum.

Respondet Ripalda; quod ad Deum, tanquam Dominum naturæ, titulo principis, spectet jus condonandi etiam transgressionem factam contra legem naturæ; sicut Princeps supremus, potest remittere offensam suæ Reip. Sed independenter ab hoc principio dici posset, quòd gratia per nos habeat vim remittendi peccatum radicalem, habet enim vim sanctificandi, quæ sanctitas est forma depulsiva peccati, si cætera sint paria, ulterius, habet vim delendi peccatum, inquantùm illud est contra legem naturæ; quia hic jam non est ille titulus infinitatis, cujus intuitu, negatur, gratiam independenter ab acceptatione, habere vim delendi peccatum.

Addo. Hoc argumentum nocere etiam proponentibus, quia si peccatum inquantùm est contra legem naturæ, non dicit respectum ad Deum, qui ergo, qualitate, quæ dicit hunc respectum delebitur? præcipuè cum dicat respectum ad Deum tanquam finem supernaturalem, nam ista ordine sunt diversa, nec apparet, qui tali; peccato contrarietur gratia. Denique dici potest, quod accessoria sequantur conditionem principalis, & quia in peccato Theologico habet conditionem principalis, ratio offensæ Divinæ, si hanc exigit radicaliter delere, delebit simul & in quantùm est contra legem naturæ. Ex quo etiam principio in responsione allato, solvi debet; quomodo, si impossibilis esset Deus, & tamen possibilis gratia, qui inquam esset depulsiva peccati? quia videlicet inter prædicata gratiæ, est radicalis exigentia, ne stet cum peccato; quæ prædicata, supponeretur adhuc tunc habere gratia.

Objicitur IV. Ex Esparza. Aliqua dilectio Dei erga hominem, est essentialiter incompossibilis cum peccato, ea nimirum, quæ est remissiva & destructiva ipsius peccati; eaque dilectio est major quavis dilectione aliâ non incompossibili cum summo hominis malo; ergo est aliquod Dei donum essentialiter incompossibile cum peccato, idque est majus quovis alio dono non incompossibili cum peccato, nullum autem Dei donum, est conferibile homini viatori majus quàm gratia; ergo gratia est incompossibilis cum peccato.

Respondetur. Nullum donum Dei esse essentialiter incompossibile cum peccato seclusâ condonatione; Dei vero dilectio, qua incipit diligere creaturam, est deletiva peccati, est enim saltem virtualis condonatio; unde hic actus unà cum condonatione, est major, gratiâ, sine hac condonatione acceptâ. Quod autem attinet ad illam prætionem. Nullum Dei donum potest conferri homini viatori majus quam gratia, si sumatur de lege ordinaria, & de dono participabili à pura Creatura per unionem intrinsecam cum eodem, vera est propositio, sed unio hypostatica trahens secum infinitam sanctitatem Divinam, longè est potior; & in ordine ad delendum peccatum ipsa condonatio extrinseca, quæ non dicit unionem intrinsecam cum creatura, & si per impossibile posset ita uniri peccatori, ut unitur gratia, longè efficacior esset ad expellendum peccatum. Dictum etiam supra, præsentem gratiam; non esse donum supremum, conferibile à Deo creaturæ, quia eâ gratiâ, quæ nunc datur, possibilis est alia perfectior gratia.

Instat Idem; sequeretur ulterius, maculam peccati fore indelebilem, si gratia per se solam, non esset essentialiter deletiva ipsius, quia nullus actus Divinæ voluntatis, solâ sui additione, ad id sufficeret, quod innititur huic principio? Quia nullus actus Divinæ vel creatæ voluntatis, differt ab aliquo actu alio, & multo minùs habet aliquam specialem sufficientiam, ad aliquem effectum positivum vel negativum, præcisè quatenus est positio sui à parte rei.

Respondetur. Totam hanc difficultatem pendere ex eo, quòd actus Dei liberi, contingant Deo, sine ulla illius mutatione, quæ difficultas, supra, jam responsionem habuit; benè enim, quamvis unus actus ab alio non differat re, differre potest æquivalentiâ denominandi, ita ut unus æquivalenter denominet Deum condonantem, alter retinentem offensam; id autem quod dicit de Creatura non satis explicatum est; non enim, apparet: Cur ex sola sui suppositione actus hic in Petro: Condono Paulo offensam, & in signum Condonationis, do illi hoc meum donum, quod de se tale est, ut mereatur non-nisi amico dari; cur inquam hic actus non habeat specialem sufficientiam ad hunc effectum, qui est condonatio injuriæ, & cum habeat radicalem exigentiam gratia condonationis? ut transeat Deus ad esse volentis huic exigentiæ satisfacere, sufficit voluntas illius (si velis mutationem extrinsecam) revelatione manifestatâ; vel ipse ordinarius concursus conservativus gratiæ; nam si staret cum peccato, alio genere conservationis indigeret.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

Objicit V. Rosmer. Tract. de Gratia. Unio hypostatica, seipsâ, est abolitiva peccati, ergo & gratia poterit idem præstare.

Respondetur. Negando Consequentiam. Quia unio hypostatica adfert secum infi-

nitam dignitatem personæ Divinæ, adeoque plusquàm abundantissimè opponibilem infinitati offensæ, jam autem gratia, nullum tale prædicatum secum adfert. Quando autem inquirit. Cur non sit participabilis sanctitas talis qualis est Divina, scilicet repugnans omni peccato? imprimis extra suum propositum id adfert: probaret enim, gratiam de facto nec cum veniali peccato stare posse, cum illud non patiatur sanctitas Divina. Deinde ad quæsitum respondetur: quia scilicet non est communicabilis creaturæ puræ dignitas infinita, & si non est communicabilis nec est communicabilis vis satisfaciendi pro offensa infinita. Quamvis autem concesserimus, quod gratia exigat radicaliter condonationem: id per se Rosmer trahere non potest, quia radicalis exigentia condonationis, non aliud importat, quàm quod gratia sit forma, quæ est specialis participatio naturæ Divinæ in subjecto aliunde non impedito: condignum autem est, ut hæc impedimenta tollantur, adeoque ponatur condonatio Divina; quod totum concedendo gratiæ, non conceditur illi ulla infinitas, qualis concedi deberet, si de se diceret vim abolendi peccati.

Quando autem dicit Rosmer, quod illa qualitas, sit ultimum complementum liberi decreti Divini, condonantis peccatum, id quantumvis concedatur, non stat pro oppositis, non enim deberet jam vi suâ & ex intrinsecis principiis abolere peccatum, sed tantùm id haberet intuitu decreti Divini, decernentis nunquam se positurum gratiam, nisi condonato peccato: consequenter etiam, posito quod non implicet qualitas, quæ exigat essentialiter produci per talem actionem, quæ sit complementum liberi decreti, nolentis admittere ullum mortale in sensu compositio illius qualitatis, posito inquam quod non implicet talis qualitas, tunc consequenter dicetur non posse consistere ullum mortale cum tali qualitate, id tamen non erit propter intrinsecum prædicatum illius qualitatis, de se depulsivum peccati, sed ratione annexæ condonationis Divinæ, quam se positurum decerneret Deus, quotiescunq; futurum foret, ut poneret illam qualitatem.

Instat I. Idem. Etiam suppositâ infinitate peccati, non implicat qualitas, quæ habeat connexionem physicam vel moralem intrinsecam cum remissione peccati (seu quod nos dicimus, quæ habeat radicalem exigentiam condonationis) ergo neque repugnabit qualitas de se abolitiva mortalis.

Responsum Jam est supra, quod scilicet radicalis exigentia condonationis, non deposcat ullum prædicatum infinitæ excellentiæ, sed solùm condignitatem, ut Deus pro sua parte condignetur remittere offensam: jam autem qualitas de se abolitiva peccati, deberet ut jam dixi, adferre prædicatum aliquod infinitæ dignitatis, quæ infinita dignitas, ut jam dixi repugnat creaturæ, præcipuè æquans dignitatem Divinam offensam.

Instat II. Si homo deberet alteri infinitas pecunias, & in debiti solutionem offerret illi unum obolum, non diceretur hic obolus habere physicam vel moralem exigentiam ad delendum totum debitum; ergo neque ulla qualitas erit possibilis, quæ exigat remitti infinitam offensam, si sit ipsa finitæ dignitatis; ergo si talis qualitas datur, dabitur etiam & qualitas, de se deletiva mortalis.

Respondetur. Disparitatem esse, quia ille obolus non est talis, ut sit natus constituere in aliquo statu hominem, qui status deposcat remissionem debitorum: si autem daretur talis obolus, de quo decerneret Respublica, quod quicunque eum haberet, deberet illi conferri immunitas à debito, adeoque condonatio à Republica; jam tunc ille obolus, haberet moralem exigentiam, nè quisquam prætendat sibi jus, ad illum debitum. Quod etiam fit in præsenti; quia gratia est nata constituere in esse filii Dei, hic autem status exigit condonationem culpæ, quam quia non potest de se abolere gratia, fecit decretum Deus, de ponenda sua condonatione, & extinguendo jure ad offensam.

Instat III. Pone dissensum infinitum, ille tolletur, etiam finito assensu. Item. Actus finitus potest condonare etiam infinitum debitum; ergo & gratia potest abolere peccatum, quantumvis illud supponatur esse infinitum in ratione offensæ.

Respondetur. Disparitatem esse; quia ad tollendum dissensum infinitum, non est necesse esse assentientem infinitum, consequenter benè tolli poterit per assensum finitum, idemque mutatis terminis dic de condonatione finita debiti infiniti; jam autem ad tollendam offensam infinitam, est necesse esse satisfacientem infinitum, adeoque tolli non poterit satisfactione finitâ: jam autem gratia, non dicit titulum satisfactionis infinitæ, quodsi eum non dicit, seclusâ condonatione, non apparet; qui poterit tolli offensa, quia hæc nonnisi duobus modis tolli potest. Satisfactione vel Condonatione, quibus etiam nonnisi duobus modis tolluntur offensæ humanæ, & quidquid tertium invenietur, erit æquivalenter alterutrum ex dictis duobus. Negati etiam potest, quod dissensus infinitus, sit tollendus assensu finito. Quod attinet ad debitum illud; in esse suo totali, formalisatur negatione condonationis; & quia positio etiam finitæ condonationis, contradictoriè opponitur negationi condonationis, jam auferet totalitatem debiti, adeoque debitum; seclusâ autem condonatione, & positâ solâ gratiâ, non ostenditur quid contradictorium ponatur peccato, consequenter, non ostenditur expulsivum peccati. Præcipua objectio in hac materia desumitur

mitur ab auctoritate, quam oportet hic examinare.

Explicantur Auctoritates.

I. AUCTORITAS est ex illo 1. Joan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ejus in eo manet & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: cujus loci, ut docet Esparza, non est iste sensus. Gratia non potest ipsa influere in peccatum, quia etiam liberalitas, sive in nato, sive in non nato ex Deo, non potest influere in peccatum; nec item iste est sensus: quod eum qui eam habet non deceat peccare, quia hæc indecentia independenter à gratia habetur. Sensus igitur est; cum semine Dei & cum nativitate ex Deo, id est, cum gratia habituali, non potest homo componere peccatum, per vim activam sibi propriam, quodsi activâ vi hominis id fieri non non potest, absolutè fieri non poterit, quia ut peccatum existat vel coexistat, non potest esse opus miraculosum, esset enim miraculum intrinsecè malum.

RESPONDETUR. Scripturam non dicere, eum, qui habet semen Dei non fecisse peccatum vel si fecerit habere vim abolendi illius jam facti, de quo tamen in præsenti quæritur, sed tantùm dicit; quòd justus non possit peccare graviter & mortaliter, puta in sensu formali seu quantum est ex vi illius status, utpote habens gratiam tam habitualem quam actualem efficacem, ad noluntatẽ peccandi, cum qua, non stat voluntas peccandi, adeoque peccatum. Rursùs indefinitè scriptura dicit, quod talis non possit peccare seu componere gratiam cum peccato, indefinitè inquam, quia non definit ex intrinsecis principiis & ex se convenire gratiæ, ut non stet cum peccato præterito; ergo non secundùm phrasim scripturæ loquitur, qui eam incompossibilitatem tribuit gratiæ secundùm principia illius intrinseca, cùm benè possit locus ille intelligi de incompossibilitate peccati cum gratia, ratione decreti Divini, quo, alligavit se condonationem exhibiturum, si deberet ponere gratiam: imò hæc incompossibilitas gratiæ cum peccato, quam indicare videtur hæc scriptura, poterit bene intelligi de incompossibilitate radicali, jam explicata; non verò de incompossibilitate formali. Ripalda citat plura loca S. August. in quibus satis intimat, eum, qui habet gratiam, non posse peccare, quia scilicet gratia, non potest esse principium peccandi, quod autem aliæ virtutes non possint esse principium peccandi, parum refert; nam in hoc genere gratia habet rationem principalis, utpote radix aliarum virtutum, dicit item formalitatem formæ sanctificantis, si cætera adsint, quod nulla virtus dicit.

II. AUCTORITAS est Tridentini quod Sess. 6. cap. 7. dicit Gratiam esse unicam formalem causam nostræ justificationis, non esset autem unica causa formalis, si condonatio esset medium necessarium ad justificationem, & sicut non rectè diceretur unica causa formalis naturalis illuminationis lux, si indigeret ad hoc favore Divino, & si posset componi cum tenebris; ita nec gratia erit unica forma justificationis, si potest componi cum tenebris peccati.

RESPONDETUR. Ut intelligatur bene Concilium, attendendum est ad mentem illius, quia nisi attendatur, ad mentem Concilii, non accipientur, verba Concilii ut sonant, nam sonant secundùm mentem, & tamen ex regula S. August. verba Scripturæ & Patrum accipi debent ut sonant, verba Augustini sunt de Genesi ad literam libro 11. cap. 1. *Admonendum arbitror, quod jam me & alibi in hoc opere memini prælocutum, illud à nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem literæ defendatur, quod gestum narrat, ipse qui scripsit; si autem in verbis Dei, vel cujuspiam personæ in officium propheticum assumptæ, dicitur aliquid, quod ad literam nisi absurdè non possit intelligi, proculdubio figuratè dictum, ob aliquam significationem accipi debet.* Hæc Augustinus. Porrò mens Trid. intelligi debet & colligi per oppositionem ad errorem quem damnat, consequenter dicetur gratia esse unica causa justificationis, per exclusionem illius, quod invehebant Hæretici, quos damnabat Concil.

Jam verò hæretici, qui damnabantur eo capite à Tridentino erant duplicis classis. Aliqui, quibus adhæsit Bucerus, dicebant. Duplicem esse in nobis justitiam, quandam Dei & Christi Domini, nobis imputatam, quæ justitia moveat Deum, ut nobis det inhærentem justitiam. Rursùs de hac ipsa justitia dicebãt nobis inhærente, quod sit immunda & commixta peccatis. Aliqui autem cum Pighio & Colonienſibus Canonicis dicebant quidem, justitiam nostram nobis inhærentem non esse immundam & peccatis commixtam, sed tamen indigentem justitiâ Dei & Christi Domini superadditâ, ut illius intuitu remittatur peccatum. Itaque Tridentini mens erat, invehere illam unicitatem quæ opponeretur illi non vincitati invectæ ab Hæreticis.

Consentit autem nostra sententia Concilio, nam non admittimus justitiam Dei vel Christi imputatam, non admittimus in justificatione munditiam animæ immundam, admittimus in ipsa gratia vim sanctificandi si cætera sint paria (ut pro præsenti statu semper sunt paria) qualem vim sanctificandi gratiæ soli & uni non tribuebant hæretici. De mente hæreticorum consulatur Bellar. lib. 2. de Just. cap. 1. Et certè volebat hîc Tridentinum talem unicitatem attribuere gratiæ, vi cujus tamen, non decerneret aliquid creatum, posse esse satisfactionem pro offensa infinita, qualem deberet habere gratia, si se sola aboleret peccatum, consequenter

ter non excluſit condonationem extrinſecam.

In his ſenſibus gratia eſt unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis, non per excluſionem ſcilicet favoris extrinſeci condonationis, ſed per excluſionem duplicis juſtitiæ, ſcilicet & juſtitiæ Dei, quâ juſti deberemus reddi & juſtitiæ nobis inhærentis. Rursùs eſt unica cauſa juſtificationis in ordine ad ſanctificandum, non enim nos condonatio illa ſanctificat, ſed tantùm remittit peccatum, quæ duo diſtinguit Tridentinum dum paſſim ait juſtificationem noſtram, non ſolum eſſe remiſſionem peccati, ſed & ſanctificationem noſtram. Deinde eſt unica cauſa juſtificationis gratia, quia cauſa formalis talis, ſine addito ſupponit pro forma extrinſecè unita, non unitur autem ita nobis condonatio extrinſeca, ſed ſola gratia. Salvatur etiam per nos phraſis Tridentini quod juſtitiam in nobis recipiamus, quia ſimplicius accipiendo hanc phraſim, dicimus gratiam eſſe aliquid permanens nobis unitum, ſed ex iſto ly recipientes, non ſequetur prædicatum, nempe, ut habeat vim Gratia abolendæ infinitatis peccati, idque ſeclusâ condonatione. Denique hoc ſenſu gratia eſt unica cauſa juſtificationis, quia in ratione Filii Dei nihil aliud conſtituit hominem, condonatioque, non eſt forma in hoc genere, ſed prærequiſitum & conditio neceſſaria. Quod ipſum vel per hoc defendi poſſet, quia ex dictis eſt neceſſaria condonatio Divina, & cum non ſit neceſſaria tanquã forma juſtitiæ nam, forma juſtitiæ innoteſcit nobis ex doctrina ſacra, doctrina autẽ ſacra dicit; hanc formam eſſe gratiã. Ergo ſi condonatio non ſit neceſſaria per modum formæ, erit neceſſaria per modum circumſtantiæ neceſſariæ, prærequiſiti, neceſſarii, &c. Quod autem dicit Comptonus apud Haunoldum lib. 2. num. 680. Errorem Buceri in hoc ſtare, quod poſuerit quidem juſtificationem ſtare in forma intrinſeca ſed imperfecta, cujus defectum ſuppleat favor Dei extrinſecus. Id explicari deberet magis, quod intelligendum nomine illius formæ imperfectæ, ſi enim intelligatur forma Imperfecta hoc eſt commixta peccatis, nec dicens naturalem ſuam exigentiam, ut Deus ponat Actum condonativum, id hæreticum eſt; & hoc loco damnatum. Sed nego hoc ſenſu damnatam eſſe doctrinam Buceri quod ſanctificet quidem nos gratia, ſed quia non habet prædicatum, quod poſſet opponere infinitudini offenſæ Divinæ, ideo exigit idque ex principis ſuis naturalibus, ut Deus condonet peccatum, nec hoc ſenſu unquam damnata eſt à Tridentino propoſitio.

III. Auctoritas eſt ex eodem Tridentino Seſſ. 6. c. 3. & 7. quâ utitur Vaſquez ubi docet Tridentinum merita Chriſti ſemel tantum nobis applicari per juſtificationem, bis autem nobis applicarentur, ſemel in remiſſione peccati, & iterum in infuſione gratiæ.

Respondetur. Legatur Tridentinum, nullo ex citatis locis habet illam particulam ſemel tantum, ſed loquitur indefinitè, quod ſcilicet in infuſione gratiæ applicentur nobis merita Chriſti, quod non negamus. Et quamvis ly ſemel tantùm poſitum inibi fuiſſet, nobis non officeret, quia ſcilicet cum illâ excluſiva acciperetur juſtificatio completè, quæ dicit gratiam, hinc completè ſemel nonniſi nobis applicarentur merita Chriſti; ad eum modum, quo ex expulſione formæ oppoſitæ, & informatione novæ, fit exhibitio unius effectus formalis, & ad eum modum, quo actus fidei unus, eſt unum beneficium Dei, quamvis plura beneficia trahat, ut illuminationis, piæ affectionis, &c.

IV. Auctoritas eſt ex Triden. Seſſ. 5. Can. 5. quâ utitur Suarez, ubi Trid. ſupponit gratiæ tribuendam eſſe remiſſionem peccati, dicit enim, ſi quis negaret per gratiam Chriſti, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti, &c. anathema ſit; legantur formalia.

Respondetur. Etiam in hoc puncto ſpectandam eſſe mentem Tridentini; voluit enim illic definire, quòd non maneat in nobis reatus culpæ, qui debeat contegi juſtitiâ Chriſti; unde etiam ſtatim ſubdit, quòd gratia Chriſti, non ſit raſiva tantum peccati, nec efficiat id ſolum, quod nobis non imputetur peccatum. Tribuitur itaque gratiæ, remiſſio peccati in hoc ſenſu quod qui illam habet, in illo non raduntur tantum peccata, ſed non tribuitur illi remiſſio peccati, quaſi aliquid finitum, ſit deletivum infinitæ offenſæ, ut deberet eſſe (ex dictis) ſi ſe ſola aboleret peccatum. Unde etiam ita renatos nihil ab ingreſſu cœli remoratur, quia non manent ullæ jam reliquiæ peccatorum ut prætendebant Hæretici; nihil item damnationis eſt iis qui ſunt ſepulti cum Chriſto, ſed non id proficiſcitur à ſola gratia excludente condonationem extrinſecam, ſed potiùs illam depoſcente.

Deinde illud teſtimonium reſtat ſolvendum ipſi Suarez, inquantum cenſet gratiam, & peccatum ſimul ſecum Divinitus poſſe ſtare.

Adnotat etiam bene Ripalda. Per particulam *per* non ſignificari inevitabilem connexionem gratiæ cum peccati remiſſione, ſicut per merita Beatiſſimæ Virginis & ſanctorum obtinemus multa dona, quæ potuiſſet nobis DEUS non dare etiam ſtantibus illis meritis, & per gratiam CHRISTI Domini convertimur, cui potuiſſemus non ſubdere noſtrum conſenſum.

V. Auctoritas eſt ex eodem Tridentino Seſſ. 6. cap. 7. quâ utitur Meracius, ubi docet Tridentinum Infundi juſtitiam nobis quadelentur peccata, ſecundùm diſpoſitionem noſtram,

stram, quod tamen intelligi non debet de favore Dei extrinseco, quia hic non participatur à nobis juxta mensuram dispositionis propriæ, omnibus enim æqualiter remittuntur, nec fieri potest, ut magis remittantur; nec fieri potest, ut magis remittantur ei, qui cum minori dispositione, graviorum mortalium reus justificatur; præcipuè cùm remissionem peccatorum, tribuat tanquam causæ formali illi justitiæ, Tridentinum.

Respondetur. Per nos simpliciter accipi illa verba Tridentini; quia per nos favos extrinsecus non est justitia, est autem justitia ipsa gratia, qua non abolentur peccata tanquam à forma habente titulum opponibilem offensæ infinitæ, sed tanquam à forma connaturaliter, & radicaliter exigitiva condonationis. Et certè est gratia causa formalis justificationis, quia nihil aliud nos informando sanctificat, per modum perfectionis permanentis, & nobis intrinsecè inhærentis. Habeatur præ oculis casus quo ponatur gratia, & non intelligatur DEUS condonare, quî tunc intelligetur remissum peccatum? non repugnat autem Deum ponere gratiam, & non condonare.

Punctum Difficultatis 2.

An seclusâ condonatione DEI, possit stare peccatum cum gratia?

FOrmari posset contra adlatam Concl. 2. tale argumentum, si condonatio extrinseca esset necessarium medium remissionis peccati, illâ non positâ, quantumvis poneretur gratia, posset non remitti peccatum, consequenter stare peccatum cum gratia, sed hoc implicat; ergo. De hac minori est tota difficultas, posse autem stare peccatum cum gratia, negat Vasquez Dis. 104. Granado Torrez & post illos Esparza de Just. qu. 9. Affirmat Suarez hic Disp. 9. Sess. 3. num. 8. & de Gratia lib. 7. cap. 19. & 20. Tannerus, Ripalda, Ariaga de Just. Disp. 46. Sect. 4. Oviedo de Just. Contr. 8. punct. 3. & alii.

Dicendum est. *De absoluta potentia, posse secum stare peccatum & gratiam.*

Probatur I. Quia, id non implicat contradictionem.

Probatur II. Possunt secum stare forma rationalis, & forma irrationalis. Ergo & gratia cum peccato.

Probatur III. Quia ex una parte seclusa condonatione gratia non est remissiva mortalis, ut probatum est supra; ex alia parte. Non implicat contradictionem ut actum illum suum suum liberum condonativum suspendat Deus; ergo nec implicabit stare peccatum non remissum & gratiam, unà secum. Sed accedamus ad principale fundamentum quod est solutio Objectionum.

Objicit I. Vasquez. Si gratia & justitia nobis inhærens, possent esse simul cum peccato, etiam per potentiam Dei absolutam, sequeretur gratiam illam, non esse veram justitiam; finit enim secum injustitiam, consequenter ex se non est; jam munditia & non innocentia animi, nam munditia, & immunditia, nec per absolutam potentiam Dei possunt esse simul secum. Et certè vera justitia talis esse debet, ut ipsa sit animi munditia, eò quòd suapte natura debeat reddere immaculatos, qui antea erant maculati.

Respondetur. Imprimis retorq. Argumentum in principiis illorum (Vasquez enim oppositum sentit) qui docent, Divinitus in eodem subjecto posse esse simul formam rationalem & irrationalem, munditiam coloris hoc est albedinem, & illi oppositam nigredinem, quî scilicet tales formæ possint secum stare? dicerem enim formam rationalem, non fore tunc veram formam rationalem, nec rationalitatem, & irrationalitatem per absolutam potentiam posse secum stare. Quod si dicas id verùm esse, quòd hæ formæ stare secum non possint per identitatem, quamvis stare possint per compatibilitatem, idem præsenti puncto applica.

Directè autem ad Objectionem dici potest, quod munditia, justitia, &c. similia, aliquando sumuntur in actu primo, quem jam habent suppositâ etiam sua existentiâ, potentes scilicet exercere munus munditiæ, mundationis à peccato, justitiæ, &c. aliquando autem sumuntur in actu secundo, seu actu exercentes rationem munditiæ, &c. sumitur in actu primo munditia, quando sumitur pro radicali exigentia acceptationis, & exigentia ut Deus intelligatur elicere actum condonationis; sumitur autem in actu secundo munditia, quando sumitur unà cum condonatione Divina, & hæc sola debet esse talis munditia, ut actu reddat immaculatos, acta carentes peccato, actu completè justificatos.

Dici rursùs ad eandem Objectionem potest, quod ly esse aliquid munditiam ex se, dupliciter sumi possit, vel pro eo, quod est esse munditiam non per aliud, & sic gratia est munditia & justitia ex se, omnisque forma habet ex se, ut non per aliud, sit forma; consequenter & gratia quam appellat Tridentinum Causam formalem justificationis, non per aliud est forma justificans; aliud autem est esse gratiam, justitiam ex se, hoc est non indigentem ad dandam hanc denominationem ullis prærequisitis, & hæc est falsa, inter quæ prærequisita est condonatio Divina, & sublatio negationis remissionis. Et sicut quando unitur forma subjecto inepto, non denominat

nat illud, sic & gratia, si incidat in subjectum, cui non intelligitur Deus remisisse peccatum.

In idem fermè recidet, quod loco citato numer. 61. dicit Oviedo, nempe gratiam habitualem, ex se, & adæquatè esse formam sanctificantem, in quantum esse sanctum significat aliquid positivum, hoc enim totum habetur ab entitate gratiæ, quia tamen esse sanctum, significat aliquid etiam privativum, nempe expulsionem peccati, hoc jam non habetur ab ipsa simpliciter entitate gratiæ; & quia esse sanctum ab utroque hoc pendet, hinc ulterius talem non fore denominandum absolutè sanctum.

INSTAT I. Vasquez. Impossibile est absolutè, aliquem simul esse dignum oppositarum rerum, & quidem oppositarum contradictoriè; ergo etiam impossibile est absolutè, aliquem habere simul justitiam inhærentem, & peccatum, gratia enim est quæ reddit animam, sanctam, dignam vitâ æternâ, & peccatum reddit dignam pœnâ æternâ.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo Arg. circa compositum constans duabus formis, quarum una sit potens Deum videre, adeoque habens dignitatem physicam saltem remotam visionis, qualis est anima rationalis; & insuper alia, quæ sit impotens Deum videre, & non digna, physicè etiam, remotè, visione.

Retorqueri etiam potest argumentum in sententia, quæ replicatum, docet in uno loco posse mereri, in altero demereri. Independenter autem à miraculis, idem homo secundum corpus, non habet dignitatem physicam videndi Dei habet autem secundùm animam. Quodsi agnoscas, dignitatem hanc esse ratione diversorum, idem in præsenti dicere poteris. Deinde jam datas responsiones applicabis, quod scilicet posset aliquis dignus in actu primo videre Deum, & non esse dignus in actu secundo videre, licèt non possit esse dignus videre in actu secundo, & non esse dignus in actu secundo: jam autem gratia seclusâ condonatione adfert dignitatem nonnisi in actu primo ad videndum Deum.

Denique aptari potest responsio Oviedi, quod scilicet tunc daretur dignitas videndi Deum, secundùm id quod dicit positivum, sed non secundùm id, quod dicit negativum, eodemque modo solvenda esset illa alia Objectio, quòd ille homo posset esse in inferno, & non. Et sicut in sententia admittente quòd homo replicatus posset in uno loco habere contritionem in alio non, sicut inquam in hac sententia dicitur pertinere ad providentiam Divinam, ne id permittat, ita & in præsenti.

INSTAT II. Repugnat quidquam simul esse justè adæquatum alicui regulæ, & inadæquatum, jam autem esse justum, est esse adæquatum regulæ, esse autem peccatorem, est esse non adæquatum.

RESPONDETUR. Idem ratione diversorum posse esse æquale & inæquale, sic palmus aureus & plumbeus possunt esse æquales in ratione palmi, in aliis inæquales, ita & hîc ratione gratiæ posset concedi æqualitas ad summam regulam, negari ratione peccati.

Sed stari insuper potest in responsione adlata, dicendo Gratiam esse æqualitatem cum prima regula in actu primo, & secundùm esse positivum, sed non in actu secundo, & quoad esse (quod dicit æqualitas cum Deo) privativum.

OBJICIT II. Vasquez. Si gratia & peccatum possent secum stare saltim Divinitus, sequeretur non esse duas mutationes invicem connexas, sed solum se comitantes, alteram remissionem culpæ, alteram infusionem gratiæ; consequenter alterâ mutatione, fieret de peccatore non peccator, ac proinde dici non posset hominem de peccatore fieri sanctum, ne injusto & impio, fieri justum.

RESPONDETUR. Non esse has duas mutationes inevitabiliter connexas, nam absolutè loquendo, infusâ gratiâ posset nondum remitti peccatum, sunt tamen hæ mutationes invicem connexæ, ratione radicalis proportionis, adeoque exigentiæ in gratia, ut si illam Deus ponere velit, simul etiam pro sua parte condonet: & sicut quamvis posit Deus impedire, nè tollatur forma plantæ, introductâ formâ bovis, quia tamen id est secundùm exigentiam formarum, bene dici possunt illæ mutationes connexæ, ita & in præsenti, licèt non omnia sint paria, cùm ut prædictum est, major sit proportio inter formas physicas, quam inter peccatum expellendum & gratiam.

INSTAT Vasquez pluribus, quibus inquirit, quî fieri possit, ut illud peccatum non remissum conservetur cum gratia.

RESPONDETUR. Dupliciter id contingere posse. I. Si ponatur homo in ante cum gratia & tamen postea peccet, & tunc Deus si vellet conservare illa duo, non exhiberet concursum indebitum peccato, deberetur enim concursus peccato ex generali obligatione causæ primæ, & ex obligatione servandi intactam libertatem creatam, sed solùm præstaretur concursus indebitus ipsi gratiæ, quam deposcit tolli peccatum. Secundo casu quo scilicet infunderetur primo gratia, & peccatum jam deberet tolli, eo casu exhiberetur concursus indebitus gratiæ, quia non exigit gratia in præsentia peccati, vel poni primo vel conservari. Et universaliter non debet dici eo casu specialè concursum exhiberi actioni peccaminosæ, quia actioni peccaminosæ dum fit, non exhibetur concursus specialis, quia exhibetur concursus debitus titulo

causæ

causæ primæ, in conservatione etiam illius, non præstatur indebitus concursus, quia illa conservatio est nonnisi negativa, seu non impeditiva; quia scilicet Deus non ponit suum actum, ad quem ponendum non est obligatus, non plus enim facit, nisi quia non condonat quod posset condonare, cùm possit præcipuè rationabiliter; non annullare jus ad offendi.

Solvuntur aliæ Objectiones.

OBJICIT III. Esparza argumentum commune Impossibile est eundem ab eodem amari, & odio haberi simpliciter & absolutè, seu quòd eodē recidit: Impossibile est eundem amicum esse, & inimicum pro eodem tempore, quod quidem de mutuis hominum inter se affectibus est indubitatum apud omnes, Ergo etiam impossibile est eundem à Deo odio haberi & amari: jam autem omnes peccatores odio Deus habet, & omnes habentes gratiam amat, Dominus enim diligit justos.

RESPONDETUR. Quod ad Antecedens attinet illud negat Oviedo Contr. 6. An punct. 3. docetque assensum, & dissensum de eodem posse secum stare Divinitus. Ad quod defendendum hoc teneri potest. Ut implicet contradictionem aliqua esse secum, unum illorum deberet esse tanquam esse, & aliud tanquam non esse, quia contradictio deberet esse, inter esse, & non esse, jam autem assensus & dissensus, amor & odium habent se sicut esse & esse, nam assensus non est negatio dissensûs, sed positiva forma, itemque è converso. Quodsi dicas, Consequenter contradictoria non posse esse simul secum, ostendere debebis cur anima rationalis, non sit consequenter ita negativa animæ irrationalis, ut nè Divinitus quidem possint secum stare. Rursùs vera contradictio & implicantia debet esse ejusdem de eodem, & quidem ratione ejusdem secundùm affirmationem & negationem, jam autem & dissensus non esset ratione ejusdem, sed ratione diversorum. Figi etiam posset hæc imaginatio: videat Paulus Petrum currentem, quid implicat poni prædeterminationem in Paulo, species item cursûs Petri, quibus determinetur ad dicendum unâ horâ Petrus currit, supponamus post mediam horam verum Petri cursum deficere, cur illa mediâ horâ non poterit dicere Paulus; Petrus non currit, agereque secundùm debitum suæ potentiæ, & tunc starent omninò secùm hæ propositiones Petrus currit, Petrus non currit; adeoque starent secum Assensus & Dissensus. In idem fermè recidet si dicas. Tunc cum Petrus currit in loco A, si inquam dicas Petrus currit: nō videat alius cursum Petri, & dicat Petrus, non currit, cur tunc ille actus (supposito quòd sit qualitas realis) non poterit transferri in intellectum oppositum dicentis, licèt qualitate extrinsecùs sibi addita, non denominabitur intelligens, is, qui illum actum non elicuit; sed in præsenti de hac denominatione non quæritur, sed tantùm: An illi duo actus secum coexistere possint, quod si in intellectum dicentis Petrus currit, potest transferri actus ab alio intellectu productus & dicens Petrus non currit, certè illud transferri ostendit hos duos actus stare secum posse.

Major esset difficultas; An simul secum stare possint beatitudo stans in visione & amore, cum odio Dei; & concesso quòd amor & odium stare secum possent, negari posset quod visio beata & amor, cum odio & peccato stare possint, idque non præcisè ex eo, quod ex vi actuum, incompossibilitatem insuperabilem habeant amor & odium, sed quia illis actibus addita est formalitas possessionis omnis boni, quæ possessio omnis boni negat, quod aliquod bonum illi statui debitum non possideatur, consequenter, quòd non possideatur negatio odii Divini, quia etiam hæc est aliquod bonum, debitum illi statui, malum enim est, odii se, Dominum Deum nostrum.

Qui autem vellet tueri communem sententiam, scilicet quòd assensus & dissensus non possint secum stare, & tamen placeret illi dicere cum Suarez, gratiam & peccatum posse se compati, is diceret, quòd impossibile sit eundem amari in actu secundo & odio haberi, licèt possit aliquis amari in actu primo, & in actu secundo odio haberi; jam autem seclusâ condonatione offensæ & remissione peccati, quantumvis positâ gratiâ, amaretur creatura nonnisi in actu primo, non tamen in actu secundo.

Rursùs in principiis communis sententiæ ostendi posset disparitas: Cur scilicet assensus & dissensus sese inevitabiliter expellant, non expellat autem inevitabiliter peccatum & gratia, quia scilicet nullum est prædicatum in assensu, cui opponibile prædicatum non habeat dissensus, jam autem in peccato, reperitur ratio offensæ infinitæ, cui non habet prædicatum, quod opponat gratia, seclusâ condonatione. Huic etiam transferantur aliæ responsiones præcipuè illa Oviedi supra allata.

INSTAT Idem. Cui remittit Deus peccata, non est amplius peccator, hinc etiam Psalmus Beatos appellat, quibus remissæ sunt iniquitates; beatus verò non est, qui subest majori malo, quàm sit privatio beatitudinis, subest enim miseriæ maximæ peccati, sed ei cui confertur gratia, remittitur peccatum; quod ipsum Probatur; quia nullum est donum Dei distinctum à forma sanctificante, quòd ratione suæ bonitatis non sit conferibile peccatori, quia conceptus formæ sanctificantis, consistit in incompossibilitate bonitatis ejus, cum malitia peccati.

RESPONSUM est; seclusâ condonatione nullam formam creatam esse talem, cujus bonitas, se solâ, sit formaliter abolitiva peccati adeoque incompossibilis peccato, nego item conceptum

formæ sanctificantis, stare in incompossibilitate cum peccato.

Objicit IV. P. Martinus Olszewski, si peccatum habituale & gratia possent simul secum stare Divinitus, illâ positâ & posset non remitti, & simul non posset non remitti peccatum, quod implicat: posset quidem non remitti, ut dicis, non posset autem non remitti ut probatur; quia cùm gratia Dei, sit Divina ad nos amicitia, impossibile erit recipi aliquem in gratiam & amicitiam Dei, & eidem non remitti peccatum; atque impossibile est aliquem incurrere aliquam aversionem gratiæ & amicitiæ Dei, & non offendere Deum. Et certè ex terminis constat, quòd placari offendenti, sit remittere offensam, & recipere offendentem in gratiam seu amicitiam, est offendenti placari.

Responsum jam est; gratiam, seclusâ condonatione esse amicitiam Dei erga nos in actu primo, in actu autem secundo tunc nonnisi gratia est amicitia Dei erga nos, quando est cum suis prærequisitis, hoc est, cum intellecta condonatione, adeoque si ponatur tam pro eo, quod pro positivo deposcit, quàm pro eo quod pro privativo, importat ut jam explicui.

Addo. In phrasi hoc argumentum involvere aliquod dubium, nam aliud est etiam in humanis conferre alicui gratiam, & aliud recipere aliquem in gratiam: prima phrasis non denotat offensæ condonationem, potest enim aliquis conferre alicui aliquam gratiam, nec tamen hoc ipso condonare offensam & recipere in gratiam, & certè prior illa locutio non importat præcessisse aliquam offensam illamque obliterari, quod denotat hæc locutio recipere aliquem in gratiam; unde consequenter negatur ex supposita adversione, quod idem sit conferri gratiam à Deo & recipi in gratiam.

Illa etiam propositio Impossibile est, incurrere aversionem gratiæ, & non offendere Deum, examine indiget, si enim incurrere aversionem gratiæ accipiatur materialiter, hoc est, pro simplici privari gratiâ, id fieri posset sine hoc, quod offendatur Deus, si autem accipiatur incurrere aversionem gratiæ formaliter, hoc est pro aliquo peccato merente, tanquam pœnam, privationem gratiæ, illa non potest haberi, quin offendatur Deus. Ratio prioris est, quia non implicat saltem pro alio rerum ordine auferri gratiam, & non in pœnam mortalîs, ut si faceret decretum Deus, nonnisi pro hac vita conservandæ gratiæ, & pro illa, in altera, substituendi lumen glorię identificatum vel non identificatum cum gratia, posterioris ratio est, quia pro præsenti rerum ordine decrevit Deus, secundùm exigentiam præsentis gratiæ, non aliter illam tollere, nisi posito peccato. Unde ulterius sequitur. Idem quidem esse placari offenso, & desinere offensam, idem item esse recipere in gratiam, & placari offenso; sed nego quod conferre gratiam (de quo hîc loquimur) sit recipere in gratiam, quæ duo non distinguit præsens Objectio.

Abstrahendo autem à difficultatibus fundatis in modo loquendi idem erit placari offenso, quod accipere in gratiam, non quoquo modo, sed accipere in gratiam cum suis prærequisitis, & satisfaciendo exigentiis gratiæ, quibus absolutè loquendo, posset non satisfieri.

Instat I. Idem. Tridentinum appellat gratiam sanctificantem causam formalem justificationis nostræ, ergo sicut implicat causam formalem albi, poni in subjecto apto & non facere album, ita implicat poni causam formalem justi, & non facere justum.

Respondetur. Ut paritas fundata in auctoritate teneat, addi deberet, si scilicet ponatur forma justi in subjecto apto, quod non est additum, negatur autem esse subjectum aptum, si non antecesserit condonatio, ut jam in ante dictum est, immò paritas adlata de albedine pro nobis est, suppono enim albedinem & nigredinem posse simul stare Divinitùs, quo casu dici quidem poterit illud subjectum non album, nam hæ denominatio, cum sit negativa, potest haberi quantumvis non de toto sit aliquid non album, sed cum difficultate dici posset nigrum, quia hæc positiva denominatio videtur excludere juxta omnes, saltem moralem albedinem; dixi moralem, quia Æthyops ratione dentium albus, potest dici absolutè niger, eo quod in moralibus, parum pro nihilo reputetur.

Instari posset II. Non esse rationem, cur condonatio peccati dicatur per nos nonnisi prę-requisitum quid & conditio justificationis.

Respondetur. Rationem reddi per principium Theologicum, nempe articulum de fide, hoc est auctoritatem Tridentini, quæ soli gratiæ tribuit rationem formalem nostræ justificationis. Rursùs quia forma sine addito dicta, supponit pro intrinseco, condonatio autem Divina est nobis extrinseca.

Instari potest III. Non est explicabile, quî non ponatur expulsio formæ ante inductionem formæ, si condonatio prærequiritur pro priori ante infusionem gratiæ; rursùs non sunt explicabilia signa rationis in mente & voluntate Dei circa justificationem peccatoris.

Respondetur. In re non antecedi à condonatione infusionem gratiæ, sed antecedi intelligibilitate. Concipitur etiam à nobis gratia, quasi munusculum Dei, ipsâ condonatione benevolentis, quamvis autem antecedat intelligibilitate non antecedet expulsio formæ (utpote effectus.) positionem formæ (utpote causam.) condonatio enim est quasi forma, quæ expellit moraliter negationē condonationis, quę non præsupponitur tolli ante positionem condonationis; jam autem ipsa negatio condonationis, ex parte objecti seu peccatoris, est in re jus Dei integrum, & non cassatum ad irasci, quod

quod fundat actio peccaminosa, quod ipsum jus, non intelligitur cassari, & annullari ante condonationem, sed nonnisi illâ posita. Rursùs condonatio expellit etiam formalitatem non remissi peccati, in quantum non remissio peccati supponit pro seipsa, seu in quantum non supponit pro sanctificatione, quæ remissio quà talis, expulsioque non remissionis, non intelligitur ante condonationem, consequenter id quod expellitur à condonatione non intelligitur ante condonationem.

Id autem quod expellit gratia est negatio sanctitatis. Item negatio principii radicaliter exigentis condonationem & utriusque hujus negationis expulsio, non est ante, infusionem gratiæ, consequenter ex nullo capite expulsio formæ oppositæ, erit ante positionem formæ. Ipsa etiam remissio peccati passiva non antecedit absolutè infusionem gratiæ, quia Deus videns effectum suæ condonationis gratiam, etiam hoc titulo remittit peccatum & condonat, quia id, quia id exigit gratia, ad eum modum, quo decreta est Incarnatio ob excellentiam mysterii, priorem intelligibilitate præ excellentia capitis, quamvis etiam propter excellentiam capitis sit decreta.

Quoad signa rationis, ea sic ordinantur. In primo signo rationis, videt Deus varios modos remittendi peccatum, videt varias species physicas gratiæ, videt possibilitatem condonandi peccati per solam extrinsecam condonationem propugnatam, videt item posibilitatem expellendi peccati posita condonatione, simulque sanctificandi creaturam, tuncque ponitur in voluntate complacentia, & ut ita dicam inefficax appetentia illorum modorum justificandi. Secundum signum rationis potest concipi bipartitum: in prima parte advertit in particulari; & quasi per specialem considerationem entitatem gratiæ nostratis, non importantem de se vim abolendi peccati, titulo tamen sanctitatis exigentem eandem, in altera autem parte signi rationis, præsentantur rationes Deo notæ, ut pro præsenti rerum ordine tale medium adhibeatur; subsequiturque efficax voluntas satisfaciendi exigentiæ illius gratiæ, neque connectendi gratiam cum peccato, & insuper pro præsenti rerum ordine dandi talem gratiam. Hoc signum secundum, distinguitur aliquo modo à priori, sicut possumus concipere distingui unius nonnisi particularis claram & distinctam notitiam, à notitia universali. In tertio signo rationis intelligitur in tempore exequens suum decretum. Ex quo jam diverso respectu possumus ponere condonationem priorem infusione gratiæ, eò quòd sit signum, & connotatum condonationis Dei, pro præsenti rerum ordine: diverso autem respectu possumus ponere condonationem posteriorem infusione gratiæ, eò quòd gratia, sit radicalis exigentia condonationis, utpote quæ de se est quantùm ex illa formalis sanctitas, quæ exigit ne stet cum defectu. Condonationis radix autem est prior radicato.

Objicit V. Haunoldus lib. 2. num. 683. Et supponit quod nec Character supernaturalis, etiam Divinitus, possit esse falsus, nec actus supernaturales quo posito sic arguit. Contra sanctificans, est ex intrinseco & primario Prædicato signum affectus amicabilis exclusivi peccati, quatenus exigit ab illo affectu procedere. Ergo non debet posse esse signum falsum, sed debet nō minus esse signum essentialiter verum quàm Actus fidei de Antichristo futuro, & Character Sacramenti accepti, atqui non esset dignum essentialiter verum, si tantùm haberet exigentiam illius affectus dispensabilem.

Respondetur. Primi Antecedentis hunc esse sensum? Implicat dari gratiam & non ex affectu amoris Divini erga eum cui datur, quod Antecedens negatur in Nostris Principiis, estque ipsum controversiæ punctum, quod non probat Haunoldus. Rursùs dupliciter sensu potest habere Rationem signi gratia, imprimis signi quod Deus de facto amet eum cui illam det, & sic si gratia staret cum peccato, esset signum falsum. Secundo potest cogitari Gratia tanquam signum ejus quod exigit amorem, exigit condonationem, licèt non indispensabiliter; De qua Ratione signi, duo dici possunt; imprimis quod non implicet tale signum: & deinde quod tale signum si ponatur in peccatore, non erit signum falsum non est signum actualis condonationis, sed est signum actualis exigitivi ut Deus condonet. Unde Character esset signum falsum si poneretur v. gr. in eo qui nunquam est Baptisatus, quia est signum Recepti Baptismi, sed si daretur Character, qui esset signum tantùm exigitivum ut conferatur Baptismus. Sed exigentia dispensabili, ille Character si poneretur in non baptisato & non baptisando, non esset signum falsum; Quia autem gratia, non est signum nisi exigitivum exigentia dispensabili ut condoneretur peccatum, fit ut cum peccatō stare possit.

Punctum Difficultatis 3.

De Objecto voluntatis condonandi.

De hoc puncto pluribus agunt recentiores; post alios Lugo hîc Disp. 7. Sect. 9. Oviedo de Justificatione Tract. 8. Contr. 4. punct. 5. Ripalda Disp. ultimâ Sect. 23. pluresque referunt & refellunt sententias.

Sed illorum priorum duorum referenda est hîc explicatio.

Explicat I. Lugo cit. Quòd voluntas condonandi sit voluntas affectiva, destruendi titulum ortum ex peccato prudentet judicandum peccatorem, meritò & rationabiliter haberi à Deo odio, seu esse affectum, restituendi hominem, in statum antiquæ libertatis, & indemnitatis; quod totum potest Deus velle, absque eo quòd formaliter velit ipsam condonationem. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia hæc voluntas & non respiceret seipsam & respiceret, non respiceret ut concedit Lugo & ad quod solum evitandum inquisivit hanc explicationem, censens quòd voluntas non habeat seipsam pro objecto. Quod autem positâ illâ explicatione voluntas respiceret seipsam, Probatur; quia illa voluntas respiceret titulum ortum ex peccato, ad prudenter judicandum peccatorem meritò, & rationabiliter à Deo odio haberi, si respicit illum titulum prudenter judicandi, respicit fundamentaliter acceptam perseverantiam moralem, hæc enim perseverantia est ille titulus. Si respicit illam perseverantiam moralem fundamentaliter acceptam, respiciet condonatio seipsam, quia illa perseverantia moralis stat in hoc, quòd cum homo fecerit illam actionem, tamen pro illa nec satisfecit, nec illam Deus condonavit, ad eum modum, quo moralis perseverantia voti stat in vovisse, & Deum v. g. non remisisse votum, nec voventem impleſſe promissum.

Non Satisfacit II. Quia illi affectui non potest tribui ratio formalis condonationis; quod ipsum probat sic Oviedo. Postquam DEUS habet actum illum, quo dicit vellem, quatenus est ex me ut præterita actio, ex se, non esset sufficiens ad maculandum hominem, pro hoc instanti, & tamen adhuc addere potest: verùm tamen, quia ex se sufficiens est illa actio, maculare hominem, volo talem hominem propter illam odio habere, & illum punire propter maculam, quæ ex tali actione resultat; ergo prior illa pars quam solam in explicatione condonationis assumit Lugo, non est formalis condonatio; & si aliquid aliud addideris legitimum, illud ipsum potiùs objectum condonationis est.

Non Satisfacit III. Quia objectum voluntatis condonandi non debet esse, quid omnino posterius ipso peccato v. gr. habituali, illud enim indubiè est quod remittitur, jam autem hoc quod est, non esse in statu libertatis & indemnitatis, est quid consequens ad peccatum habituale; ergo velle illius remissionem, non est velle illam indemnitatem explicatam.

Explicari posset II. ex Oviedo citato. Quòd ille actus habeat pro objecto destructionem peccati habitualis, seu quod idem est destructionem peccati actualis ut moraliter permanentis, quod ipsum moraliter permanet, quousque obligatio pro actione præterita satisfaciendi, non destruitur. Potrò dupliciter potest destrui quæcunque obligatio, vel per illius adæquatam adimpletionē, vel per illius remissionem factam independenter ab actu, quo, ipsa obligatio erat adimplenda ut patet circa destructionem obligationis solvendi 100. & si creatura poneret per impossibile condignam satisfactionem, non diceretur tunc Deus condonare, sed condonat cùm non ponitur. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia non plus dicit, quàm quòd voluntas condonandi, respiciat seipsam, quod ipsum Probatur; quia illa voluntas respicit destructionem permanentiæ peccati actualis, quæ permanentia, involvit negationem condonationis ut clarum est, ex principiis ejusdem; ergo respicit illa voluntas seipsam.

Utraque hæc explicatio dicit aliquid in re ad præsens punctum spectans, sed indigeret ulteriori declaratione.

In hoc stat difficultas. Nolunt dicere Auctores; quòd voluntas condonandi respiciat seipsam. Deinde difficile est assignare, quid respiciat illa voluntas, præcipuè verò, quia per illam condonatur v. g. habituale peccatum, quod si non condonatur, manet saltem inadæquatè; si condonatur non manet: quî ergo voluntas condonandi, non respicit seipsam dum vult non manere peccatum. Quid in hoc puncto sentiendum sit, partiri possumus per assertа.

Assero I. *Voluntatem condonationis transitivè acceptam, habere pro objecto voluntatem, quasi in actu secundo positam.*

Ratio I. est; quia si non esset verum assertum, & esset voluntas illa voluntas condonationis, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia non vellet quod vellet, vellet enim condonationem, & tamen non vellet condonationem, non haberet enim pro objecto volito condonationem.

Ratio II. est; Voluntas puniendi, habet pro objecto punitionem, voluntas præmiandi, præmiationem, & sic de reliquis. Ergo & voluntas condonandi, habebit pro objecto condonationem, seu voluntatem exercitam condonandi.

Ratio III. est; Quia ex una parte in Divinis reperitur similis comparatio unius actûs ad alium, & ita comparamus intellectionem Divinam ad volitionem, tanquam quid prius ad posterius, & tamen hi duo actus, in re, sunt idem. Deinde ex alia parte transferimus, seclusis imperfectionibus, ad Divina, quæ videmus fieri in creatis; jam autem in creatis voluntas

tas condonationis, habet pro objecto volitionem condonandi, nec est ulla ratio, cur voluntas condonandi transitivè, ut dixi, accepta, non possit habere seipsam ponendam pro objecto.

Assero II. *Voluntatem condonationis, vi cujus velit Deus statuere hominem in esse filii Dei & justificati habere pro objecto infusionem gratiæ.*

Ratio. Quia per nihil aliud potest constitui in esse filii Dei, nisi infusione gratiæ, ut dictum est. Ergo si vult illam constitutionem in esse filii Dei, debet velle gratiam; & sicut voluntas dealbandi, debet velle albedinem; sic & voluntas constituendi filium Dei adoptivum, debet velle gratiam, quæ sola, filium Dei adoptivum constituit.

Quodsi sit voluntas condonationis, vi cujus velit Deus etiam creaturam, se convertere ad Deum, pro objecto habet actum vitalem creaturæ, convertentis sese ad Deum. Ratio; quia hoc solùm modo, potest se creatura convertere ad Deum, ergo si velit Deus illam esse ità conversam, debet velle illum modum & formam conversionis. Sed quia hæc non tam sunt objectum condonationis, quàm potiùs mutatio extrinseca, quâ positâ intelligatur Deus condonare, *hinc*

Assero III. *Voluntatem condonandi habere pro objecto destructionem peccati habitualis, in quantum in suo conservari pendet à DEO*, seu annullationem & cassationem juris, quod fundatur ab actione peccaminosa, ut Deus maneat offensus & iratus, ita ut (breviter loquendo) id quod condonatur sit offensa facta, moraliter adhuc permanens, & se habens quasi non præterisset.

Ut hoc assertum defendatur; habendum est imprimis præ oculis. Idquod condonat condonatio Divina, non est illa ipsa, sed peccatum moraliter permanens, ita ut peccatum illud, sit tanquam terminus illius condonationis. Et ratio est; quia quod condonatur, debet esse malum, condonatio autem non est quid malum. Ergo codonatio non seipsam habet pro objecto, sed malum quod condonat; ut etiam videre est in creatis condonationibus. Habendum deinde præ oculis, in peccato plures esse formalitates, inter alias esse jus Dei ad irasci, & hoc si ex parte Dei spectetur non est quid malum, est enim actus justitiæ illius, sed hoc quod malum est, quod fundat, illud jus. Rursùs negatio condonationis Divinæ, non est peccatũ, est enim negatio actûs Divini liberi, sed id quod malum est, est illud quod indiget condonari, illaque odibilitas, quæ quasi ex consequenti consurgit ex negatione actualis condonationis: hoc fundamentum juris & hunc titulum, denique hanc odibilitatem ex negatione actualis condonationis pullulantem suâ condonatione cassat, obolet, annullat moraliter Deus. Habendum denique est præ oculis, non esse possibile explicare, Deum condonatione suâ velle destruere peccatum habituale, velle cassare fundamentum juris irascendi, &c. quin dicatur aliquo modo habere pro objecto seipsam, non quidem tanquam terminum & objectum condonationis, sed tanquam aliquid dictum, connotatum, importatum ab illo termino, quia peccatum v.g. habituale quod remittitur; fundamentum item, fundans jus ad irasci, semper connotat (si moraliter adhuc maneat) negationem condonationis, siquidem positione illius omnino tollitur. Dixi quod respiciat seipsam aliquo modo, quia cum directè respiciat peccatum, quod ipsum non est negatio condonationis, sed id cui negatur, vel apponitur condonatio, fit, ut non respiciat seipsam directè, habetque pro objecto prius aliquid se, nempe negationem sui, quam positione sui aufert.

Hæc omnia supponant, quod aliquid absolutè loquendo, saltem quoquo modo possit respicere seipsum. Tum quia id non implicat. Tum quia potest cognitio cognoscere seipsam & habere se pro objecto, ut cum dicitur omnis cognitio est actus vitalis, volitio idem quæ vult & approbat omnes volitiones; ergo & condonatio potest habere seipsam pro objecto quoquo modo. Tum quia non apparet cur fieri non possit hæc enuntiatio, cognosco me cognoscere, quæ enuntiatio, est operatio indivisibilis ut suppono ex Animasticis, ergo etiam indivisibili operatione voluntatis, poterit velle voluntas, tali v. gr. volitione: volo volitionem quâ volo; ergo poterit etiam benè dicere voluntas condonandi; volo me.

Dices I. Apprehensionem esse communem, quod voluntas remittendi peccati in Deo, non sit voluntas sui ipsius.

Respondetur. Apprehensionem communem non plus velle quàm id, quod condonatio non condonet seipsam, sed per hoc non excluditur, nè id quod condonatur, dicat negationem condonationis tollendam, à positione condonationis.

Dices II. Cum Lugo. Difficile explicari, quomodo illa volitio feratur ad seipsam; an scilicet feratur ad seipsam prout existentem, vel prout possibilem; nam si est amor sui ipsius prout existentis, erit gaudium de seipsa, jamque tunc Deus non tam intelligetur volens condonare, quàm gaudens quòd condonârit, imò si dicatur, quod volitio condonandi feratur ad seipsam prout existentem, hoc ipso prærequiretur cognitio de existentia illius volitionis condonandi, consequenter illa volitio non esset libera, quia præsupponeret ex parte principii cognitionem de existentia ipsius condonationis, solùm ergo præsupponetur cognitio de possibilitate illius volitionis, eritque illa voluntas quasi efficax,

quâ Deus vult efficaciter illam volitionem, hoc autem non potest intelligi, quî enim eadem voluntas erit objectum suiipsius, præcipuè quia voluntas efficax dicit, aliquem influxum, vel quasi influxum in objectum, quem nullo modo potest habere illa voluntas in seipsam.

RESPONDETUR. Diverso respectu esse illic gaudium de condonatione, & diverso respectu esse efficacem voluntatem ponendæ condonationis, nam inquantum omnes actus Divini sunt ab æterno & in entitate necessarii, habetur de illis gaudium, sicut & de omnibus aliis actibus liberis; diverso autem respectu illa volitio non est gaudium, sed voluntas efficax ponendæ condonationis, accipiendo condonationem transitivè per ordinem scilicet ad seipsam ponendam; vel sumendo condonationem in actu primo, ad seipsam in actu secundo.

Quod autem assumitur non posse intelligi; quomodo condonatio possit esse quodammodo objectum ad seipsam, jam supra explicatum est. Licet verò voluntas efficax creata, dicat aliquem influxum verum & physicum, in alium actum, non tamen id reperitur in voluntate increata, & sicut dicit aliquam causalitatem intellectio creata respectu volitionis creatæ, quod non reperitur in Divinis, ita & in præsenti.

DIFFICULTAS IV.

Applicatio dictorum ad remissionem venialium.

IN antecedentibus actum est, vel maximè de mediis remissionis mortalium, nunc agendum de remissione venialiũ; de qua, qui voluerit fusionem tractationem, legat Suarez D. 11. & 12. Lugo Disp. 9. quæst. totâ, Dicastillo Dis. 2. à Dub. 10. usque ad 21. Ariaga de Justif. D. 47. totâ. Oviedo de Justif. Contr. 5. totâ. Tannerum D. 6. qu. 4. Vasquez & alios.

Quod attinet ad remissionem venialium per aliquid pendens à peccatore, gratiâ Dei adjuto.

ASSERO I. Cum communi. *Venialia posse remitti, per actum attritionis de iisdem, nec requiri contritionem.* Est communis cum Suario, contra Vasquez.

RATIO I. Est auctoritas Tridentini, quod Sess. 14. c. 5. cũ dixisset venialia posse taceri in confessione citra culpam, subjicit; illa posse multis aliis remediis expiari; ergo non unâ sola condonatione. Et Aug. in Ench. cap. 71. auctoritate, ut refertur in Concilio Tole. 4. cap. 5. & habetur capite. Quod de pœnitentia Dist. 3. quòd venialia etiam Oratione Dominicâ tollantur, ergo non sola condonatione.

RATIO II. Quia plus requiritur ad remissionem mortalis quàm venialis. Ergo si ad remissionem mortalis requiritur contritio, vel attritio, cum Sacramento, pro veniali sufficiet, vel sola attritio extra Sacramentum.

RATIO III. Quia attritio in non habente peccatum mortale, elicita ex motivo supernaturali, est imprimis retractatio quantùm est ex parte peccatoris, avertẽs ejus voluntatem à veniali. Rursùs illi actui respondet infusio gratiæ, quia hæc in præmium datur justis, ad positionem singularum actionum meritoriarum; cur ergo etiam non respondebit condonatio Divina, quam Deus nunquam negat in hac vita, quantùm est ex parte illius. Quando autem S. Thom. dicit; Peccatum tolli per suum oppositum, adeoque peccata venialia, cum sint opposita fervori charitatis, debere tolli per charitatem, id non convincit; quia si peccata tollantur per sibi opposita, cum retractatio sit quid oppositum, & habeatur in attritione, attritione tolli debebunt venialia, in hocque ipso intelligetur fervor charitatis, quia sine fervore amandi, nemo facit id, ad quod non obligatur graviter, nemo autem obligatur graviter ad dolendum de venialibus.

DICES. Si sufficit attritio ad delenda venialia, non apparet ratio quomodo venialia remittantur in Confessione, jam enim invenirentur remissa per attritionem, & tamen Tridentinum Sess. 14. cap. 5. asserens venialia in confessione utiliter dici, quantumvis multis aliis modis expiari possint, supponit etiam confessione illa expiari, siquidem ly aliis, juxta regulam juris, est implicativum similium.

RESPONDET aliquis Particulam *aliis* non semper esse implicativam similium, nam Luc. 23. dicitur: Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, & tamen Christus cum quo illi ducebantur non erat nequam.

Sed hæc Responsio contradicit sensui communi fidelium, qui per prædictam particulam censent importari Confessionem, cùm teneant illa etiam expiari venialia.

Directè ad objectionem dici potest, quod non dicat Tridentinum, ea venialia quæ in Confessione dicuntur, quod non debeant supponi aliunde remissa, sed tantùm quod utiliter in Cõfessione dicantur, jam autem peccata mortalia etiam remissa, utiliter nihilominùs in Confessione dici possunt.

Sed reperiri insuper possunt casus in quibus venialia primùm, nonnisi à Confessione deleantur, ut si in instanti (ut alii volunt) terminativo absolutionis ponatur actus instantaneæ attritionis. Item posità attritione, non delebuntur venialia ante Confessionem, sed primum in Confessione si supponatur homo habere simul mortale quod confiteri debet, & de eo non est contritus: Item si putet se non habere mortale, & de facto habeat, à quo tamen nusquam indirectè sit absolutus, eo casu, etiam posità attritione, non remittetur veniale ante Confessionem. Sed examinandæ sunt in hac materia aliorum Responsiones.

RESPONDENT quidam apud Rosmer. quod si aliquis dolens de uno veniali confiteatur

idem

idem, & nec formaliter, nec virtualiter doleat de aliis, quòd illi sint remittenda illa reliqua venialia.

Impugnat hanc responsionem Rosmer, quod eodem jure dici posset Sacramentum pœnitentiæ delere omnia mortalia, modo adsit dolor de uno tantùm. Hæc impugnatio non convincit. Quia remissio venialium & mortalium, non debet inter se in omnibus proportionari, in multis enim venialium remissio dissimilis est remissioni mortalium; hinc non potest unum mortale remitti sine alio, & tamen potest veniale unum remitti, & non reliqua. *Cæterùm dicta Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia. In re magni momenti recedit à persuasione communi fidelium, qui ad delenda peccata indiscriminatim requirunt formalem vel virtualem pœnitentiam. Tum quia illa peccata vel remittuntur vi Sacramenti, vel vi doloris, non vi doloris, quia ille dolor ad reliqua peccata nec formaliter nec virtualiter extenditur. Non etiam vi Sacramenti, quia Sacramentum requirit suas partes, cum nihil sit præter suas partes, inter quas est dolor, qui tunc supponitur pro aliis peccatis non poni. Tum quia hæc sententia ex parte favet sententiæ, quæ à doctis censuratur, quod Confessio venialium, non egeat ullo dolore ad remissionem.

Neque valet. Si pro hac responsione adferas, quod scilicet multi censeant, semper aliqua venialia remitti quando augetur gratia, etiam non positâ ullâ retractatione; & Suarez docet, quod baptismus tollat omnia venialia, in quibus baptizandus non habet complacentiam, quod etiam de Eucharistia docet Pius 5. in suo Catechismo, & S. Th. q. 87. art. 1. dicit per Martyrium deleri etiam mortalia, nisi inveniat voluntatem actualiter peccato inhærentem. Non inquam valet, si id adferas pro dicta responsione; nam quamvis sint Auctores, qui in Confessione venialium, non requirunt attritionem vel formalem vel virtualem, dicuntque sufficere, ut non habeatur complacentia in venialibus, pro qua sententia sunt Filiucius, Azor, Granado, Suarez etiam hîc Disp. 12. Sect. 1. n. 9. citat pro hac sententia, Soto & Ledesma, qui requirunt voluntatem, & desiderium recipiendi Sacramentum & effectum ejus. Sed Soto & Ledesma illam voluntatem censent esse virtualem pœnitentiam: ut non placet ægroto virtualiter morbus, cum ejus medicinam vult assumere. Cæterùm etiam hæc sententia meretur censuram apud Doctos, & est contra dicenda inferius, & insuper non opitulatur intentioni respondentium, quia illius Auctores, voluntatem suscipiendi Sacramentum, esse virtualem pœnitentiam censent, jam autem respondeo, nullam pœnitentiam requirit de reliquis venialibus.

Quod attinet ad remissionem venialium, quam ad defendendam responsionem assumere posset aliquis, quod scilicet toties fiat quoties augetur gratia; id falsum est, & inferius dicetur, &, etiam concesso, quod verum esset, adhuc pro præsenti disparitas est, quia gratia habitualis definitivè non importat dolorem; si ergo aliunde habeat vim tollendi venialia, bene poterit illa tollere, jam autem includit Sacramentum pœnitentiæ definitivè hunc dolorem.

Unde consequenter dicetur, etiam baptismum quantùm est ex illo, præcisè non auferre dicta peccata; imò & ipsum Martyrium requirit dolorem, sed quia illud supponitur subire Martyr ex affectu Charitatis, quæ charitas est virtualis peccatorum dolor, hinc fit ut S. Th. Martyrio tribuat remissionem peccatorum, nihil agendo de dolore.

Respondent II. Aliqui, discriminantque inter attritionem & attritionem, talis est imprimis Lugo cit. n. 29. qui dicit aliquam attritionem extra Sacramentum esse deletivam venialium, aliquam non deletivam. Delativa erit, quæ ponitur in eo gradu in quo sufficit ad tale peccatum, cujus taxatio spectat ad Deum. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia eâdem libertate dici poterit, non omnem attritionem etiam cum Sacramento posse sufficere ad tollenda saltem venialia, sed nonnisi eam, quæ ponitur in certo gradu; & sicut licitum tibi est hoc medium, quod est attritio adstringere in ordine ad tollenda venialia ad certum gradum, & cum supponit Ecclesia attritionem delere venialia, interpretari id, de certo gradu attritionis, ita interpretari posset aliquis, quod attritio, nonnisi in certo gradu accepta, sufficiat cum Sacramento. Tum quia non est necessaria gradualis certa intensio contritionis ad mortale remittendum; ergo nec requireretur ad tollenda venialia. Tum quia daretur ansa nimis anxiè confitendi venialia, timendo scilicet, ne non pertingatur, ad taxatum illum gradum doloris.

Eodem referri debet sententia aliorum apud Meratium tom. 3. Disp. 8. S. 4. quòd scilicet illa sola attritio sit destructiva venialis, quæ concipitur ex motivo intrinsecè opposito peccato, de quo concipitur, ut dolere de mendacio propter inhonestatem oppositionis cum veracitate, quodsi fiat attritio propter motivum extrinsecum, non erit deletiva venialis, quale esset dolere de mendacio propter pœnam à Deo infligendam. Sed neque hic sensus Satisfacit. Tum quia est hoc arbitrarium inventum. Tum quia mancam nobis Tridentinum, aut saltem dubiam doctrinam tradidisset de attritione, non præmonendo nos, ne ex extrinseco motivo eliciatur. Tum quia eâdem libertate, ut jam dictum est, dici posset, non omnem attritionem cum Sacramento sufficere.

Responderi posset III. ex Oviedo citato à num. 22. docet ille: Attritionem eli-

citam ab homine justo habere sufficientem valorem & condignitatem, ut si Deus voluerit illam acceptare in satisfactionem debitam pro veniali, eam possit acceptare ut condignam satisfactionem; ita ut hâc acceptatione suppositâ, per seipsam jam extinguat debitum; rationem dat, quia magis est bona & magis placens Deo, quam displicuerit veniale; nam attritio est digna præmio æterno, non est autem digna pœnâ æternâ, culpa venialis. Et sicut accedente non nisi extrinsecâ acceptatione, passio Christi Domini, ex se dignissima & sufficientissima, est satisfactiva, pro peccatis nostris, & sicut pro aureo vase sublato, si loco illius offeras gemmam longè pretiosiorem, potest in humanis non acceptari satisfactio, sed indigebit acceptatione, sic etiam in præsenti necessaria erit acceptatio. Docet rursùs, independenter ab hac acceptatione non esse attritionem condignam satisfactionem per seipsam extinguentem veniale, ex qua jam doctrina explicat mentem Trident. quòd scilicet extra Sacramentum, attritione infallibiliter non deleantur venialia, adeòque utiliter confitenda esse, eò quòd remissio eorundem ex lege & promissione infallibili à Sacramento proveniat. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit I. Quia posito, quòd attritio sit, quantùm est ex vi illius condigna satisfactio pro veniali, & tamen egeat acceptatione ut rationem illius exerceat, vel de sumitur inde, quia absolutè loquendo potest illam Deus non acceptare, vel quia decrevit eandem non acceptare extra Sacramentum, vel quia universaliter ad omnes offensas præcipuè verò honoris, est necessaria acceptatio & condonatio offensi; ex nullo horum capite sequitur intentum Oviedi, non ex primo, quia etiam absolutè loquendo, posset Deus non acceptare Contritionem pro mortali, præcipuè extra Sacramentum, & tamen nemo exinde colligit, quòd Contritio extra Sacramentum, non sit sufficienter deletiva mortalis; ex secundo etiam capite nihil concluditur, quia non constat de tali decreto, imò colligitur ex doctrina Tridentini, illud decretum Deum non formasse, non dixisset enim indefinitè Tridentinum: quòd venialia extra Confessionem deleri possint; ex tertio etiam capite nihil colligitur, quia acceptatio duplex potest in præsenti cogitari. I. Quæ involvat pondus accedens & perficiens imperfectionem satisfactionis, vel quæ sit condescendentia quædam, & talis condonatio saltem in creatis, non est semper necessaria, si enim ponatur satisfactio æqualis, benè dici poterit: non vis acceptare, quod tibi sufficienter satisfactivum est, per te stat, ego exolvo meum; talis etiam modus satisfaciendi inter Deum & creaturam, si ponatur, posset etiam dici (nisi adsit alius titulus) quòd condonatione non indigeat tanquam addente pondus. II. Potest intelligi satisfactio quæ sit remissio offensæ, depositio inaffecti animi, & ratio formalis reconciliationis, & hæc semper debet intercedere, sed hoc concesso, non sequitur intentum Oviedi.

Non Satisfacit II. Quia rationes ejus in oppositum non convincunt.

I. Ratio ejus est, quòd scilicet durum sit dicere, nunquam venialia sine mortalibus in Confessione remitti.

Sed æquè fortè durum est dicere, quod pura creatura pro veniali satisfacere condignè non possit. Manet etiam explicatum, qui remittantur venialia in Confessione? Denique negatur durum id esse, quòd dicimus & contra communem sensum, cum pro opposito citentur à Suarez & Dicastillo, Durandus, Azor, Henriquez, Coninck &c.

II. Ratio ejusdem est. Quia difficilè omnibus videbitur, quod actus attritionis universaliter de venialibus elicitus, auferat omnia venialia.

Sed id non convincit, manet enim eadem difficultas, qui remittantur per attritionem cum Sacramento?

III. Ratio ejusdem est. Quia per veniale aliquo modo homo avertitur à Deo & veram illius offensam committiti necesse|igitur erit ad condignam satisfactionem ex sua natura hominem ad Deum converti, quæ conversio non habetur per attritionem.

Respondetur. Sicut aliquo modo avertitur creatura à Deo veniali peccato, ita etiam aliquo modo per attritionem convertitur ad Deum, non quidem formaliter sed æquivalenter, non formaliter quidem, quia actus attritionis non habet prædicata formaliter prælativa Dei supra creaturas, æquivalenter tamen convertit ad Deum, quia retractat actum illum, venialis culpæ.

Assero II. Cum communi. *Extra Confessionem non sufficere ad tollendum veniale, quodcunque opus bonum, etiam factum sine intentione satisfaciendi pro veniali.* Est tamen in opposita sententia Tostatus, Medina, Gabriel, Major.

Ratio est Auct. August. qui citatur cap. neminem 43. de Pœnitentia Dist. 1. ubi dicitur generaliter voluntatem non recedere à peccato, nisi voluntas doleat de peccato, loqui autem illum etiam de veniali ex contextu colligitur. Deinde rationabile est, ut cum homo voluntate suâ recesserit utcunque à Deo, nonnisi voluntate suâ convertatur ad eundem.

Cæterùm si aliquis poneret opus bonum v. g. Orationem, petens sibi à Deo dimitti venialia, talis remissionem consequeretur eorundem, ut docet Dicastillo num. 416. cum Suarez.

Nequa

Neque valet si dicas, si quodcunque opus bonum non est sufficienter deletivum venialis. Ergo nec Martyrium; ergo pro Martyre aliquis orare potest saltem sub conditione, si fortè pro veniali non doluerit, non inquam valet, si id dicas. Quia solvendum id tibi erit, si fortè teneas non remitti venialia per hoc solum, quòd aliquis actu sibi in illis non complaceat, posset enim fieri, ut Martyr, in veniali sibi complaceat. Dici etiam potest: Non posse id prudenter præsumi, quia cùm exerceat actum externum, qui est indicium evidentissimum magnæ charitatis, & cùm talis affectus sufficiens sit ad movendum Martyrem ad detestationem omnium venialium, præsumendum erit Martyrem, quodcunque veniale detestari; hinc inconcussa manet Augustini regula dicentis: Martyri injuriam fieri, siquis pro illo oret.

Assero III. Cum communi. *Ad tollenda venialia sufficere dolorem virtualem.*

Ratio. Quia etiam ad Sacramenta conficienda sufficit intentio virtualis, de quo vide in materia de Sacramentis. Consulatur Lugo cit. à num. 23. ubi etiam addit. Non debere esse propositum universale vitandi quæcunque venialia, imò respectu jam commissi potest esse propositum limitatum, ut si mentitus sis sine causa, fortassis non sit necessarium propositum non mentiendi, sed tantùm non mentiendi sine causa.

Hucusque dictum est de remissione venialium habenda per aliquid pendens à peccatore, gratiâ Dei adjuto; nunc videndum est de abolitione venialis per infusionem gratiæ pendentem à DEO.

Concomitanter se habere, ad deletionem venialis, infusionem gratiæ, certum est apud omnes, nam infunditur gratia in præmium cujuscunque operis boni adeòque actûs retractativi venialium; sed est tantùm difficultas in hoc; An gratia habeat formalem quandam oppositionem cum veniali, vi cujus illa infusa, expellat peccatum ab homine.

Explicant I. Aliqui, hanc oppositionem per hoc, quòd gratia habitualis, considerata secundùm differentiam suam numericam, & gradus heterogeneos quos includit, opponatur venialibus; hanc sententiam tuentur aliqui, quorum suppresso nomine meminit Rosmer, & Oviedo cit. n. 41. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia admittit intrà differentiam numericam, heterogeneitatem graduum, quod est admittere differentiam specificam ut suppono ex Philosophia.

Non Satisfacit II. Quia quando committitur novum veniale, vel illi opponitur gratia præinfusa ad delendum simile veniale vel non opponitur; si opponitur. Ergo peccatum veniale formaliter expellit aliquem gradum gratiæ, si non opponitur, ergo nec priori, opponebatur, nam si nigrum non opponitur albo A, quomodo opponetur albo B.

Non Satisfacit III. Quia ut arguit Oviedo, si licitum est ponere gratiam oppositam nonnisi huic veniali, cur etiam non licebit ponere gratiam huic nonnisi speciei venialium opponibilem, & aliam opponibilem alteri speciei, idemque transferri posset ad mortalia, quæ omnia essent arbitraria, & ultimum, contra communem sensum fidelium.

Explicat II. Herize & cum ex Rosmer, quod peccatum veniale deleatur per gratiam habitualem, ut productam per talem actionem, quæ sit complementum liberi decreti condonantis DEI.

Idem explicat sic Rosmer. Liberum decretum Divinum essentialiter completur per aliquid extrinsecum, juxta quam sententiam, dicit gratiam habitualem, produci posse per varias actiones, quæ sint complementum variorum decretorum Divinorum, eamque secundùm suam entitatem non opponi physicè peccato veniali, sed ut est producta per talem actionem. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Ut bene in simili arguit Lugo. Gratia ex vi suæ entitatis, non est formaliter expulsiva peccati venialis; ergo neque ut est complementum decreti Divini, etiam sumpta cum actione quâ producitur, potest esse formaliter expulsiva peccati. Probatur Consequentia, si album non est ex vi suæ entitatis expulsivum nigri, etiam albedo, producta ex vi talis actionis, complentis tale liberum decretum Divinum, non posset esse expulsiva; quod ipsum ulterius ex eo Probatur; quia effectus formalis, primarius est ipsa entitas formæ unitæ & subjectum capax, si ergo ex vi entitatis suæ, non est expulsiva, nec erit expulsiva, prout producta tali vel tali actione.

Non Satisfacit II. Quia si gratia prout producta per talem actionem, est venialis formaliter expulsiva; ergo illâ positâ, sic producta, inimpedibiliter etiam à DEO, sequetur expulsio venialis, nam effectus primarii, posita unione formæ & subjecto apto, sunt inimpedibiles. Sed hoc in præsenti non potest dici. Quia primarius formalis effectus actionis, est, agere, adeòque producere illam gratiam; ergo non erit illius effectus formalis primarius, expulsio peccati, adeòque erit quid impedibile, consequenter & erit ille effectus inimpedibilis, & non erit.

Non Satisfacit III. Quia sequeretur quod si aliquis committat peccatum veniale simile priori, propter formalem oppositionem, sit auferenda actio conservativa illius gratiæ, adeòque & gratia. Et sicut si albedo

ex vi

ex vi hujus actionis esset destructiva nigredinis antecedentis, esset destructiva & sequentis. *Sic etiam in præsenti.*

Explicari solet III. cum Vasquez & Meracio, quòd peccatum expellatur formaliter per gratiam prout hâc intentione à Deo datam, ut expellat hoc vel illud veniale. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia hæc ipsa gratia permanens, potest compati secum veniale simile repetitum, aliàs veniale esset sublativum gratiæ, ergo apparet illam gratiam ex natura sua incompossibilem non esse, nec incompatibilem, cum illo veniali; hîc autem quæritur de expulsivo incompatibili cum veniali.

Quodsi recurras ad id, scilicet illam gratiam non utcunque esse incompatibilem cum veniali, sed prout datam tali intuitu. Contra erit, quia nulla intentio Divina potest facere, ut quod de se formaliter non potest præstare aliquem effectum, præstet illum vi intentionis Divinæ, sicuti si albedo non potest formaliter denigrare, eâ intentione data ut denigret, non denigrabit. Et licèt una eademque entitas possit esse sufficiens mutatio, ratione cujus intelligatur Deus hoc vel illud velle, non tamen intentio Divina addita huic formæ, potest facere ut aliquid tribuat formaliter, quod non est nata tribuere formaliter, fundaturque id ulterius in hoc principio, quòd effectus formales sint indistincti à forma unita subjecto apto, intentio autem Divina addita alicui formæ, non mutat illius entitatem.

Dices cum Mæratio. Non repugnat gratiam de se insufficientem, ut expellat veniale formaliter illud expellere; per aliquid prorsùs extrinsecum. Probatur Assertum; quia potest aliquis fidelis credere universaliter omnia quæ revelata sunt; & non credere Christum esse in Eucharistia, ignorans invincibiliter id esse revelatum; hi duo actus positâ ignorantiâ invincibili secundi mysterii non repugnant inter se; si autem sufficienter proponatur, quod verè Christus Dominus sit in Eucharistia, primus actus incipit habere oppositionem formalem cum secundo, & tamen hæc oppositio habetur ratione extrinseci, hoc est advertentiæ de novo positæ.

Respondetur. Positâ advertentiâ prior actus incipit habere formalem oppositionem, non cum actu in ante posito, adæquatè sumpto, sed cum actu novo, qui tunc ponitur; quia tunc supponitur poni iste actus: Judico esse revelatum, hancque revelationem mihi evidenter moraliter proponi, quod CHRISTUS DOMINUS sit in Eucharistia, & huic actui incipit opponi actus, qui dicebat: Judico non esse revelatum, nec esse evidens moraliter, quod Christus Dominus sit in Eucharistia. Tota ergo oppositio quæ tunc fit, non est inter actus in ante positos, nec ratione eorum præcisè, sed oppositio tota est ad actum tertium novum, non tamque oppositio primi actûs universalis ad hunc novum tertium, quam secundi ad tertium: non est autem infrequens quod aliqua quæ possent dicere oppositionem formalem actualem ad aliud, non illam dicant actu, ob defectum ejus entitatis actu extra causas positæ, cui deberet fieri oppositio, quo etiam modo salvari debet, quomodo voluntas incipiat habere actu oppositionem ad voluntatem committendi jocosum mendacium, voluntas inquam quæ universaliter abhorret ab omni peccato veniali, non abhorret tamen à mendacio jocoso, putans illud non esse peccatum. Hanc difficultatem quomodo solvat Oviedo, videatur loco citato, n. 15. Omnibus pensatis non potest remitti veniale nisi per actum proprium retractativum, aut condonationem extrinsecam, nec enim apparet, quî aliter tollatur.

DIFFICULTAS V.

De aliis modis remissionis venialium.

De tribus hîc inquiretur: Quomodo scilicet remittantur per Sacramenta, Sacramentalia, & si aliquis moriatur salvandus, & nolit dolere, de veniali.

Assero I. Cum communi. *Singulis Sacramentis inesse vim remittendi venialia.*

Ratio, quia de fide est per baptismum susceptum sine obice tolli tam mortalia quàm venialia. Rursùs de fide est, per Sacramentum pœnitentiæ remitti venialia, quî enim juxta Tridentinum utiliter illa confiteremur. Idem dicitur de Eucharistia; quia Tridentinum Sess. 13. cap. 2. dicit hoc Sacramentum esse constitutum, ut illo liberemur à culpis quotidianis, & probat congruentia, quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi spiritualis, cibus autem reparat deperdita, & confortat in sanitate; quia autem repararet & confortaret, si nullam omnino haberet vim remittendi venialia, quæ comparantur ægritudini, sicut mortalia morti. S. etiam Jacobus eandem vim remittendi tribuit extremæ unctioni illis verbis: *si* inquit, *in peccatis fuerit, dimittentur ei* Jacob. 5. Confirmationem. Ordinem & Matrimonium: habere eandem vim communior fert Theologia, auctores citat & sequitur Dicastillo D. 2. n. 438. Congruentiam adfert Suarez, quia ista Sacramenta sunt Sacramenta vivorum & amicorum; debent ergo esse talia, ut ex vi illorum non tantum sequatur argumentum amicitiæ, sed etiam abolitio leviorum offensarum.

Assero II. Cum communi. *Ex opere operato à Sacr. auferri venialia.*

Quia

Quia si simul tollantur mortalia, non appareret, quî tunc ex opere operantis tollerentur venialia, quando autem acceditur cum venialibus solis, cum illa supponantur remissa ante Confessionem, idque ob præmissum dolorem, tunc in Confessione ex opere operato novo titulo remittuntur. Ratio, quia si mortalia ex opere operato remittuntur, quî non remittentur venialia? Et sicut adhuc ex opere operato remittitur mortale, quantumvis prædeletum contritione, ita & in præsenti. Nec obest quominus dicantur deleri ex opere operato, quantumvis debeat Deum intelligi pro sua parte condonans peccata venialia, quia ex opere operato delentur in Confessione mortalia, & tamen tunc debet intelligi Deus ponens condonationem.

Quod attinet ad Sacramentalia.

SAcramentalium nomine Antonomasticè veniunt Cerimoniæ adhiberi solitæ in usu & collatione Sacramentorum; in præsenti tamen largiori nomine, intelliguntur actiones quædam, quæ quidem non pertingunt ad causandam seipsis gratiam, nihilominùs tamen conducunt & disponunt ad eandem. Numerantur hæc Sacramentalia sex, Oratio Dominica, & quæcunque facta in Ecclesia consecrata, tunsio pectoris &c. Usus aquæ benedictæ, vel unctiones Regum vel Episcoporum, Comestio rerum solenniter benedictarum, Confessio Generalis, Eleemosyna & Benedictiones Episcoporum, Abbatum Consecratorum, id indicat vulgatus ille versiculus.

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Assero I. cum communi. *Sacramentalibus inesse vim remittendi venialia*, ita enim sensus communis Ecclesiæ.

Assero II. *Sacramentalia non operari gratiam ex opere operato.* Ita communiter alii Theologi contra Sotum & Ledesma; & ex nostris Reiff. in Privil. Agoni Priv. 75. citantem pro se Valentia d. 7. q. 4. p. 1. Henriquez lib. 4. cap. 15. Azor. Bonac.

Ratio, quia Sacramentalia sola Ecclesia instituit, quæ non habet potestatem instituendi aliqua ut ex opere operato causent gratiam; imò Sacramentalia hoc ipso essent Sacramenta, si causarent gratiam, ex opere operato.

Dices. Potest Ecclesia conferre indulgentias, quæ ex opere operato operantur, Ergo si instituit Sacramentalia poterunt etiam illa ex opere operato operari.

Respondetur. Distincta hæc esse quod aliqua possit instituere Ecclesia, quæ ex opere operato auferant pœnam & tales sunt indulgentiæ. Et talem potestatem agnoscit Ecclesia in Papa, & aliud est, quòd aliquid ex opere operato, auferat culpam, quantumvis venialem, priorem potestatem agnoscit in Ecclesia sensus communis fidelium, sed non hanc posteriorem. Rursùs aliud est dicere: quòd Ecclesia possit habere hanc facultatem, & aliud: An habeat; an possit habere non est disputatio; & hoc posse concedunt Doctores, post alios cit. Dicastillo n. 430. & Perez loco citato. Quod autem facultatem habeat actu pro illo priori, docet consensus & praxis Ecclesiæ.

Instabis. Ad significandam efficaciam Sacramentorum & efficaciam Sacramentalium, iisdem verbis utitur Ecclesia; nam in jure Canonico dicitur aqua benedici, ut ea cuncti sanctificentur & purificentur, quæ similes phrases reperiuntur, cùm sermo est de baptismo vel aliis Sacramentis.

Respondetur. Et Sacramentalia & Sacramenta veteris legis & Sacramenta novæ legis conveniunt in hoc generali quod est Sacrare, Sanctificare &c. sed tota est difficultas: An hoc præstent eodem modo; nunquam autem Ecclesia significat eodem modo sacrari homines à Sacramentis & Sacramentalibus. Accipienda itaque verba sunt Ecclesiæ secundùm suppositam materiam, scilicet modo sanctificandi sibi proportionato. Et sicuti ex eo, quòd dicatur aqua benedicta nos purificare & sanctificare, non sequitur quòd nos à mortalibus purificet & sanctificet; ita nec accipiendum est, quòd remittat seipsâ & ex opere operato venialia.

Assero III. Cum communi. *Sacramentalia conferre ad remissionem venialium inquantùm conducunt ad motus animi, natos expellere venialia.* Ita post alios Lugo Dicastillo Perez.

Ratio est. Quia si non causant remissionem venialium ex opere operato ut dictum est; si item non causant ex opere operantis, quia jam tunc non sacramentalia, sed ipsi actus conferrent ad remissionem venialium: ergo debent hoc tertio modo causare remissionem venialium.

Dices. Ergo Sacramentalia non plus prosunt ad remissionem quam imagines v. g.

Respondetur. In hoc imagines & Sacramentalia sunt paria; quia utrumque objectum, natum est excitare motus pios; sed in hoc sunt disparia, quia imaginibus non est promissa ista excitatio, ut est promissa Sacramentalibus, propter quam promissionem, dicitur eleemosyna extinguere peccatum &c. Rursùs Ecclesia se impetrantem, adjungit Sacramentalibus, non adjungit imaginibus, licèt non omnes impetrationes vel potius deprecationes Ecclesiæ, semper effectum sortiantur.

Neque valet si dicas, quod Aug. in Ench. in-

depen-

dependenter ab excitatione motus pii, tribuat orationi Dominicæ venialium remissionem, non inquam valet; nam si Oratio est, & fiat ut debet, hoc ipso dicit annexionem motûs pii.

Addo hic ex Mæratio & Perez, quòd Tinctus, Orans, supponendo scilicet pro Oratione, in Ecclesia, & Edens, sint rigorosè Sacramentalia, quia hæc sola sunt quid permanens, Ecclesiæ orationibus præsanctificatum, & ab illa institutum; alia verò per modum objecti ut imagines, exhortationes, conciones, vel per modum suffragii, ut orationes aliorum, vel ex connexione ad aliquid institutum à Christo Domino, ut auditio Missæ. Oratio autem Dominica, Confessio Generalis &c. ex natura rei, sunt apta media, ad illos motus. Benedictio item Episcopi per illos, cum non habeat vim ex Ecclesiæ precibus, sed ex precibus ipsius Episcopi, non est quid Sacramentale rigorosè. Alii autem liberaliùs censent esse infinita propè Sacramentalia, accipiendo hoc nomen, pro quibuscunque conducentibus ad motum contrà venialia.

Quod attinet ad remissionem venialium post hanc vitam.

Status quæstionis in hoc est: Fieri potest ut aliquis extemplò vel occidatur vel moriatur, & non doleat de venialibus. Item procedere potest difficultas de martyre, vel de baptizato immediatè pòst moriente, & tamen posset fieri ut uterque affectum habeat ad veniale, imò quis dicat, casum hunc Metaphysicum & nunquam in praxim deductum; cum hoc veniali, non potest videre Deum, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum; qui ergo eo casu remittetur veniale? & quidem non procedit difficultas de sola condonatione ponibili à Deo, quâ Deus remittat veniale, sed procedit difficultas de remissione, vi cujus ipse venialiter peccans, avertatur ab illo veniali.

Explicat I. Hanc difficultatem Dicastillo. Ad providentiam Dei pertinere, ne unquam talis casus permittatur, ad eum modum quo pertinet ad eandem non permittere, ut aliquis adultus cum solo originali & veniali, decedat ex hoc mundo eò quod non determinârit Deus locum & modum puniendi talem: non enim iret in infernum; quia hic locus est actuale mortale habentium; non ad Lymbum: quia non est locus ille pro habente culpam, idque multò magis procedit de Martyre, qui secundùm sensum DD. immediatè post vitam videt Deum, quem qui coinquinatus videre potest, ne ergo hoc absurdum sequatur, pertinet ad providentiam Divinam, non permittere casum prædictum. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit, quia certè non debet reputari casus Metaphysicus, ut aliquis vir probus subitò apoplexiâ tangatur & non retractet venialia. Deinde. Ponamus hunc casum esse Metaphysicum, adhuc ejus resolutio inquiri potest, qualiter scilicet stantibus principiis fidei & phrasi Conciliorum, remitti possint venialia, de quibus hic agitur.

Explicat II. Idem. Quòd in primo instanti beatitudinis elevatur peccatum, modis remissioni competentibus. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia in primo instanti verum est dicere est beatus, alias & esset primum instans beatitudinis & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia de illo non esset verum dicere: Est beatus & videns Deum. Quodsi verum est in illo instanti dicere: Est beatus, ergo non erit verum dicere: Non est emundatus à culpa veniali; quod ipsum Probatur. Quia si de beato verum esset dicere: Non est emundatus à culpa veniali: verum esset dicere: Aliquid coinquinatum intrat in regnum cœlorum, quod est falsum.

Deinde illi dolori retractativo, qui fieri deberet in primo instanti beatitudinis, vel prælucebit fides, vel visio, vel alius actus supernaturalis cognitionis. Non fides, quia hanc pro nullo instanti secum compatitur visio, non visio, quia hæc non est coinquinatorum. Et certè videret illa visio se esse, & simul peccatum esse, ergo posset non esse principium doloris, sed permittere sui coexistentiam peccato veniali, dicereque stetimus primo instanti simul, poterimus stare & reliquis. Quodsi illi dolori dicas prælucere debere non fidem non visionem, sed aliam cognitionem supernaturalem. Contra erit; quia ordinariè Auth. non agnoscunt, quod cognitio quæ non est fides vel visio possit esse principium actuum supernaturalium, sed quidquid sit de hac doctrina, saltim esset novum, conjungere visioni actum doloris.

Explicatur III. communiter. Quòd remissio illa fiat in instanti separationis. Ita Suarez, Vasquez, Valeria, Coninck, Dicastillo, Perez & Oviedo de Just. Cont. 8. n. 56. Hoc instans separationis, aliqui clarè dicunt, esse instans, quo jam anima supponitur esse separata, & hoc modo loquuntur Dic. Per. Alii autem illud instans separationis non exprimunt quale sit & ita Lugo cit. D. n. 35. non appellat illud instans post separationem nec post exitum à corpore, sed in ipso exitu. Suarez etiam D. 11. S. 4. n. 10. non dicit id fieri post instans separationis animæ, sed in primo instanti separationis. Ille prior modus loquendi qui scilicet dicit remitti peccata jam separatâ animâ.

Non Satisfacit. Quia non satis se accommodat sensui communi, qui fundatus est in Scriptura, censetque quod post mortem homo sit in termino, & cadat jam nonnisi in unam partem, ut arbor succisa. Deinde urgeri potest difficultas, quam urget Dic. si post instans separationis elicitur actus retractationis: ergo vel martyr, vel immediatè baptizatus, si forte habeant affectum ad venialia, decedantque nonnisi

nonnisi post illud instans separationis auferatur ab illis veniale, non videbunt immediatè post separationem Deum; & tamen hoc est contra sensum communem, & præsumptionem fidelium, & contra Trid. quod in baptizato dicit nihil remanere, quod illum ab ingressu cœli removeat.

Respondebis. Trid. ex sensu communi procedere & ex præsumptione quod talis nullum habeat veniale. Rursùs expressè dicit S. Paulus statutum est omnibus hominibus semel mori & post hoc judicium, en instans interpolans visionem, quod non negaret Tridentinum. *Contra est.* Sicut licitum est tibi dicere; quod Ecclesia præsumat nulla illum habere venialia, ita etiam dicam Ecclesiam præsumere, nullo veniali illum pro illo instanti ligari adeòque quærendum esse tempus aliud, quo remittantur. Deinde quando dicit S. Paulus; Statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium. Ly post hoc, non significat aliquid succedens ipsi Termino à Quo, sed tanquam quid complens terminum à quo, adeòque non admittit instans, interpolans terminum ad Quem, & Terminum à Quo, quam interpolatione dicta doctrina, si ut sonat accipiatur, admittit.

Ut difficultati satisfiat. Dici poterit, postquam jam sunt turbata phantasmata, ante quorum turbationem intelligitur habere affectum aliquis ad veniale, in ipso instanti separationis, in quo intelligibilitate verum sit dicere: separatur anima & nondum intelligitur separata esse, datur efficax gratia retractandi venialis, Deusque alligat suam condonationem; si quæ sit necessaria, & hoc casu, dicetur peccatum remitti in altera vita moraliter, quia exitus ex hac vita, moraliter spectat ad aliam vitam & non præsentem; consequenter talem, si v. g. sit martyr vel baptizatus, nihil post hanc vitam ab ingressu cœli moratur, quia immediatè post hoc instans separationis, incipit physicè alia vita & visio Dei. Et hæc responsio coincidit cum illis qui non exprimunt, quod post instans separationis vel animâ jam separatâ, remittatur veniale. Qui autem vellet defendere responsionem Dicast. diceret quod in primo instanti visionis, sit primum non esse peccati & desitio, cui in instanti immediatè antecedente, poterit prælucere fides, jamque tunc simul erunt non quidem visio & peccatum, sed visio & desitio peccati: non dicit autem Scriptura, quòd id quod desinit esse coinquinatum, non intret in regnum cœlorum.

Quod si nolis concedere, animam operari in corpore humano modo, perturbatis phantasmatibus, pones similem gratiam efficacem ante ipsum instans perturbationis phantasmatum, dicesque eo casu, in altera vita moraliter peccata remitti; nam morituri, dicuntur moraliter esse jam homines alterius vitæ.

QUÆSTIO II.

De Termino remissionis seu de eo quod remittitur.

In hac quæstione explicabimus. Quid sit illud quod remittitur, attenderturque tam ad remissionem habitualis, quam ad remissionem actualis peccati; & quidem quod attinet ad remissionem habitualis peccati, in hoc est punctum Difficultatis. Transacto peccato si non justificetur homo, docet nos fides manere peccatum habituale; restat quærere: Quid est hoc peccatum illud habituale quod manere dicitur? non enim illud est sola præteritio peccati, quia hæc manet etiam justificato homine, semper enim vera est hæc propositio: Peccatum fuit. Adferendum ergo est; Quid sit illud peccatum habituale? Plures explicationes numerat & rejicit Oviedo De vitiis & peccatis, Cont. 8. totâ, Ariaga ibidem D. 49. Lugo D. 7. Dicastillo D. 1. Dub. 9.

DIFFICULTAS I.

Quid sit peccatum Habituale apud alios?

Explicat I. Esparza q. 5. de Just. cum Bell. Valen. Tol. & aliis quod peccatum habituale, non aliud sit quàm actuale præteritum, & præsens gratiæ privatio; ita ut tota malitia peccati habitualis, non aliud sit, secundùm quod imputari potest peccatori, quàm ipsa malitia peccati actualis, habitualitas verò seu habitualis ac virtualis permanentia ejusdem malitiæ, sit privatio gratiæ, inducta per peccatum actuale, & conservata per vim demeritoriam ejusdem, multaque adfert præcipuè Esparza in explicationem hujus sententiæ, quæ longum esset transcribere, legatur ipse.

Impugnat I. Hanc sententiam cit. Oviedon. 8. tum quia commisso secundo mortali permanet novum habituale, & non datur nova privatio gratiæ; tum quia omnis privatio gratiæ est ejusdem speciei, peccata autem habitualia, sunt specie distincta. Nec sufficit esse à principiis specie distinctis, quia principia non distinguunt privationes ejusdem habitûs; tum quia in omnibus peccatoribus, est æqualis privatio gratiæ, & tamen peccata habitualia, non sunt æqualia.

Responderi potest; commisso novo peccato dari novam privationem gratiæ, hoc est, novo titulo deperditam, & sicut obligatio satisfactionis quæ in principiis Ovied. formalizat habituale, potest haberi novo titulo, sic etiam in præsenti. Et licèt privatio gratiæ sit ejusdem speciei, nihilominus tituli illam perdendi, fundare possunt distinctionem specifi-

cam, adeoque tribuere specificationem peccatis. Et sicut id quod generatur, potest esse idem cum illo, quod educitur à solo DEO, ratione quorum titulorum, differt à seipso, sic & differet illa privatio ratione titulorum. Et licèt principia effectiva, non possint distinguere privationes, nam eadem erit privatio luminis sive Angelus extinguat candelam sive ventus, principia tamen si simul sunt ingredientia aliquod totum, possent illud distinguere, actus autem & tituli perdendæ gratiæ diversi specie, ingrediuntur habituale, consequenter nec erit æquale in singulis peccatum habituale, ratione non æqualium titulorum.

Impugnat II. Card. Lugo. Quia hæc privatio gratiæ, esset peccatum habituale non utcunque sumpta, sed ut orta ex peccato actuali, hoc autem dici non potest, quia alias habituale non staret tantùm in aliquo præsenti, hoc est privatione gratiæ, sed etiam in præterito, hoc est actione præterita. Quodsi illud præsens hoc est, privatio gratiæ ut sit peccatum formaliter, habet ab aliquo extrinseco, hoc est actu præterito, etiam secluså privatione gratiæ, posset nunc homo esse peccator ab actu præterito.

Responderi posset quod quando duo ad aliquid requiruntur, etiamsi unum ab altero in aliqua denominatione pendeat, si sit illud connotativum, haberi non poterit nec salvari in uno extremo, quia etiam ratio cœnæ sumitur à vespertino tempore, numquidnè jam solus vesper, potest esse cœna? ita etiam quamvis privatio gratiæ ut constituat peccatum habituale dependeat ab actu præterito, non sequetur ipsum actum præteritum, se solo formalizare posse peccatum habituale. Cujus etiam ratio potest dari ex Esparza; quia sola actio præterita quà talis, non habet permanentiam, quàm tamen infert peccatum habituale, ut ergo distinguatur habituale à merè præterito, non stabit sola præteritione actûs.

Impugnant & aliis mediis eandem explicationem Lugo, *sed non convincunt*, quia vel supponunt in sola privatione gratiæ stare peccatum habituale, excludendo actum, vel rigorosè insistunt huic termino, privatio; cùm tamen sive ex peccato sequeretur privatio, sive negatio gratiæ, benè formalizare poterit utrumque rationem peccati habitualis.

Impugnari solet III. communiter. Quia scilicet peccatum habituale in pura natura non stat in privatione gratiæ. Resp. potest, vel qualitatem illam naturalem quam aliqui admittunt, tolli, vel dici posset, nomine privationis latiori modo accipi posse, quodcunque non esse gratiæ, causabile ab actione mala, expelleret autem peccatum gratiam, si pro illo statu positum, fuisset. *Nihilominus hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia ut legenti patebit non videtur distinctè loqui an in sola privatione & an etiam in actu præterito stet peccatum. Rursùs ut legenti patebit discursus illius ostendunt benè, quid non sit peccatum habituale, ut cum ostendit effectus positivos, privationes extrinsecas, aut etiam aliquas intrinsecas; non tamen explicat quid sit ipsum peccatum habituale, & ut ad multa quæ adfert responderi possit, inter cætera id præ oculis habendum, quòd quamvis omne peccatum morale contemnat bonitatem Dei, ut est in se realiter loquendo, potest tamen contemnere directè veritatem Dei prout est in se, peccato videlicet infidelitatis. Et licèt omnia expellant charitatem, non omnia tamen sunt nonnisi contra præceptum & obligationem Charitatis; cur ergo potius illud peccatum, quod v. g. infidelitate stat, contemnit; veritatem Dei prout est in se, non censebitur habitualiter manere potius in contemptu veritatis, quàm in privatione gratiæ.

Non Satisfacit II. Quia prius est ratione nostrâ peccatum habituale quàm privatio gratiæ; ergo privatio gratiæ, non est de formali constitutivo peccati habitualis. Ant. Prob. Prius est ratione nostrâ peccatum actuale, quam sit privatio gratiæ actualis, ergo etiam prius est ratione nostra peccatum habituale, quàm habitualis privatio gratiæ. Et certè sicut pro ratione reddi potest cur actu privetur peccator gratiâ, quia actu est peccatum, ita pro ratione cur habitualiter privatus sit gratia, reddi poterit, quia est habituale peccatum.

Neque valet si dicas quod privatio gratiæ sit effectus actualis, non autem habitualis peccati, nam imprimis redit paritas. Rursùs privatio gratiæ pro primo instanti, non est diversa à privatione pro sequenti tempore; ergo si pro illo priori est pœna actualis, etiam pro sequenti, erit pœna; quia habituale peccatum non est pœna actualis, sed ipsum actuale nonnisi habitualiter durans.

Quando autem ad 4. dicit Esparza quòd Privatio gratiæ, in quantùm est à DEO puniente, non sit habituale peccatum, sed quantum est ab homine illam inducente demeritoriè; quando inquam hoc dicit non convincit, quia de hoc ipso quæritur; Cur ita sumpta privatio non sit effectus. Rursùs peccatum actuale supponitur prius esse demeritivum, & postea subsequi privatio gratiæ; ergo & habituale prius habitualiter erit demeritivum, quàm privatio gratiæ.

Non Satisfacit III. Quia in superioribus ostensum est, posse secum stare peccatum habituale & gratiam; ergo habituale non est privatio gratiæ, quia privationem gratiæ, cum esse gratiæ impossibile est stare.

Confirmatur quia veniale habituale non stat in privatione gratiæ; ergo neq; mortale; quia utrûq; convenit in ratione habitualis; & differunt in ratione talis habitualis; quæritur autem quodnam sit illud genus; unde concedo quod veniale non inducat

inducat maculam animæ, sed tantùm maculam obscurativam pulchritudinis, restabit tamen quærere: quid commune, pro genere dicat habitualitas utriusque.

Explicat II. Lugo cit. à n. 44. cum aliis, qui eum sequuntur, post alios Ovied. cit. p. 4. & pro explicatione supponit aliqua, sed vis tota in hoc est.

Dicit quod peccatum habituale, non aliud sit, quam peccatum actuale moraliter serverans in ordine ad reddendum DEUM rationabiliter aversum ab homine. Fundamentum autem hujus perseverantiæ moralis est. Peccasse hominem, nec satisfeciisse condignè, nec DEUM offensam condonasse; jam autem omnis offensa tollitur aut condonatione aut satisfactione. Addit etiam cùm peccatum habituale dicat tria. Actionem præteritam, negationem satisfactionis, negationemque condonationis, nihilominus quamvis peccatum habituale displiceat Deo, non displicet ratione omnium quæ includit, nam negatio condonationis, quæ est in manu ipsius Dei, non displicet DEO. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia peccatum actuale & habituale non distinguuntur in ratione peccati, sed nonnisi in formalitatibus habitualitatis & actualitatis; habet enim se ita, sicut ens productum & conservatum, quæ non in ratione entis, sed in ratione primò producti & conservati, differunt; quodsi peccatum habituale & actuale sunt idem; ergo & ea quæ respectu actualis peccati habent rationem posterioris pro instanti illo, quo illud est, etiam respectu habitualis, habent rationem posterioris; quia jam etiam in aliis formalitatibus differrent, & non tantùm in formalitatibus actualitatis & habitualitatis. Et certè pone quòd v. g. decretum puniendi inferno, sit quid posterius peccato actuali, quomodo decretum puniendi pro habituali, non erit posterius habituali; sed negatio condonationis, negatio satisfactionis, est quid posterius actuali peccato; quod ipsum Prob. quia supponitur intelligibilitate, quod condonari & pro quo satisfieri debeat. Ergo etiam negatio condonationis & negatio satisfactionis, erunt formalitates posteriores peccato habituali.

DIFFICULTAS II.

Quid sit peccatum habituale in nostra sententia?

Præmitto I. *Ly habituale dupliciter accipi posse.* I. Pro facilitativo, derivando habituale ab habitu acquisito vel frequentatis actibus, vel uno intenso. 2. Accipi potest pro præterito, adhuc, suo modo permanente, adeoque quod habitum, adhuc est, quasi haberetur, & in hoc sensu accipitur hîc Habituale peccatum.

Præmitto II. *Impossibile esse concipere peccatum habituale hujus secundæ considerationis, sine actione transacta.*

Ratio est, quia si conciperetur in ratione habituali, & tamen non conciperetur actio transacta, & esset peccatum habituale, & non esset, esset quidem ut supponitur, non esset autem, quia non esset habitum, à quo habito, dicitur habituale, quod ulterius sic explanatur. Peccatum habituale, non importat id quod factum est ut dicis, rursùs cum peccatum habituale incipit habere denominationem habitualis, tunc nihil fit de novo; ergo simpliciter non erit habituale, non enim erit unde dicatur, habere rationem habitualis.

Præm. III. *Peccatum habituale dicens actionem transactam, non potest in illa sola sistere.* Ratio, quia de habituali abolito potest dici: Jam non est habituale peccatum, jam verò de præterito non potest dici: Præteritum jam modo non est præteritum, Ergo apparet quòd habituale, non stet solâ præteritione peccati, quamvis eam supponat; sed insuper peccatum habituale, præter illud quod præterit, dicit æquivalentiam quandam, moraliter, ad non præteriisse, consequenter conservationem quandam, in statu quodam præsentis. *Hoc ut explicetur*

Præm. IV. *Conservationem primo; & per se convenire nonnisi præsentibus.* Tum quia conservatum esse, est ipsummet illud primo esse, cum certis connotatis; & quia primo esse in actu, convenit primò per se, nonnisi præsentibus, sit ut etiam conservari primò & per se, nonnisi præsentibus conveniat. Tum quia conservationi tam passivæ quam activæ, adnexa est sequela durationis, duratio autem primo & per se, est præsentium Tum quia præterita dicuntur primo & per se conservata, non verò dicuntur primo & per se conservari; si enim non dicerentur conservata sed conservari, hoc ipso essent jam non præterita sed præsentia, per hoc enim solum condistingui inter se possunt, quia scilicet præteritum conservabatur, præsens conservatur.

Præm. V. *Quamvis conservari primo & per se competat nonnisi præsenti, nihilominus etiam respectu & præteriti & futuri potest dari conservatio*; seu præsentia accommodatè, proportionaliter, & saltem secundùm diminutam similitudinem; & sicut præsens potest supponere pro seipso, potest etiam supponere pro præsenti in futuro, sic enim dicuntur futura cognosci in sua præsentialitate ad æternitatem ponenda; ita etiam præteritum, dicitur esse quodam modo præsens, potestque accipi præsens pro præterito, revolvendo v. g. mentem ad illud quod transiit, & pro illa differentia, cum nondum intelligebatur transiisse, sed transiturum

fuisse, erat præsens; & tunc considerabitur, sic ut præsens, præteritum, in præsentialitate illa quam habuit. Quodsi præsens potest accommodari ad præteritum, & futurum, potest etiam benè accommodari Ly conservari ad præsens & ad præteritum.

PRÆMITTO VI. *Conservatio, quæ possit haberi pro præterito, est Conservatio, vi cujus id quod præteriit, ita se habet, acsi non præteriisset, ita ut illius esse præteritum, in ordine ad aliqua, æquivaleat præsentiæ.* Præmissum hoc aliunde commodius non probatur, quàm inductione in omnibus, quæ dicuntur permanere habitualiter ut obligatio Matrimonialis, obligatio voti, offensa non reconciliata humana, & cætera similia, quæ ita sunt inducta, & ita obligant, acsi modo inducerentur, & inciperent obligare actu. Illustrari idem potest instantiâ deductâ, ex tertia parte, ubi dicitur Justificatos aliquos Patres, visi futurorum meritorum Christi Domini, dicimusque illa merita futura, operata fuisse, acsi fuissent præsentia, Deo scilicet acceptante illa merita, ad effectum anticipatè ponendum, noscens prævisa merita, certò sibi ponenda fuisse à Christo Domino; illis videlicet meritis futuris, ita operantibus, acsi essent præsentia. Hæc Instantia ad præsens ita applicatur, quod scilicet præteritum, possit ita se habere, acsi esset præsens.

PRÆMITTO VII. *Præteritum, non potest ita se habere, acsi non præteriisset, acsi præsens esset &c. præcisè ratione suæ entitatis.* Nam contradictorium est, præteritum non præteriisse, & quod præteritum est, ex præteritione habere, quasi non præterierit, & quod quia præteriit, est de facto ac illud quod præteriit, hoc esse, ac est illud quod non præteriit, sed id debet habere, nonnisi ratione alicujus sui, nam omnis denominatio, aut formalitas, debet competere rei, aut ratione illius ipsius, aut ratione alicujus, ad illam spectantis. Si ergo præterito habere se, acsi non transiisset, non convenit ratione illius ipsius, convenire illi debet, ratione alicujus sui. Porrò quod entibus convenit ratione alicujus sui, supponit vel pro causa, vel pro effectu, vel pro aliquo illi adnexo. Nam hi tantùm sunt tres modi, ratione quorum aliquid est alicujus. Quodsi illis tribus modis aliquid evadit alicujus, etiam peccatum præteritum manens, acsi esset præsens, ratione alicujus sui, debebit manere præsens, vel ratione causæ, vel ratione effectus, vel ratione alicujus adnexi, scilicet ex aliquo horum trium titulorum derivata in se permanentia, & illo prædicato, quasi non præteriti.

PRÆMITTO VIII. *Comparando inter se tres illos modos, peccatum non potest dici esse præsens, & manere ratione alicujus adjuncti.* Quia, quodcunque adjunctum cogitabitur, vel erit impertinens, vel æquè detrusum ad rationem præteriti, ac ipsum præteritum; potest tamen dici præsens, vel ratione Causæ, vel ratione effectus; effectus peccati est privatio gratiæ, meritum pœnæ æternæ, meritum denegationis efficacium auxiliorum, &c. similia. Et hæc non possunt esse talia, quæ assumi possint ad explicandam rationem peccati habitualis. Et ratio est, quia hæc explicatio debet tradi per conceptum definitivum, aut ad illum maximè accedentem, conceptus autem definitivi, debent tradi per prima, effectis autem non competit ratio primorum, videturque quòd sicut ad actionem peccaminosam consequitur privatio gratiæ, ita quòd ad habituale peccatum, jam in suo esse constitutum, consequatur habitualis privatio gratiæ.

PRÆMITTO IX. *Causas ratione quarum peccatum præteritum potest conservari, quasi non præteriisset,* duplicis esse principii, nempe Creati, & Increati. Ratio est. Quia ut supra explicui, Offensa præter actionem offensivam, profectam à Persona offendente, importat etiam personam offensivâ, habentem jus, ut ob illam actionem indignetur, quod jus si actu exerceat, erit actualis offensa; si autem posset exercere, & non exercet, erit nonnisi offensa in potentia; sicut ergo offensa duas illas personas dicit, ita & conservatio offensæ, duo illa principia importabit.

PRÆMITTO X. *Quid ex parte Creaturæ, sit causa conservativa peccati præteriti, & redditiva, ut peccatum quod præteriit, sit moraliter præsens, adeòque quasi non præteriisset, quid item sit, similis Causa conservationis ejusdem, ex parte Dei.* Ex parte creaturæ, est voluntas mala, moraliter, avertens à Creatore, & convertens ad creaturam, quæ moraliter durans aversio, stat in morali disordinatione voluntatis, contracta ex peccato præterito, ad quam sequitur negatio retractationis, & sicut voluntas mala erat causa peccati, ita etiam est causa conservativa ejusdem.

Ex parte autem Dei conservativa causa illius præteritionis, & redditiva, ut peccatum quod præteriit, sit, quasi non præterierit, est moralis fundatio Juris, quod Deus habet ad indignari ob peccatum, cui morali fundationi, innititur ipsa offensa, quâ posità, exit quodam modo ex dispositione offendentis illa actio, & transit in dispositionem offensi, cui fundationi Juris, adnectit Deus negationem condonationis, quam condonationem si poneret, fundationem illius Juris cassaret, seque possessione illius exueret. Porrò, hæ causæ tunc censentur, non jam conservare peccatum, quando voluntas quæ est causa aversionis, incipit se convertere, sicut oportet ad DEUM, & quando fundatio juris Divini ad indignari, non continuatur, DEO subnectente suam condonationem.

PRÆMIT-

PRÆMITTO XI. *Conservationem esse, quasi actionem condistinctam, cui debet respondere conservatum*, ut quidam effectus, ut notum est ex natura conservationis, hinc etiam in præsenti imaginandum est, causis illis duabus conservativis peccati habitualis, respondere ipsum peccatum permanens, seu habens se cum præterierit, ac si non præteriisset.

PRÆMITTO XII. *In peccato habituali, quid rationem prioris, quid rationem posterioris habeat.* In peccato habituali rationem primi, habet ipsa moralis permanentia actionis præteritæ, conservata à voluntate, dicit enim ipsam actionem peccaminosam, moraliter durantem; sicut ergo in peccato actuali, rationem primi habet ipsa actio peccaminosa, ita in habituali, primi rationem, habebit permanentia moralis ejusdem. Rationem posterioris habet fundatio Juris Divini ad offendi, quæ posterior quidem est actione peccaminosâ, quia non ideo aliquid est malum primo, quia DEUS illo offenditur, sed ideo offenditur, quia est malum. Nihilominùs, quamvis hæc fundatio juris, sit, quid posterius actione malâ, non tamen advenit realiter, post completam rationem omnium formalitatum, ad peccatum requisitarum; nam etiam in peccato esse offensam Dei, pertinet ad completum esse peccati, quâ fundatione posita, intelligitur primùm DEUS, manu capiens illam fundationem, exireque in actum offensæ. Ut intelligatur & ista fundatio juris, & fundata supra illam offensam imaginari debemus, offensas creatas, in quibus prima est actio mala. Secunda, fundatio Juris ad irasci, Tertia, possessio illius fundationis facta ab offenso, quâ possessione interveniente, (nisi ponatur satisfactio) exit offensa ex dispositione offendentis, sed subest arbitrio offensi. Ubi ulterius colligi potest. Negationem præcisè condonationis, esse quid posterius, & adjunctum inoffensis. *His præmissis*

EXPLICATUR jam peccatum habituale. Peccatum habituale necessariò dicit Actionem præteritam ut dixi Præmit. 1. & Præmit. 2. sed non ita illam dicit, ut eâ solâ formalisetur, ut dixi Præmit. 3. hinc insuper requirit conservationem quandam præteriti, vi cujus se habeat, ac si non præteriisset, ut dixi Præmit. 4. 5. & 6. quæ conservatio præteriti, non potest esse præcisè ratione formalitatis præteriti, ut dixi Præmit. 7. sed debet esse ratione alicujus, ob quod tanquam aliquid sui, dicatur conservari peccatum, hoc autem non potest esse aliquod adjunctum peccati, nec aliquis illius effectus, sed nonnisi Causæ illius conservativæ ut dixi Præmit. 7. & 8. Causæ autem hæ conservativæ, non possunt esse tantùm ex parte offendentis, sed debent esse etiam ratione offensi DEI, ut dixi Præmit. 9. Porrò, hæ Causæ conservativæ sunt, voluntas disordinata, & fundatio juris ad irasci Divinum, moraliter permanens, à Deoque quodam modo possessum ut explicui reliquis præmissis, quibus Causis sublatis, jam non erit, ratione cujus dicatur conservari peccatum, adeòque esse præteritum, ac si non præteriisset, sed destituetur suâ præsentiâ, merèque transibit in conditionem ejus tantum, quod præteriit, quod tunc fit, quando voluntas ex conversa ad creaturam, fit debitè conversa ad Creatorem, & quando Moralis fundatio juris ad offendi, cassatur.

Definitivè itaque peccatum habituale: Est actio peccaminosa præterita, habens rationem præsentis, adeòque ejus, quod quasi non præterierit; seu. Est actio præterita manens per modum præsentis, ratione principiorum suæ conservationis.

PROBATUR I. Bonitas explicationis, quia convenit omni soli & semper peccato habituali, procedítque per prima, & quidem quod conveniat & mortali, & veniali peccato, facilè deduci potest, quòd autem conveniat Originali, non operosè deducitur, quia non aliud est, nisi peccatum commissum in capite, habens permanentiam suam moralem, seu ita se habens, ad hoc v. g. individuum subjectum, quasi non præteriisset,

PROBATUR II. Quia etiam offensa humana habitualis stat in similibus, quæ dicta sunt de peccato habituali contra DEUM commisso.

PROBATUR III. Communi apprehensione & phrasibus, quibus solet explicari peccatum habituale; nam dicitur habitualis peccator jacere in peccato, obdurui esse in malo &c. dicitur Deo non reconciliatus, esse is, cui DEUS irascitur, quæ omnia non plus, nec aliud important, quàm quæ nos diximus.

Ex dictis colligi potest. Per nos non definiri peccatum habituale assumendo in definitionem formalitatem peccati non retractati; tum quia verè & rigorosè datur habitualitas peccati Originalis, & tamen verè & rigorosè, non potest retractari; tum quia hæc formalitas negativa, consequenter fundari debet, in aliquo positivo, priori se, præcipuè verò, quia ipsum peccatum habituale, in ratione habitualis, concipimus quasi aliquid positivum; tum quia si attendatur ad conceptus nostros, prioritatesque in illis inclusas, prius apparebit peccatum habituale conservari, & posterius dicere negationem retractationis, quamvis ad negationem retractationis, quamvis ad negationem retractationis in explicatione, recurratur, tanquam ad aliquid usitatius inter discurrentes; non etiam assumimus in definitione peccati habitualis formalita-

tem, quæ est carentia Justitiæ, quia hæc est quid realiter consequens ad peccatum. Denique non definimus peccatum habituale, per negationem condonationis Divinæ, quia hæc est nonnisi adjunctum peccati.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Hanc nostram explicationem omnino esse eandem cum explicationibus quæ traduntur per negationes retractationis, satisfactionis, condonationis.

Responsum jam est, non esse eandem, & assignatæ rationes, cur prædictæ negationes, in definitione habitualis poni non debeant. Rursùs aliorum explicationes nihil agunt de eo, ratione cujus dicatur conservari peccatum, recurrunt item ad moralitates, & judicium prudentum, ad quæ non recurrit nostra.

Objic. II. Non satis explicari, qui secundùm principia adlata, DEUS non sit author saltem habitualis peccati, cùm dicamus illum esse causam conservationis peccati.

Respondetur. Hanc difficultatem, in quacunque sententia, non tantùm in nostra solvi debere, nam si negatione condonationis stat habituale, cum negatio hæc à Deo ponatur, constituatque habituale peccatum, cur non dicetur Deus, auctor habitualis peccati? Rursùs etiam peccatum actuale, non haberet rationem offensæ, nisi DEUS haberet jus ad non offendi, & tamen ex hoc non rectè infertur; Deum esse auctorem peccati, Ergo neque ex dictis rectè inferetur, Deum esse auctorem peccati. Quod si dicas DEUM concurrere tanquam causam universalem, & ad exigentiam causarum secundarum, id etiam in præsenti dici poterit, quia Deus ad exigentiam offensæ infinitæ, à creatura positæ, incipit irasci, nec iram tenetur deponere, cùm nulla Causa secunda depositionem illius urgeat, retentionem autem deposcit, ratio infinitæ offensæ.

Directè ad hanc difficultatem responderi posset, ex Lugo, quòd scilicet Deus, non dicatur simpliciter, & absolutè velle, & causare, ea, quæ solùm vult voluntate consequenti, & ex suppositione alicujus antecedentis, & ita non dicitur, Deus velle absolutè condemnationem hominis, quia illam vult nonnisi ex suppositione peccati.

Est & alia via satisfaciendi directè eidem objectioni. Causare aliquid, dupliciter accipi potest, imprimis influendo in effectum & determinando ut existat determinatione, quæ sit orta, tanquàm à Causa particulari, & hoc causare est rigorosum, & absolutum. Secundo Causare, potest accipi laxo modo impropriè, & per accommodationem, ut accipitur, quando aliquid aliud circumstantionat, terminat, & dat illi speciem extrinsecam. Uterque hic modus concurrendi exprimitur in hoc exemplo. Si detrahat Petrus Paulo, Causa detractionis particularis influens in detractionem, & eandem determinans ad existendum, est voluntas Petri; jam autem quod detractio fiat Paulo, & quod offendatur illâ, est ipsum jus Pauli, terminantis illam detractionem, circumstantionantis cum jure quod habet, ne illi detrahatur denique specificativi extrinseci; quod enim illa detractio, habeat speciem detractionis factæ non Andreæ sed Paulo, Paulus ipse facit, & eo casu solus Petrus dicitur esse auctor detractionis, Paulus autem cum Jure suo dicitur, illam nonnisi circumstantionare, & terminare, & esse principium, cur offensa maneat in ratione offensæ. Cum itaque actionem peccaminosam, & ejus habitualitatem per se causet voluntas mala peccatoris, & Deus habeat se, nonnisi per modum circumstantionantis, fit ut solus peccator dicatur esse auctor habitualis illius malitiæ, Deus autem illam nonnisi circumstantionare, & specificare.

Dici etiam posset, distinguenda hæc duo esse. Est causa actionis, quæ est offensa, & Est causa denominationis offensæ, in ratione formali offensæ; item aliud est, Esse causam & principium conservandæ actionis, quæ est offensa, & esse principium & Causam conservandæ denominationis offensæ, in ratione offensæ, priusillud competit creaturæ, infertque quòd creatura sit auctor peccati, posterius illud competit Deo, sed non apparet ut jam explicui instantia adlata de offensa Pauli facta à Petro, non apparet inquam, qui inferas Deum esse auctorem peccati.

Habet etiam locum hic communis Phrasis, illum, qui se merè, nonnisi negativè, idque adhuc titulo Causæ primæ habet, non esse causam peccati, sed solum eum, qui se habet positivè, vel est Causa particularis. Deus autem non condonando, habet se negativè ad peccatum, peccator autem positivè ratione actionis peccaminosæ quam posuit.

Objic. III. Explicationem datam non attendere ad significationem vocis Habituale, nam dicitur v. g. Habitualis intentio, non valere ad consecrationem, quæ ipsa habitualitas explicatur per intentionem, non retractatam; ex nostra autem explicatione sequeretur habitualem Intentionem valere ad consecrationem, quis enim diceret illam intentionem non valere? quæ cum præterierit, habet se ita, ac si non præteriisset.

Respondetur. Vox habituale interdum usurpari, nonnisi pro non retractato, & hanc usurpationem ad explicandum habituale non assumpsimus, sed etiam interdum habituale accipitur pro eo, quod cum præterierit, habet

habet se acsi non præteriisset, & ita appellatur aliquis lector habitualis, quia scilicet legebat, & quamvis pro nunc non legat, in ordine ad æstimationem, &c. ita se habet, acsi nunc legeret. Non est autem mirum eandem vocem diversè aptari, si enim, quæ æquivocè conveniunt, possunt ex placito humano, idem nomen habere poterit etiam diversi modè accipi habitualitas.

Objicit IV. Ex Lugo. Quia illæ Causæ conservativæ peccati habitualis, vel ingrediuntur tanquam connotata rationem peccati habitualis, vel tanquam partes; si tanquam partes, recedimus à Sententia connotatorum, si autem tanquam connotata. Contra erit; tum quia non est ratio, cur potius ingrediantur rationem habitualis tanquam connotata, & non tanquam partes; tum quia peccatum habituale est totum illud, quod homines concipiunt ex parte objecti, cum concipiunt peccatum habituale. Jam autem ex parte objecti, dum concipitur habituale peccatum, concipiuntur etiam Causæ illius conservativæ. Tum quia si disordinatio voluntatis ingreditur rationem peccati habitualis, illâ sublatâ deberet tolli habituale.

Respondetur. Quantumvis Causas conservativas diceremus esse partes habitualis habito fundamento, nõ per hoc recederetur à Sententia connotatorum, quæ tunc tenenda est, cum ratio urget, quæ si non urgeat, non tenere connotata, est potius consequenter inferre, quâ recedere à Sententia. Cæterùm Causæ conservativæ à peccato habituali importantut ut mera connotata; tum quia Causæ præcipuè verò quodam modo effectivæ, non sunt partes sui effectus, sed prærequisita, causæ autem quasi conservativæ, sunt quasi causæ efficientes. Tum quia in offensa Pauli, jus Pauli, possessio fundationis juris ad irasci, & cætera similia, non sunt pars, sed vel objectum, vel circumstantia offensæ. Sed de his & de regula dignoscendi. Quidnam sit pars alicujus, infra agetur, ubi quæreretur: An peccatum sit pars Pœnitentiæ Sacramenti, & actum in materia de Sacramentis in communi. Tum quia rationes in oppositum non convincunt, nam etiam tempus vespertinum & Creator concipi debent, quando concipitur Cœna & creatura, neque tamen tempus vespertinum, est pars cœnæ, vel creaturę creator, hinc quamvis illæ causæ conservativæ concipi debeant, quando concipitur peccatum habituale, non sequitur ex hoc ipso, causas illas habere rationem partium in peccato habituali. Quare autem sublatâ disordinatione voluntatis, non hoc ipso intelligatur tolli adæquatè peccatum habituale, ex supra dictis colligi potest, ubi diximus, sublatâ disordinatione voluntatis tolli conversionem peccatoris ad creaturam, & aversionem à Deo, sed non poni hoc ipso per necessariam semper sequelam conversionem Dei ad creaturam.

Objic. V. Totâ hâc explicatione positâ, necdum constare, an illa permanentia peccati, sit moralis, an Physica, nec constare quid dicat in recto, quid in obliquo.

Respondetur. Esse illam permanentiam Physico moralem, est enim Physicum id, quod creatura, quæ est conversa ad creaturam non se convertit ad creatorem, est etiam aliquid morale; quia Physicè illa conversio ad creaturam, jam non existit, sed subest æstimationi prudentium, pertinetque ad mores & actiones humanas, censetur quasi non præterierit. Ad aliam autem difficultatis partem, ex dictis colligitur Actionem præteritam, hoc est, aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, &c. non esse connotatum peccati, sed ipsum quod dicit in recto peccatum, hinc etiam in recto eandem habitualitas peccati importabit.

DIFFICULTAS III.

De remissione peccati Actualis.

Titulus, duo involvit; imprimis. An peccatum in instanti, quo fit, vel antequam fiat remitti possit, sed ex prioris resolutione, pendet resolutio posterioris, ut reflexio ostendit. Non posse peccatum in instanti quo fit remitti, docet Suarez lib. 7. de Gratia, cap. 21. num. 5. Dicastillo Disp. 1. num. 310. Perez. D. 9. S. 5. Posse autem remitti affirmat Lugo hic Disp. 7. n. 126. tandemque inclinat Rosmer. Oviedo autem tract. 8. cont. 4. punct. 6. cum distinctione procedit, quod etiam fecit Rip. Disp. ultima S. 29. Procedit autem quæstio, maximè in principiis eorum, qui condonationem Divinam requirunt, tanquam aliquid Speciale ad justificationem, & eâ solâ, censent perfici posse justificationem, sine infusione gratiæ.

Dicendum est cum Suarez, *Probabilius scilicet esse quòd in instanti, in quo fit peccatum, remitti non possit, in eodem & pro eodem instanti.*

Probatur I. Peccatum in instanti quo fit, pro eo instanti remissum & esset remissum & non esset, esset, ut supponitur, non esset autē remissum ut probatur. Peccatū, quod nec est, nec fuit, non potest dici remissum, sed peccatum in instanti, quo fit, pro eo instanti remissum, nec est, nec fuit. Ergo peccatum pro illo instanti, non potest esse remissum. Major probatur communi apprehensione terminorum quid sit peccatum remitti, quomodo enim remitteretur, quod non erat, ut remitteretur, aliàs posset dici S. Petro remissum quod occiderit Judam. Minor probatur, quia peccatum ante illud instans, quo fit, non fuit; supponitur enim primo, pro illo in-

ſtanti fieri, non etiam eſt in illo inſtanti, quo fit, quod ipſum probatur; quia condonatio, pro quo inſtanti eſt, deſtruit peccatum, ſed condonatio eſt pro illo inſtanti, ergo pro illo inſtanti non eſt peccatum. Hæc omnia in hoc Syllogiſmo colliguntur. Pro quo inſtanti peccatum non eſt, pro illo inſtanti implicat peccatum eſſe; ſed pro quo inſtanti perficitur condonatio pro eo inſtanti, peccatum non eſt. Ergo pro illo inſtanti pro quo perficitur condonatio impoſſibile eſt peccatum. Rursùs condonatio peccati, eſt factio, ne ſit peccatum. Ergo condonatio peccati, pro inſtanti v. gr. A, eſt non eſſe peccati, pro inſtanti A. Ergo pro illo inſtanti, non eſt peccatum, quod habet rationem offenſæ. Ergo nec pro illo inſtanti condonatur, quia ſola offenſa condonatur.

Probatur II. Ad probationem commodius formandam, appellemus illud inſtans in quo fit peccatum, quod remittitur, habetque rationem offenſæ quæ remittitur, inſtans A. quo poſito, ſic formatur argumentum. Si in inſtanti A facta fuiſſet converſio ad Deum, & averſio à creatura, pro illo inſtanti A non fuiſſet peccatum, nam illud ſtat averſione à Deo, & converſione ad creaturam. Ergo etiam, ſi pro illo inſtanti ponatur condonatio, pro illo inſtanti non poteſt jam fieri peccatum quod remittatur, habereque rationem offenſæ, quæ condonetur. Conſequentia probatur, quia ſicut ex parte actûs converſio ad Deum eſt deſtructiva averſionis à Deo, ita etiam inevitabiliter tollitur offenſa, ſeu eſt factio, non eſſe offenſæ, condonatio offenſi.

In idem recider, ſi dicas. In eo inſtanti in quo res exiſtit, non poteſt in eodem, non exiſtere, ergo nec peccatum habens rationem offenſæ, in eo inſtanti, in quo habet rationem offenſæ, poteſt pro eodem inſtanti remitti. Probatur Conſequentia. Quia ſicut ſe habet non exiſtentia rei, ad exiſtentiam rei, ita ſe habet condonatio peccati, ad peccatum remiſſum, quod ipſum Probatur, quia ſicut negatio exiſtentiæ, tollit & aufert exiſtentiam, ita condonatio peccati, in quantum eſt offenſa, tollit peccatum in ratione offenſæ, eſt enim condonatio ratio formalis, & ultima, propter quam eſſe peccati, in ratione offenſæ, tranſit in non eſſe offenſæ Ergo ſi non exiſtentia, non ſtat cum exiſtentia, nec ſtabit cum condonatione, offenſa.

Probatur III. Argumento Dicaſtillo. Illud quod condonatur, vel eſt offenſa, vel non; ſi eſt, hoc non poteſt dici, quia offenſa condonata & remiſſa non poteſt exiſtere, quando jam condonatur; ſi autem non eſt offenſa, ergo neque eſt condonatio culpæ & offenſæ.

Notandum eſt. Ut commodius hæc omnia intelligantur, & objectiones ſolvantur, eſſe neceſſe condiſtinguere, hæc duo. An in inſtanti, quo peccatum ſit committiturque offenſa, poſſit remitti; & aliud. An poſſit fieri peccatum, quod cum fit, careat ratione offenſæ. Primum illud ſupponit offenſam, ejuſque remiſſionem poni. Secundùm hoc ſupponit, non eſſe offenſam, adeoque nec remiſſionem rigoroſam de qua hîc agimus, nam hæc eſt, nonniſi offenſæ poſitæ. Exinde etiam probatur; quod hæc ſecunda propoſitio, habeat condiſtinctam difficultatem, quia in illa eſt eadem ratio, & quæſtio, atque in hac quæ adfertur, nempe; an poſſibile ſit peccatum, quod fiat cum advertentia ad offenſam Dei, ſaltem putatam, & tamen non habeat rationem offenſæ, quantum eſt ex parte Dei, Deo ſcilicet cedente jure ad iraſci, quo caſu illud peccatum eſſet offenſivum, quantum eſt ex parte illius, ſed non eſſet offenſa actualis, quia non eſſet, qui actu illo in offenderetur, nullusque eſſet, qui jus haberet ad offendi, ſed potius eſſet tantum offenſa in potentia. Comparando ergo has duas Propoſitiones inter ſe, prior eſt falſa, deque illa proceſſit Concluſio, Poſterior vera, quia ad illam negandam, nulla urget implicantia, & ad id defendendum præ oculis habendum eſſet, quòd aliud ſit Deum cedere jure ad offendi, & aliud; amare, vel approbare actionem, quæ quantùm eſt ex illa, offendit jus Dei; poſterius hoc repugnat Deo, & ejus Sanctitati, ſed prius non apparet, quare repugnet, præcipuè verò, quia non eſt de perfectione Juſtitiæ, ſemper retinere jus illudque proſequi, cum juſtitia, det etiam locum clementiæ, imò ſi eſſet de juſtitiæ ratione, ſemper proſequi jus, non eſſet illa Juſtitia Divina, quia nõ compateretur miſericordiam, jam autem eſt de ratione ſanctitatis ſemper, deteſtari malum, & ſi non pro ſemper deteſtaretur malum, hoc ipſo non eſſet Sanctitas Dei.

Objic. I. Probabile eſt, aſſenſum & diſſenſum, amorem & odium, converſionem ad Deum, cum converſione ad creaturam, peccatum cum gratia, poſſe ſtare ſimul. Ergo etiam poterunt ſimul ſtare, offenſa quæ remittitur, & remiſſio ſeu condonatio.

Respondetur. Negatur Conſeq. diſput. conficitur ex adlatis, quia ſi ſimul eſſet condonatio & offenſa, & condonaret illa condonatio, & non condonaret, condonaret quidem, ut ſupponitur, non condonaret autem, quia adhuc eſſet offenſa ut dicitur, jam autem ſi ſimul eſſet aſſenſus cum diſſenſu, amor cum odio, &c. nihil ſimile contingeret, imò hæc paritas pro nobis eſt, quia ſicut amor & odium, ſi Divinitus componerentur, pro eodem inſtanti, omnino jam deberent eſſe ſimul, & unum, non pelleret aliud, ita etiam condonatio, ſi ſimul deberet eſſe cum offenſa, deberet non pellere offenſam, conſequenter nec condonare pro illo inſtanti.

Inst. Cur non poſſit eſſe offenſa in deſinere, pro priori intelligibilitatis ſigno, & pro poſteriori condonatio.

Respon-

Respondetur. Pro priori signo, potius deberet poni condonatio, & pro posteriori desitio, quia Causa prior est intelligibilitate effectu, condonatio autem est causa desitionis ; sed quantumvis corrigas antecedens, & ponas prius, intelligibilitate condonationem, necdum evinces intentum, quia illa desitio peccati remissi, vel erit per ultimum esse ; vel per primum non esse, si per ultimum esse, ergo simul erit offensa quoad ultimum esse & condonatio, hoc autem non potest esse, quia condonatio, est factio, ex parte offensi, factio inquam non esse offensæ ; si autem tunc est, primum non esse offensæ, ergo debuit supponere quod habuerit esse, quomodo enim primo non est, de quo non fuit verificatum *est*. Ergo ulterius non potest intelligi, quod simul sint desitio offensæ & condonatio.

Objicit II. Ripalda. Potest Deus videre peccatum, in hoc instanti existens, & pro illo instanti cedere jure suo, ad puniendum peccatorem, & deposcendam ab illo satisfactionem ; & non habere indignationem adversus peccatorem, sed cum illo se gerere planè, atque si nunquam peccasset, nam si id potest Deus post visum peccatum, jam præteritum, cur non poterit, cum actu illud videt ; siquidem tantùm avertit à Deo hunc affectum scientia peccati præteriti, quantùm scientia peccati præsentis ; cum eadem sit, tum ex parte Dei, tum etiam ex parte objecti, sed hac ratione condonaretur peccatum præsens, ergo illud condonari non implicat.

Respondetur. I Concedendo totum, artificium autem respondendi (quod meritò in similibus induci deberet) in hoc stat. Conclusio est, implicare peccatum condonari pro eo instanti, pro quo fit, implicantia stat duobus, nempe quod possit hoc fieri, & quod non possit, cum ergo argumentum oppositi, probet id posse fieri, probat primam partem assumpti Conclusionis, adeoque concedi deberet ; secundam autem partem, hoc est, aliud contradictionis extremum, necesse erit probare objiciendo argumenta facta in contrarium. Neque valet si dicas, quod qui tuetur implicantiam contradictionis, nunquam admittere debeat, quod extremum adversarii possit fieri, non inquam valet, si id dicas ; quia non debet quidem admitti, quod extremum adversarii fieri possit, simul non probes fieri illud non posse, debet tamen admitti, quod fieri possit, si simul probes non posse fieri, ut ita contradictio formetur ex posse fieri, non posse fieri.

Respondetur. II. Negando Minorem ; quia condonare, non est cedere juri ad puniendum, potest enim Deus condonare injuriam, & non condonare jus ad puniendum. Rursùs condonare non est nolle exigere satisfactionem, nam potest Deus dicere: Ego judico impossibilem esse satisfactionem hominis, nec habeo jus ad illam exigendam tanquam ponendam ab offendente ; judico tamen posibilem esse condonationem peccati, & habeo jus, illius actu ponendæ ; ex quo actu constat, quòd condonatio non sit abolitio Juris præcisè ad satisfactionem, solidius autem hæc ipsa objectio solvitur attendendo ad Prænotatum, quod scilicet aliud sit cedere jure, ne sit offensa, & aliud condonare offensam.

Instat Idem. Quæstionem à nobis formari de sola voce ; idque probat aliquot mediis, quod autem in quæstione de voce comodius pro nostra Sententia loquatur, rationem dat. Tum quia in humanis etiam talis cessio juris, solet appellari condonatio Juris. Tum quia condonatio non est voluntas destruens existentiam Physicam, sed nonnisi moralem.

Respondetur. Non esse de voce quæstionem, quia non est quæstio de voce : An condonatio Divina sit talis naturæ, ut inferat non esse offensæ, nec est quæstio de voce : An quod non est offensa possit condonari, sed dato etiam, quòd esset quæstio de voce, nostram Sententiam commodius loqui probat id quod dictum est in Notato ; negatur item, quòd qui cedit Jure, ne aliquid sit ; & habeat rationem injuriæ, quòd inquam id appelletur condonatio injuriæ. Et quamvis condonatione tollatur, nonnisi existentia moralis peccati ; non sequetur id posse condonari, quod condonabile non est, utpote non habens rationem offensæ.

Objicit. III. Lugo. Potest homo, antequam ab hoste lædatur condonare illi injuriam ; Ergo poterit & Deus.

Respondetur. Etiam hominem non posse remittere injuriam contra ipsum factam, in instanti, in quo fit, sed poterit tantùm apponere circumstantias, quibus positis, actio quæ fuisset injuria, potuisseque condonari, fiat jam non injuria condonabilis, quæ responsio est ad mentem Oviedi. In idem recidet doctrina Dic : quando homo potest, damno sibi inferendo cedere ; cum tota ratio injuriæ sit in operando, contra jus alterius, si aliquis antecedenter, vel pro eodem instanti cedat ; id non erit propriè condonare injuriam, ut si aliquis cedat jure ad decerpendum fructus ex suo horto ; sed id erit tantùm tollere materiam injuriæ ; ita ut opus quando fit, non sit injuria.

Instari potest I. Ex Ros. Potest remitti votum, quando actu fit & antequam factum sit. Ergo peccatum potest remitti, antequam fiat, vel in instanti quo fit.

Respondetur. Conformiter ad Not. Non posse votum remitti antequam fiat, vel cum fit, quia hæc remissio cogitabilis esset, ex eo quod Deus nollet acceptare votum, hoc autem non est remitti votum, sed impedire, ne usquam fuerit.

Instari

INSTARI potest II. *Ex eodem.* Positâ gratia ut faciat justum absolutè & pellat peccatum, indiget condonatione extrinseca. Ergo etiam potest DEUS condonare peccatum, cùm actu sit.

RESPONDETUR. Negatur Consequentia, quæ non probatur.

INSTARI potest III. In peccato considerari imprimis potest odibilitas, quâ ipsum peccatum est odibile; & quâ, reddit peccatorem odibilem, primùm illud, non potest condonare Deus, pro eo instanti, pro quo fit, secundùm autem, cur non potest, præcipuè verò quia hæc odibilitas peccatoris, præter actionem peccaminosam, solam negationem condonationis Divinæ importat.

RESPONDETUR. Hanc instantiam recedere à titulo, qui quærit de remissione peccati, sed non attendendo tanto rigorè, ad intentum tituli, necdum convincit Instantia, nam propter adlatas rationes convincitur in eodem instanti, quo peccator est odibilis, non posse illum reddi non odibilem ratione ejusdem.

INSTATUR IV. Peccatum non est forma reddens odibilem peccatorem, nisi prout includit partialiter negationem condonationis, & prout hanc non includit, non potest hunc effectum præstare. Ergo si pro instanti hoc, quo fit, condonetur, non poterit hunc effectum præstare.

RESPONDETUR. Hoc ipsum negari, quod supponitur, nempè quòd pro illo instanti condonari possit, & si condonaretur, propter rationes adlatas, sequeretur non condonari, quia nihil haberet, quod condonaret.

INSTATUR V. Ex eodem. Condonari peccatum actuale, non est illud tolli, & destrui pro eo instanti, quo existit, sed impedire, ne ex existentia actuali illius oriatur jus ad justam indignationem contra peccatorem.

RESPONDETUR. Secundùm Not. quòd scilicet talis impeditio per nos concedatur, sed non conceditur, posse tunc haberi, actum condonationis ob dicta.

Oviedo citatus ostendit modum, quo ex vi destructionis exercitæ in instanti antecedenti, seu in instanti, in quo committitur peccatum, desinat esse peccatum in instanti sequenti, sed illius doctrina involvit aliqua dubia, quia imprimis non salvat condonationem, sed potius cessionem jure, non salvat item, quî, si anticipativè peccatum habituale remitti possit, non possit etiam remitti actuale; potiùs itaque salvari debet remissio peccati, ita ut salvetur desitio esse peccati, quæ necessariò præsupponere debet, suum esse saltem pro uno instanti, ante sui desitionẽ, & quando hîc salvari non potest, non poterit salvari condonatio; unde peccatum habituale desinit condonatum, desinit autem per primo non esse, cùm immediatè ante fuerit, de peccato autem actuali dici non potest, quod cùm condonatur primò non sit, & immediatè ante fuit.

QUÆSTIO III.

De oppositis peccati remissibilis.

OPpositum peccati remissibilis, est peccatum irremissibile, de quo duo hic attingi debent. 1. An detur peccatum de facto irremissibile. 2. An sit possibile peccatum, quod naturâ suâ exigat, ne sit remissibile.

QUOAD I. Certum est, omnia peccata verè pœnitentibus remitti, pro quo plurima loca Scripturæ citari possent, sufficerit ille unus locus Ezech. 18. Ubi pœnitentiam acturo dicitur. Omnium inquit iniquitatum ejus non recordabor amplius. Sed potest esse difficultas, inter Catholicos: An detur aliquis certus cumulus peccatorum, post quem non possint jam peccatores sufficientem pœnitentiam agere; hanc Sententiam tractat Suar. D. 8. S. 2. Lugo D. 8. S. 1. Dic. D. 2. D. 1. Mart. Pe. D. 9. S. 2. & alii. Non dari talem cumulum communis est lententia, sed oppositum sentit Henricus, Abulensis, Catharinus, Rophensis & satis inclinat Cajetanus, nam illum locum Jo. 12. Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias Excæca cor; locum inquam illum interpretatur, quòd non potuerint credere defectu gratiæ prævenientis. Sensus autem horum Auth. est non is, quod Deus adimat libertatem ad converti, hæc enim est propositio pridem Hæretica, sed quod illis non det sufficientia auxilia. Sententiam suam fundant in Sacra Scriptura. Ps. 8. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Eccles. 7. *Considera opera Dei, quia nullus potest corrigere, quem ipse despexerit.* 2. Mac. 9. Ubi de Antiocho dicitur. *Orabat sceleſtus Dominum, à quo non erat misericordiam conſecuturus.* Et S. Paulus dicit de Esau. *Non invenit Pœnitentiæ locum, licet cum lacrymis quæsiſſet illam.* Ad Heb. 12. & paulo sup. cap. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & prolapsi sunt, rursus renovari & pœnitentiam,* & postea ibid. c. 10. v. 26. Illò etiam servit. ille locus ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Videatur Ecclesiastici cap. 7. v. 14. Psal. 80. v. 13. Hier. 6. v. 8. 51. v. 9. Jos. 11. v. 20. Eò etiam referri possunt auctoritates Patrum. Isidorus l. 2. de summo Bono c. 15. *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut non possint mala plangere etiamsi velint.* & Eusebius l. 8. de Demonstrat. c. 2. Ubi dicit Deum expectare aliquos usque ad certum terminum peccatorum & postea omnino illos deserere. Aug. in inchoata expositione epistolæ ad Rom. Prop. 62. dicit. Ita fuisse desertum Pharaonem, ut jam impœnitentia non imputaretur ei ad culpam, sed ad pœnam. Bernardus

Ser-

Ser. de Nimia fallacia hujus sæculi. Gregorius Morali: 11. cap. 5. & 13. c. 11. Fundatur ulterius in rationibus, quarum meminit Suarez. Tum quia id spectat ad rigorem justitiæ & terrorem aliquorum. Tum quia majus est, quòd Deus vivos demerserit in infernum. Tum quia dantur Confirmati in gratia ut cadere non possint. Ergo dantur etiam ita deserti ut surgere non possint.

Sed in Oppositum sunt Scripturæ Sacræ; sufficerint duæ. Paulus loquens ad Rom. 2. de eo, qui *secundùm duritiam cordis & impœnitens cor, thesaurizat sibi iram Dei* immediatè ante dicit: *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Et illud Ezech. *Nolo mortem peccatoris sed magis, &c.* Ex PP. sufficerit August. qui epistola 59. ait. *Voluntas* inquit *Dei, nunquam in hac vita defuit justiæ pietatique mortalium*, & lib. de Præd. & gratia c. 14. sub nomine Aug. dicitur. *Si piè de Deo sentiamus, etiam Pharaonis non denegavit misericordiam suam* Consulantur citati Auctores.

Suarez cùm solvisset argumenta in oppositum, subdit tamen verborum parcus sect. 2. *Moraliter dicuntur esse in statu, in quo non possunt salvari.* Perez cit. 3. Se. 3. docet. Nonnullos valdè obduratos & obcæcatos in peccatis suis pervenire ad talem statum, ut sint moraliter impotentes ad agendam pœnitentiam. Eò referri debet doctrina Lugo, quòd non omnes & non pro semper peccatores habeant post peccatum potentiam proximam ad pœnitentiam consequendam. Verba sunt Lugonis: *Quia multi in actu peccati vel in somno vel subitanea morte intereunt, potestque id etiam ex distractione provenire, quam potest Deus in pœnam peccatorum immittere.*

Hæc omnia tamen debent cum moderatione accipi, imprimis propter illud principium: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Attendendum rursùs post aliorum Pontificum sancita ad Bullam Innocenti, contra Jansenistas conantibus videlicet fidelibus dari gratiam. Pontifex enim damnat hanc Propositionem. *Aliqua Dei præcepta, hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque gratia, quâ possibilia fiant.*

Illud addiderim dari numerum peccatorum, post quem videt Deus se non daturum gratiam efficacem, cum qua de facto, sit actu peccator convertendus. Ratio, quia interrogatus Deus, quoties & post quot, & quæ peccata sit daturus gratiam efficacem, vel quod sit ultimum finale peccatum, non responderet: Nescio, est enim hoc scibile objectum, Ergo datur numerus, post quem videt Deus, non daturum se gratiâ efficacem, cum qua de facto sit actu peccator convertendus. Hoc additum certum est, & si prudenter concipiatur, potest retardare multùm omnem deliberantem de mortali, potest enim cogitare: An non sit hoc tale ultimum peccatum.

Quoad II. Affirmat Lugo D. 8. num. 4. & cum eo Rosmer. in negativam inclinat Oviedo, de Just. c. 3. p. 8. & Dic. d. 2. numer. 4. pensandum est robur argumentorum affirmantium.

I. Arg. est Lugonis. Potuisset Deus saltem de potentia absoluta nolle remittere peccatum hominis, etiam pœnitentis, & potuisset hoc Decretum alicui revelare, ita ut homo esset obligatus ad illud credendum, quo casu si homo culpabiliter, nollet credere illi revelationi sufficienter propositæ, peccaret graviter contra fidem, & illud quidem, peccatum ex suis principiis intrinsecis esset irremissibile per pœnitentiam, nam si posset remitti, posset esse falsa revelatio DEI de non remittendo illo peccato homini pœnitenti, si enim remitteretur, falsum esset, quod nunquam esset remittendum.

Respondetur. Quòd aliud sit peccatum, ex vi connexionis, cum revelatione, non posse remitti, & aliud quòd ex vi, & intrinsecis suis principiis, adeoque ex natura sua non possit remitti; hypothesis adlata probat primam; non secundam propositionem, de qua sola erat difficultas. Rursùs distinctæ hæ sunt revelationes. Revelo me non posse remittere peccatum, eò quòd naturâ suâ, non cadat sub meam remissionem; & alia est hæc: Revelo, me non remissurum peccatum. Illa prima versabitur directè, circa potentiam Dei, eximetque illud, à vi Divina remissiva. Secunda autem directè versatur circa ipsum peccatum, cui adnectitur non remissio; & sicut alia est revelatio, quòd Abel natura sua non possit generare Adamum, & alia quòd de facto non sit generaturus, ita etiam in præsenti. Supposito autem duas esse illas revelationes distinctas. Urgetur; quòd non valeat argumentum. Revelavit Deus se non remissurum peccatum, ergo revelavit se non potuisse remittere, quod tamen facit dictum argumentum. Nego enim imprimis illud peccatum ex suis intrinsecis principiis esse irremissibile, nego item si posset remitti, falsam fore revelationem, sed tantùm si remitteretur actu, tunc falsa foret revelatio.

Neque valet si dicas, si actu remitteretur peccatum, de quo non remittendo facta est revelatio, eò casu actu fuisset falsificata revelatio; ergo etiamsi posset remitti, posset falsificari revelatio; non inquam valet; quia imprimis

Responderi posset, distinctas has esse propositiones. Non potest ex suppositione remitti actu peccatum, & alia. Non potest remitti peccatum; seu quod idem est, est ex natura sua non contentum intra potentiam remissivam; priorem illam solam importat revelatio, sed non hanc posteriorem.

Responderi posset II. Aliud esse ex adjuncto aliquod peccatum eximi à potentia DEI

remiss-

remissiva, aliud (ut jam dictum est) ex natura sua & principiis suis intrinsecis non subdi remissioni. Illustrari potest instantiâ. Revelavit Deus, alicui ex Prophetis Filium Beatissimæ terminandum Personâ Verbi, vi hujus revelationis sequitur hanc naturam actu terminandam, & non posse ex adjuncto, actu aliam terminari, sed non revelavit illam ex natura sua, & ex intrinsecis principiis esse assumendam, nec revelavit quod aliæ assumi non potuerint, hâc non assumptâ.

Responderi Posset III. hoc arg. multum probare, quia probaret, quòd si Deus revelaret, se non daturum concursum ad volitionem, hoc ipso se spoliaret, potentiâ, ad dandũ concursum; probaret idem esse ex natura sua inamissibilem visionem, ita ut ne per absolutam quidem potentiam, vel in alio rerum ordine esset amissibilis, eò quòd sit actus supernaturalis, & videat se æternùm duraturam.

Instab. I. Deo revelante peccatum non remittendum, ultima actualis determinatio actus essentialiter veri, est, peccatum futurum non remittendum. Ergo essentialiter debet esse irremissibile; nam si non esset essentialiter irremissibile, quî esset actualis determinatio actûs essentialiter veri? quod si illud peccatum esset essentialiter irremissibile, ex principiis suis intrinsecis, erit irremissibile.

Respondetur. Negando Consequentiam; quia potest actus essentialiter veri, de non remittendo peccato, esse complementum, peccatum actu non remittendum unquam, nec ad illum verificandum, necesse est inferre, ex essentia sua, adeoque independenter à quocunq; adjuncto, esse illud irremissibile.

Instab. II. Posito decreto de remittendo peccato, illud decretum habebit ultimum sui complementum, quod ex essentia sua excludet omne decretum condonativum peccati. Ergo cùm hoc ipsum peccatum sit complementum, essentialiter erit irremissibile.

Responsum jam est; illus decreti complementum fore peccatum actu non remittendum, sed non peccatum ex natura sua subtractum potentiæ Dei remissivæ, quantùm quidem attinet ad intrinsecam illius exigentiam.

II. Arg. est. Rosmer. Deus potest habere hoc positivum decretum: Volo permittere hoc peccatum ex fine non condonandi ullum omnino peccatum, hujus decreti permissivi, potest esse ultimum complementum peccatum; ergo hoc peccatum ex essentia sua erit irremissibile. Probatur Conseq. Complementa liberorum decretorum sunt essentialiter connexa, cum finibus & motivis, propter quæ suscipiuntur hæc decreta.

Responsum jam est; ultimum complementum esse essentialiter connexum cum decreto ex adjuncto, peccatumque illud esse irremisibile ex adjuncto, sed non dicere quidquam irremisibilitatis ex intrinsecis principiis peccati, & certè unio modalis, quæ etiam dicitur esse ultimum complementum decreti Divini, volentis uniri materiam & formam, est tale, ut secluso quocunque adjuncto, & ut ita dicam independenter à quocunque decreto, redderet unita; quia id habet ex natura & intrinsecis suis principiis, & non ex solo adjuncto. Secerne autem à peccato, de quo hîc, decretum Divinum, numquidnè jam irremisibile manebit?

Instat I. Actio quâ producitur Petrus, propter Christum Dominum, essentialiter est connexa cum Christo Domino, à quo non minus specificatur, quàm quilibet actus creatus, specificatur à suo objecto formali. Ergo cum illud peccatum sit ultimum complementum liberi decreti permittentis peccatum, & eò fine formati ut non condonetur ullum peccatum, erit essentialiter connexum cum negatione omnis peccati. Ergo ulterius dabitur tunc peccatum naturâ suâ irremisibile.

Respondetur. Quærendo: An etiam entitas Petri, & entitas hujus mundi, producta propter Christum Dominum, sit essentialiter connexa cum Christo Domino, ita ut ex essentia sua non potuerit esse nisi propter Christum Dominum; non puto tamen dicturum arguentem, quòd idem mundus produci non potuerit, ordinando illius productionem, purè in gloriam Dei. Deinde jam responsum est. Complementum illud decreti ordinantis non remissionem peccati, nec plus exigere quàm ne remittatur peccatum, sed non exigere ut independenter à quocunque adjuncto extrinseco, seu ex natura sua, maneat irremisibile.

Instat II. Tali peccato posito, quod sit hujusmodi complementum, necessariò, & ex principiis intrinsecis hujus complementi, debet sequi decretum non condonationum, cùm sit ultima actualis determinatio ad hoc decretum ponendum, à quo tanquam à fine, re ipsa ponendo, specificatur; si autem posset condonari, non sequeretur necessariò hoc secundùm decretum, ex principiis intrinsecis hujus complementi, quod tamen implicat.

Responsum est jam, quod illud decretum tantùm importat actu non ponendam condonationem, sed non infert peccatum ex natura sua, & secluso adjuncto, irremisibile.

Dicendum est. *Nullum esse peccatum naturâ suâ irremisibile.*

Probatur. Falsa est hæc universalis: Omne peccatum est naturâ suâ irremisibile. Ergo non potest esse peccatum aliquod naturâ suâ irremisibile. Prob. Consequentia, quia si posset esset peccatum aliquod naturâ suâ irremisibile, etiam omne peccatum posset esse naturâ suâ irremisibile. Ergo si omne peccatum non potest esse natura suâ irremisibile, nec potest esse

esse aliquod peccatum naturâ suâ irremissibile; quia non est major ratio unius quàm alius.

Responderi potest. Majorem illam universalem esse veram.

Contra erit; quia extrinsecum Dei decretum naturas rerum, non adfert, consequenter nec facit aliquid, ex illius natura, irremissibile, quod ex sua natura non est tale.

Conf. Probatio. Et esset illud peccatum naturâ suâ irremissibile & non esset; esset quidem ut supponitur, non esset autem, Tum quia quod est irremissibile nonnisi ex vi decreti Divini, non est naturâ suâ irremissibile. Tum quia decretum Divinum non potest immutare naturas rerum, naturæ enim rerum sunt necessariæ, decreta autem Dei sunt libera, nec potest adferre denominationem aliam decretum, quàm denominationem voliti & decretati. Tum quia; vel ante decretum Divinum potuisset esse remissibile vel non potuisset; si potuisset esse remissibile; ergo ex natura sua non est irremissibile, cùm potuerit esse remissibile secluso decreto. Si autem ex natura sua ante decretum est irremissibile, cur defensores hujus sententiæ sine necessitate recurrunt ad decretum de non condonando?

Rursùs quia hoc est indigna restrictio infinitæ misericordiæ Divinæ, perfectiorque posset cogitari misericordia condonativa, respectu scilicet cujus, nihil esset quod condonari non posset; & sicut nulla est creatura, quæ eximatur ab omnipotentia, ita nullum debet esse peccatum quod eximatur à misericordia condonativa. Rursùs in peccato vel potest spectari ratio præcisa offensæ, vel potest spectari ratio malitiæ orta ex tali vel tali advertentia, ex tali vel tali oppositione ad bonum; in quantùm peccata dicunt rationem offensæ, sunt omnia in hoc æqualia, quia omnia æquè dignam personam offendunt, & non datur infinitum unum majus altero. Si autem secundo modo spectentur, implicat advertentia infinita bono creato æqualis infinitati offensæ; ergo si intra idem genus, quòd est peccatum, potest defacto, quod est majus, condonare misericordia Divina, multò magis poterit condonare id quod est finitum vel non participans ejusdem ordinis infinitatem. Denique implicat, ut si semel aliquid naturâ suâ fuit remissibile, evadat naturâ suâ irremissibile, quia implicat ex dicente connexionem essentialem cum Divina misericordia condonativa, transire in non dicens connexionem essentialem cum Divina misericordia condonativa. Si autem dixeris illud peccatum nunquam dixisse connexionem cum misericordia Dei remissiva, obstant argumenta jam facta.

Explicat Quidam Peccatum naturâ sua irremissibile ponitque tale esse ex connexione intentionali cum decreto Dei, quæ sit peccato essentialis. Quod ipsum exemplificando dicit: Casu quo revelaret Deus: Crede actu interno ut acto, si enim non credideris ita, non remittam tibi peccatum, eligat ille liberè non credere, aut credere nonnisi actu ut tria, eo casu peccatum illud dicet relationem transcendentalem, ad sui non remissionem, seu decretum de non remittendo. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Suppono ex dictis quòd Decreto Dei non mutentur rerum Essentiæ, consequenter si aliquod peccatum ex natura sua non sit irremissibile, decreto divino non evadet ex natura sua irremissibile, cumque ipsæ essentiæ consistant in indivisibili, non potest decretum divinum addere aliquid essentiale illis, & si ex decreto divino evadit peccatum Naturâ suâ irremissibile, omnes finales impœnitentiæ & peccata post quæ decrevit Deus se non daturum gratiam efficacem, erunt peccata, naturâ suâ irremissibilia. *Hoc supposito*

Formatur sic argumentum. Illud peccatum non evadit naturâ suâ irremissibile ex decreto divino, ut ostendit suppositio, non ex connexione essentiali quam dicit prædictus actus fidei; cum sui irremissibilitate. Quia qui elicit actum peccaminosum, putans, illud peccatum non esse sibi remittendum, quantumvis non fecerit Deus decretum de non remittendo, talis actus dicit essentialem connexionem, cum sui irremissibilitate, ex eo quia omnis actus dicit transcendentalem ordinem ad suum objectum. Neque tamen ex eo evadit illud peccatum essentialiter irremissibile, nec est major connexio intentionalis illius discreditionis cum decreto Divino, quàm sit essentialis connexio intentionalis actus cum objecto: essentialitas enim in indivisibili stat. Ergo si hæc connexio actus non fundat peccatum naturâ suâ irremissibile, neque connexio illa cum decreto, fundabit peccatum naturâ suâ irremissibile.

Quod attinet ad illam Revelationem ea dupliciter fieri posset, ut dictum supra. Primo si revelet Deus hoc peccatum de facto non esse remittendum, & tunc non infertur naturâ illud suâ fore irremissibile, cùm ipsa Revelatio hoc non dictet, nec exigat credendum. Secundo si revelet naturâ suâ illud esse irremissibile, si hoc modo revelet revera deberet esse naturâ sua irremissibile, sed prius evincendum foret, quòd hoc revelari possit à Deo. Et ita indubiè si revelaret Deus esse possibilem chymæram, foret illa possibilis aut saltem duo contradictoria sequerentur ex revelatione illa, ita & in præsenti, prius evinci debet, quòd possit Deus revelare peccatum illud fore naturâ sua irremissibile.

Et certè durum videtur, ut dixi, quod sit ali-

quid peccatum, quod infinita Dei misericordia vincere non possit, nec satisfactio Theandrica abolere, si enim vinceret & aboleret, remissibile esset. Natura sua.

DISPUTATIO IV.

De Actibus Pœnitentiæ.

ACtus Pœnitentiæ duplices cogitari possunt, quidam sunt imperati, quidam elicciti; nomine Imperatorum veniunt actus principiati ab aliis virtutibus in bonum pœnitentiæ, quæ, illos imperat: nomine autem elicitorum, ut aliunde scitur, veniunt ut actus, quos principiat ipse habitus, sub formali sibi proportionato. De utriusque hîc agendm erit. Sed quia ad complementum dictorum de peccato habituali, & de mediis remissionis peccati multùm deserviet notitia naturæ Contritionis, & Attritionis, hinc priùs de istis actibus imperatis, quàm de elicitis agendum erit. *Sit*

QUÆSTIO I.

De actu Pœnitentiæ Imperato, qui est Contritio.

SI quæstio præsens in tota sua latitudine tractari deberet, esset agendum, de omnibus fermè virtutibus, quia nulla fermè est, quæ à pœnitentia imperari non posset. Sed attendendum præcipuè ad actus dolendi dolore perfecto, qui appellatur Contritio, & dolore imperfecto, qui appellatur Attritio. Contritio utpote dignior præponenda erit, & ut tractatio subserviat antecedentibus, priùs de ea agendum erit, per ordinem ad justificationem, & postea, de intrinseca ejus ratione, illâque secundùm se spectatâ.

DIFFICULTAS I.

De Contritione per ordinem ad Iustificationem.

DIfficultas principalis in hoc est: An Contritioni insit vis sanctificandi hominem, ita ut Sanctitas, non à sola gratia desumatur, sed etiam à Contritione, tanquam forma. Negat Suarez d. 8. hîc S. 3. idemque docet de Inc. eum sequuntur Coninck. Tannerus, Lugo d. 8. a. Sc. 3. Ov. de Just. tr. 8. c. 1. p. 7. & post alios Esparza de Just. q. 12. Affirmat Vasquez d. 203. Alarcon. Gaspar. Hurtado, Mæratius & cum aliqua limitatione Ripal. d. 99. à. S. 3.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur argumenta Sententiæ negantis.

I. ARgumentum est, quo utitur Suarez Lugo. Ovied. & alii, estque petitum ab authoritate Trid. quod cùm Sess. 6. c 6. numerasset dispositiones ad justificationem, inter quas ponuntur, fides, spes, dilectio. cap. 7. inquit, *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur*; ergo ex mente Concilii Contritio, non est forma justificans, sed mera dispositio ad justificationem.

RESPONDET I. Vasquez, quòd hic agat Trid. de Contritione imperfecta, & de dispotionibus etiam remotis, numerat enim illic Trid. timorem, spem veniæ, dilectionem DEI, tanquam Justitiæ fontis, quod indicat Deum ab illis amari non amore amicitiæ, sed concupiscentiæ; appellaturque illa Contritio odium aliquod. Tum quia agitur hic de Contritione, quam agere oportet, ante baptismum: quod ipsum probatur; quia illic agitur de justificatione impii; impius autem apud Aug. est infidelis. Deinde Justificationem Trid. definit, quòd sit translatio, à statu filii Adæ, in statum gratiæ, hanc autem ipsam translationem, dicit post promulgatum Evangelium non fieri sine lavacro regenerationis; ostendititem Trident. non loqui de Contritione perfecta ex collatione c. 6. & 7. inter se, & in hac interpretatione loci illius concordant Corduba & Vega, qui proximè tempora Tridentini scripserunt, quibus consentiunt Mol. Bell. & alii. Unde jam concedet Vasquez, Contritionem quæ est imperfecta, & quæ saltem, de necessitate requiritur ad baptismum, esse

esse dispositionem ad justificationem, sed negat, Contritioni perfectæ convenire rationem tantùm dispositionis. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit I. Concedo Trid. loqui hîc de Contritione imperfecta, sed nego quòd loquatur de illa, quod ipsum probatur; quia Trid. loquitur de Contritione Sess. 14. cap. 4. dicitque ibi se loqui de eadem, in quantùm illa primum locum obtinet inter pœnitentis actus; & inferiùs subdit. *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Quod non potest intelligi de attritione sola, hæc enim ante legem gratiæ, non cusabat remissionem mortalium; & si dicas, quòd ad remissionem eorundem profuerit, unà cum Sacramentis antiquæ legis; quia tamen justificatio obtineri poterat etiam extra Sacramentum: non poterat Trid. in ea amplitudine loqui, quòd scilicet quovis tempore fuerit necessaria. Unde debebat illic subintelligere Contritionem non Attritionem præcisè. Ex alio etiam capite non poterat loqui Trid. de sola Attritione præcisè, quia aliàs esset de fide, Attritionem cum Sacramento esse sufficientem ad justificationem, quod quamvis probabilius sit, non est tamen de fide, quodsi loquitur illic Trid. de Contritione per accomodam distributionem, quædam intelligendo de Contritione imperfecta, quædam de Contritione perfecta, de perfecta redibit quæstio: Cur, cùm contritio dicitur esse dispositio ad justificationem, non intelligendum id sit de Contritione perfecta? Ex alia parte verba Conciliorum sunt sumenda ut sonant, nisi obstet aliquod absurdum, quod in præsenti ostendi non potest.

Non Satisfacit II. Quia quamvis Trid. concederemus loqui hîc de Justificatione, quæ fit per Baptismum, nihilominùs permitti non potest, quòd de illa sola, quæ fit per Baptismum loquatur, quia de facto eadem Sess. cap. 4. dicit, Justificationem esse translationem à statu filii Adæ ad statum gratiæ; subdit: quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest; qui locus duo ostendit 1. non loqui Concilium de Justificatione solùm per Baptismum, nam adhibet justificationis, ut sic restrictionem acquirendæ, scilicet pro statu gratiæ per Baptismum. Deinde idem locus ostendit, quòd cum solo voto baptismi, quem vult esse medium acquirendæ justificationis, possit haberi Justificatio: jam autem votum Baptismi, potest esse ipsa Contritio; in quo ipso agnoscit Trid. quod amor sit medium, seu dispositio acquirendæ justificationis. Ex alio etiam capite colligitur Trid. non loqui de Justificatione per Baptismum nonnisi habenda, quia si illic loqueretur Trid. tantùm de Justificatione per Baptismum, & non de Justificatione ut sic, ergo tantum de Justificatione per Baptismum definit, quòd non justificemur per imputationem, vel Justitiam DEI, aut Christi Domini extrinsecam.

Quod si dicas, nonnisi à pari id deduci posse.

Contra erit, quia præcisa deductio à pari, non fundat articulum fidei, immò oppositum potest esse de fide; nam hæc argumentatio: Sancto Petro est data gratia post peccatum, & finalis pœnitentia, ergo & Judæ: non tantùm, non tenet, sed & oppositum est articulus de fide, credentibus nobis, damnatum esse Judam.

Neque ulterius valet si dicas Tridentinum loqui per accommodatam distributionem, aut exemplificando justificationem, in medio, quod est baptismus, tanquam tutiori; quia redibit argumentatio. Cur non loquatur Trid. de Justificatione ut sic. Deinde cum semel (ex jam adlatis) elici possit quod Contritio sit dispositio ad justificationem, redibit argumentum, cur non sit semper Contritio, per modum dispositionis.

Non Satisfacit III. Quia inter dispositiones numeratur etiam ipsa Dei dilectio, quæ in principiis Vasquez impossibilis est, cum peccato, nec requirit ullam intensionem determinatã, Ergo jã non poterit dari dilectio imperfecta, quæ scilicet disponat ad Justificationem, cum per Vasquez illa dilectio sit ipsamet Justificatio. Deinde si Trid. loquatur hîc de Contritione imperfecta, ergo non loquitur de contritione charitate formata, quia hæc per Trid. est perfecta contritio ut habetur Sess. 14. cap. 4. & tamen hanc contritionem appellat Tridentinum nomine dispositionis ad Justificationem.

Neque valet, si dicas, quod August. imperfectam charitatem agnoscat, quia etiam ille agnoscit imperfectam justitiam, quæ tamen verè justitia est, sicut imperfectum lumen, est adhuc lumen. Quod autem dicunt alii. Attritionem esse imperfectam dilectionem, utpote quæ est amor Concupiscentiæ, id etiam non convincit, nam Trid. Sess. 14. cap. 4. distinguit inter contritionem imperfectam, loco autem citato loquitur de contritione perfecta, quæ non stat amore concupiscentiæ, sed amore amicitiæ. *Cæterum adlata auctoritas non evincit. Hinc*

Respondetur II. Quod scilicet justificatio dupliciter sumi possit. 1. Secundùm quod est participatio naturæ Divinæ. 2. Prout justificatio dicit formam continentem prædicata incomparabilia & opposita turpitudini peccati, aversionique à DEO, opponentia, conversionem ad DEUM, dicique poterit, Amorem, Contritionem perfectam, &c. esse dispositionem ad justificationem priori modo

sumptam, sed non ad sumptam posteriori modo.

INSTAT I. ex Trid. Lugo, Contritio semper fuit necessaria ad impetrandam veniam peccatorum, ut ait Trid. Sess. 14. cap. 4. Ergo apparet, quod etiam Contritio non sit forma justificans sed illam impetrans, nulla enim forma impetrat effectum suum formalem.

RESPONDET Vasquez Concil. loqui de contritione abstrahente à perfecta & imperfecta. Addit etiam: Eo sensu à Contritione impetrari justificationem, eò quòd regulariter extra Sacramentum, Contritione, non acquiratur justificatio.

CONTRA hanc responsionem est. Tum quia arbitrarium est dicere de sola imperfecta contritione verificari illam necessitatem. Tum quia extortum est dicere, quod ly omni tempore supponat pro ordinariè.

RESPONDERI potest III. Impetrari scilicet à contritione veniam peccatorum propter exigentiam radicalem, quam habet, ut à Deo acceptetur, moveaturque illâ Deus, ad liberalem condonationem. Ex immediatiùs autem adlatis, Responderi potest; quòd scilicet si accipiatur justificatio pro participatione Divinæ naturæ, eam sic sumptam impetrat de congruo contritio vel amor elicitus à peccatore, sed si accipiatur pro forma habente opposita prædicata peccato, & aversioni opponentia conversionem, sic sumpta justificatio, non impetratur, sed perficitur contritione & amore.

INSTAT II. Idem; ex illo Trid. Sess. 6 can. 3. ubi docet Trid. dicitque anathema ei, qui dixerit quòd sine prævenienti inspiratione Spiritus S. possit aliquis diligere, aut pœnitere sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, ubi Trid. supponit dilectionem esse aliquid antecessivum justificationis.

RESPONDET Vasquez. quod hic agat Trid. contra reliquias Pelagianorum, qui ad justificationem opera nonnisi naturalia censebant sufficere; cæterùm Dicastillo dicit non haberi fundamentum quod hic Canon editus fuerit contra reliquias Pelagianorum.

Nihilominùs in gratiam P. Vasquez posset defendi responsio, nam Trid. referens hunc canonem, citat simul Arau. 2. quod tamen institutum erat ad damnandos tales errores.

ADDIT Vasquez, quod ante Concil. nulla præcesserit de hoc difficultas; An scilicet Contritio esset forma justificans, sed id habet aliquid arbitrariè dicti, posset enim affirmari, quod dirigente Spiritu S. etiam non ex præmota lite, determinaverit id Trid. sed & hæc ipsa responsio adfert aliquid solâ suspitione fultum *Hinc aliter conformiter ad dicta supra*

RESPONDETUR Huic Instantiæ, secundùm jam dicta; quod scilicet dilectio sit dispositio, ut justificationis gratia conferatur accepta pro participatione naturæ Divinæ.

INSTAT III. Ex Trid. quod Sess. 6. cap. 7. Non verò ut citari solet, can. 7. dicit. Justitiam per quam justificamur, dari unicuique secundum propriam, uniuscujusque dispositionem, cùm tamen Contritio non detur, secundùm mensuram dispositionis.

RESPONDETUR. Ex dictis, loqui hîc Trid. de Justificatione sumpta pro participatione naturæ Divinæ, non verò prout dicit formam adferentem prædicata formaliter contraria peccato, adeoque ejus expulsiva.

INSTAT IV. Oviedo ex Sess. 6. can. 9. in quo Concilium requirit, tanquam dispositionem, motum voluntatis. Sed ante Contritionem talis motus simpliciter non requiritur, quia licèt ante Contritionem præcedat timor Dei, tamen id non est simpliciter necessarium.

RESPONDERI potest I. Quod mens fuerit Trid. declarare quòd Justificatio nostra non sit sola fides, quâ credatur remitti peccata Christiano, sed quod præter fidem requirantur etiam actus voluntatis, quod totum verificabitur, etiam posito quòd peccator Contritione justificetur, cùm ipsa Contritio, sit actus voluntatis. Mentem autem illam fuisse Trid. probat: quia ille Canon refert se ad cap. 9. Sess. in quo de illo errore hæreticorum, hoc est sola fide Justificante agitur, quod ipsum etiam fecit. cap. 8. 7. & 6. ad quæ onnia sese revocat. Trid. & quia Justificatio ultimo completur gratiæ infusione, fit ut Contritio antecedens hoc complementum, vocari possit præparatio & dispositio ad illud, sicut ante Dialogum, si necdum omnes Auctores convenerint, dicitur esse tantùm præparatio & dispositio Dialogum; crepusculumq; dicitur moraliter præparatio ad noctem, eò quod sit adhuc imperfecta nox.

RESPONDETUR. II. ex jam dictis; motum voluntatis antecedenter esse per modum dispositionis ad Justificationem sumptam pro speciali participatione naturæ Divinæ.

INSTAT Ultimo Lugo & adfert auth. Scripturæ & SS. PP. qui justificationem & remissionem peccati, dicunt esse distinctum beneficium Dei, etiam post Contritionem.

RESPONDET Dicast. cit. n. 284. duplicis generis esse illa testimonia, nam in aliquibus promittitur alicui seriei bonorum operum, remissio peccati & Justificatio, sed in iis agitur de Contritione imperfecta, in quibus autem agitur de Contritione imperfecta, in illis promittitur quidem remissio peccati, sed non quoad rem, novum quid, sed figuratè, & per declarationem ejusdem; quod non infrequens est in scriptura, ut cum dicit vita vivet, & non morietur: & sicut præceptum datur quorum unum explicat aliud,

aliud, nec tamen est novum præceptum ut dicitur: Audite Sapientiam & estote sapientes, & nolite abjicere eam, ita etiam quamvis modo significandi diversum dicatur, habere contritionem, & obtinere remissionem peccati, poterunt tamen hæc duo in idem recidere.

Respondetur II. Cum per nos etiam posita gratia, sit necesse intelligere condonationem Divinam, ita ut gratia nonnisi radicalem exigentiam dicat istius condonationis; etiam idem proportionaliter dici poterit de contritione, quòd scilicet nonnisi radicaliter exigat condonationem Divinam, ita ut condonatio illa & remissio peccati, possit per modum beneficii specialis, ad Contritionem comparari.

Neque illud convincit, quod dicit Lugo ex dictis sequi, quòd non solus Deus peccata deleat; nam si attendatur ad prærequisitam condonationem explicatam, quæ à solo Deo ponitur, bene dicitur deleri peccata à solo DEO. Rursus principaliter delentur à solo DEO, quia ille ipse primus est auctor dandi auxilii contritionis, quanquam in legitimo sensu potest dici Peccatorem adjutum gratia, delere in se peccata, simile enim quid 1. Joan. 3. dicitur. Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est, cujus loci meminit etiam Dicastillo.

Solvuntur argumenta à ratione petita.

Relatis arg. ab auth. petitis, sequuntur proposita à ratione.

II. Est ejusdem Lugonis desumptum ex natura Contritionis, quæ cum sit actus transiens, non potest esse propriè forma justificans, nam forma justificans, eò ipso formaliter facit filium Dei adoptivum, & per consequens similem DEO in natura, hoc autem habet, sola gratia habitualis. Hoc argumentum trahit secum, & aliud principium nempè quod sit de fide justificari hominem per aliquid intrinsecum. Hæc ratio quantumvis appellatur arg. à priori, fundatur etiam in authoritate.

Respondet Dicast. cit. num. 291. & 303. quod cum denominationes possint haberi ab actu vitali transacto, permanereque moraliter, etiam denominatio sancti, poterit haberi ab actu amoris transacto.

Addit. Hominem habere specialem participationem naturæ Divinæ, cum est similis Deo in operatione amandi præcipuè cum per Dionysium denominatio sanctitatis, etiam actui competere possit; dicit enim Dionysius. Sanctitas est ab omni scelere libera perfectaque ac ex omni parte incontaminata puritas, quæ verba verificari possunt etiam de actuali sanctitate. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Concedo interdum denominationes provenientes à formis vitalibus, etiam ipsis transactis, denominare subjectum; sed id tamen universaliter verùm non est, nam visio beata, item ocularis, est actus vitalis; numquidnè tamen transactæ, denominant suum subjectum de præsenti videns, id ergo tunc tantùm verum est, quando denominatio ipsum exercitium actum & præsentialitatem Physicam non importat, & tamen doctrina Dicastillo universaliter assumebat posse haberi denominationes vitales transacto actu.

Non Satisfacit II. Quia esse similem Deo in operatione non est esse similem Deo in natura, consequenter nec est habere participationem seu consortium naturæ Divinæ, idque ideo, quia nos apprehendimus nomine naturæ radicem & principium reliquorum; nam definitivè natura, est principium motus & quietis, nulla autem operatio, est talis radix, sed sola gratia, ad quam omnia contenta in ordine supernaturali referuntur, vel tanquam comprincipia, vel tanquam passiones, vel tanquam effectus, præmia, privilegia, &c. similia.

Non Satisfacit III. Concedo rationem sanctitatis ejusque definitionem competere etiam sanctitati actuali, sed nego per ordinem ad nostras intentiones, operationibus Divinis competere rationem naturæ, consequenter negatur, quòd esse similem in operatione Deo, sit esse similem in natura. *Hinc*

Respondetur II. Ad eandem diff. Contritionem scilicet, cùm sit actus transiens non posse esse formam justificantem, quæ supponat pro speciali participatione naturæ Divinæ; poterit tamen contritio esse forma justificans, accipiendo justificationem pro forma adherente prædicata formaliter oppositæ peccato, & aversioni à DEO, eaque habitualiter manente.

III. Arg. est Oviedo; si actus contritionis esset forma sanctificans, videtur magis fore sanctum illum, qui habet habitum & actum, quàm qui haberet tantùm alterutrum eorum, consequenter si quis haberet sanctitatem habitualem ut duo, & eliceret actum, qui sit sanctitas ut duo, evaderet sanctus ut 4.

Respondet Vasquez, & illustrat eandem responsionem Alarcon in manu scriptis apud Oviedo. Eundem gradum sanctitatis posse procedere diverso modo, à duplici forma, adæquatè ab illarum qualibet, ab habitu scilicet gratiæ tanquam à forma, dante jus hæreditatis ad gloriam, & ab actu dilectionis tanquam à forma digna gloria, tanquam præmio, quòd sic exemplificat Alarcon. Moriatur puer cum tri-

bus gradibus gratiæ dabitur ei visio ut 3. habet enim habitum sanctitatis ut 3. & tamen puer non est sanctus ut sex, sed bis ut tria seu sanctus ut 3. per duplicem formam. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia ex vi adlatæ responsionis, non satis constat, quia tunc non habeatur sanctitas ut 6. quod ipsum Prob. quia ex diversis tunc titulis habebitur sanctitas & unaquæque erit diversa; ergo erunt tunc duæ sanctitates, per quas subjectum non erit bis ut 3. sanctum, sed revera ut bis tria, adeoque ut 6. Et certè quamvis una eademque res, adeoque unum denominabile, possit denominari tria vel bis tria, & ita unus grossus continens tres solidos, est unus ut tria, & tria ut unum cæterùm tres separati solidi & unus grossus, non sunt bis tria, sed omnino sunt bis tria; cùm ergo non idem denominabile sit sanctitas ab actu & sanctitas ab habitu, non erit utraque bis ut tria, sed bis tria adeoque sex.

Non Satisfacit II. Quia quamvis concederetur jus ad gloriam, & esse dignum gloria, non facere nisi bis ut tria sanctum, hoc ipsum tamen inquiritur; quî hæc duo, habitualis & actulis sanctitas non distinguantur, & non se habeant sicut B & A non videtur quidem in sensu morali plus inferri & aliud, ab jure cœli, quòd non inferatur à dignitate cœli, sanctitas tamen à gratia, & sanctitas ab actu, majorem diversitatem.

Non Satisfacit III. Illa sanctitas desumibilis ab habitu & actu, vel est eadem vel diversa, si eadem; ergo illæ duæ sanctitates habebunt se ut duo gradus albedinis, qui semper faciunt magis intensam albedinem; si autem sunt diversæ illę sanctitates; ergo unaquæque tribuet suam diversam denominationem, & tunc, cum una, sit ut tria, & alia ut tria, facient & denominabunt sanctum ut 6.

Neq; valet si dicas, quòd effectum formalem sanctitatis, quem deberet tribuere, actus inveniat tributum ab habitu, non inquam valet, quia præexistens forma advenientem miraculosè seu connaturaliter aliam formam, non impedit à tribuendo effectu formali primario, ut patet in duabus formis miraculosè idem subjectum informantibus; ergo nec prior sanctitas impedit, quominus effectus hunc tribuat posterior sanctitas; immò potius deberet à gratia non tribui sanctitas, priùs enim est actus contritionis & postea infusio gratiæ. *Hinc aliter.*

Respondetur. Ad Ob. imprimis concedendo interim, quod habens actum & habitum, magis sit futurus sanctus, quàm qui haberet solum habitum, neque enim in hoc illius absurdi convinci potest responsio; si enim fecisset decretum Deus de non danda gratia, numquid non potuisset facere decretum de dando cœlo omnibus se ut oportet amaturis; quo casu jam esset sanctior ille qui haberet talem actum; è contra si Deus daret gratiam, unusque exerceret primùm actum amoris, & alter nullum omnino eliceret actum supernaturalem, numquidnè tunc pluribus titulis, hic secundus non esset instructus ad depellendum peccatum, quod fortè præextitit. Standoautem in in hactenus dictis.

Dici posset eum qui habet actum & habitum, magis esse sanctum; hoc est pluribus titulis incompossibilibus peccato, sed non fore magis sanctum, hoc est distinctim pro actibus, distinctim pro habitibus præmiandum cœlo, eò quòd hoc præmium Deus sit pactus se daturum, nonnisi secundùm gradum specialis participationis naturæ Divinæ, quæ habetur in sola gratia, præcipuè verò quia fieri & ipse terminus seu factum esse, habent se per modum unius; jam autem sanctitas actualis, quæ est ex vi actûs animæ, & ipsa gratia habitualis, habent se per modum fieri & facti esse ut ait S. Thom. 1. 2. qu. 113. a. 5.

Instat I. Idem Ovied. sequi ex opposita sententiâ, quòd animæ in purgatorio dum se exercent actibus dilectionis Dei, quamvis non crescant in merito, quia sunt extra viam, crescere in sanctitate, est enim ille actus ex suâ naturâ sanctitas.

Responsum Jam est. Crescere animas purgatorii in sanctitate, hoc est in titulis incompossibilibus cum peccato, licèt non crescant in sanctitate, hoc est speciali partipatione naturæ Divinæ jureque cœli.

Instat II. Adfertque varias paritates.

I. Paritas est. Actu contritionis si ponatur necessarius, non sanctificat sanctitate permanenti moraliter, quia permanentia moralis debetur soli actui morali & libero. Ergo neque actus contritionis liber sanctificabit.

II. Paritas. Actus contritionis naturalis non sanctificat. Ergo nec sanctificabit actus contritionis supernaturalis.

III. Actus contritionis non potest meteri primam gratiam de condigno. Ergo neque sanctificare.

Respondetur. Quod ad primam paritatem attinet, quamvis actus necessarius non sanctificaret permanenter, nondum probatur, quòd non possit sanctificare, quamvis non permanenter. Rursùs quamvis sanctificatio permanens moraliter, non possit haberi ab actu necessario, petendo permanentiam moralem ab ipso actu morali; potest tamen adferre sanctitatem permanentem moraliter, ratione effectûs à se positi, qui est abolitio peccati habitualis, quòd erat permanens moraliter. Independenter autem ab hoc principio, ex eo actu non sanctificat completè actus necessarius, quia

quia constat à Deo acceptari, solos actus liberos, ut illis subjungat acceptationem & infusionem gratiæ.

Nec valet, quod gratia sanctificans hominem sanctificet sine ulla bonitate morali, nam illa non est in se capax bonitatis moralis ut est capax actus vitalis contritionis, & ex alia parte, aliunde habet bonitatem moralem ratione scilicet antecedentium actuum in adulto bonorum moraliter. Cæterùm si Deus aligaret condonationem à se ponendam, etiam actui necessario, non videtur, quî tunc ille in circumstantia condonationis, non esset simpliciter deletivus peccati, præcipuè cum adferat (exclusa libertate) actus necessarius contritionis, prædicata formaliter opposita aversioni à Deo, qua stetit peccatum.

Quod attinet ad secundam paritatem, dici poterit naturalem conversionem ad Deum & aversionem à creatura, habere quidem prædicata utcunque oppositа aversioni à Deo, non tamen sanctificare ex pluribus capitibus; imprimis quia sanctitas ex vi & essentia sua dicit aliquid Divini; hinc in materia de Incarn. deducitur humanitatem Christi Domini, sanctificari à Persona Verbi, quia Persona Verbi, est quid Divinum. Porrò hoc ipsum esse Divinum non debet accipi pro qualicunque esse Divino, aliàs etiam bruta, essent sancta, nam etiam suo modo sunt imitationes & participationes esse Dei, sed hoc esse Divinum, debet sumi pro Esse Divino superexcedenti, quòd esse superexcedens non competit, nisi actui supernaturali. Rursùs actus naturalis eo titulo non sanctificat, quia non potest in illo ostendi ulla radicalis dignitas exigendæ condonationis à Deo, quia hæc condonatio, est excessiva virium naturæ.

Quod attinet ad tertiam paritatem: si antecedens procedat de gratia habituali, negatur consequentia estque dispar. in hoc, quia meritum de condigno ut traditur in materia de merito, supponit ex Dei ordinatione constitutionem in esse filii Dei per gratiam, quòd esse, quia non supponitur cum primum conteritur homo de mortali, fit, ut non possit homo dici promerens tunc primam gratiam de condigno; sanctificatio autem in sensu adlato, non indiget nec probari potest, quod indigeat informatione per gratiam. Quodsi nomine primæ gratiæ intelligatur auxilium supernaturale ad ipsam contritionem requisitum, facilè ex absurdo colligitur, quòd non possit contritio utpote effectus, esse causa meritoria suæ causæ, hoc est, ipsius auxilii, ex quo fit contritio; tale autem absurdum non ostenditur, si sanctificatio tribuatur contritioni.

Ponunt aliqui robur in eo, quia Trid. dicit unicam causam formalem nostræ justificationis esse gratiam. Sed id jam supra explicatum est, imò aliqui notant ex S. Thom. 1. 2. q. 13. a. 1. & ex Trid. Sess. 6. cap. 7. quòd tota collectio habituum ad justificationem deservientium possit dici justificatio, dicit enim Trid. Justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Justificationem per collectionem quandam donorum explicat etiam Vega, Soto, & alii.

IV. Argumentum est. Forma positiva, quæ aliquid excludit formaliter debet ad illud comparari, vel tanquam ad privationem sui, sicut lux ad tenebras, vel tanquam ad formam sub eodem genere contrariam, puta sicut calor ad frigus; contritio autem non comparatur ad peccatum habituale, tanquam ad privationem sui, aliàs quoties in privatione contritionis essemus, toties in peccato habituali essemus; neque comparatur contritio tanquam forma contraria ad habituale, cùm habituale, non sit ratio positiva.

Respondetur. Inquirendo, quî in moralibus conversio ad Petrum opponatur aversioni à Petro, consimili enim modo peccato habituali opponitur contritio, & sicut durat habituale peccatum Physico moraliter, ita & contritio opponitur peccato Physico moraliter. Potest etiam dici quod conversio inclusa in contritione, & aversio inclusa in peccato, sint tanquam formæ sub eodem genere contrariæ, genus autem erit actio versandi circa bonum.

Instatur. Positâ in subjecto formâ tenetur Deus ponere formalem ejus effectum, non tenetur autem ponere remissionem peccati & veniam, quia hæc dicitur à Tridentino nonnisi impetrari à contritione.

Responsum jam est supra.

V. Argumentum ex Esparza, quod desumitur ex S. Th. hic q. 87. a. 2. ubi dicit peccatum lethale opponi & quidem essentialiter gratiæ habituali, & non soli actui charitatis. Ergo peccatum lethale ita tollitur per gratiam habitualem, ut tolli nullatenùs possit absque ejus positione.

Respondetur. Retorque arg. Peccatum lethale non solum opponitur gratiæ habituali, sed etiam conversioni ad Deum vitali, vel actuali, vel moraliter permanenti. Ergo peccatum lethale ita tollitur, ut tolli nullatenùs possit absque vitali actuali vel moraliter permanenti conversione ad DEUM. Ex alio capite non convincit idem argumentum, quia non apparet, cur non posset committi peccatum mortale stans in aversione à DEO, & conversione ad Creaturam, quamvis nulla tolleretur gratia, imò quantumvis foret impossibilis. Denique ex eo capite ar-

gumentum non concludit, quia quamvis impossibile esset, peccatum remitti sine infusione gratiæ, nondum apparet cur sanctificatio partialis, tribui non possit contritioni, sicut quantumvis impossibile sit constitui hominem pro statu Physico completo sine forma, tamen etiam materia, partialiter constituit hominem.

Ad alia quæ adfert idem Author solvenda.

Noto I. Quòd peccatum non solum opponatur Charitati quæ est gratia, sed etiam ei, quæ est actus. Deinde quod sicut gratia habet inamissibilitatem suam, quantum est ex parte Dei, modo illam non expellat homo; sic etiam & actus quantumvis præteritus, dicit inamissibilitatem Physico moralem, modo illum actum non retractet creatura, tunc enim primum posset creaturam odisse Deus.

Noto II. Quòd in amenti lucidum intervallum tollatur oppositio, nempe dementia invadente, & actus qui præteriit lucidi intervalli, non tribuit illis denominationem sibi præsentis, quia tollitur oppositio: jam autem quando aliquis actu proprio convertitur ad Deum, manet in illo denominatio conversi, nec supponitur illam per peccatum. Quando autem inferius urget quod justificatio tribuatur in Scriptura Deo, quatenus manenti & habitanti in nobis, id etiam non convincit, id enim intelligi potest, de sanctitate, inquantùm dicit specialem participationem naturæ Divinæ.

Noto III. Duplici titulo indignitatem æternæ vitæ induci à peccato. Primo, per aversionem à Deo. Secundo, per obligationem satisfactionis, quæ à pura creatura pro mortali non potest poni, prima illa indignitas, tollitur contritione, secunda non tollitur, sed id non destruit rationem formæ sanctificantis, quia nec gratiæ quidem id competit ut dictum est, & tamen gratia est forma sanctificans. Et certè si intelligatur per dignitatem ultimi finis consequendi solum esse conversum ad Deum, id habetur plenè à contritione, sed si nomine dignitatis intelligatur, etiam participatio naturæ Divinæ, hæc non habetur præcisè per contritionem, sed nego id esse de ratione sanctitatis ut sic; posset que dici quòd contritio habeat etiam dignitatem de facto consequendi ultimi finis in circumstantia condonationis Divinæ, quam radicaliter deposcit. Dixi de facto, quia non est de ratione sanctitatis ut sic, conferre eam dignitatem; quod ipsum Probatur; quia sine ulla injuria, potuisset Deus fecisse decretum de non danda cuiquam gloria cœlesti, & tamen tunc potuissemus esse verè sancti.

Noto IV. Quòd quamvis contritio de facto quando primo post peccatum elicitur, non habeat vim condigni meriti ad consecutionem ultimi finis, nego tamen quòd non potuisset habere, si à Deo acceptata fuisset.

Noto V. Quomodo per modum Causæ formalis, conferat condignitatem ad vitam æternam, eò quòd quantumvis sit contritio quid transiens, est tamen inclusiva habitualis moralis permanentiæ, etiam transacta actione, & si nunquam retractetur habitualiter moraliter in æternum manebit.

Continuatur Solutio.

VI. Argumentum ex Haunoldo lib. 2. n. 690. Si perfecta dilectio esset forma emundans à peccato, sequeretur quod emundatio à peccato, non esset beneficium distinctum à beneficio auxilii efficacis, dati ad hanc dilectionem obtinendam: cum per Sacram Scripturam & Patres, sit beneficium distinctum, & hoc indicant verba illa Zachariæ Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, & aliæ auctoritates.

Respondetur. Quod emundatio à peccato, sumpta pro forma habente prædicata opposita prædicatis peccati, non sit beneficium distinctum à beneficio auxilii efficacis, dati ad hanc formam; licèt sit beneficium speciale, distinctum à beneficio auxilii efficacis, emundatio à peccato, sumpta pro forma constituente in Esse Filii Dei. Et si quod est beneficium, distinctũ à beneficio auxilii efficacis dati ad contritionem emundatio à peccato, illa specialitas beneficii stabit in hoc, quòd est beneficium speciale, ut etiam Deus pro sua parte remittat peccatum & convertatur misericorditer, qui actus conversionis Divinæ non est necessitate connexus cum ipso actu amoris Divini; licèt Deus amanti homini subnectat suam condonationem vel gratiæ infusionem quia ut loquitur Leo Epist. 91. ad Theod. apud Deum non patitur veniæ moram vera conversio. Quod etiam voluit Fulgentius, Augustinus, Isaias, Jeremias, Ecclesiastes citati apud eundem. Et quia non est hoc indispensabile ut amanti Deum conferatur gratia & subnectatur condonatio Divina ob improportionem, quam habet Amor ad magnitudinem offensæ peccati ideo non obstante Pœnitentia, posset Deus non exhibere hanc suam misericordiam. Locus autem Augustini lib. 83. Quæst. Quæstione 68 & libro 1. retractationum cap. 26. hoc solum vult: quod voluntas quæ præcedit, ut Deus nobis misereatur, sit voluntas, sed per misericordiam Dei præventa, ut sese opponeret Semi-Pelagianis, qui exigebant antecedenter ad justificationem bonam voluntatem, non oriundam ex auxilio sic ut oportet. Quando autem etiam posita pœnitentia expriват Sacra Scriptura Joëlis 2. Actor. 8. quasi sub incertitudine eventus remittendum peccatum solum ostendit improportionem hujus actus cum condonatione peccati & sine jure esse, compensandi offenso Deo.

VII. Ar-

VII. Argumentum. Ejusdem est, quia Tridentinum Sess. 6. cap. 6. Justificationem describit per statum quendam adeòque significat aliquid stabile cum actus dilectionis sit quid transiens. Dicit item quòd faciat justificatio filium adoptivum.

Respondetur. Loqui illic Tridentinum non de Justificatione sumpta pro forma habente prædicata opposita prædicatis peccati, sed de justificatione sumpta prout importat formam constituentem in ratione participantis Specialiter Naturam Divinam.

Instat I. Et supponit quòd votum Sacramenti Baptismi & Pœnitentiæ aliud non sit quã contritio perfecta, quo supposito sic urget. In eo genere causæ debet contritio conferre justificationem, in quo genere eam confert ipsum Sacramentum, quod illam non confert in genere causæ formalis.

Respondetur. Quod justificationem sumptam pro forma constitutiva inesse Filii Dei non conferat contritio in genere causæ formalis, sed ad sic nonnisi sumptam justificationem est dispositio contritio.

Instat II. Urgendo Tridentini Sess. 6. can. 9. ubi Anathema dicitur iis qui ad justificationem negant impium suæ voluntatis motu disponi; Atqui nullo voluntatis motu deberet quis præparari & disponi ad justificationem, si contritio esset formalis justificatio. Nam ad hanc, nullus actus voluntatis, quanquam præparatio & dispositio, est necessarius.

Respondetur. Loqui illic Tridentinum de justificatione sumptã pro forma constituente inesse Filii DEI adoptivi, & sic sumpta justificatio, requirit motum voluntatis.

Instat III. Ex Tridentini Sess. 14. cap. 4. Sed adhuc locum responsum supra num. 16. Quando autem ait, Si contritio perfecta non esset votum Sacramenti, non haberet vim reconciliandi, est autem ei contingens, esse votum Sacramenti, nam si Sacramentum non esset sub præcepto, contritio non esset votum illius. Id etiam non convincit. Nam contritio in universum, est votum implendi ea, quæ requiruntur ad consecutionem ultimi finis, adeòque & votum Sacramenti, si illud requiratur, non futura cætero qui votum illius, si non requireretur Sacramentum. Auctoritas Chrysostomi hom. 80. ad populum non loquitur de Amore sed de Pœnitentia & quamvis loqueretur hoc solum significaret, quòd amor non habeat vim satisfaciendi pro peccato, indigeatque condonatione divina.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Argumenta Sententiæ Affirmantis.

I. Argumentum est ex Vasquez quod format ab auctoritate. Eò quòd Scriptura & PP. sæpè tribuant charitati sanctificationem animæ ut Joan. 4. Si quis diligit me, mandata mea servabit, &c. ad Colos. 1. dicitur esse vinculum perfectionis. 1. ad Tim. Finis præcepti & consumatio, ad Rom. 13. Plenitudo legis. Prov. 1. universa peccata operiens. Similia habet. Aug. lib. de natura & gratia c. 42. l. de m. Ec. c. 11. 12. 13. Serm. 11. ad FF. Tract. 9. in epist. Joan. ante medium, quæ omnia loca recitat Vasquez. Idem docet Greg. hom. 38. in Evan. & 31. Chrys. h. 7. in 2. ad Ti. Hier. ep. 27. Bern. l. de modo bene vivendi ad sororem. c 10. Ser. 83. in cantica. quod autem his locis, præcipuè Aug. agat de dilectione pro actu, non pro habitu sumpta.

Ratio est, quia in primo loco Aug seipsum explicans de qua charitate agat, dicit se agere de charitate ex corde puro, & de charitate contemnente vitam, & secundo loco ait de charitate, qua reditur ad Deum &c. Unde etiam colligitur Aug. itemque Scripturam non loqui de charitate tanquam disponente ad sanctitatem; quia verba Scripturæ sunt accipienda ut sonant, nisi sit absurdum, non obstat autem accipere illa ut sonant; si autẽ sic accipiantur simpliciter illi debet tribui sanctificatio; quia effectus simpliciter non tribuitur dispositioni, sicut nec ustio tribuitur rigorosè approximationi. Sanctificationem autem Aug. tribuit ipsi charitati; nam cum dixisset loco apud Vasquez cit. *Dilectione credit in Deum* (supple anima) subjungit, *sed rursus cavere debet, ne ab ipsius DEI charitate, qua sanctificatur, ut beatissimus maneat; alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur.* Cap. autem ejusdem loc. 13. Huic (hoc est Deo Patri) *hæremus per sanctificationem, sanctificati enim plena & integra charitate flagramus*, agere autem hic Aug. de actuali charitate ipsa Phrasis flagrandi indicat, & simul quod subdit; *quia* inquit, *hæc sola efficitur, ut à Deo non avertamur, eique potius, quàm mundo huic conformemur*, non averti autem à Deo, & illi conformari actum nostrum indicat. Quamvis autem dicatur, quòd Eleemosyna extinguat peccatum, & Christus Dominus appelletur nostra Justitia, non sequitur eodem modo hæc verba accipi debere, quo accipiuntur in nostra sententia prædictæ Augustin. & Scripturæ Phrases, nam esset absurdum dicere quod Eleemosyna sit forma sanctificans, cum possit stare cum actuali voluntate peccandi, nullum autem simile absurdum est,

est, si sanctificatio quæ attribuitur à Scriptura amori ipsi, tribuatur ei, ut formæ sanctificanti, non verò tanquam dispositioni.

Responderi potest argumento, quòd & Sciptura & Aug. tribuunt charitati vim sanctificandi, accipiendo sanctitatem pro conversione ad DEUM, & aversione à creatura, idque expressè innuunt verba Aug. citati, nam illi charitati tribuit rationem sanctificantis quæ redit ad DEUM, & quaà DEO non avertimur, sed non tribuit sanctitatem inquantùm sanctitas dicit participationem specialem naturæ Divinæ.

Instat Vasquez. Si quis existens in mortali antequam in hac vita justificaretur, assumeretur ad videndum clarè DEUM & diligendum absque ullo habitu gratiæ & charitatis, nemo negaret fore eundem beatum. Ergo etiam erit justus & sanctus, & eo ipso à macula peccati mundatus. Ergo etiam charitas in via justificat, charitas enim viæ & patriæ, est eadem. Plures responsiones huic argumento adducit & dissolvit Lugo cit. n. 130.

Respondetur. Qui vidit DEUM, vel supponitur amare illum, vel non supponitur; si supponitur, poterit sanctificari illo amore, nec obest quòd ille amor non sit liber, peccatum sit liberum, quia ad rationem sanctitatis ut sic, libertas non requiritur, non enim liberè DEUS sanctus est & tamen sanctus est; si autem non amabit DEUM nec erit completè beatus, consequenter nec debebit esse in statu omnes miserias excludente, adeòque posset Divinitus stare illa visio sine voluntate retractante, eò autem casu quo sanctificaretur per amorem beatum, redderetur quidem sanctus sanctitate necessariæ aversionis à peccato, sed non sanctitate quæ esset participatio naturæ Divinæ. *Ad reliqua solvenda,*

Noto. Eum, qui sine habitu diligeret DEUM, fore unum spiritum cum eo, non per participationem naturæ Divinæ, adeòque non per unitatem radicalis sanctitatis, sed fore unum spiritum per affectum, habebitque talis & DEUM in se manentem, & semen DEI intra se, non per participationem naturæ Divinæ specialem, sed per affectum, qui transfert amantem in amatum, diligeretque illum DEUS tanquam bene affectum suæ bonitati, sed non diligeret tanquam habentem specialem participationem naturæ Divinæ. Deinde diverso respectu est potentior contritio quàm fuerit peccatum originale, quia contritio formaliter convertit, peccatum autem originale, ut dicit Vasquez, nonnisi virtualiter avertit à DEO, alio tamen respectu non est potentior Contritio peccato, sive originali sive actuali, quia utrumque hoc importat infinitatem quàm non importat contritio, quamvis autem suo modo contritio sit potentior originali, non inde sequetur quòd adferat se solâ, specialem participationem naturæ Divinæ.

II. Argumentum est Dicastillo. Habitus charitatis formaliter sanctificat hominem, ergo & actus. Consequentia Probatur, si habitus charitatis sanctificat; id solùm habet, quia est forma elicitiva actus charitatis; ergo idem longè magis faciet ipse actus.

Responderi potest, in principiis eorum qui habitum charitatis à gratia non distinguunt, cum quibus sentiendum est: & in ista sententia negabitur, ideo sanctificari hominem ab habitu Charitatis, quia est principium elicitivum actus, sed ideo quia est intrinseca participatio eaque specialis naturæ Divinæ. Rursùs in sententia non identificante gratiæ habitum charitatis, dici poterit, non ideo sanctificari hominem, quia charitas est principium elicitivum actuum, sed quia datur gratia, quæ est radix ipsius habitûs charitatis. Independenter autem ab hoc principio dici potest, sanctificare quidem actum, hoc est, ponere aliquid incompossibile cum peccato, sed non sanctificare inducendo se. ipso specialem participationem naturæ Divinæ. Et sicut actus ratiocinandi non constituit hominem in ratione hominis, sed supponit aliunde constitutum per radicem ipsius intellectus; sic etiam in præsenti, per radicem horum omnium, constituitur homo, in esse participantis naturam Divinam, quæ radix est gratia.

Instat Dicast. Beatitudo DEI consistit in eo, quòd DEUS seipsum summum bonum agnoscat & amet, consequenter participatio ejusdem Deitatis, consistet in actuali conjunctione cum summo bono, per operationes intellectus & voluntatis, ipsæque operationes, erunt conjunctio formalis. Ergo & participatio summi boni in hac vita, in operatione potiùs, quàm in habitu consistet.

Respondetur. Independenter ab actione videndi, non potest salvari possessio intentionalis summi boni, sola enim visio ex genere cognitionis Intellectualis habet, possidere objectum; & si non potest sine operatione salvari possessio summi boni, non potest sine operatione salvari beatitudo, quæ stat in illa possessione; jam autem participatio specialis naturæ Divinæ, salvari potest, imò & debet per aliquid, quod non sit operatio, quia nulla operatio creata est per modum naturæ & radicis trahentis se, cum reliqua omnia in illo ordine entium contenta.

III. Argumentum est ex Ripalda. d. 99. n. 41. donum dignum remissione peccati, est forma sanctificans, hujusmodi est actus charitatis. Ergo ille est forma sanctificans. Minor probatur. Tum quia ita docuit D. Aug. lib. 83. quæstionum q. 68. Tum quia, idem habet Cyrillus Hier. Cyrillus Alex. & alii.

Respon-

Respondetur. Formam sanctificantem duplicem esse, imprimis sumptam pro participatione naturæ Divinæ, & hæc soli gratiæ convenit. Deinde sumi potest pro forma supernaturali, formaliter oppositæ peccato, & hæc tribui potest amori & contritioni, imò hoc videntur evincere auth. adlatæ, maximè S. Aug. & quidem si ut sonat ex Aug. authoritas adlata, accipiatur, erit contra Ripaldam; nam esse dignum justificatione & nondum esse justificatum, non est esse justificatum; cum ergo dilectione per Aug. reddamur digni justificatione, & illâ, ut ait ibidem August. nondum sumus justificati, deberet contra Ripal. dilectioni non tribui ratio justificandi. Multa etiam loca non plus important, quàm quod contritio sit opus sanctum, inde autem non sequitur esse illam sanctificativam, nam etiam credere est opus sanctum, & tamen credere non sanctificat.

Instat I. Ideo gratia sanctificat quia est participatio Divinitatis, quod etiam actus Charitatis habet. Ergo. Minor probatur, quia Aug. dicit, Deum diligis quid dicam? Deus eris; idem habet Cyrillus Alex. Dionysius, de Eccl. Hier: cit. apud eundem.

Respondetur. Hoc argumentum solvendum esse ipsi Ripal. ille enim sub initium hujus disp. negat quòd actus sanctificet per modum naturæ & radicis supernaturalis.

Directè autem responderi potest, quòd Charitas sit participatio Divinitatis affectiva; nam amans transit in amatum, sed non est participatio Divinitatis, hoc est, naturæ Divinæ, per modum radicis; & hoc modo explicari debet, quòd Deus sit in eo, in quo est Charitas, item locus S. Aug. quem citat idem ex Tr. 7. in Joan. Unde ulterius dicitur, quòd in actu amoris, sit quidem continentia quædam virtualis omnis sanctitatis, sed alio modo quàm in gratia; nam continentia sanctitatis in actu amoris, est continentia per modum imperii, non quomodocunque, omnes enim virtutes sese adinvicem imperare possunt, sed per modum imperii & per modum alligationis obligationisque specialis, quæ obligatio in hoc stat, ut desinat esse actus charitatis, si non imperet cum debet, aliam virtutem, non desineret autem vel fides habitualis vel actualis, quantumvis non imperaret aliquem actum v. g. temperantiæ. Rursùs charitas continet virtualiter omnes alias virtutes, in quantùm connaturale ei qui amat, omnia facere in gratiam amati. Alia autem est continentia, qua continetur omnis sanctitas in gratia, quia in illa tanquam in principio & radice continentur reliqui habitus.

Instat II. Actus charitatis reddit nos dignos dilectione amicitiæ Divinæ. Tum quia Joh. 14. dicitur diligens à Patre diligendus. Tum quia dicit S. Aug. tr. 76. in Joan. qui diligunt, quia diligunt, eliguntur. Tum quia ita sentit Anselmus in Men. c. 67. Bern. Ser. 71. 83. in Can. Tum quia Prosper de vita Con. l. 3. c. 14. dicit etiam S. Paulum eam dignitatem agnovisse in charitate, quando dicebat, sine illa se nihil esse: jam autem reddere dignum dilectione amicitiæ Divinæ, pertinet ad formam sanctificantem.

Responsum est, quo sensu Charitas reddat nos dignos dilectione amicitiæ Divinæ, sed si attendatur ad ipsum robur arg. parum convincit, quia etiam actus fidei factus à justificato, reddit illum dignum dilectione amicitiæ Divinæ, imò & omnia opera supernaturalia facta in gratia sunt meritiva de condigno vitæ æternæ, nec tamen sunt formæ sanctificantes.

IV. Argumentum est Mæratii apud Ovied. cit. arguit ille ab auctoritate Trid. quod Sess. 6. c. 7. agens de Justificatione per communicationem meritorum Christi Domini, quando scilicet diffunditur charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum S. addit, quod sola fides & spes, nisi accedat charitas, non sit perfectè unitiva.

Respondetur. Cum hîc non agatur de actu charitatis, sed de habitu, qui identificatur gratiæ, non plus dicitur quàm quod sine gratia non habeatur perfecta unio cum DEO.

Instat. Pœnitentiæ specialis virtutis proprius est actus intentio satisfaciendi pro peccato. Ergo & objectum hujus intentionis debet esse aliqua forma, quâ Deo satisfaciat homo pro macula peccati; hæc autem non est habitus gratiæ, quia satisfactio importat actionem, ergo debet esse actus Charitatis.

Respondetur. Cum pro mortali nulla creatura satisfacere possit, quando illic est intentio satisfaciendi, non plus habetur, quàm intentio ponendi requisiti ex parte creaturę, ut sequatur applicatio satisfactionis, ex vi meritorum Christi Domini & positio gratiæ.

V. Argumentum est ejusdem. Si non ponatur contritioni competere vis sanctificandi formaliter, posset Deus odio habere illum, qui ipsum diligit super omnia, & posset esse beatus aliquis, etiam integraliter, & tamen habere summam peccati miseriam. Sequela probatur, quia si amor DEI non est forma sanctificans, nulla est ratio, cur non possit cum peccato componi, ipsumque peccatum cum visione & amore.

Respondetur. Non posse stare peccatum cum amore, quia non potest stare aversio cum conversione; absolutè tamen sicut peccatum & gratia, per nos, ita Divinitus etiam conversio cum aversione stare secum possent,

possent, diligitque Deus de facto ipsam dilectionem tanquam medium conversionis ad se, sed non diligit tanquam specialem participationem suæ naturæ. De visione supra responsum est.

Ad alia autem quæ adfert solvenda.

NOTANDUM est, quòd quando homo Deum & Deus amat hominem, habeatur tunc amicitia hoc est dilectio, sed non habetur amicitia stans in communione bonorum, quam ex instituto per modum signi exercet Deus, infusione gratiæ, & hoc habetur tunc, quando DEUS dat, creatura accipit gratiam.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sit sentiendum de tota Difficultate.

DICENDUM est I. *Accipiendo sanctitatem pro forma supernaturali, formaliter depulsiva peccati, contritio & amor Dei, sunt sanctitas formalis.*

PROBATUR I. Auct. iis quæ adlatæ sunt pro sententia Vasquez. Insuper. Stat pro hac sententia locus ille Evangelii. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum; ex quo loco sic formatur argumentum: Quòd pro ratione depulsionis peccati adferri potest, illud est forma depulsiva peccati, sed contritio & amor Dei pro ratione depulsionis adferri possunt ut adferuntur in loco cit. Evang. ergo contritio & amor sunt formæ depulsivæ peccati. Et certè posito quòd dubitaretur de mente alicujus: an tenuerit quòd gratia sit ratio depulsionis peccati, & quòd sit forma depulsiva ejusdem, si talia verba invenirentur: Remittuntur peccata, quia infunditur gratia, rectè arguretur, illum tenuisse, quòd ratio depulsionis peccati, sit forma depulsiva peccati, imò quòd gratia illa sit forma depulsiva peccati. Ergo cum quid simile dicat Scriptura de actu amoris & contritione, censenda erit docere, quòd actus ille sit forma depulsiva peccati. Quodsi dicas sufficere ut sit contritio nonnisi dispositio ad justificationem hoc jam supra impugnatum est, & insuper stando in medio termino adlato, Urgeri sic potest. Si inveniatur in aliquo Auctore imò & in Patribus, quòd remittatur peccatum quia infunditur gratia, satis colligitur, quòd gratia non sit per modum dispositionis ad remissionem peccati, vel ad ulteriorem justificationem; ergo idem in præsenti dicendum erit, & si intellexisset Scriptura, quòd dilectio illa nonnisi esset dispositio, dicere debuisset, rigorosè loquendo: Remittentur ei quia dilexit; nam dispositio non tam præsentem effectum supponit saltem ratione, quàm potiùs ponendum, verbaque si ut sonant accipiantur supponunt potiùs pro remissione, quæ ex vi hujus ipsius fiat, nullumque est absurdum ut ita accipiantur.

Stat pro hac sententia Triden. Sess. 14. cap. 4. ex cujus auct. sic formatur argum. Per oppositos falsum est Contritionem, hominem Deo reconciliare idque sine addito, nam in principiis oppositorum, reconciliat cum addito, hoc est per modum dispositionis; jam autem Trid. sine addito docet Contritione hominem Deo reconciliari, quamvis autem addatur in illo textu ly *contingat* illud ly contingat additur ut servetur probabilitas, quòd attritio cum Sacramento justificet, neque enim illud ly contingat conjungitur cum remittere peccata, sed cum ly esse charitate perfectam, quòd contingit contritioni, acceptæ ut sic, pro dolore peccatorum. Eò etiam serviunt verba Trid. inibi adjuncta, ex quibus sic formatur argumentum. Contritioni per oppositos non debet tribui sine addito Reconciliatio, dispositioni enim sine addito non attribuitur ipse formalis effectus, v.g. ignitio approximationi, sed Trid. contritioni cum Sacramenti voto tribuit reconciliationem sine addito. Ergo. Stat adhuc pro eadem Conclusione phrasis Trid. Sess. 6. c. 7. ex qua auth. sic formatur argumentum. Si contritio non esset sanctificatio aliqua formalis & renovatio interioris hominis, non posset dici quod illam sanctificationem ingrediatur ratio motûs voluntarii, præcipuè cùm nullum absurdum sit, hujus conjunctionis, nempe ut conjungatur secum sanctificatio & motus noster supernaturalis, sed per Trid. ingreditur. quod ipsum

PROBATUR. Quia justificantem formam describit Trid. per voluntariam susceptionem gratiæ, & tamen debuisset dicere, quòd justificatio nostra sit ipsa gratia. Hinc Suarez oppositum sentiens propter hanc auth. vocat nostram sententiam probabilem, quanquam & ipse Lugo cit. n. 112. dicit Aversionem à Deo tolli formaliter per contritionem, quo posito sequitur, quòd accipiendo sanctitatem formalem pro forma depulsiva peccati, hoc ipso inferatur Contritionem esse talem formalem sanctitatem.

PROBATUR II. Ratione, Forma supernaturalis incompossibilis cum peccato est forma supernaturalis depulsiva peccati. Contritio & amor sunt formæ supernaturales incompossibiles cum peccato, ergo &c. Major Probatur, sui notione, quid enim magis expellit frigus, quàm id quod est incompossibile cum frigore, ita etiam quid magis expellet peccatum, quam forma supernaturalis incompossibilis cum peccato. Minor probatur. Conversio supernaturalis ad Deum, est incompossibilis cum aversione intentionali ad eundem, oppositæ enim oppositione formali prædicatorum, sunt sibi incompossibilia; ergo contritio & amor erunt incompossibiles formæ supernaturales cum peccato, omne enim peccatum est aversio à Deo, contritio

tritio autem & amor, sunt conversiones supernaturales ad Deum.

Idem sic aliter proponi posset. Posito amore transacto & conversione ad Deum transacta, si ponatur actualis aversio, erit illa incompossibilis cum conversione quæ præteriit. Ergo etiam posita conversio ad Deum, erit incompossibilis cum aversione à Deo, adeòque ejus depulsiva. Antecedens concedunt omnes qui censent Amorem & odium secum non stare, & quidem tenent omnes amorem & odium esse secum formas incompossibiles, naturaliter. Alii ponunt esse incompossibiles etiam supernaturaliter. Consequentia probatur. Ideo non potest stare cum conversione præterita ad Deum actualis aversio, quia peccatum est illi amori forma incompossibilis. Ergo & amor peccato erit forma incompossibilis, nam esse incompossibilie est aliquid relativum, si enim homo non potest esse Chimæra nec Chimæra poterit esse homo.

Denique hic ipse medius terminus sic aliter proponi posset. Conversiones & aversiones tam intentionales, quàm materiales, sunt formæ incompossibiles in aliis materiis, suntque sui ad invicem depulsivæ. Ergo idem sentiendum erit de conversione ad Deum & aversione ab eodem.

Noto nihilominùs quod hæc nostra Conclusio supponat independenter à condonatione, non esse satisfactivam illam conversionem, vel habentem vim, totaliter abolendi peccati; sed quòd de se sit radix exigitiva condonationis Divinæ: idque ob eam formalitatem, quòd adferat prædicata formaliter opposita peccato, eaque ordinis Divini.

Respondet Lugo, quòd etiam attritione, itemque actu naturali tollatur aversio à Deo, & tamen hi actus non sunt depulsivi peccati.

Contra est ex Dicast. quantumvis attritio sit sufficienter aversiva à creatura, non tamen est conversiva ad Deum, jam autem Contritio & amor, sunt & aversiva à creatura & conversiva ad Deum, quòd ipsum Probat. quia peccatum non tam dicit præcisam rationem conversionis ad creaturam, quàm potius aversionem à Deo; hinc præcipuè attendi deberet ad Conversionem ad Deum, quam non dicit attritio, quod ipsum clarè docet S. Aug. lib. de vera & falsa pœn. c. 17. explicans illa verba. Quacunque hora peccator conversus fuerit vitâ vivet. *Dixit* inquit, *Conversum, non tantùm versum vita vivere; vertitur à peccato, qui jam vult dimittere peccatum, convertitur qui jam totus & omnino vertitur, qui jam non tantùm pœnas timet, sed ad bonum Deum contendere festinat.* Explicat id idem Dicast. exemplo ejus cui mandatur ne se convertat ad occidentem, sed ad orientem, tunc si ille conversus ad occidentem convertat se ad meridiem, verùm erit quod non erit conversus ad occidentem, falsum tamen quod sit conversus ad orientem, sic etiam peccator conversus ad creaturam, & aversus à Deo, attritione avertitur à creatura, sed non convertitur formaliter ad Deum, conversio enim amantis est.

Deinde quod adfert Lugo de actu naturali & attritione id non convincit ex alio etiam principio. Imprimis, non convincit in principiis istorum, qui negant, quod actus naturalis possit super omnia ferri in Deum, sed id competere virtutibus Theologicis, quam excellentiam vocat Esparza Prælationem super omnia; sed quia hanc doctrinam puto non esse veram, ex alio principio solvitur eadem difficultas, ostenditurque præter jam dicta quare actus naturalis non sit depulsivus peccati; quia imprimis actus aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam, dicebat boni supernaturalis desitionem, hoc est, gratiæ & DEI finis superexcedentis contemptum, consequenter non poterit resarciri, nisi actu supernaturali & excedenti, tanquam proportionato & commensurabili. Rursùs quia actus supernaturalis ita dicit aversionem à creatura & conversionem ad Deum, ut simul dicat titulo prædicatorum formaliter oppositorum prædicatis peccati, ut inquam dicat exigentiam ponendæ à Deo condonationis, quam proportionem, quia non dicit attritio, ideò non potest dici illa, vel actus naturalis, esse forma depulsiva peccati. Illud autem quod cum Lugone dicunt alii contritione tolli formaliter aversionem à Deo secundùm quod perseverat habitualiter, sed non secundùm quod perseverat moraliter, id immeritò dicitur; quia si perseverare moraliter, ideò adhuc dicatur illa offensa etiam posita contritione quòd scilicet possit à Deo servari jus ad offensam & non poni condonatio, eodem jure (ut dictum supra) etiam gratia non tolleret moralem perseverantiam peccati, præcipuè verò, quia hæc distinctio in moralem & habitualem perseverantiam, confundit duo distincta; obligationem ortam ex peccato & ejusdem habitualitatem; nam qui retractat voluntatem ducendi hanc, non habet voluntatem habitualem, & tamen habet obligationem ortam ex illa voluntate habendi eam pro sua, quam obligationem induxit adinvicem acceptatus consensus.

Probari solet III. à quibusdam. Quod creditur fide supernaturali & speratur esse depulsivum peccati, illud si ponatur, erit forma depulsiva peccati, adeòque in sensu hoc formalis sanctitas. Sed actus contritionis & creditur & speratur esse depulsivus peccati. Ergo si ponatur, erit depulsivus peccati. Major Probatur. Quia fides supernaturalis & spes falli non possunt, jam autem fides credit & spes sperat contritione auferri peccata.

Respondet Esparza. Non sufficere ad

*(1) justi-

Justificationem, incompossibilitatem purè intentionalem cum peccato, nec connexionem itidem intentionalem cum remissione peccatorum, quia totum hoc convenit actui fidei de justificationis gratia jam obtenta, aliisque actibus, & tamen nemo dicit hos actus esse justificativos formaliter. Itaque requiretur ut ratio formæ justificantis sequatur magnitudinem perfectionis formæ, quæ magnitudo non ostenditur inesse actui dilectionis.

Contra est I. Quia si nomine incompossibilitatis intentionalis, intelligatur sola incompossibilitas cogitata, falsum est quòd hanc solam, dicat conversio per contritionem & aversio per peccatum. Quòd si nomine incompossibilitatis intentionalis, intelligatur incompossibilitas actuum voluntatis, qui etiam actus vocantur intentiones, verum est quòd conversio & aversio prædicta sint intentionalia, sed negatur talia intentionalia, non esse sufficientia, ut sibi formaliter opponantur.

Contra II. Quia longè aliter opponuntur sibi Conversio supernaturalis cum aversione, quam fides de remissione & negatio remissionis, non enim hæc postrema excludunt sese tanquam formæ oppositæ prædicata dicentes, proportionatè & formaliter: sed nonnisi tanquam exigentia, ut ita se objectum habeat, ut dicit fides; & sicut si Deus revelaret, quòd frigus expellat calorem, nec revelatio, nec actus fidei expelleret calorem, sed solus calor fidesque, connecteretur cum expulsione, terminativè & per modum objecti, ita & in præsenti.

Contra III. Quia immeritò dicitur quòd nonnisi ex magnitudine perfectionis colligi debeat: An aliquid sit forma depulsiva peccati; nam lumen gloriæ, visio item & beatitudo sunt formæ perfectiores quam gratia; & tamen in plurium sententia, non sunt formæ formaliter justificativæ.

Nihilominùs adlatum argumentum non convincit, quia quamvis detur actus fidei credens contritione depelli peccatum, quia tamen non credit id fieri à contritione tanquam à forma depulsiva, non sequitur exinde, contritionem esse formaliter depulsivam peccati; quod autem non credat à contritione tolli peccatum tanquam à forma depulsiva, vel exinde oritur, quia probabilitas sententiæ oppositæ ostendit non debere id credi. Addo ex isto credere non posse hîc & nunc firmum argumentum desumi, sequitur enim contritionem non esse formam sanctificantem, casu quo quis credat solam gratiam, esse sanctificantem, ne enim reddatur hic actus falsus, debet esse contritio non sanctificativa.

Dicendum II. *Sanctitatem formalem accipiendo pro speciali participatione naturæ Divinæ, illa non poterit haberi nisi à sola gratia,* nec habebitur à solo amore & contritione.

Probatur I. Quia ad salvandas phrases locutionesque Trid. & Patrum est necesse invenire acceptionem sanctitatis, respectu cujus contritio sit per modum dispositionis, hoc autem habebitur si prædicta Conclusio teneatur.

Probatur II. Accipiendo sanctitatem ut describitur, si posset competere contritioni esse talem sanctitatem, & esset contritio specialis participatio naturæ Divinæ: & non esset; esset ut supponitur, non esset autem quia specialis participatio naturæ Divinæ, est specialis participatio radicis reliquarũ omnium perfectionum in ordine supernaturali, nomine enim naturæ venit principium motûs & quietis, quale principium non est contritio vel amor, quia hæc comparantur in ordine supernaturali ad statum supernaturalem, sicut volitio in ordine naturali ad statum naturalem, quæ non est natura.

Probatur III. Quia nisi ita ut Conclusio describit sumatur sanctitas, & nisi ita sumpta tribuatur soli gratiæ, non poterit salvari doctrina Trid. quod decernit Sess. 6. c. 7. unumquemque in se recipere justitiam suam, & ibidem can. 11. anathematizat eos, qui censent non justificari nos charitate & gratia inhærente, fundaturque in illo ad Rom. 8. ubi dicitur vivificari nos per inhabitantem Spiritum Dei in nobis.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. ex Lugo. Si contritio est forma depulsiva peccati, partialiter nos justificaret; hoc dici non potest. Tum quia jam ante adventum gratiæ, homo, verè non esset peccator. Tum quia à Trid. Contritio appellatur nonnisi dispositio ad justificationem, id autem quod est pars, non est dispositio. Tum quia sequeretur transacta contritione, non manere physicè formam integram, à qua homo denominetur justus, sed partim physicè, partim moraliter, dum non retractatur, consequenter adultus non esset tam complete justificatus atque infans, qui completè justificatur, per habitum gratiæ.

Respondetur. Quod neget quidem Vasquez & Turrianus, Contritione de facto expelli peccatum, eò quòd supponatur expulsum à gratia, de facto tamen expelli à contritione peccatum docuit Dic d. 2. num. 332. quamvis cum aliqua explicatione, quia contritioni tribuit solam vim formaliter satisfaciendi, vim autem expulsivam soli gratiæ. Ripalda autem D. 99. num. 72. docet partialiter

liter justificare contritionem. Et certè immeritò dicit Vasquez quòd Contritio supponat peccatum remissum, nam contritio & gratia simul sunt tempore, imò prius natura supponitur contritio quàm gratia ut dictum supra, cum autem contritio habeat vires depulsivas peccati, non apparet cur de facto ea depulsio contritioni tribui non possit. Et cum etiam contritio sit in suo genere sanctitas, deposcatque depulsionem peccati completam, eò quod deposcat poni à Deo condonationem, non apparet cur de facto non dicatur expellere peccatum.

Oppositum non suadent rationes de Lugo, nam quod dicit sequi inde quod ante adventum gratiæ homo verè non esset peccator, id non convincit, quia si agatur de antequam reali & physico, falsum est; nam simul physicè ponuntur contritio & gratia; si autem ly antequam procedat de antequam ratione, non esset quidem peccator in illo priori rationis quo ponitur contritio accipiendo peccatorem pro aversò à Deo, sed in quantum peccator sumitur pro eo qui dicit privationem gratiæ in pœnam peccati commissi, tunc ante infusionem gratiæ, nondum intelligeretur dicto in sensu, non esse peccator.

In aliis autem quæ adfert non multùm est roboris, dictum enim est suprà, quo respectu contritio sit dispositio, quo forma; & sicut formæ partiales in sententia eorum qui eas tenent, diverso respectu sunt dispositio ad animam rationalem, diverso respectu sunt forma, ita & in præsenti.

Immeritò etiam assumit, quod omne illud cui potest tribui ratio justificantis debeat esse nonnisi permanens, quod autem dicit sequi exinde nullum adultum esse completè justificatum; in re non habet difficultatem; quia si completè justificatus dicitur parvulus, quia habet gratiam, hanc habet etiam adultus; quodsi ideo dicatur completè justificatus parvulus, quia non habet actum transeuntem incompossibilem cum peccato, id verum est, sed quis propterea dicet parvulum completè justificatum.

Instat I. de Lugo. Peccatum habituale includit in suo conceptu actum præteritum non condonatum, nec sufficienter retractatum, ad extinguendam aversionem Dei, per contritionem autem nihil horum formaliter tollitur. Ergo nec tollitur peccatum habituale.

Respondetur. Hoc argumentum non esse conforme principiis ipsius Lugo, quia n. 125. dicebat contritionem tollere aversionem à Deo, quæ est constitutiva peccati. Deinde nego contritionem in circumstantia condonationis quam deposcit, non esse extinctivam aversionis Divinæ, quamvis autem extra circumstantiam condonationis non sit extinctiva, id non obest, ut in simili repetito dictum est de gratia.

Instat II. Ad hoc ut una forma dicatur alteri opposita, non necesse est ut opponatur alteri secundùm omnia prædicata ut patet in omnibus oppositis formis, quæ sub eodem genere continentur. Deinde cum essentia indivisibili consistat, & metaphysicè loquendo, cum uno prædicato ablato, tota essentia destruatur, satis est, quod forma uni prædicato opponatur, consequenter contritio non partialiter justificabit si justificat, sed totum peccatum auferet.

Respondetur. Quamvis ad hoc ut una forma dicatur alteri opposita & incompossibilis, non sit necesse eam alteri opponi, secundùm omnia prædicata generica, est tamen necesse opponi omnibus prædicatis differentialib⁹ sicut frigus opponitur prædicatis differentialibus caloris; quia verò differentialiter peccatum non tantùm dicit conversionem ad creaturam, & aversionem à Deo, sed simul etiam dicit rationem offensæ & arguitivè carentiam gratiæ, fit, ut contritio si deberet hæc omnia tollere, deberet omnibus opponi, quod non habet; sed cum sit sanctitas, poscit à Deo condonationem, gratia etiam cum sit sanctitas poscit eandem, & intuitu utriusque pro præsenti rerum ordine decrevit DEUS sub nectere suam condonationem. Quod autem adfertur essentiam in indivisibili consistere, ad hoc supra responsum est, accipiendumque est dictamen illud cæteris paribus; nam si ponatur anima non hoc ipso ponitur homo, quantumvis illius essentia in indivisibili consistat; sic etiam quantumvis ponatur conversio ad Deum non hoc ipso ponetur tota completè justificatio, quod ipsum ut ante dictum in hoc fundatur, quod bonum sit ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus: Quia ergo destructio peccati & constitutio in esse justificati, est bonum quoddam, debet esse ex integra causa; & si integra causa non ponatur, dicetur poni nonnisi partialis causa adeòque partialis justificatio. Idem principium hac etiam limitatione indiget, quod scilicet, quantumvis verum sit, essentias in indivisibili consistere, quando essentia ita est una essentia, ut dicat unam combinationem prædicatorum, atque adeo unum constitutum Metaph. per ordinem ad nostram rationem. Cæterùm si sit aggregatum ex pluribus Metaph. constitutis, debebit etiam ex pluribus indivisibilibus constare, cùm ergo alia essentia sit aversionis & alia offensæ, alia negationis gratiæ, fit ut singulæ non unum indivisibile essentiæ, sed singulæ singula indivisibilia essentiæ, sibi determinent; quantumvis aggregatum omnium illarum trium, quasi per quandam accommodatam attributionem, constituant unum totale, justificatione tollendum, consequenter poterit con-

versio tollere, unum indivisibile aversionis, & non tollere v. g. indivisibile offensæ &c.

Denique dictum hoc, Essentiæ rerum in indivisibili consistunt, non excludit; vel partes Physicas, si sit essentia physica; vel morales, si sit moralis; sed nonnisi importat, quod, ut formetur conceptus essentiæ, debeat ex utraque parte simul sumpta confici, sicut v. g. animal non dicit solam materiam, nec solam formam, sed utrumque, idemque de rationali dixi in materia de universalibus. Quodsi essentia in indivisibili consistens admittit pluralitatem partium, benè poterit unam partem auferre contritio, quin auferat aliam, adeòque partialiter justificare.

Instari potest III. ex illa auth. Trid quod unica sit formalis causa justificationis nostræ, sed ad hoc jam

Responsum est supra. Adde quod Vega & Corduba qui proximè post Trid. scripserunt, censuerunt quod justificatio per infusionem omnium trium habituum Theol. fiat, ergo non per infusionem solius gratiæ ut volunt oppositi. Ex adlatis etiam principiis ostenditur, unicam esse formalem causam nostræ justificationis gratiam, accipiendo justificationem pro esse participationis specialis naturæ Divinæ, quàm negabant Hæretici, & quam adstruere curabat Trid.

Objic. II. Arbitrarium est dicere, quòd sit sanctitas formalis, id, quod est forma depulsiva peccati, vel saltem jam tota quæstio deducetur ad quæstionem de voce: An scilicet formaliter depellere peccatum, sit, esse sanctitatem formalem.

Respondetur. Quòd sanctitas formalis sit id, quod est forma depulsiva peccati, non est hoc arbitrarium, imò dum inquiritur: An contritio sit sanctitas formalis? in hoc nonnisi sensu inquiritur, ut notat Rip. cit. num. 1. probatque auth. Trid. quod sæpè sed præcipuè Sess. 6. c. 7. describit justificationem per innovationem interiorem animæ, quæ fit in remissione peccati, & S. Dionys. c. 12. de Div. Nom. talem format definitionem sanctitatis quæ infert expulsionem peccati, dicit enim *sanctitas est ab omni immunditia libera & incontaminata mundities*, quodsi concedas Contritionem esse formam depulsivam peccati, neges autem esse sanctitatem formalem recedes à statu quæstionis, instituesque quæstionem de voce, quod nos non facimus, sed supposito quod vox sanctitas formalis supponat pro forma depulsiva peccati, probamus hoc prædicatum formæ depulsivæ peccati, competere contritioni.

Objic. III. Impossibile est naturaliter, quod idem numero album primo & per se procedat à duplici albedine. Ergo etiam impossibile est quod negatio albi, primo, & per se formaliter procedat à duplici nigredine. Ergo idem erit dicendum de expulsione peccati quomodo ergo contritio & gratia dicentur esse formæ depulsivæ peccati. Rursùs si tribuatur, contritioni vis depulsiva peccati, debet illi tribui tanquam satisfactioni & merito, gratiæ autem tanquam formæ incompossibili; hoc autem esse non potest, quia si prædestinatio repugnat ut fiat ex liberalitate & ex meritis, repugnabit etiam duplex ejusmodi ablatio peccati.

Respondet pluribus huic argumento Dicast. à num. 346. quod proximius ad rem facit, est instantia, quâ ostendit, per multiplicem formam sanctitatis, posse eandem numero maculam peccati auferri, & pro explicando adfert exemplum tenebrarum, quæ definitivè sunt carentia lucis, tolluntur que à pluribus etiam gradibus lucis. Ut verum fatear, hæc instantia bona est, sed ut proponitur à Dicastillo habet suas difficultates; nam imprimis non explicat, quòd sint futuræ infinitæ negationes lucis in tenebris, si dicantur tenebræ Carentia lucis determinatæ; cùm potius si tenebræ sint carentia lucis collectivè acceptæ, potius sequatur infinitas esse privationes lucis in tenebris, quia potius collectio lucis est infinita, quam una lux determinata, cujus privationem dicant tenebræ; quodsi alio sensu illa determinatio sumatur, explicandum fuisset. Deinde non esset fortè absurdum dicere, quod tenebræ dicant privationes infinitas lucis; vel saltem, in infinitum lucis, imò hoc sequitur ex doctrina Dicastilli, nam per illum tenebræ sunt, nullam habere lucem; ly autem nullum ut pote signum universale, erit explicabile per singula individua, cùm ergo singula individua lucis sint infinita, etiam terminus supponens pro singulis individuis, pro infinitis supponet; nec inde sequitur fore infinitam intensionem tenebrarum, nam etiam appetitus materiæ ad formas, est ad formas infinitas, & tamen appetitus ille, non dicitur infinitus.

Jam ergo accedendum est, quomodo sit formandus conceptus tenebrarum, & quidem commodissimum est dicere, quod tenebræ sint carentia lucis, nam ita facilè ostenditur, qui vel una lux tollat tenebras, quia tamen lux potest supponere vel pro determinata luce, vel vagè, accipienda erit lux vagè & non determinatè. Ratio quia aliàs non quæcunque lux, sed nonnisi hæc & non alia determinata expelleret tenebras. Ulterius non debent dici tenebræ Carentia alicujus lucis, quia verum est dicere, etiam posita luce, negatisque tenebris, esse carentiam alicujus lucis; nisi forte ly alicujus supponeret negando etiam unicam tantùm lucem, non etiam debent dici tenebræ carentia omnis lucis, quia aliàs non possent

possent tolli, uno solo lumine; quod ipsum probatur; quia ly omnis, sumptum pro iis quæ importat, sumitur, & pro hoc, & pro illo, & pro isto lumine, & breviter pro singulis individuis; quod si ita explicetur ly omnis; tenebræ unâ candelâ non poterunt dispelli, quia una candela, tollit carentiam locis suæ, sed non alias carentias. Quod si dicas ly omnis aliter explicari debere, hæc ipsa ambiguitas damnat hunc explicandi & loquendi modum. Posset tertium hoc Syncategorema addi. Tenebræ sunt nulla lux; sed præter hoc, quod iste modus explicandi non sit usitatus, insuper adhuc est, quod possit habere suas diversas acceptiones. Commodissimum itaque erit explicare tenebras sine addito, scilicet quod sint Carentia lucis; hinc jam prædicta instantia ad præsens applicatur. Quod sicut determinata luce tollitur negatio lucis, potestque duplici luce tolli, si duplex lux ponatur, ita & si ponantur duæ sanctitates, poterunt tollere negationem sanctitatis, quam dicit peccatum; sed independenter ab hoc principio.

Respondetur eidem difficultati. Negando Consequentiam Dispar. in hoc est, quia quem effectum formalem tribuit una albedo, eundem tribuit & altera, hinc actum ageret; jam autem eum effectum formalem quam præstat sanctitas actûs, non præstat sanctitas gratiæ, fit ut utraque possit in suo genere concurrere ad tollendum habituale & ejus maculam. Illa autem Instantia ex materia de Prædestinatione non convincit, quia graves DD. censent quod ipsa intentio salvandi sit gratuita, exercita tamen salvatio sit dependens à meritis, ita ut dependentia à meritis & ly gratuito, pro diversis supponant; & absolutè oppositum est probatum in materia de Prædestinatione.

Objic. contra II. Conclus. Non est necesse dicere, quod sanctitas formalis supponat pro speciali participatione naturæ Divinæ permanenti in nobis, idque ideo quia peccatum Adæ comparat S. Paulus ad Rom. 5. justitiæ per Christum peccatum autem Adæ, nonnisi extrinsecum est ejus posteris.

Respondetur. Cum Trid. & S. Petrus expressè meminerint sanctitatis per quam consortes simus naturæ Divinæ, non immeritò sanctitas formalis accipitur pro speciali participatione naturæ Divinæ. Ad locum S. Pauli quod attinet, ille non plus vult, quàm ostendere, quòd sicut peccatum originale in nos pertransit, ita quoque gratia per Christum, in omnes nos derivetur. In hoc etiam proportio aliqua inter peccatum Adæ & justitiam per Christum Dominum salvari posset, quòd licèt actus ille Adami sit nobis extrinsecus, nihilominùs ipsum habere peccati unicuique nostrum est intrinsecum, dicitque Trid. peccatum originale esse in unoquoque nostrum proprium, ita etiam justitia Christi Domini, quâ ille se submisit Patri est, nobis extrinseca, nihilominùs debet aliquid nobis esse intrinsecum, idque proprium per permanentiam & hoc erit ipsa gratia.

DIFFICULTAS II.

De Contritione secundùm se.

Ante determinationem hujus difficultatis prænoscenda sunt aliqua.

Punctum Difficultatis I.

Præmittuntur aliqua.

Præmitto I. *Contritionem interdum sumi genericè interdum specificè.* Contritio genericè definitur à Trid. S. 14. c. 4. quod sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, & licèt quidem hæc contritio appelletur ea quæ primum locum inter alios actus obtinet, illic tamen loquitur Trid. non comparativè ad dolores qui de peccato haberi possunt, sed ad alios actus ut fidei timoris, &c. qui non possunt appellari primus actus pœnitentiæ quà talis, adeoque sub nomine pœnitentiæ; quamvis autem hunc motum ad justificationem dicat esse necessarium, non sequitur, quod hic non definierit contritionem genericè, jam enim in simili supra dixi, vagè & indefinitè & secundùm suppositam materiam locutum esse Trid. præcipuè verò, quia data definitio omni omnino dolori convenit, quod ipsum signum est, genericè de dolore loqui Trid. unde etiam inferius, dividit contritionem, in illam quæ est charitate perfecta, & quæ est imperfecta.

Præmitto II. *Quid sit Contritio specificè accepta?* Censuerunt aliqui sufficere ad contritionem veram, dolere de peccato ex quocunque motivo, etiamsi non sit dolor ex motivo charitatis, modo non sit præcisè ex motivo timoris inferni vel spe præmii. Hæc sententia placuerat Suarez, ut ipse fatetur, pro ipsa citant aliqui Sotum, Gabrielem, Vegam, sed forte immeritò ut videre est in Dicast. d. 2. num. 111. habuitque hæc sententia fundamentum in Scriptura, quæ meminit sæpe pœnitentiæ remissivæ peccati, non exprimendo motivum amoris ut videre est Ezech. 8. v. 21, & à Davide 2. Reg. 12. translatum peccatum post hunc dolorem, Peccavi

Domino; ubi nulla mentio amoris. Similia verba habentur Is. 55. v. 7. sed oppositum suadet sensus communior fidelium. Rationes autem adlatæ, quamvis probabilitatem adferant & evasionem à censuris, nihilominùs non convincunt, quia non erat necesse in omnibus locis exprimi motivum doloris, cum per se Scriptura vellet significare nonnisi effectum doloris, qui est remissio peccati.

PRÆMITTO III. *Contritionem specificè acceptam dicere pro motivo DEUM summè bonum, offensum.*

RATIO I. Auct. Scripturæ; & ita dicitur Lug. 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Similia habentur 1. Joann. 3. 1. ad Cor. 13. Rursùs supposito quòd in Sacra Scriptura & in usu communi fieri aliquid ex toto corde significet amoris affectum, cujus illud censetur esse sedes, clarus erit locus ille ex Deut. 4. *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Ubi ly si tamen, modum & motivum præscribit pœnitenti.

RATIO II. Est auth. Trid. quod Sess. 14. c. 4. cum in genere definiisset contritionem, dividens eandem, dicit; quod hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, ubi ly aliquando, non sumitur quasi sit aliqua contritio, quæ tamen non sit charitate perfecta, sed loquitur de contritione genericè, quod scilicet illud genus, aliquando contingat esse conjunctum cum differentia, quæ est charitas, ad eum modum, quo aliquando contingit animal esse rationale, non quod contingat homini esse rationale, sed quod id contingat animali, sic & in præsenti.

Post Trid. sequitur auth. Patrum pro quo puncto citat Suarez d. 4. S. 2. Gregor. Hom. ult. in Ezech. circa finem lib. 3. Dial. c. 34. l. 6. *Reistr.* epist. 23. alias c. 197. Bernardum 116. serm. in Cantica, quibus adde Aug. lib. de vera & falsa pœn. c. 9. & 17. *Sine amore Dei nemo unquam gratiam invenit, nec veniam consecutus est.* Similia habet lib. 2. contra Cresc. c. 12. Serm. 7. de Temp. lib. 14. de Civ. c. ultimo & lib. 12. cap. 27. Accedit auth. S. Th. hic q. 85. a. 6. ubi ait in Justificatione poni actum fidei charitate formatum. Similia habet 1. 2. q. 113. a. 4. ad 1.

RATIO III. ex probabilitatibus. Tum quia Peccatum est aversio à DEO & conversio ad creaturam. Ergo tolli debuit, per conversionem ad DEUM, & aversionem à creatura. Tum quia Peccatum est summum malum. Ergo expelli debuit per aliquid specificatum à bono super omnia, ut ita inter se expulsivum & expulsum proportionentur. Tum quia in Justificatione infunditur charitas; Ergo debuit dispositio præcedere quæ sit actus charitatis, sicut actus fidei præcedit habitum fidei, & quamvis non sit necesse ad recuperandum habitum castitatis, elicere actum castitatis, nihilominùs erit necesse elicere actum charitatis, ut alicui extra Sacr. infundatur habitus castitatis, quia non elicito actu castitatis habetur principium recuperandi habitum castitatis, quod est ipsa gratia, quæ est radix deposcens infusos alios habitus.

Punctum Difficultatis 2.

Ad Contritio debeat esse super omnia?

NOn agitur hîc de Detestatione ponenda per contritionem quæ sit super omnia intensivè, quasi scilicèt ipse actus, debeat habere tot gradus intensionis, ut nullus alius actus debeat illi æquari circa alia objecta, ut voluerunt Adrianus, Petrus de Soto, Durandus, Richardus, quamvis inter illorum opiniones sit aliqua diversitas; quod autem id non sit necessarium. Ratio est. Tum quia summus dolor intensivè est impossibilis, deberet enim esse infinitus. Quod si dicas non debere esse summum absolutè, sed summum ratione hîc & nunc talis & tantæ datæ gratiæ, non inquam valet si id dicas, quia non apparet, Cur cum auxilio, quod se habet per modum potentiæ, non possit intensior & intensior actus fieri; sicut eadem potentia voluntatis, intensiorem & intensiorem actum elicit, & si illuminatio & inflammatio voluntatis non indiget esse summa, nec debebit esse summè intensa contritio. Et certè si eliceret aliquis actum intensum ut 6. & haberet gratiam ut 8. non posset per *respondentem* justificari, & tamen si haberet gratiam ut unum, haberetque multa peccata, eliciendo actum intensum ut unum, deleret omnia; quod videtur arbitrarium. Tum quia mortale non requirit certum gradum, ut expellat gratiam. Ergo nec requiret contritio, ut ab illa pellatur peccatum. Tum quia quando PP. loquuntur de contritione non indicant talem excessum gradualem; & si qui in oppositum citantur, benè explicari possunt, quòd id requiratur ad melius esse; velly intensivè, accipiunt modo latiori; scilicet non pro excessu graduali, sed pro excessu substantiali; quomodo dicitur intensior esse perfectio rationalitas, quàm rugibilitas, qua etiam ratione explicari debet S. Thom. si sit alicubi oppositus.

Tota difficultas in hoc est: An contritio debeat

debeat esse super omniā; & quid sit illam esse super omnia.

Explicat I. Quid sit esse contritionem super omnia, Suarez, Vasquez, Valentia, & post illos Dicast. d. 2. num. 167. dicitque contritionem in tantum esse super omnia appretiativè, in quantum oritur ex tali motivo, ut non admittat affectum in voluntate ad oppositum, nec admittat fugam efficacem alterius mali, quod magis timeatur, quàm peccatum.

Impugnat hanc explicationem Lugo. Sed ejus impugnatio supponit aliqua non satis clara, comparat enim motivum scientificum cum motivo detestationis, & tamen nullum absurdum est moveri aliquem motivo scientifico, & tamen non esse scientificum, repugnat autem moveri actu detestationis super omnia, & non elicere actum contritionis, qui definitivè est dolor super omnia; hinc quamvis non eo ipso aliquis dicatur esse scientificus, quia movetur motivo scientifico, poterit benè dici contritus, si moveatur dolore super omnia, quia dolor hic, idem est cum contritione. Deinde quamvis absurdum sit dicere, quod creatura amans creaturam apprehendat in illa majorem excellentiam bonitatis quàm in Deo, eò quòd exinde sequatur omnem peccantem amittere fidem, nullum tamen est absurdum dicere, desumi ab excellentia motivi rationem contritionis, quæ appretiet Deum super omnia, quæ duo si præ oculis habeantur, poterunt infringi non incommodè rationes adlatæ à Lugone, contra hanc responsionem. *Cæterùm Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia non distinguit inter summam appretiationem objectivam & subjectivam, & tamen si hæc distinctio valet qua distinguimus summam certitudinem subjectivam & objectivam, cur etiam distingui non poterit eodem modo appretiatio; præsens autem explicatio hæc non distinguit, quia nec distinctionis hujus meminit, nec dat fundamentum ejusdem eruendæ.

Explicat II. Lugo; tunc voluntas fertur super omnia appretiativè, quando fertur eo modo firmitatis & efficaciæ, quo Intellectus fertur adhærendo magis vel minus firme suo objecto, semper tamen firmè, & hæc firma adhæsio, vocatur Certitudo; quam firmitatem non habet assensus probabilis, qui semper procedit cum formidine, licèt in illa sua firmitate, non servet semper æqualitatem, firmiùs enim adhæret certis metaphysicè quàm certis physicè, & adhuc certius, certis per fidem, eodem modo voluntas interdum adhæret absoluta quidem, sed infirma adhæsione, ita ut ex ipso modo adhærendi, ostendat promptitudinem, deserendi objecti, si se offerret occasio; quando autem voluntas adhæret summo gradu adhæsionis respondente adhæsioni quâ adhæremus objectis fidei, tunc in ipso modo adhærendi ostendit implicitè, se immobiliter adhærere illi objecto. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit Plenè, quia præter alias difficultates quæ in ipso antecedente involvuntur, id etiam diminutè explicat, quænam scilicet sit conditio firmæ adhæsionis scientificæ, nam multi sunt qui pertinaciter adhærent suo errori, & tamen non ostenditur, quî hæc adhæresentia differat ab adhæresentia scientifica; nec apparet, cur etiam voluntas firmè adhærere non possit, & tamen ex objecto loquendo, non supeomnia.

Explicatur Aliter adhæresentia illa, dicendo eandem in adhæresentiam objectivam, & subjectivam, & ex utraque formalitate, complendo totam & adæquatam rationem adhæsionis; ita ut adhæsio requirat & ex parte objecti seu motivi formalitatem, vi cujus mereatur adhæsionem, summam, & simul etiam ex parte subjecti, exhibitionem adhæsionis, secundùm meritum objecti: ita ut sicut in certitudine intellectuali, ne illa in re sit error, necesse est poni & meritum objecti & simul exhibitionem assensûs firmi, ne sit probabilis assensus; sic etiam in præsenti detestatio peccati super omnia, requirit & meritum adhærendi ratione motivi, & simul etiam exhibitionem adhæsionis, vi cujus prompta sit voluntas quodlibet objectum & motivum deserere, à Deo abstrahens. Ex vi ejusdem affectus afficitur creatura non solùm bonis Dei intrinsecis, sed etiam extrinsecis, quale est bonum extrinsecum non peccare, quia ille affectus conjungit affectivè cum Deo, hinc non vult omnia incomposibilia cum illo amore; quia verò cum illo amore incompossibile est peccatum, fit ut vi illius determinetur ad nolendum peccatum. His positis

Dicendum est. *Contritionem esse super omnia appretiativè* detestarique peccatum plùs appretiativè, quàm reliqua omnia.

Prob. Si Contritio non detestaretur peccatum super omnia, & esset contritio & non esset, esset ut supponitur, non esset autem quia si amor super omnia non amaret super omnia, hoc ipso non esset amor super omnia, ergo etiam si contritio non detestaretur peccatum super omnia, hoc ipso non esset contritio. Probatur Consequentia, quia deo verùm est antecedens, eò quòd motivum illius amoris sit inductivum ad amare super omnia, consequenter non amare super omnia erit illo motivo non moveri; sed etiam motivum, quo moveretur contritio, est motivum, quod est inductivum ad detestandum peccatum super omnia, quod ipsum probatur; quia mensura detestandi mali est prosecutio boni, & sic quo quis magis amat sanitatem, magis detestatur morbum, ergo cum ex motivo

amoris fiat contritio, & amor amet super omnia, etiam oppositum malum quod est peccatum, debet detestari super omnia. Et sicut accessus ad unum extremum mensurat recessum ab alio extremo, ita & accessus per amorem, mensurat recessum à peccato per contritionem.

Cæterùm ly super omnia non ita accipi debet, ut denotet explicitam prælationem omnium supra quæ fit, quia aliàs esset impossibilis hęc prælatio, quis enim potest singula noscere, illisque præferre?

Objic. Excogitabilem esse casum, in quo peccatum non debeat esse detestabile super omnia, ponatur enim hæc conditionalis; si non peccaveris patietur Deus aliquod malum intrinsecum; eo casu homo deberet magis detestari non esse Dei, quàm peccatum. Item ponamus apprehendere hominem quod peccatum manens peccatum, placeat Deo, eo casu videtur etiam peccatum non esse detestabile super omnia.

Respondetur. Hanc suppositionem primam esse impossibilem; impossibile enim est, ut peccatum fiat necessarium ad vitandum malum intrinsecum Dei, seu servandum bonum intrinsecum Dei. Rursùs, hæc suppositio non tantùm est impossibilis, sed etiam tollens seipsam, quia hoc ipsum quod sub eadem formalitate negabatur in illa, hoc ipsum sub eadem formalitate affirmatur; si enim quæratur: Cur detestaris peccatum? respondebis, quia dicit oppositionem cum bono conjunctionis ad bona Divina quæras cur velis peccatum, respondebis, quia na extrinseca; quodsi dixit connexionem cum bono conjunctionis ad bona Divina extrinseca; ergo sub eadem formalitate idem affirmatur & negatur; quodsi est suppositio tollens seipsam, ex tollente seipsam sequitur utraque pars absurdi; scilicet & eligendum tunc esse peccatum, & non eligendum.

Addi posset; quoad suppositionem præcipuè secundam, quod contritio detestetur peccatum super omnia in suppositione omni possibili, non verò in suppositione impossibili, sicut homo debet supponi, esse animal risibile in omni suppositione possibili, non verò impossibili, quia v. g. si homo esset animal & rationale non tamen admirativum, esset homo, nec tamen risibile. Et sicut si Deus revelare fideli se falsò revelare, sequeretur tunc esse suppositionem impossibilem, & Deo tunc debere credi & non debere credi, nam & revelaret sibi esse credendum, & revelaret sibi non esse credendum, sic etiam in præsenti.

Respondet huic Objectioni Lugo. Peccatum in ea occasione jam non futurum peccatum, quia eo ipso, quòd esset necessarium ad vitandum malum intrinsecum Dei, redderetur licitum propter summam præponderantiam illius boni; hinc detestaretur peccatum contritio super omnia mala, quæ tanti fieri debent, ut redderentur licita illa quæ aliàs sunt peccata. Quod si putaret aliquis peccatum manens in ratione peccati, adhuc esse necessarium ad vitandum malum intrinsecum Dei, deberet potiùs permittere malum intrinsecum Dei, hoc ipso enim, quia supponitur manere in ratione peccati, supponitur manere cum oppositione ad aliquod bonum superius, quàm esset bonum intrinsecum Dei. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia si aliquis putaret peccatum minus, manens in ratione peccati, necessario eligendum esse ad evitandum majus, teneretur homo eligere minus. Ergo etiam teneretur potiùs eligere peccatum, quàm malum intrinsecum Dei, quod ipsum Probatur; quia malum extrinsecum manens in ratione extrinseci (quale est peccatum) non debet anteponi malo intrinseco Divino, nec apparet quodnam id esset bonum superius bono intrinseco DEI, cui tunc opponeretur peccatum. Et certè propter quod unumquodque tale, & ipsum magis, cum ergo conjunctio cum bonis intrinsecis Dei sit motiva ad detestandum peccatum super omnia, illa debent magis æstimari quam peccata.

Neque valet si dicas. Quòd veritas prima sit propter quam assentimur articulis, neque tamen illi magis assentimur quam articulis, non inquam valet quia in exhibendo fidem utrobique respondet veritas prima, quæ comparata ad se non habet rationem majoris; jam autem in præsenti, non idem, nec æquè primo respondet bonum, nam unum bonum est extrinsecum Deo, & aliud intrinsecum.

Instabis. Contritio non debet esse super omnia, quia non debet detestari peccatum, supra malum pœnæ.

Responsio Communis est. Contritionem debere detestari peccatum supra malum pœnæ spectatum præcisè à culpa, licèt non supra malum pœnæ conjunctum culpę, meritivumque illius pœnæ, nam tunc includeretur jam peccatum, quod est nata, detéstari contritio. Sed est gravior difficultas: An sit possibilis casus, in quo potius malum pœnæ æternæ depuratum etiam à ratione meritivi inferni, si præligibile peccato.

Punctum Difficultatis 3.

An sit possibilis casus, in quo eligi debeant potius pœnæ inferni quàm peccatum?

Negat Durandus cujus mentem explicat Lugo, sed hanc explicationem non esse legitimam ostendit Dic. d. 2. num. 226. Et certè Durandus dicit clarè aliud esse velle sustinere

pœnas

pœnas inferni ne culpa incurratur, hocque approbat; & aliud; velle eligere pœnas inferni ne culpa incurratur, & hoc negat; distincta autem hæc esse vel hæc ipsa instantia probat, quia aliud est velle sustinere, si aliquis me velit occider, e& aliud est velle occidi, hoc enim posterius malum est, & prius bonum. Favet neganti Dica. n. 236. favent eidem omnes illi, qui censent impossibile esse ut Deus innocentem puniat pœna inferni; ut Scotus Massilius & ante omnes S. Aug. lib. 3. contra Jul. quos sequitur & citat Arriaga de vitiis d. 52.

Affirmat possibilitatem hujus Lugo hîc D. 5. num. 30. *Pone* inquit, *hominem existentem in peccato mortali, incidere, in mortis periculum, à quo non possit evadere nisi committat novum mortale v. gr. negationem fidei; pone item eundem invincibiliter errare, quod à priori peccato sine Confessione justificari non possit, ei homini occurret necessitas eligendi damnationem æternam ne committat novum mortale.* Impugnat hæc multis Dic: non satis feliciter. Cæterùm casus formatus à Lugo format possibilitatem valdè accidentariam, quia fundatam in particulari errore, quæ autem fundatur in errore, non merentur nomen absolutè possibilis, sicut nec meretur nomẽ possibilis, si aliquis, putaret non esse alium modum evadendi peccatum, quàm ut fiat pœnitens Chimæra.

Dicendum est. *Possibilem esse talem casum.*

I. Quia non implicat contradictionem ut Deus revelet Paulo, si non elegeris potius pœnas inferni quàm peecatum, ut ita ostendas amorem tuum erga me, peccabis; & hoc videtur innuere celebre dictum Anselmi. Prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem.

II. Quia quamvis eligere pœnas inferni ut pœnas peccato debitas, sit ut vocant impossibile incomposibile eò quòd suppositio videatur tollere seipsam, quî enim sub hac formalitate, quia sunt pœna peccati non vitati, possunt esse medium vitandi peccati, quidquid inquam sit de hoc, dabilis est formalitas non eligendi inferni sub formalitate pœnæ, sed præcisè sub ratione dissoni parti sensitivæ v. g. nec enim in hoc casu, vellet aliquis, infernum cum suppositione impossibili tollente se ipsam.

III. Quia quamvis D. Deus non possit innocentem addicere pœnis inferni sub formalitate pœnarum, si enim innocens est, quî punibilis est; nihilominùs potest innocentem addicere inferno; aliàs si id non posset, non haberet supremam potestatem disponendi de suis creaturis ut ei libuerit, adeoque nec supremum dominium, cogitabileque esset dominium præsenti perfectius, per quòd scilicet disponi posset de innocenti ut sustineat malum. Et si DEUS potest annihilare creaturam ad demonstrandum suum dominium, cur non & irrogare infernum, cùm annihilatio, sit majus malum, quàm infernus. Et sicut non remittit Deus justificare creaturam, cur tenebitur eandem eximere à malo inferni, jam justificatam.

Objic. I. Deum eo casu fore crudelem, sicut esset crudelitas in homine, assare vivum caniculum, ad ostensionem supremi dominii.

Respondetur. Eo casu non fore Deum crudelem. Nam S. Thom. 2. 2dæ q. 157. a. 1. ad 3. dicit, crudelitatem importare excessum in puniendo, citatque inibi Senecam idem sentientem: cum itaque non in pœnam irrogaretur tunc infernus innocenti, eo facto, non esset Deus crudelis. *Quia tamen* S. Thom. meminit ibidem delectationis in pœnis propter illasmet ipsas, & hoc vitium appellat feritatem seu sævitiam, adhuc Deus addicendo innocentem inferno nondum diceretur sævus; quia posset id agere non ex delectatione in pœnis, posseque Deus ob rationabiles causas addicere inferno innocentem, v. g. si vellet creaturis revelare se id posse facere, nec id excedere dominium suum. Item ad ostendendam misericordiam quam facit eximendo pœnitentes, à pœnis inferni. Rursùs ad ostendendam vim gratiæ, confortando eundem, ne in eo statu avertatur à DEO. Denique si accipiantur pœnæ illæ pro solis pœnis sensûs, posset illi tribuere simul visionem, & amorem, ostendereque potentiam eorundem confortantem in tantis alioqui pœnis.

Addo. Cùm homo non habeat supremum dominium in creaturas, fit ut illius dominium, sit alligatum certis conditionibus, quas judicium prudens taxat; fundaturque in hoc: ut scilicet judicet illum usum esse irrationabilem, qui non spectat ad satisfaciendum necessitati, commodo, honestæ oblectationi; nihil autem horum trium reperiretur in illa assatione caniculi, importaretque illa actio delectationem in pœnalitatibus: è contra D. Deus habet supremum dominium, & ob rationes adlatas posset illo uti.

Objic. II. Arriaga. Illam creaturam habituram occasionem odiendi Dei, immò necessitandam ad odium.

Respondetur. Non necessitandam, licèt haberet fortassis occasionem; & sicut si imperfectus, ea pateretur, quæ martyres, haberet occasionem odiendi Dei, attendendo ad ejus imperfectionem, quod martyribus non erat ansa odiendi sed amandi; sic etiam in præsenti.

Objic. II. Magis dedecet principem quàm plebejum ut sit carnifex. Ergo etiam irrogatio illa mali, magis dedecebit Deum, quàm creaturam, dedecet autem creaturam.

Respondetur. Multa sunt quæ dedecent causam

causam secundam quæ non dedecent primam, sic dedecorum esset Principi cooperari bobus juga trahentibus, quod tamen Deus facit; præcipuè quia hoc posset agere Deus ex causis rationabilibus. Neque tunc sequeretur, Deum à seipso esse crudelem, cum simpliciter non esset crudelis, licèt non uteretur ea dignatione, qua posset uti. Sacra etiam Scriptura prædicat quidem misericordiam Dei sed etiam prædicat dominium, ita ut testa non possit dicere figulo: Quare ita me fecisti.

Addendum tamen est, non esse necesse distinctè cogitare de tali prælatione & detestatione peccati super omnia, quia hoc esset onus intolerabile, sed sufficit id agere virtualiter, & quasi ex vi actus habiti, sub conditione esse paratum, ad patiendum potius pœnas inferni, quàm committendum peccatum.

Nec item contritio debet esse de omnibus peccatis explicitè, quidquid docuerit Ludolphus Raymundus Angelus & cum aliqua distinctione Sotus Medina, quos refert Suarez hîc d. 4. S. 6. & Dicast. d. 2. n. 171. & ratio est; quia hujus obligationis nullum extat fundamentum, & si ponatur contritio extra Sacramentum, hæc de se non minus opponitur uni, quàm alteri peccato; attritio etiam cum Sacramento facit produci gratiam, quæ omnibus peccatis mortalibus opponitur, hinc nec attritio requiretur explicita de singulis mortalibus, licèt requiratur universalis, de quo infra.

Addi denique potest. Extra Sacramentum sufficere ipsum amorem Dei super omnia, quia hic cum sit formalis accessus ad Deum, æquivalet recessui à creatura, qui fit per contritionem, & qui amat, hoc ipso detestatur odium amati; dixi *extra Sacramentum*, quia ad Sacr. est necesse dolere, eò quod intentio instituentis, talem actum requisierit.

DIFFICULTAS III.

De Contritione comparativè ad varia peccata.

Dictum est supra, Contritionem detestari peccatum super omnia; dictum item est contritionem esse dolorem de omnibus mortalibus; quia tamen mortalia inter se, immò & cum venialibus comparari possunt, determinandum erit quomodo contritio gerere se debeat in tali comparatione. Agit de hac materia Suarez hic d. 3. S. 10. Lugo d. 5. S. 4. Dic. 2. Dub. & alii.

Punctum Difficultatis I.

Quid sit sentiendum de Detestatione circa peccata inter se comparata?

Assero I. *Si comparentur mortalia inter se in ratione offensæ, non est magis unum detestabile, præ alio.*

Ratio. Quia omnia mortalia in ratione offensæ, sunt infinita, adeoque æqualia; ergo in ratione offensæ, æqualiter detestabilia, aliàs non secundùm meritum objecti procederet detestatio; quòd mortalia in ratione offensæ sint infinita, supponitur ex materia de peccatis; quod autem in ratione offensæ sint æqualia, probatur. Tum quia unum infinitum non est majus alio ut supponitur ex materia de Infinito. Tum quia unus actus fidei, non est certior certitudine objectiva præ alio, item una actio Christi Domini, non est dignior præ alia; ergo nec unum peccatum in ratione offensæ, est majus alio, Consequentia Probatur. Ideò Antecedens verum, quia una eademque veritas circumstantionat, singulos actus fidei; & eadem persona, significat omnes actiones, sed etiam una eademque dignitas; circumstantionat in ratione offensæ singula peccata; ergo. Tum quia horum omnium hoc potest dari fundamentum: Quando ratio formalis plurium est eadem, nec apparet, cur æqualiter non se communicet singulis, tunc si se communicet, communicat se totam, & necessariò illa communicantia erunt æqualia, hoc enim ipso convinceretur si forent inæqualia; non habere eandem rationem formalem, vel non totaliter communicatam; quod ad præsens applica; quia scilicet eadem dignitas Divina, circumstantionat, se totâ, singulas offensas.

Assero II. *Si comparentur mortalia inter se, in ratione malitiæ, majus, est magis detestabile, minori*, supponit assertum dari peccatum majus & minus in ratione malitiæ; idque ex eo: quia unum præ alio potest dicere majorem dissonantiam ad naturam intellectualem; fieri præcisè ex malitia & ex præcisè intento odio Dei, item si fiat cum majori advertentia & amore malitiæ. *Sit*

Ratio. Unica assertí, ex qua plures formari possent. quia peccatum ideò est detestabile, quia est malum; ergo quo erit majus malum, magis erit detestabile, sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita majus ad majus.

Neque valet si dicas. Omnia mortalia sunt detestabilia summè, summo autem non datur majus, non inquam valet, quia peccata detestamur super omnia quæ non sunt peccata, sed non super omnia, unum comparando ad aliud.

Assero

Assero III. *Majorem detestationem unius peccati præ alio non commodè explicari conditionalem, quia si committendum esset alterutrum ex illis, potius admittendum esset minus mortale.*

Ratio. Tum quia hoc quod de facto & per se in moralibus in praxim venit, non debet explicari quantùm fieri potest per hoc, quod in praxim per se non venit, sed non venit per se in praxim illa conditionalis, quando enim homo per se est in talibus circumstantiis ut teneatur alterutro mortali peccare. Tum quia eo casu, non jam detestaretur magis majus peccatum, quàm minus: in necessitate enim eligendi illud minus peccatum, non esset jam minus peccatum, quia nec absolutè peccatum, ut inferius dicetur. Tum quia dari potest unum peccatum proprium levius, & peccatum alienum gravius, neq; tamen levitas vel minoritas illa debet ita explicari, quod si daretur mihi optio, vellem potius proprium levius quàm alienum gravius. Non nego quidem in aliis materiis excessus appretiationum per similes conditionales exprimi, sed in præsenti id non est ita commodum, propter rationes adlatas.

Majoritas hæc detestandi, fortè sic commodius explicari posset: utrumque hoc peccatum est & utrumque detestor, sed simul judico non esse æqualem malitiam singulorum, utrumque tamen malum, & ego utrumque detestor, hoc tamen magis quia objectum in se deterius est; proportionoque meam detestationem prælucenti Intellectui, in ostendenda majoritate malitiæ. Et certè ipse modus detestandi, secluſa etiam graduali intensione, arguit majoritatem quandam, vi cujus magis ab uno quam ab alio objecto malo retunditur voluntas.

Punctum Difficultatis 2.

Quid sit sentiendum de Detestatione majoris & minoris peccati mortalis?

Ponitur casus, qui inter scrupulosos & rudes accidere posset. Berta solicitata à Cajo, non vult consentire, Cajus dicit quòd velit se mactare, apprehendit Berta majus esse peccatum mortale, si sese occiderit Cajus; quæritur? An possit eligere minus, hoc est, consensum & an peccet illa electione commissioneque peccati, utpote sciens consensum esse mortalem, licèt apprehendat illum esse minus mortalem?

Assero I. *Ex duobus peccatis, debere eligi minus mortale.*

Ratio. Tum quia pro asserto stat illa regula, Ex duobus malis minus est eligendum. Tum quia præ peccato, eligendum est non peccatum. Ergo & pro majori, minus. Tum quia Intellectus majus peccatum judicat majus, adeoque dictat magis detestandum. Ergo & voluntas magis illud detestari debet. Ergo & magis fugere majus, non magis autem fugeret, si potiùs gravius eligeret.

Assero II. *Eligendo minus peccatum non peccat illo minori peccato, quamvis habeat conscientiã, quod illud agendo, peccet.* Ita Lugo cit. numer. 40. idemque tractavit de Incar. d. 26. S. 10. Dic. num. 198. Perez, & alii, sed rationem asserti invenire non est ita obvium. Ut solvantur eæ rationes quibus utitur Lugo, Perez, Dicast. & alii in manuscriptis, quas referre non vacat.

Tenendum I. Quod in præsenti distingui debeant hæ duæ formalitates; Electio minoris peccati, comparata ad aliud gravius, & Electio, non jam comparatè ad aliud gravius, sed comparatè ad objectum electum; rationes autem illorum probant quidem illam electionem minoris, comparativè ad gravius non esse peccaminosam, sed non probant electionem ipsius illius objecti, non esse peccaminosam, nam si pensetur illa electio præcisè sub hac formalitate, quia est electio minoris mali, non est peccaminosa, sed quare non est peccaminosa, siquidem adhuc est electio mali. Consulere etiam potius minus malum, quia stat præcisè in consulenda electione potius minoris non est peccaminosum, licèt sic peccatum ipsum illud malum, quod consulitur.

Tenendum II. Talem quoad electionem minoris peccati, non agere contra debitum operandi modum, immò interrogatum: Cur eligat minus? posse respondere; quia fugio majoritatem offensæ, appretioque amicitiam. Sed probandum restat: Cur non agat contra debitum operandi modum, ipso illo quod facit, & sicut miles vulneratus in prælio gratias habet hosti, quòd illi non amputarit caput, sed præcidit digitos, nihilominùs illum malè habet etiam præcisio digitorum, sic & præsenti.

Tenendum III. In hoc esse totam difficultatem, ut ostendatur cur non tantùm electio illa, sed ipsum factum, non dicat malitiam, cum tamen in se sit actio dissona naturæ intellectuali, non est autem dissonum naturæ intellectuali, eligere potiùs minus. Ut ratio pro asserto formetur.

Suppono I. Ex tribus colligi quod aliqua actio non sit peccaminosa. 1. Si objectum non sit prohibitum. 2. Si adsit ignorantia prohibitionis. 3. Si desit libertas sufficiens, possent & alia cogitari, quæ ad præsens non faciunt. Porrò consensus de quo procedit casus ex primis duobus capitibus non excusatur, videndum erit de tertio.

Sup-

Suppono II. Omnem libertatem mensurari per indifferentiam, ita ut quot modi sint indifferentiæ, tot etiam modi libertatis.

Suppono III. Omnem indifferentiam primitus in duo membra dividi posse. In indifferentiam Contrarietatis & Indifferentiam Contradictionis, qui termini alibi fusius explicantur. Ad præsens sic applica. In illa perplexitate habetur indifferentia Contrarietatis, quæ versatur inter esse & esse, nam liberum est eligere vel minus malum, vel majus, ita tamen ut alterutrum eligi debeat, sed non est indifferentia Contradictionis, quæ versatur inter esse & non esse; quia non est liberum in illa perplexitate nullum absolutè ex illis duobus malis eligere. *His suppositis*

Ratio. Pro asserto sic formatur. Quia si tunc peccatur post electionem minoris mali, peccaretur sine libertate. Sed impossibile est peccare sine libertate ut suppono ex materia de peccatis. Seq. probatur quia talis habet libertatem contrarietatis ad eligendum minus, & hâc supponitur esse benè usus, eligendo minus; sed non habet libertatem contradictionis ut scilicet possit non agere quidquam; ergo si tunc peccaret, post electionem minoris mali, peccaret sine libertate. *Ad solvendas Objectiones.*

Noto I. Quia habet erroneam conscientiam pro utraque parte, peccat; quia supponitur adhuc habere libertatem.

Noto II. Necessitatem ex suppositione non auferre libertatem, hic autem est in illa perplexitate necessitas antecedens de qua alibi.

Neque valet si dicas. Liberum esse illi perplexitatem deponere; nam liberum quidem est sed remotè, quia scilicet posset informari si consuleret vel se reflecteret; sed non est illi liberum proximè, quia in illis circumstantiis ita se habet, ac ille qui ignorat.

Noto III. Si eligeret gravius, in illa perplexitate, peccaret, quia abuteretur libertate contrarietatis, eligendo autem minus illudque operando non peccat, quia & bene utitur libertate contrarietatis, & non habet libertatem contradictionis, scilicet ad simpliciter non agendum.

Assero III. *Si in illa perplexitate unum peccatum præ alio non appareret majus, quæcunque pars licitè eligi posset.*

Ratio. Quia non apparet, motivum præeligendi rationabiliter unum, & de cætero supponitur necessitatus ad alterutrum.

Cæterùm si unum peccatum ita appareret majus ut excessus in seipso non sit fundativus culpæ gravioris, majus eligere, esset nonnisi veniale. Ita Dicast. num. 195. Rosmer. de Actibus Pœn. Bertholdus de Efficacia ejusdem num. 31. contra Lugonem. Ratio quia inter illa peccata datur coæquatio in aliquibus, excessus autem erit in se, nonnisi venialis. Hinc etiam furtum uno grosso majus, si comparetur ad aliud furtum uno grosso minus, si comparetur præcisè in ratione excessus non constituet mortale, licèt si simul sumatur cum aliis unus grossus, & comparetur ad longè levius furtum, constituere possit peccatum mortale.

Addo. Si sit excessus gravis sive in perplexitate sive extra illam, est licitum sub conditione velle majus si conditio sit deputativa objecti à malitia. Ratio est; quia revera tunc non esset jam peccatum consequenter nec majus peccatum, nam suppositio depurat malitiam. Cæterùm si conditio non depuraret malitiam, non esset licitum eligere majus, quia illa conditio haberet se acsi non esset, relinqueretq; peccatum in eodem statu.

Punctum Difficultatis 3.

De Detestatione peccati levis proprii comparativè ad gravius alienum.

Assero I. *Si spectetur præcisè exigentia motivi specificantis contritionem & meritum objecti, magis est detestabile peccatum grave quantumvis alienum, quàm verbum otiosum proprium.*

Ratio. Tum quia meum peccatum gravius magis detestor, ex exigentia motivi specificantis contritionem, quia gravius est. Ergo & alienum si sit gravius meo, magis detestabor, ex exigentia ejusdem motivi: & quæcunque disparitas adferetur, illa petetur non ex formalitate motivi, sed ex aliis formalitatibus ad quas non attendit assertum. Tum quia Contritio secundùm præcisè motivum spectata, non respicit formalitatem mei vel alieni, sic enim spectata procedit ex amore amicitiæ, consequenter, non debet respicere bonum amantis & contriti. Ergo nec respicere formalitatem mei vel non mei. Tum quia hoc ipso quia dicitur ex vi motivi magis esse detestabile gravius alienum, quàm proprium levius, hoc ipso habebit se illud, quod est esse meum vel alienum omnino materialiter, adeoque quasi non esset, consequenter præcisè illæ formalitates non possunt diversitatem in detestando fundare.

Respondet Suarez. Si comparetur peccatum ad simplicem affectum ut objectum quoddam odio prosequendum, sic magis est dete-

detestabile peccatum proprium levius quam alienum gravius, quia quantum in me est, plus conari debeo ut illud non sit in rerum natura, quàm ne sit alienum.

CONTRA est; quia de hoc ipso quæritur ex vi motivi, quare deberet esse magis detestabile peccatum proprium levius, quàm alienum grave.

RESPONDENT II. Alii. Peccatum alienum, licèt in se sit majus Dei malum, non tamen relatè ad me.

CONTRA est. Quia responsio non opponit sese asserto, quod procedit de detestatione, in quantum oriunda præcisè ex vi motivi, præcipuè verò, quia præcisè ex vi motivi non respicit differentias mei vel alieni. *Ad Solvendas rationes Suarii*

TENENDUM I. Falsum esse quòd ex præcisa exigentia motivi, magis debeat se quisquam diligere in spiritualibus quàm alium, sed ex aliis rationibus; nam ut repetii, motivum præcisè non respicit differentiam mei vel tui, consequenter negatur magis glorificare Deum, charitatem, præferendo bonum proprium minus, alieno majori, idque præcisè ex vi motivi charitatis, quia de facto beati magis diligunt gloriam Christi Domini quàm propriam, etiamsi propria gloria, magis sit illis conjuncta. Quamvis autem Charitas debeat imprimis subjectum cui inest inclinare ad diligendum Deum, nego quod hanc inclinationem non sit factura, detestando magis alienum gravius, quàm proprium levius.

TENENDUM II. Quamvis non liceat eligere proprium leve ut non committatur alienum grave, non sequitur jam non esse magis detestabile ex vi motivi alienum gravius; quia supra notaveram, quòd major detestatio, non commode semper explicetur per ordinem ad electionem. Independenter autem ab hoc principio nondum convincit argumentum, quia quod non possit eligi tanquam medium, sub alia id formalitate convenit amori, nempe in quàntum est principium proximè conjungendi amantis cum amato, nec id habet præcisè ex vi motivi. Et certè sicut ad conditionem verè amicitiæ spectat non eligere offensam tanquam medium amicitiæ, ita etiam spectat de malis amici, proportionatè ad malum ejus dolere, quæ enim est amicitia, flere ob capillum unicum evulsum à se amico, & non dolere tantùm, cùm videt illum lethaliter esse vulneratum ab alio.

ASSERO II. *Accipiendo Charitatem pro principio conjungendi amantis cum amato, magis debeo detestari proprium levius, quàm alienum gravius*; adeoque quod ad impediendum peccatum grave aliûs, non sit licitum committere peccatum proprium levius. Est assertum apud omnes certum, sed rationem ejus invenire non est ita obvium. Ad solvendas has rationes quibus utitur Suarez Lugo Dicast. habeatur præ oculis intentum quod quæritur: Cur scilicet si eligatur minus peccatũ ad evitandum majus alienum, hoc ipso illud minus non sit eximentum à conditione peccati, ita ut sit nonnisi materialiter malum & peccatum, sæpe enim peccata quæ aliàs sunt formaliter mala ex circumstantiis evadunt nonnisi materialiter mala. *Cæterùm*

RATIO pro asserto sit. Si posset committi veniale proprium ad vitandum mortale alienum, fierent mala, ut eveniant bona. Sed hoc non potest fieri ut dicit Scriptura Sequ. probatur; quia si commisso veniali proprio ut impediatur alienum mortale non fierent mala, id ideò non fieret, quia desineret illud veniale in tali circumstantia esse veniale. Sed falsum est desiturum, quod ipsum Probatur. Circumstantia eventuri boni non dejicit malum à ratione mali, aliàs in omni eventu falleret hoc principium, non sunt facienda mala, ut eveniant bona; siquidem hoc ipso desinerent esse mala.

CONFIRM. Quia Charitas prout est principium conjungendi amantis, cum amato, est eo ipso principium impediendi ea, quæ possunt officere illi unioni, unioni autem huic nonnisi proprium peccatum officit, sive illa unio sit per visionem beatam, vel unionem hypostaticam vel particularem observantiam arctæ amicitiæ, quæ habetur ex suppositione statûs gratiæ, vitatque etiam leviſſimas offensas. *Ad solvendas Objectiones.*

NOTO I. Quod quamvis Charitas præcisè ex vi motivi non attendat formalitatem proprii vel alieni peccati, attendit tamen, prout est principium conjungendi amantis cum amato.

NOTO II. In humanis ex indigentia ea quam habemus bonorum nobis etiam invitis adimibilium, præsumitur esse non invitos, quod amicus faciat nobis parvum potius malum, ut impediatur malum gravius imminens ab alio; autem cum Deo invito nihil adimi possit, etiam ex bonis illius extrinsecis, (quamvis adimatur illo permittente) hinc non est fundamentum asserendi, DEUM non esse invitum, ut illud lævius committatur, & constaret illum esse non invitum, revera etiam admitti posset.

NOTO III. Quando DEUS revelaret mihi quod certo sim venialiter peccaturus, si ivero ad locum, A, licèt si ivero non sit alius peccaturus mortaliter, possem adhuc bene ad eundem locum ire, quia suppono illud periculum de se non esse proximè peccaminosum, sed

importare actum indifferentem, consequenter volitio illa erit volitio causæ, periculi, occasionis, &c. de se indifferentis, adeoque de se nullo modo peccaminosa: jam autem vi revelationis sequitur quidem in me obligatio credendi quod non sim futurus sine veniali, sed non sequitur obligatio, quâ obliger, ut non ponam dissensum peccato; & ex alia parte occasio est indifferens, potest congruè negari, quòd eo casu, eundum sit ab illum locum.

Quamvis autem non sit bonum facere mala ut eveniant bona, laudabile tamen erit furioso v. gr. non reddere proprium gladium, quia hoc potiùs est non facere mala ut non fiant mala; & ex objecto redditio gladii furioso, est mala, consequenter non redditio bona, mendacium autem v. gr. ex objecto est malum, consequenter nunquam committendum, ut eveniant bona.

Quæ autem in præsenti dicta sunt, applicari debent: Quidnam sit potius detestabile v. gr. Virgini Beatissimæ, peccatumné proprium leve an originale?

Quæri hîc posset. *An sit possibilis casus in quo Cajus vel peccare deberet venialiter, vel incurrere peccatum grave in aliena voluntate?* Affirmat Lugo hic numer. 66. posset enim Deus alligare meam voluntatem voluntati Petri, in ordine ad aliquod implendum præceptum, posset autem ille dicere: Ego volo violare præceptum nisi tu mentiaris: sic tunc esset necessitas aut incurrendi mortale aut eligendi veniale. Neque valet si dicas cum Dicast. non posse esse ut illud mortale sit originale, quia supponor jam existens & compos meæ voluntatis, nam non esset originale hoc est non existentium actu, esset tamen originale, hoc est, fons & radix maculæ, non propriâ actuali voluntate incurendæ. Hinc etiam Dicast. num. 220. negat possibilitatem hujus casus, sed videtur possibilis esse. Tumquia non implicat macula peccati, quæ sit qualitas quædam denigrativa animæ & constitutiva in esse odibilis Deo, in sententia autem horum, qui admittunt habitum vitii vel erroris, posse à Deo infundi, non apparet cur stante voluntate affecta Deo & nolente venialiter peccare, cur inquam talis macula infundi non posset. Deinde posito quod peccatum & gratia stare simul secum possent, non apparet cur stante voluntate affecta Deo, non posset contrahi macula voluntate. Sed in his etiam dispositionibus negaret aliquis contrahi peccatum in aliena voluntate sed diceret potiùs pœnam v. gr. privationis gratiæ incurri. Cæterum casus à Lugone propositus indiget aliqua moderatione; nam si procedat in eo sensu, quod eo modo in ordine ad reatum aliquem ad pœnas se cum illo haberet Deus, atque si peccasset in illo tanquam in capite, in hoc non apparet ulla implicantia, quæ enim est in hoc implicantia, ut dicat Deus, liberè gratiam meam do vel non do, conservo vel non conservo; hinc etiam volo, ut si hic homo unum peccatum commiserit, volo omnes alios spoliare gratia, & nascituris nunquam illam conferre. Si autem casus procedat in hoc sensu, quod Deus ita in illo casu sit judicaturus de voluntate illa alligata ut supponitur, atque judicat nunc de nostratibus, per ordinem ad peccatum originale, ut scilicet dicat: Hic peccavit in capite, videtur id eo in sensu fieri non posse. Ratio; quia ad hoc ut dicatur aliquis peccasse quoquo modo debet illud peccatum vel Physicè vel moraliter pendere ab eodem, in tali autem circumstantia physicè non peccaret quispiam in illo capite ut supponitur; non etiam peccaret moraliter, ut probatur, quia impossibile est ut moraliter aliquid imputetur alicui, quod ipse sui compos non vult, & principia illius ponendi quantum est ex eo tollit, quomodo ergo peccatum illud derivari poterit in ita affectum eumque denominare.

Ad multa hîc solvenda, tenenda est doctrina ipsius Lugo: numer. 67. quod affectus dilectionis tendat ad conjungendum affectivè physicè voluntatem pœnitentis cum Deo, utpote physicè etiam profectus à voluntate, cui unioni affectivæ officit peccatum nonnisi proprium, quia peccatum in capite posset voluntati proprie displicere; servareque conjunctionem cum Deo, quidquid sit an Deus tunc temporis maneret adhuc affectus illi creaturæ.

QUÆSTIO II.

De Actu imperato, qui est Attritio.

Decurro hanc materiam, plura de hoc scire volens legat Suarez hîc d. 5. totâ & d. 20. per plures Sect. Lugo d. 5. S. 9. Perez d. 14. totâ, Dicast. d. 2. dub. 11. & d. 6. per plures *dub.* & alios.

Punctum Difficultatis I.

Quid, quotuplex, & quî se habeat ad Justificationem Attritio?

Attritionem varii variè definiunt: pleræque definitiones, non satisfaciunt. Explicat 1. Suarez Disp. 5. Sect. 1. num. 1. Quòd sit illa detestatio peccati, quæ hominem ad gratiam suscipiendam disponit ex se insufficienter, cum Sacramento sufficienter. *Hæc Explicatio*

Non

Non Satisfacit. Assumit enim ad definiendum id quod dari est de fide, ea quæ non sunt de fide, dari enim attritionem est de fide, esse sufficientem cum Sacramento non est de fide, quod tamen assumit inibi Suarez. Deinde disponere ad gratiam est omnino extrinsecum attritioni, posset enim tota ejus ratio salvari quantumvis non disponeret ad gratiam.

Explicat 2. Lugo tit. 59. Quod attritio sit dolor qui perfectionem contritionis non habet. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit. Quia si quis definiret ita contritionem. Est dolor qui perfectione superat attritionem, non rectè definiret contritionem. Ergo & describere attritionem per hoc, quod non accedat ad perfectam contritionem, non est rectè illam describere, cùm tamen eo modo attritionem definiat Lugo. Et certè talis modus describendi quantum fieri potest usurpari non debet, quia non tam explicat: Quid res sit, sed quid non sit. Denique impossibili contritione possibilis adhuc esset Attritio, in qua suppositione quærerem quomodo definienda esset.

Assero I. *Definitivè attritio est dolor de peccato ob metum gehennæ vel pœnarum, vel turpitudinem peccati conceptus.* Quia Trid. Sess. 14. cap. 4. his verbis illam circumscribit, estque hic modus proportionatus aliis definitionibus, actus enim virtutum motivo & objecto definiuntur, & mala quidem esset hæc definitio naturæ intellectualis quod illa sit vel Deus, vel Angelus, vel homo, quia contineret solam numerationem definitorum, hic autem non est numeratio definitorum sed motivorum, per quæ aliàs describuntur actus.

Si quis rationem communem omnibus illis motivis vellet assignare, & aliquantulum à phrasi Trid. declinare, diceret quod sit. *Dolor de peccatis propter motivum convertens ad Deum imperfectè, vel dolor ex motivo non præferente Deum tanquam summum bonum reliquis*; Unde hæc definitio non procedit ostendendo excessum merum attritionis per contritionem, sed procedit ostendendo motivum cui innititur attritionis actus, actus autem specificantur à motivo, adeoque & definiuntur per illud.

Assero II. *Triplicem esse attritionem secundum motivum.* I. Quando concipitur ex metu gehennæ. II. Ex metu pœnarum III. ex turpitudine peccati. Ratio quia ita docet Trid. cit. aliaque motiva huc revocari possunt, & ita dolor ob spem præmii, revocatur ad dolorem ex metu gehennæ, opposita enim ejusdem sunt considerabilitatis, dolor item v. g. ex turpitudine inobedientiæ; erga Deum, &c. revocatur ad tertiam classem.

Assero III. *Cum Sacramento esse sufficientem solam attritionem ad Iustificationem.* Est assertum certum, sed non de fide, non inquam de fide, quia id expresse dicit Oviedo de Just. Cont. 1. numer. 109. censetque oppositam sententiam etiam post Trid. obtinere suam probabilitatem. Perez d. 14. Sect. 6. numer. 3. Lugo etiam dicit certius esse, quod Attritio sufficiat cum Sacramento, non diceret autem esse certius, si hoc esset de fide. Recenset Suarez d. 20. num. 3. & Dic. d. 6. dub. 2. Auctores qui oppositum asserto tenuerunt, hi autem sunt: Magister Sent. S. Bonaven. Hugo, Richardus de S. victore, Alensis, Gabriel, Major. Medina, Adrianus, Petrus Soto. Marsilius; Favent eidem sententiæ, qui dicunt necessariam esse saltem existimatam contritionem. Vict. So. Led. Nau. Favent item ii qui docent quod in confessione perficiatur attritio, sive perficiendo eundem actum ut transeat in contritionem, sive efficiendo ut homo ex actu imperfecto, transeat ad perfectum ut sensit Henricus.

Pondus addit huic sententiæ, quod gravissimi Auctores in art. mortis censent debere cum Sacramento nonnisi contritionem poni, talis est Suarez, Nug. San. Gran. Val. Zambranus, omnes apud Dic. d. 6. numer. 136. rationemque dant, quia quamvis certum sit quod attritio sufficiat, nihilominùs quia graves DD. oppositum, etiam post Trident. docent, ideò ex charitate quâ unusquisque tenetur sibi providere, debet conari ad contritionem ut suam salutem in tuto collocet.

Ratio. I. Asserti est; auct. Trid. Sess. 14. cap. 4. verba illius sunt: Quamvis (supple attritio) sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit, loquitur autem Trid. de dispositione ultima, quia loquitur de ratione disponendi, qualem non habet extra Sacramentum.

Ratio. II. Quia aliàs non haberet Sacerdos unquam potestatem remittendi peccata, sed supponeret remissa, quod dicere est contra excellentiam Sacramenti pœnitentiæ, quod medicina pro peccatis, quæ autem hæc esset medicina, quæ non posset adferre sanitatem, nisi supponat aliunde adhibitam.

Ratio III. Quia difficilior nobis redderetur salus & remissio peccati quàm in veteri lege, nam in veteri lege sine confessione auriculari vel publica, remittebantur peccata beneficio solius contritionis, modo autem insuper accederet obligatio fatendi alteri homini peccatum.

Punctum Difficultatis 2.

Quid sentiendum de Motivis Attritionis?

ASSERO I. *Attritionem factam ex motivo pœnarum temporalium posse esse sufficientem cum Sacramento ad delenda mortalia, quando pœnæ temporales referuntur ad Deum*, consequenter dolor ob timorem pestis, belli, famis &c. Sufficiens erit. Est contra Vasquez. Sed est Suarii & aliorum.

RATIO. Quia si attritio ob metum pœnarum temporalium non sufficeret ex ratione ut sic pœnarum temporalium; & hoc non, quia aliàs attritio ob metum purgatorii, nõ esset sufficiens, quòd forte opponi non concederent: vel ob metum nonnisi talium pœnarum; & hoc non, quia nullum est fundamentum asserendi, quod etiam pœnæ temporales, non possint mentem avertere à peccato, præcipuè cum pœna temporalis sensu percepta, apprehendi à nobis efficacius possit. Et certè Trid. videtur id voluisse innuere, dum agens de motivis, pœnas condistinguit à gehenna, ut videre est loco cit. adducitque in exemplum pœnitentiam Niniviterum, quos pœnituit metu pœnæ temporalis, hoc est subversionis urbis. Denique ut nos Deus avertat à peccando, minitatur nobis pœnas temporales, cur ergò in motivum attritionis etiam à creatura assumi non poterunt, ut ità cum Sacramento perficiatur justificatio, ex dolore orto ab illis motivis.

ASSERO II. *Dolorem de peccato ob metum pœnæ temporalis nullo modo relatæ ad Deum, probabilius est, non esse sufficientem.* Est Suarii D. 2. S. 4. numer. 10. Lugo d. 9. sect. 9. num. 140. Dic. d. 6. d. 1. num. 6. Est autem post Sotum, & Canum faventes contra Rosmer. Rationes pro asserto plures formantur non paucæ ineffi-caces; ad quas solvendas.

TENENDUM est I. Quod supernaturalitas non desumatur ex motivo; hinc formari benè poterit actus supernaturalis ob metum pœnarum temporalium, quamvis non relatarum ad Deum.

TENENDUM. II. Quod interdum ejusmodi dolor non sit aversius à peccato, id præcisè solùm non probat, aliàs talem dolorem esse insufficientem, nam etiam metus inferni non semper revocat à peccato. Addit etiam Rosmer. Posse esse actum supernaturalem & meritivum vitæ æternæ sine relatione formali ad Deum, quiasi quis eliciat actum justitiæ propter solam honestatem illius, eliciet actum supernaturalem sine ullo expresso respectu ad Deum, immò si verbi gratia foret ex relatione ad Deum tanquam mandantem v. gr. talem actum, jam non erit solus actus justitiæ, sed etiam obedientiæ.

TENENDUM III. Immeritò supponi talem dolorem esse mundanum, cur enim non poterit esse supernaturalis, cùm etiam supernaturalitas non describatur per nos per ordinem ad esse aliquod Divinum, vel relatum ad Deum.

TENENDUM IV. Sicut quando dolemus ob metum inferni non semper nobis relucet hæc formalitas; quia Deus revelat illum esse & tamen sufficienter dolemus, sic etiam quamvis non reluceat ut doleamus ob metum pœnarum temporalium, quas fides docet irrogari, à Deo, poterimus adhuc benè de illis sufficienter dolere. Cæterùm.

RATIO I. Asserti est; communis persuasio DD. requirentium dolorem relatum ad Deum: & in oppositum nullum urget fundamentum.

RATIO II. Quia PP. in omni justificatione requirunt conversionem ad Deum, quæ non potest haberi nisi in motivo reluceat quoquo modo Deus.

RATIO III. Quia forma depulsiva peccati debet esse proportionata formæ depellendæ, cum ergo fuerit peccatum non philosophicum, etiam forma depulsiva, debet esse non philosophica, sed Theologica.

Ad solvendas rationes quas adfert Rosmer.

NOTO I. Non negari per nos possibilem esse dolorem supernaturalem ex dictis motivis, sed negari à nobis sufficientem illum propter jam adlata.

NOTO II. Negatur quod sufficiat ad confessionem venialium attritio, naturalis & quamvis sufficeret, adhuc non sufficiet talis qualem adstruit Rosmer propter easdem rationes; præcipuè primam & secundam.

NOTO III. Quod assumit dolorem ex particulari motivo sufficere ad confessionem, id verum quidem est, si de facto alia mortalia non habeat, non sufficiet autem si alia mortalia habeat ut docet Dic. d. 6. numer. 36. aliàs remitteretur peccatum, nec actu nec virtualiter retractatum: posito autem quod in aliquo casu sufficiat iste dolor, non sequitur etiam dolorem, qualem adstruit Rosmer suffectutum, obstantibus rationibus allatis.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de Honestate. Universalitate & Permanentia Attritionis?

ASSERO I. *Attritionem elicitam propter metum inferni, esse actum honestum.*

RATIO.

Ratio. Tum quia honestum est propter illud averti à peccatis, quod Deus intimat ut avertamur à peccatis, non enim aliquid inhonestum intimaret, jam autem intimat metum v. gr. gehennæ, Timete eum qui habet potestatem mittere in gehennam. Tum quia nulla inhonestas in hoc actu ostendi potest. Tum quia actus iste, est actus elicitus à virtute spei, nam sicut ad illam spectat amor beatitudinis, ita spectare debet odium non beatitudinis, adeoque metus gehennæ. His omnibus accedit auctoritas Trid. quod pluribus locis laudat attritionem præcipuè S. 14. cap. 4.

Dices Cum Luthero. Iste actus est inhonestus. Nollem detestari peccatum, si non esset infernus, est enim actus inordinatus præferens pœnam offensæ Dei, attritio autem est talis actus; quod ipsum probatur, quia propter quod unum quodque tale & ipsum magis, ergo cùm propter inferni metum detestetur contritio mortale, magis detestatur infernum quàm mortale.

Respondetur. Argumentum duo involvere. I. An ille actus quo detestor peccatum propter infernum involvat hanc conditionalem, si non esset infernus non dolerem. II. An tunc magis detestemur infernum; quod ad primum attinet, Dico, quod illa conditionalis duplicem sensum habeat. I. Si non esset infernus non dolerem de peccato, quantùm est ex vi hujus actus; & hic sensus, nullam involvit inhonestatem, hancque conditionalem involvit actus attritionis, quia omnis actus absolutus involvit proportionatam conditionalem ut inductio probat; & ita hunc actum Amo Deum, quia est summè bonus, resolvimus in hunc sensum: Non amarem illum, quantum est ex vi hujus actus, si non esset bonus; quod autem non noceat honestati hujus actûs, dictus sensus, hâc inter alias instantiâ ostendi posset. Dicat aliquis honestus si biberem, noceret mihi, numquidnè jam vellet honestus hoc ipso esse helluo, si non noceret illi? & sicut poterat DEUS velle salutem nostram & ipsam Incarnationem propter nostram salutem, nosque interdum opera supernaturalia facimus ut impetremus naturalia, & si DEUS potest excellentius aliquid velle salute, nosque aliquid excellentius offerre pro ignobiliori sine ulla disordinatione, etiam benè poterimus aliquid ignobilius adhibere pro motivo ut consequamur, aliquid nobilius, adhibendo scilicet metum pœnarum ut evadamus culpam. II. Prædicti actûs potest esse iste sensus; si non adesset infernus, nullo modo dolerem de peccato, & hic sensus est malus, nec infertur ab attritione, quia importat tacitam adhæsionem, & non aversionem à peccato, quam si infert, hoc ipso ille actus, censendus erit malus. Quod attinet autem ad secundum: An assumendo infernum pro motivo peccati, debeamus dici magis detestantes infernum, id pendet ex explicatione hujus principii Propter quod unumquodq;, &c. fallit enim in pluribus, & inter alia fallit in materia de fide, quia articulis fidei credimus propter revelationem, nec tamen revelationem magis credimus, quam articulos fidei. Quidquid sit de veritate principii ejusque explicatione; hoc ipsum principium probat in prædicto actu magis esse detestabile peccatum, quam infernum, quia detestabilitas moralis pœnarum inferni desumitur ex malitia peccati, quod est causa irrogationis inferni. Unde propter quod unumquodque tale & ipsum magis; propter peccatum enim detestandum assumo infernum, & ipse infernus irrogatur tanquam malum, quia peccamus.

Addo pro præsenti dictum principium. Explicari sic potest: Propter quod unumquodque tale & ipsum magis, si aliunde, in eo ad quod movemur non includatur excessus, etsi ipsum motivum ab ipso illo ad quod movet in suo genere, non accipiat vim, accipit autem infernus vim detestabilitatis, à peccato ut dictum est, & sicut non magis DEUS vult nostram salutem quàm Incarnationem, quantumvis velit Incarnationem propter nostram salutem, quia magnus excessus excellentiæ, est inclusus in Incarnatione, quâ excellentiâ superat excellentiam salutis, ita quia magnus excessus turpitudinis, est inclusis in peccato, præ inferno, potest detestans peccatum propter infernum, magis detestari peccatum, cum ipsam præcipuam rationem detestabilis, accipiat infernus, à malitia peccati. Ad plures Script. auth. & SS. PP. solvendas.

Notandum erit, quod attritio sit quid imperfectum negativè, hoc est, non ita perfectum ut contritio, sed non est quid imperfectum positivè; hoc est dicens & involvens aliquid mali; tribuiturque illi imperfectio, quia seipsa nihil est, hoc est, non perducens ad justificationem sola, potestque benè fieri ex corde, quamvis non fiat ex charitate, eo, quod ex corde timemus insidias, & tamen illas non amamus, perfectaque charitas foras mittit timorem, hoc est elevando animam ut non propter timorem doleat, vel ut nihil timeat facere in gratiam amati; non autem quasi charitas auferat salutarem pœnarum timorem.

Assero II. *Motivum attritionis licèt pro præsenti ordine sit universale non tamen pro omni eventu.*

Ratio. Quia pro præsenti nullum est mortale actuale saltem, quod non sit detestabile ne incurratur infernus, nullum item veniale, pro quo non possit elici dolor, ex motivo timoris pœnarum, non tamen est id universale pro omni eventu, ut non esset, si Deus decerneret non

punire unquam mortale gehennâ, vel si decerneret nullam pœnam irrogare pro venialibus.

Dices ex Bertholdo. Potest aliquis elicere hunc actum Mallem peccare mortaliter, quam pati pœnas inferni, quia non apparet, quî de hoc peccato in præsenti statu doleri possit propter metum inferni, ponerentur enim tunc duo contradictoria, nam & diceret volo omne peccatum vitare, & inter alia peccatum, quo eligi potius peccatum quàm infernum, & dicere volo potius peccatum, quàm infernum pati.

Respondetur. In dicto casu non admittendam contradictoriam, quia & pro diverso tempore & diverso affectu illæ duæ propositiones ponerentur; prima enim approbativè poneretur, secunda reprobando eandem, nec terminaretur jam tunc ad utrumque volitio volens, sed ad primum actum volitio, ad secundum nolitio, consimilis, ei, quæ aliàs fit, in quocunque actu retractandi.

Assero III. *Diverso respectu attritioni ante Confessionem elicitæ convenire permanentiam moralem, diverso respectu non convenire.* Durabit moraliter etiam elicita nonnisi ex particulari motivo, si committatur immediatè ante absolutionem alius rationis veniale, quia v. gr. bene stant secum detestatio specialis mendacii, qua talis cum amore v. gr. vanæ gloriæ, neque enim eadem est particularis turpitudo utriusque. Cæterùm, si post illum dolorem de mendacio, iterato committetur mendacium, non habebit ille prior dolor moralem permanentiam, quia voluntas non mentiendi, non habet moralem permanentiam, posita voluntate mentiendi.

Casu autem quo quis doleret ex motivo universali extendente sese ad mortalia & venialia, si vel unum veniale committatur, difficile est salvare pro tunc permanentiam doloris; & ratio est quia voluntas ne veniali quidem peccato offendendi Deum, tollitur voluntate peccandi venialiter consequenter prior ille dolor non apparet, quo modo sit habiturus permanentiam moralem. Docet tamen Lugo d. 14. n. 145. quod licet Contritio sit universalis, nihilominùs non terminetur æqualiter ad omnia, sed magis detestatur unum quàm aliud, consequenter post dolorem illum universalem, habita voluntate peccandi venialiter, retractat voluntatem non peccandi mortaliter.

Esset & alius modus obviandi anxietatibus conscientiæ, quæ possent oriri ex hac doctrina, nempe quod etiam commisso illo veniali si detur ad Confessionem, adhibeanturque media illa humano modo ad finem primo intentum, tunc intercedit quasi virtualis reiteratio peracti doloris. Recito hîc notanda verba Lugonis, Optimum consilium est, ad majorem securitatem, quod pœnitens doleat seorsim de mortalibus propter gravitatem offensæ mortalis, qui dolor ex tali motivo nullo modo revocatur per peccatum veniale subsequens. Item quod doleat seorsim de peccatis venialibus vel de aliquibus, propter specialem illorum gravitatem, &c. cui dolori non opponetur aliud peccatum veniale novum, quod non participat illam specialem turpitudinem, quam, per priorem dolorem pœnitens detestatus est.

QUÆSTIO III.

De actibus Pœnitentiæ elicitis.

Imprimis agendum hic esset: An dentur actus meræ fugæ in pœnitentia, sed quia id pendet inde: An voluntas possit exercere actus meræ fugæ, quam suppono traditam in Animasticis. Unusquisque conformiter ad illa principia in præsenti discurrat. Consulatur Lugo hîc d. 1. S. 2.

Quod attinet ad alios actus, illi communes sunt pœnitentiæ cum aliis virtutibus, dividunturque in actus fugæ & actus prosecutionis. Actus fugæ sunt Displicentia simplex. Odium efficax, Detestatio. Dolor, Propositum vitandi. Actus autem prosecutionis sunt simplex Complacentia, Amor efficax. Desiderium, Intentio, Electio Gaudium, qui horum actuum notiones habere velit, consulat Lugo d. 4. à n. 2. Mart. Perez d. 3. S. 1. & 2. Nos etiam explicuimus in Ethicis. Restat disputandum contra Rosmer dicendem: Non improbabile esse quod pœnitentia non doleat de peccatis.

Dicendum est, *Pœnitentiam elicere dolorem de peccatis.*

Prob. I. Auth. SS. PP. qui perpetuò asserunt, quod pœnitentiæ sit plangere peccata commissa, dolereque de illis. Quod si dicas ad pœnitentiam id spectare non formaliter sed causaliter, jam non accipies verba Patrum, ut sonant; similique ratione dici poterit, quod nec alios actus principiet in sensu formali.

Prob. II. Si pœnitentia non doleret de peccato, ideò non doleret, quia procedit ex suppositione peccati, sed hoc non probat pœnitentiam non dolere de peccato, quia justitia restitutiva, vindicativa, medicina, item volitio Dei de puniendo peccato, sunt omnes volitiones & habitus ex suppositione mali, & tamen detestantur illud malum, imò habitus cum solicitudine & anxietate refugiunt illud malum, taliter autem refugere est dolere; ergo idem in præsenti dicendum. Hoc totum fundatur ulterius in hoc principio. Quia quotiescunque aliquis habitus tendit in destructionem alicujus termini illumque vult non esse, non est percepibile quòd præsentiam illius cum anxietate non refugiat, adeoque quod non doleat de illo.

Prob. III. Quia ex quocunque fundamento

aliæ

aliæ virtutes dicentur dolere de oppositis malis, ex eodem fundamento dici poterit talem dolorem etiam pœnitentiæ competere, & sicut non possunt aliæ virtutes dolere de opposito, nisi ex suppositione oppositi, nec hoc obstat quominus doleant: sic nec obstabit pœnitentiæ, quominus doleat de peccatis, quamvis ex suppositione peccatorum doleat.

Objic. I. Auth. multorum DD. & S. Th. docentium, quòd Pœnitentia versetur necessario circa peccatum commissum.

Respondetur. Concedendo totum, sed ex illis auth. potius inferendum est, quod pœnitentia doleat de peccato, vel maximè enim circa illud versabitur dolendo. S. etiam Thom. hoc ipso quia objectum pœnitentiæ vult esse peccatum expiabile, censendus est voluisse ponere, quod etiam dolor sit actus pœnitentiæ; nam censendus est agnovisse & attribuisse pœnitentiæ media expiandi peccati tanquam finis intenti, inter quæ media, est ipse dolor. Agnosci item potest, quòd sicut gratitudo non procedit nisi ex suppositione beneficii, actio tamen gratiarum, spectat ad illam, ita quod etiam actum suum non possit facere, præcipuè absolutum pœnitentia, nisi ex suppositione peccati. Sed Nego quod inde inferri possit exclusio doloris à pœnitentia, est q; nonnisi in hoc diversitas, quòd Grates sint actus prosecutionis, dolor autem, actus fugæ.

Objic. II. Bonum compensationis respicitur à pœnitentia; hoc autem bonum compensationis essentialiter includit peccatum; si essentialiter includit, non poterit amari bonum compensationis, quin ametur bonitas, quæ illam constituit formaliter in esse boni, hoc autem est peccatum.

Responderi potest huic argumento, quod probet multum. Probat enim quod Deus decernens Christum Redemptorem curativum, amet peccatum. Item justitia ejus vindicativa, &c. similia.

Directè autem Responderi potest quod bonum compensationis essentialiter includat peccatum tanquam, quid à se destruendum, consequenter includet illud tanquam objectum actuum fugæ, non autem includet illud tanquam objectum prosecutionis.

Objic. III. Dolor de peccato non potest habere pro motivo formali bonum compensationis, peccata enim præterita non opponuntur compensationi futuræ, imò necessaria sunt, quare, si hæc virtus deberet de illis decernere, potiùs debuisset velle quod fuissent, ut ita habeat occasionem ponendæ compensationis, quam solam vult.

Respondetur. Etiam concesso, quòd pœnitentia respiciat bonum compensationis, hoc enim supra negatum est, necdum concludet argumentum, non tantùm, quia retorqueri potest, ut retorsimus prius, sed etiam quia probaret, quod pœnitentia ne quidem imperare possit aliis virtutibus dolorem de peccato; quia si de peccato decernere deberet, deberet potius velle quod fuisset, ut ita sit occasio imperandi dolorem; quod si contradictorium est, ut imperet pœnitentia dolorem de peccato, & velit peccatum esse, sic etiam contradictorium est velle honestatem promanantem ex non esse, seu detestatione peccati, & tamen velle peccatum.

Directè autem ad objectionem dici potest, si Pœnitentia decernere debeat de peccatis, decernet ut non sint, si enim ipsam compensationem vult ut destruat peccata, certè si de illis decernere debet, decernet ut non sint, cum sint Terminus ad quem destruendum, nata est pœnitentia, consequenter peccatum, est necessarium ut ponatur compensatio, necessarium inquam per modum Termini destruendi, sed non alio modo necessitatis.

Quando autem inferius dicit: Impossibilem esse compensationem ubi non adest peccatum, dictum est supra, actum absolutum compensationis non dari, nisi supposito absolutè peccato, licèt actus ejusdem conditionatus possit dari, ad conditionatè ponendum peccatum; sed inde non sequitur, quod de illo dolere non possit, nam & compensationem vult ex suppositione peccati, & circa illud non actu prosecutionis, sed fugæ versatur, intendendo illius destructionem.

Quando autem Trid. dicit, pœnitentiam esse necessariam ad justificationem id intelligi potest non tantùm de Actibus imperatis quales sunt, contritio, attritio item ob metum pœnarum & gehennæ, sed etiam est necessaria si ponatur attritio ob turpitudinem peccati, qui dolor erit actus elicitus pœnitentiæ necessariusque dolor, si supponatur alius dolor non elici. Unde Tridentinum dicit Pœnitentiam esse necessariam, vel hanc, vel illam, aliquam tamen.

DISPUTATIO V.

De Effectis & Subjecto Pœnitentiæ Virtutis.

MAgna pars difficultatum de effectu pœnitentiæ, qui est remissio peccati, expedita à nobis est in materia de Objecto remoto pœnitentiæ, restabunt tamen aliqua discutienda.

QUÆSTIO I.

De Effectu Pœnitentiæ, circa revivíscentiam demeritorum & meritorum.

DE hoc quæretur: An commisso peccato, redeant peccata jam ante commissa, sed p æabolita, item si justificetur homo post peccatum, an redeat illi gratia ante peccatum habita.

DIFFICULTAS I.

De Effectu, qui est Irrevocabilitas peccati.

NOn est difficultas, quòd de facto dimissa culpa, nunquam redeat, quamvis fuerint DD. qui oppositum senserunt, hoc est, Hugo de S. Victore, Guilielmus Parisiensis: & alii apud S. Bonaventuram, quibus favet Magister, in quantùm non audet damnare sententiam hanc, cum Medina, solvente in contra argumentum; citaturque Aug. in Psal. 118. & lib. 1. de Bap. Par. c. 12. & 13. Ser. 15. de verbis D. Beda. Gregorius? Chrys. Abul. Theoph. & alii, Numerantur autem 4. peccata, quæ faciunt redire omnia ante acta. Odium fratris, Apostasia, Contemptus Confessionis, & cum aliquem pœnitet quod pœnituerit. Sed oppositum tenendum est propter communem jam Ecclesiæ sensum fundatum in Trid. & multis locis Sacræ Scripturæ, in quibus promittit Deus se non memoraturum amplius iniquitatum, comparatque remotionem peccati à nobis, distantiæ ortus & occasus, ut videre est Psal. 102. Servit ad hoc ille locus Pelagii Papæ ut habetur cap. ultimo de Pœnitentia Dist. 4. *Divina*, inquit, *Clementia peccata semel remissa in ultionem iterum redire non patitur.* Lugo & Coninck nominant hunc Papam Gelasium. Dicastillo Pelagium.

Auth. PP. quæ adferuntur, non plus volunt, quàm quòd redeant peccata in hoc sensu: quia scilicet meremur, ut Deus permittat nos in similia labi, vel quia redeunt quoad pœnam æternam, quæ merebantur post dimissionem, nonnisi temporalem, loquendo secundùm sensum vulgatiorem. Solet etiam urgeri illa parabola in qua punitur servus exigiturque ab illo debitum jam condonatum, eò quòd noluerit dimittere conservo suo, quia tamen parabolas non est necesse in omnibus verificari, sed nonnisi in principali intento, videndum restat quodnam fuerit illic principale Christi Domini intentum, quod non aliud erat, nisi ostendere, quòd immisericordes sint puniendi.

Restat discutiendum. An de absoluta potentia redire possint peccata.

DICENDUM I. *Accipiendo reditum peccatorum pro reassumptione juris ad offensam, potest fieri ut Deus condonet peccatum sub certa conditione, ita, ut si illa non impleatur, reassumat Deus jus offensæ.* Est Conclusio Scoti in 4. Dist. 22. Gabr. Valen. d. 7. q. 2. p. 1. Coninck d. 2. d. 19. Medina. Granado, & post illos Perez d. 11. S. 3. contra Dicastillo d. 2. d. 23. Suarez, Vasquez, Lugo d. 10. & Oviedo Tract. 9. Con 6. p. 4.

PROBATUR I. Quia id non implicat contradictionem, ut patebit solutione argumentorum.

PROBATUR II. Quia contritio, attritio cum Sacramento, Gratia &c. non sunt abolitiva peccati, nisi interveniat condonatio Divina. Ex quo sic urgetur. Prædicta non habent vim ut omninò acceptentur. Ergo possent non acceptari. Ergo & acceptari sub conditione, quòd scilicet Deus sit resumpturus offensam, si vel semel repetito peccet creatura.

PROBATUR III. Quia etiam in humanis potest condonatio fieri offensæ sub conditione. Tum quia similis potest fieri etiam dimissio debiti justitialis vel culpæ à Legislatore, scilicet sub pœna reincidentiæ. Tum quia concedunt multi posse peccatum mortale redire quoad pœnam, consequenter dabitur condonatio pœnæ conditionata. Ergo poterit dari conditionata condonatio culpæ.

Ut intelligatur vis illius condonationis Divinæ conditionatæ, explicari illa debet, per ordinem ad donationes humanas conditionatas, porrò in humanis illæ dupliciter fieri possunt. I. Ut non intercedat ullus actus absolutus, quantùm est ex parte actus, sed sit præcisè suspensio actus, cum sola manifestatione ponendi illum sub conditione; hæc donatio nul-

lum

lum beneficium actu confert, sed conferret; & ita nullum est beneficium dicere; Solverem te vinculis, si dares pecuniam; sic etiam si DEUS diceret; Condonarem tibi peccata, si non faceres aliud, eo casu non condonat peccata, nec manet ille homo solutus vinculis, sed tantùm solveretur, si poneretur conditio. II. Potest fieri in creatis condonatio vel donatio, quæ sit absoluta ex parte actus, & ex parte objecti conditionem importet, ut si v. g. dicat; Solvo de vinculo, sed si iterato non obedires, redires ad carcerem; dico potius redires, quam redibis, ut magis phrasis proportionet sese conditionato statui. Talis modus condonandi pro præsenti confert beneficium, licèt adstrictum aliqua conditione: ita etiam in præsenti intelligi debet DEUS eodem modo condonans peccatum, sub conditione reassumendi odii.

DICENDUM II. *Sumendo reditum peccatorum pro eo, quod peccator quoad se, ita se habeat formaliter, ac se habuit antequam non retractasset peccatum, seu antequam non fuisset sublatum peccatum; in hoc sensu, posito uno peccato, non possunt redire alia.*

PROBATUR. Posito illo novo peccato causante reditum peccatorum, & haberet se, quoad se peccator, ita, ac se habuit, antequam sublata fuissent illa peccata, & non se haberet quoad se ita; haberet se quoad se ita, supponit enim hoc contradicens Conclusioni; & non se haberet ita quoad se, ut probatur; quia posito novo peccato causante reditum anteactorum peccatorum, non haberet se homo tunc ita ac se habuit, cum peccaret actu, vel cum erat in habituali peccato; quod ipsum Probatur, quoad primam partem, quia illud novum peccatum potest esse blasphemia, & pristinum potest esse occisio, quî ergo tunc habebit se quoad se peccator, ut actu occidens, cum blasphemat, & actu non occidit; quodsi novum illud peccatum & occasio descriptæ reincidentiæ, sit etiam v. g. occisio, cum hæc distincta sit realiter à priori, quomodo tunc, actu, ita se, quoad se habebit (& quidem ut supponitur formalissimè) si novum homicidium committat; quoad secundam partem, nempe quod eo casu, non sit se habiturus peccator quoad se ita habitualiter ut ante. Probatur, quia quantum est ex parte peccatoris, tunc manet habitualiter homicidium, cum manet nullo modo debitè retractatum. Ergo cum supponatur retractatum, non poterit dici manere habitualiter; & sicut is qui sedet quamvis postea steterit, impossibile est, ut non verificetur de illo quod sederit: ita si semel retractavit, impossibile est de illo non verificari quod retractarit; si autem retractavit, hoc ipso sustulit habitualitatem quæ importabat negationem retractationis.

RESPONDEBIS. Non implicare ut idem actus vitalis iterato reproducatur, & tunc rediret peccatum idem.

CONTRA est. Quia hîc non quæritur de hoc: An possit Deus facere ut eadem numero actio peccaminosa redeat, sed ut redeant peccata quamvis actu tunc non supponantur committi.

DICENDUM III. *Imaginabilem esse casum, quo omnia peccata commissa, commisso nonnisi uno redeant æquivalenter, etiam quoad modum æquivalenter se habituræ voluntatis, ac se habuit, cum nondum sublata fuissent peccata.*

PROBATUR. Posset Deus edictum tale facere: sciant omnes homines, quod quicunque peccatum commiserit post justificationem, sit rem mihi ita displicentem facturus, ut erant omnia peccata in ante commissa; quod tale præceptum sit possibile. Probatur, quia non implicat. Tum quia sunt aliqua ideo mala, quia sunt prohibita. Ergo etiam possunt esse aliqua gravius mala, quia sunt gravius prohibita. Ergo si prohibeantur sub gravitate æquivalentiæ tribus v. g. gravitatibus, habebunt malitiam æquivalentiæ trium gravitatum. Tum quia etiam in humanis formantur tales prohibitiones; nam v. g. Actio quæ non est læsiva Majestatis appellatur crimen læsæ Majestatis. Tum quia ut rectè advertit Coninck. Potest homo per votum aut similes modos, obligare se sub dupla culpa, cur ergo idem non poterit facere DEUS. Tum quia quæ contra possibilitatem hujus præcepti opponi possent, facilè solvi poterunt ex his principiis, quòd scilicet non dicamus malitiam formalem seu objectivam externa prohibitione indi posse, nam non dicimus quod v. g. possit Deus prohibitione sua facere, ut blasphemia sit formaliter homicidium, sed tantùm dicimus, quod blasphemia possit reddi ratione extrinsecæ prohibitionis æquivalens moraliter homicidio, ad eum modum, quo aliquæ actiones legibus humanis possunt reddi crimina læsæ Majestatis, non physicè sed moraliter. Deinde argumenta in oppositum formanda probabunt, quòd nihil DEUS prohibere possit sub peccato, quod de se non sit peccatum. Quod autem eo casu reditura sint peccata æquivalenter.

RATIO est. Quia malitia illa æquivalebit omnibus commissis, hinc qui committet illam malitiam, ponet aliquid æquivalens omnibus commissis.

Neque valet si dicas: Qui vellet peccare peccatis Antichristi vel peccatis mille, non hoc ipso committeret prædicta peccata, quomodo ergo peccabitur peccato æquivalente illis, quæ in ante commissa sunt. Quia quod aliquis non peccet mille peccatis, vel

peccatis

peccatis Antichristi, desumitur inde, quia peccatum non potest esse nisi volitum, volitum autem non est nisi cognitum, & quia supponuntur, nec peccata Antichristi, nec peccata mille repræsentari, ideò nec censeri poterit voluntas prædicta velle; casus autem in quo procedit Conclusio, præsupponit præceptum illud prohibens peccatum sub reincidentia prægnitum esse, & contra illud niti voluntatem. In hoc etiam est disparitas, quia in nostro casu intercedit præceptum superioris, quod aggravare potest malitiam constituereque in serie æquivalentis mosaliter pluribus, quod in casu objectionis non adfertur: & sicut in humanis cum vult malus aliquis civis agere ut committat crimen læsæ Majestatis, non hoc ipso committit illud, quia illa actio, nec in se est crimen tale, nec sub tali interminatione prohibetur; ita in præsenti.

Posset adhuc inquiri: *An non sit possibilis modus reincidendi in peccata commissa, stans in hoc, quod scilicet DEUS prohiberet aliquod peccatum sub pœna non statim assumendi odii, sed suspendendiusque ad certum tempus, quo elapso, deberet tum primum incipere irasci DEUS.* Occasionem quæsiti dat Oviedo, numero 60. Sed probabilius est tali modo non posse redire peccata. Tum quia reditus peccatorum non debet ostendi ratione præcisè reassumpti odii à DEO, vidimus enim, Peccatum habituale non stare in sola aversione Divina. Tum quia actum suum necessarium non potest DEUS suspendere, necessario autem DEUS odit peccatum, necessarioque avertitur à peccatore nisi condonet, non intelligitur autem condonare. Nisi fortè id procedat de pœna, cujus executionem, potest DEUS ad tempus differre. Tum quia posita illa suspensione odii in tempore intercepto inter illud principium suspensionis & inter principium reassumendi odii, vel manet peccator sine macula, peccati, vel non manet; si manet; quomodo intelligi poterit Deus non detestari illud peccatum, si autem non manet quomodo postea redit macula, neque enim subest imperio Divino quoad redire.

Quodsi dicas Detestari quidem DEUM peccatum etiam in illo intermedio tempore, sed simul intermittere jus offensæ, recedes à principali puncto, quod est ostendere, illo intermedio tempore non esse illam creaturam objectum odii Divini, de hoc enim solo puncto hic controvertitur.

In hac materia Urget Koninck arg. à pari. Non repugnat dari peccatum, quod non inficiat subjectum donec ponatur conditio, & sic v. g. si crearetur anima & non uniretur corpori, quantum est ex vi Originalis, esset illud maculativum animæ, non tamen macularet animam, donec uniretur corpori, quia tunc primum denominatur anima esse ex animabus posterorum Adæ. Ergo etiam fieri potest ut DEUS remittat peccatum sub conditione, & tamen illud ante impletionem conditionis non inficiat. Pluribus hoc argumentum solvit Lugo à num. 14. illicque pro utraque parte disputat. An scilicet illa anima dicenda esset infecta originali ante unionem, & quidem probabile est, illam pro illo priori non inficì, quia adhuc est indifferens ut sit anima posterorum Adæ. Deinde Patres & Doctores supponunt maculari animam dependenter ab unione ad corpus. Et quamvis verum esset dicere: Quod peccaverit peccato originali secundùm inclusionem in voluntate Adami, in qua supponitur fuisse inclusa, non tamen dicenda est peccasse habitualiter ante unionem cum corpore.

Sed instat Lugo; si tunc fuisset anima creata extra corpus quando actu peccabat Adam, verum fuisset dicere, nunc peccant omnes posteri Adæ, ita verum erat dicere, nunc peccat Petrus & Joannes, futuri posteri Adæ; consequenter idem verum fuisset dicere de illa anima, quantumvis nondum unita corpori. Hæc tamen Instantia non convincit. Quia si tunc creata fuisset anima aliqua & non unita corpori, visaque fuisset unienda corpori, unius ex posteris Adæ, verum fuisset tunc de illa dicere, quod peccet, in voluntare Adami, sed non verum fuisset dicere quod peccet habitualiter. Quare autem posset dici illa anima peccans originaliter ante infusionem in corpus, & non peccans habitualiter ratio ex dictis colligi potest; quia peccare originaliter illam animam, est peccasse in Adamo, cujus voluntati erat alligata illa anima, hoc autem totum est completum ante unionem ad corpus, sed peccare habitualiter est contraxisse maculam, quæ contrahitur ex sensu SS. PP. nonnisi unione ad corpus. Et quia tunc quamvis prævideatur futura anima posteri Adæ nondum de facto est anima posteri Adæ, hinc nec defacto incurrit habituale originale peccatum filiorum Adæ, nec refundi debet in animam illa macula, nisi ratione habitualis originalis, quod tunc ut dixi nondum contrahitur.

Hoc tamen argumento Koninck non utor; quia imprimis in antecedenti manet peccatum originale nullo modo condonatum, hinc ipsa non condonatio, est radix redeundi; cùm autem in nostro casu supponatur condonatum, non apparet unde oriatur radix redeundi. Ex alio etiam principio, non utor hoc argumento, quia sumit difficile principium, quod eo casu non debeat dici maculata anima; non est enim explicabile, quomodo hoc quod est illam peccasse in Adamo,

non

non refundatur in eandem, pendetque hoc à Dei determinatione: An scilicet ille, tales animas voluerit includi, in dicto pacto, vel non; de quo nihil clarè SS. Patres: si enim Deus dixisset nolo ut includantur animæ in hoc pacto ante unionem ad corpus, non poterit dici ante unionem inclusa illa anima in dicto pacto, manereque maculata, sed si est inclusa ut concedit Koninck, quomodo non manet maculata. Quod autem supponunt Patres non maculari animam, nisi dum unita est corpori, supponunt ex eo, quia non loquebantur in suppositionibus miraculosis, & non secundùm præsentem statum currentibus, in præsenti enim statu nunquam anima creatur, quin simul uniatur corpori, si autem non loquebantur in suppositionibus miraculosis, non loquebantur hoc ipso de creatione animæ, quæ præexistat suæ unioni ad corpus.

DIFFICULTAS II.

Notantur aliqua ad solvendas Objectiones.

Ad solvendas Objectiones Lugonis.

Noto I. Quis sit sensus hujus propositionis: quod in conditionatè remisso peccato, non remittatur absolutè peccatum; ly enim non remittitur absolute prolatum, duplicem sensum habere potest. I. Quod non remittatur sine conditione, sed dependenter ab eadem, & in isto sensu, casu dicto, non remittitur absolutè peccatum. II. Ly non remittitur absolute, supponit; quod nulla tunc intercedat condonatio, quod actu exerceatur jus offensæ, vel saltem actu possideatur; & hoc falsum est evenire, quando condonatur offensa sub conditione, siquidem nonnisi illa conditione posita reassumi potest jus offensæ.

Hinc ulterius negari debet, quod condonatione conditionata non evellatur quantum pro præsenti radix offensæ, & quod reservet sibi Deus jus offensæ actu pro præsenti possessum, cùm reservet sibi jus, nonnisi in potentia, & pro futuro, casu implendæ conditionis. Et licèt quantum ad statum præsentem, reducatur peccator ad statum æqualitatis, Deusque quantùm ad statum, præsentem, eo se modo ad illum habebit, quo se habuit priusquam peccasset, non eodem tamen modo se habebit relatè ad futurum tempus, si ponatur peccatum sub pœna reincidentiæ prohibitum; nam ante positionem absolutam illius peccati, quod interminabatur sub pœna reincidentiæ, non haberet jus reassumendæ offensæ, & nisi præsupponeretur aliquod peccatum, non haberet Deus potestatem prohibendi aliquid sub pœna reincidentiæ, cum supponatur creatura, in ante nihil omnino cecidisse. Illustrari potest hoc Notatum, conditionatâ condonatione injuriæ facta in humanis, in qua non intelligitur homo in actu secundo habere jus ad offendi, quousque non ponatur conditio. *Hinc ulterius*

Noto II. Jus, quod est radix exercendæ offensæ aliud est in actu primo & aliud in actu secundo; jus pro radice acceptum & in actu primo habet Deus, ante impletam conditionem, sed jus in actu secundo non habet Deus nisi post impletam, in actu secundo conditionem. Jus autem illud in actu primo ad offendi, non impedit, quominus homo dicatur justus, quia etiam ante omne peccatum habet Deus jus sub conditione irascendi homini, casu quo excidat è gratia, id tamen non obest, quominus dicatur justus; sic etiam in præsenti, & cùm conditio nihil ponat in rebus, non debet tunc aliquid peccator, sed debebit impletâ conditione.

Illa autem propositio quod in illo casu non sit omninò condonatum & sopitum jus, illa inquam propositio distingui debet ex dictis, si enim sumatur ly omninò cum exclusione cujuscunque conditionis, sic omninò non est sopitum, cùm sit condonatum sub conditione; si autem ly omninò sopitum infert pro præsenti non esse actum secundum offensæ, hoc in sensu, est omnino sopitum.

Habet hæc condonatio similitudinem aliquam cum meritis mortificatis in hoc, quod sicut illa reviviscere possunt, ita & Deus reassumere offensam, sed in hoc disp. est, quia ex communi sententia Theologorum cognoscitur in ipsis meritis aliqua intrinseca exigentia, ad reviviscere, & simul jus, secundùm quòd deposcunt à Deo, semel illa acceptante, restitui: jam autem in ipsis peccatis, non est exigentia ut redeant.

Modus hic conditionatæ condonationis illustrari posset hac instantia; si DEUS diceret per impossibile: sciam hoc, si hæc fuerit conditio impleta, ante impletionem conditionis non sciret illam Deus, esseque jam non omniscius; ita etiam cùm Deus dicit se velle irasci, si hæc ponatur conditio, non poterit dici, quòd Deus ante illius conditionis positionem, irascatur.

Noto III. Dubitari posse: An natura humana cui conditionatè remitteretur peccatum posset à Persona Verbi terminari? In quo dubio triplici via incedunt Auctores, nam imprimis aliqui facillimè se expediunt eò, quòd teneant naturam quæ in ante peccavit, assumi non posse, ut videre est apud Amicum, docetque Esparza. Aliqui dicunt quod talis humanitas cum tali condonatione assumi posset, expresseque id docet Perez cit. num. 12. In hac sententia esset necesse dicere, quòd solutâ unione, posset DEUS reassumere jus offensæ,

offensæ, sed non præcisè titulo dissolutæ unionis, ut enim supra vidimus, conditio sub qua posset Deus reassumere jus offensæ, debet esse peccatum prohibitum sub pœna reassumendæ offensæ; jam autem dissolutio mera unionis, non est peccatum. Et si præcisè ex vi dissolutæ unionis reassumere posset Deus offensam, videretur aliquid latere in ipsa creatura, fundans pro præsenti offensam, sed impeditam unione. Quodsi quæras: An humanitas illa cum est terminata Personâ Divinâ posset rogare Deum pro peccatis suis futuris dissolutâ unione, non habet specialem difficultatem contra præsens punctum, proponi enim eadem difficultas potest: An si poneretur unio hypostatica amissibilis, an inquam posset adhuc orare pro peccatis suis futuris, dissolutâ unione.

Est insuper modus eidem dubitationi satisfaciendi, per negationem Consequentiæ disparitatem aliquis assignaret, quia scilicet est aliqua specialis indecentia, ut humanitas Deificata habeat sibi terminatum odium Dei, quæ indecentia non est, si puræ creaturæ remittatur sub conditione peccatum.

Dices. Peccatum habituale nihil aliud est quàm peccatum actuale præteritum, à DEO non condonatum, si autem est semel à Deo condonatum, perinde implicabit esse illius habituale redire, atque implicat peccatum actuale, quod est & fuit condonatum, non esse condonatum: & sicut implicat ut semel visum redeat ad esse non visi, ita implicat semel condonatum redire ad esse condonati.

Respondetur. Peccatum absolutè & seclusâ quacunque conditione remissum, implicare ut quandoque redeat, sed redire potest sub conditione remissum; præcipuè cùm aliunde non probatur impossibilitas conditionatæ remissionis. Illa instantia de viso, probat tantùm, quòd remissum absolutè non possit non esse remissum absolutè, & quod remissum sub conditione, non possit non esse remissum sub conditione, sed non probat, quòd non possit remitti sub conditione; potest autem voluntas elicere actus sub conditione etiam Divina, cur non ergo & condonare sub conditione.

Ad solvendas Object. Dicastillo.

Noto I. Quod quamvis denominationes relativæ resultent etiam ex aliqua antecedente actione, quamvis item macula peccati sit denominatio relativa, non resultabit tamen illa denominatio reincidentis, sine actione antecedente, scilicet sine commissione peccati prohibiti, sub pœna reincidentiæ.

Noto II. Supposito, quòd concedat Dicastillo eandem numero redire posse peccaminosam actionem, dici deberet, quod eadem etiam macula redire possit, quia macula in re nihil aliud est, nisi actio peccaminosa. Et licèt ea quæ individuantur à duratione, non redeant formaliter, ut dies hesterna; benè tamen redire potest Deus ad offendi, & ipsa voluntas ad æquivalenter peccatis præteritis peccandum; nam macula peccati non dependet essentialiter à duratione, & quamvis ob durationem peccatum reddatur majus, hoc est ex accidenti, nec ex principio quod sit tempus. Illud autem accidens & illud extrinsecum, ratione cujus duratio major peccati, facit peccatum majus, stat in hoc; quia intelligitur homo per illud tempus plures inspirationes Spiritus S. contempsisse, vel quia urgebat v. g. præceptum confitendi, vel annuum vel periculi vitæ; vel quia intensius operata voluntas; quæ omnia si post peccatum immediatè completa fuissent, crevisset malitia peccati. Ergo apparet incrementum illud præcisè ratione temporis, non accipi.

Noto III. Quamvis perficeretur nonnisi infusione gratiæ condonatio, nondum conveniret sub conditione remitti non posse peccatum, quia licèt sanctitas absoluta, & de facto posita, non possit remittere peccatum sub conditione, nullam scilicet pro nunc abolendo offensam, potest tamen remittere offensam nunc, sub conditione reassumendæ offensæ. Neque tunc Deus erit causa maculæ peccati, ut jam in simili supra dictum est.

Ad solvendas Objectiones alias.

Noto I. Falsum esse, eo casu non remittendum, sed tegendum nonnisi peccatum, quia tectio peccati supponit actualem maculam, quæ tunc non habetur.

Noto II. Falsam esse hanc propositionem, quòd scilicet gratia sit suâ naturâ absoluta peccati remissio, sed ad maximum est vera, quòd sit remissio absoluta pro hîc & nunc; Inde tamen non sequitur quod pro præsenti ordine aboleat peccata sub conditione reincidentiæ.

Noto III. Positâ condignâ satisfactione, non posse reassumi jus offensæ, quia à condigna satisfactione (quæ creaturæ puræ est impossibilis) extinguitur independenter à condonatione, jus offensæ, gratia autem destruit peccatum cum condonatione; quomodo autem in ista condonatione requisita fundetur postea jus remittendi sub conditione, ex probatione conclusionis colligitur. Et sicut in humanis potest remitti debitum non solutum, remitti inquam sub conditione, & tamen non potest fieri extinctio debiti sub conditione, si fiat satisfactio plena, sic & in præsenti.

Diffi-

DIFFICULTAS III.

De effectu qui est Reviviscentia meritorum.

NOn est hic difficultas de actionibus, quæ in peccato mortali erant factæ, hæ enim cum nunquam vitam habuerint, quæ pendet ab influxu gratiæ, quæ est vita nostra supernaturalis, non possunt dici reviviscere. Non est item difficultas, quæ disputando invaluerit: An quando meretur peccator fidelis augmentum habitus fidei ut 5. si postea perdat fidem, an illud augmentum redeat, Censet enim Perez d. 12. S. 6. citatque pro se Granado, quod illud augmentum non redeat, sed redeunt nonnisi merita gratiæ & gloriæ. Nec item est de hoc difficultas; An de facto redeant merita gratiæ & gloriæ, communis enim est sententia de facto redire; & quamvis Perez, Suarez, Granado, & alii, non censeant id esse de fide, Oppositum tamen omnes censurâ afficiunt; licèt id docuerit Nunnus. Porrò, quod redeant merita.

Ratio est Auth. Scripturæ. Ad Gal. 3. v. 3. & 4. Sic stulti estis, inquit S. Paulus, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa; quem locum sic interpretatur Anselmus, *Sine causa passi estis, si in hoc errore perseveretis, non sine causa si resipiscatis.* Item Ambrosius. *Quia adjecit, si tamen sine causa, ostendit sperare se, posse reformari illos.* Haud dubiè non solùm ad statum gratiæ, sed etiam ad prius meritum, quod perdiderant. Eodem modo hunc locum interpretantur Chrys. Hieron. Theophyl. Theodoretus & S. Thom. l. 2. in c. 3. epist. ad Galatas. Loca hæc post Suarez & Vasquez & alios refert citatus Perez Præter auctoritatem Scripturæ; est Auth. Trident. Sect. 6. cap. 16. Textus capitis sic habet. *Hac igitur ratione justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino, non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Infer. Obliviscetur autem si non redirent merita, fuisset item hic inanis labor, & si amissa gratia recuperatur, recuperabuntur & merita; ad quod postea alludit can. 32. in quo Tridentinum ad rationem meriti hæc requirit ut aliquod sit opus justi, ut fiat ex alio supernaturali, & ut operans in gratia decedat; utrumque autem illud prius habetur, in obtenta justificatione post peccatum.

Tota difficultas est. *An possibile sit ut condonata culpa non reviviscant merita.* Aliqui ut Scotus. Occam. Bonaventura, affirmant. Sed Vasquez & Dicastil. censent nec de potentia absoluta fieri posse, ut non reviviscant, quoad dignitatem & rationem meriti, ut videre est apud illum d. 2. num. 593. Lugo hac in parte habet suam specialem sententiam d. 11. a. num. 13. Specialem item Ripalda. d. 91. utramque sententiam brevi compendio dat Perez d. 12. S. 3. num. 3. & 4. Tractat. eandem materiam Oviedo de merito Tract. 9. Con. 6. Mens horum Auth. aliorumque sufficienter intelligetur ex ratione quam assignant, quarenam redire possint merita, non peccata.

Aliorum rationes, Cur redeant merita, non peccata?

Ratio I. Thomistarum est. Quia merita, quamvis posito peccato mortificentur, & in seipsis non perseverent, perseverant tamen in acceptatione Divina; jam autem quando homo justificatur, peccata non manent in se, nec in acceptatione Divina, quia eorum perseverantiæ causa DEUS, esse non potest. *Hæc ratio*

Non Satisfacit. Quia nego meritis inesse vim ratione cujus mereantur acceptari à Deo in ordine ad reviviscendum, vel si tu agnoscis talem vim, ostende in quo sit sita, præc pue quia id non potest revocari per te in meam libertatem Dei.

Ratio II. est Lugo num. 14. Talis est natura gratiæ habitualis, quæ ex se & connaturaliter, est semen gloriæ, quare licèt de potentia absoluta potuisset justificato non condonari pœna æterna, connaturaliter tamen gratia habitualis exigit illam condonationem, quia connaturaliter exigit gloriam, cum qua non potest stare pœna æterna, staret autem, si privaretur augmento dicto in pœnam peccati, videreturque Deus contra suum promissum recordari peccati, & punire illud. *Nihilominus hæc ratio*

Non Satisfacit. Tum quia in pœnam violatæ Virginitatis, etiam Sanctissimi in cœlo laureola virginitatis carebunt, num quidnè tunc censebuntur puniri à Deo pœna æterna in cœlo. Rursùs potuisset Deus decernere, si hic homo non peccârit venialiter, dabo ei unionem hypostaticam; peccet, careat unione, salvetur, num quidne punietur in æternum? ergo etiam salvatus, quamvis illi non redeant merita, non censebitur illo non reditu puniri in cœlo. Tum quia instantia illa deducta ex hoc quod gratia, sit abolitiva pœnæ æternæ, probat esse illam abolitivam pœnæ sensus vel damni; sed non est abolitiva effectuum peccati omnium, & quæ non sunt pœnæ, propriè dictæ; & ita ut arguit Rip. in pœnam venialis denegantur auxilia aliqua gratiæ & consequenter gloriæ augmentum; & tamen illa de-

negatio, tota æternitate durabit; & si hoc non vocas pœnam, nec irreviviscentia merita, voca pœnam. Tum quia assumit hæc ratio hoc ipsum, de quo quærendum esset: Cur scilicet non reviviscentia esset pœna, & non potiùs effectus consequens peccatum, qualis est privatio laureolæ Virginitatis.

Ratio III. est Ripaldæ cit. S. 4. eique adstipulatur Perez cit. Sect. 2. Multa præmittit Ripalda antequam formet rationem, legatur in fonte; tandemque sic formet rationem. Pristina opera ad promerendam collationem gratiæ & gloriæ, peccato, possunt impediri, in genere causæ efficientis moralis, & non in genere causæ formalis, nam merita & demerita non habent causalitatem formalem, hinc causant cum non existunt, quod non competit causæ formali, non possunt autem merita à peccato impediri in genere causæ efficientis moralis, quia Deus sicut potest remittere culpam, ita & dignitatem pœnæ, quæ pœna esset, si non daretur reviviscentia. Hæc ratio aliquantulum cõincidit cum ratione Lugonis. *Sed præter jam dicta, insuper*

Non Satisfacit. Tum quia multa supponit probanda, sicut, quod meritum, & demeritum sint duo agentia contraria, & quod meritum petat reviviscere, cum demeritũ petat ne reviviscat: de quo ipso quæritur unde sit ista vis petendi reviviscere. Rursus si non haberent merita vim ut prosequenti tempore causent præmium, non possent ad id acceptari à superiore, nec causare medio affectu superioris, præmium; ergo debet ostendi vis ista in ipsis meritis, aliàs nonnisi ex liberalitate Dei redibunt, in quo autem fundatur ista vis reviviscendi? Tum quia posito, quòd meritis non conveniat vis meritoria in genere causæ formalis moralis se efficientis, de hoc ipso quæritur: Cur hæc vis non restringatur ad efficere moraliter, nonnisi casu, quo non incidatur in peccatum. Tum quia quamvis merita parentum prosint ex sensu Doctorum filiis, restabit quærere; An prosint & cur, ea merita, quæ erant posita, ante peccatum? Agnosci nihilominùs posset in actionibus Theandricis, quamvis sublata unione peccaret illa humanitas, posset inquam agnosci vis satisfactiva; nam merita Theandrica habent vim merendi infinitam, illimitatam, & dignam omni excogitabili possibili præmio, modò ad illud ordinentur; consequenter poterunt habere vim agendi, ut casu, quo illa humanitas peccaret, permaneant; præcipuè permanente semper principio dignificativo, nempe persona Divina, jam autem merita nostra non habent infinitam vim, nec illis peccato sublatis permanet quidquam de facto dignificativum eorundem, consequenter carebunt consimili vi, ei, quæ conveniret in dicta suppositione Theandricis operibus.

Ratio IV. Desumi potest ex Rosmer, quam etiam innuit. Bertholdus hîc num. 63. Merita antecedentia retinent totam vim suam meritoriam post commissum peccatum, sed impediuntur peccato, hinc illo ablato tanquam obice reviviscent. Et sicut posito baptismo valido & informi, Baptismus quantum est ex se habet virtutem sufficientem ad delendum originale, & actualia ante Baptismum commissa, tamen si reperiat obicem, non producit gratiam, & producit, sublato obice, sic & in præsenti, obice peccati sublato reviviscent merita. *Hæc ratio*

Non Satisfacit. Tum quia de hoc ipso quæritur: unde retineant totam vim? & quod peccatum habeat se nonnisi per modum obicis, ne effectum suum habeant merita. Tum quia potest retorqueri argumentum. Non redeunt peccata, nec gratia est solum obex non reditûs eorundem, ergo etiam merita non reviviscent, nec peccata erunt tantùm obex ne redeant. Tum quia quod Baptismus sublato obice causet gratiam, referri id debet in characterem qui est tanquam causa instrumentalis, non ostendetur autem aliquid tale quod maneat cùm committitur peccatum, ratione cujus manentis, redeant merita. *Commodius ergo*

Formatur ratio infundata ipsismet principiis fidei, quæ supponat non esse impossibilia merita habentia vim reviviscendi; ex hoc supposito sic ulterius proceditur. Datur in meritis condignitas radicalis, vi cujus petant à DEO acceptari, etiam ad reditum & reviviscentiam. Ergo reviviscere debent. Antecedens probatur. Si non daretur in illis talis condignitas, de facto non reviviscerent, quia jam nonnisi ex liberalitate Divina redirent; cùm ergo reviviscant, ut docet fides, hoc ipso datur in illis radicalis exigentia reviviscendi. Hic modus probandi habet se ita, atque si aliquis diceret. Habet albedo vim disgregandi visum, si enim non haberet, de facto non disgregaret, & sicut hæc ratio innititur experientiæ, ita prior illa, fidei; & insuper principio illi negativo, non implicat contradictionem.

Posset hoc idem sic ulterius illustrari. Quando fiunt merita, prævisa futura peccata, non possunt facere, ut non acceptentur; si autem sunt acceptata, verificatur de illis propositio etiam quando homo est in peccato, *sunt acceptata*; quia verò simul sunt bonum quoddam extrinsecum Dei, sublatâ offensâ & ex titulo positæ jam acceptationis, reassumuntur à Deo. Quando autem recidit in peccatum, cum illud sit malum Dei extrinsecum, & Deus hoc malo extrinseco privavit se se condonando, non invenit in se fun-

da-

fundamentum restituendi peccata in pristinum statum.

Non incommoda est instantia Dicastillo hic num. 586. Quantumvis aliqua difficilia secum trahat. Si creditor aliquis debitori suo damnum aliquod inferat, interim debitor retinere potest debiti solutionem, nempe ad compensationem damni sibi illati. Si verò creditor integrè satisfaciat pro damno, vel si ipse debitor damnum remittat gratis, eo ipso redit obligatio prioris debiti. Deus etiam est quidem debitor præmii & augmenti gratiæ respondentis meritis, casu ergo quo remittantur peccata, eo ipso redit quasi debitum illud præmii, per augmentum gratiæ & gloriæ.

Inferes I. Ut de facto reviviscant merita necessariam esse acceptationem Dei, quæ acceptatio omnia merita in ratione meriti, adeòque reviviscentiæ complet, licèt præhabito fundamento radicalis excellentiæ.

Inferes II. An ex misericordia Dei, an ex misericordia Dei, an ex natura rei reviviscant merita, actu enim reviviscunt ex misericordia sub formalitate hac, quod absolutè à Deo possent non acceptari; ex natura autem rei; habent radicalem exigentiam reviviscendi.

Inferes III. Ad totum præmium gratiæ & gloriæ redire peccatorem posita justificatione. Est illatum contra Scotum, Capr. Dur. Valen. Gran. Vas. Hur. & alios quamvis diversimodè suam sententiam explicantes. Pro nobis sunt Suarez, Koninck, Lugo, Rip. q 91. n. 51. S. Hieron. non est nobis contrarius, quamvis in oppositum à Gratiano citetur; quia non plus vult quàm quòd post peccatum, in Ecclesiam non redeat homo ad eandem dignitatem Ecclesiasticam. De mente S. Th. dubium est, videtur enim in 3. d. 31. q. 1. art. 4. q. 3. ad. 4. censere oppositum. Sed pro nostra sententia est, hîc q. 89. art. 5. Explicarique possunt priora loca, quod scilicet non redeamus in pristinum statum, quoad multas facilitates operandi supernaturalia, & quoad habilitatem plurium gratiarum Dei recipiendarum, cum hoc tamen stant, quòd gratia ante acquisita redeat post peccatum.

Ratio. Horum omnium. Tum quia indefinitè reviviscentiam hanc docet Scriptura, Concilia, Patres. Tum quia non est major ratio pro uno gratiæ gradu, quàm pro alio. Tum quia in his meritis totum hoc salvatur (de quo supra) quod requisivit Trid. ad reviviscentiam, & quidem de gratia Sacramentis quæsita; hæc adhuc potest adferri congruitas, quòd scilicet congruum sit reviviscentiam (quæ est quædam excellentia) non tantùm meritis propriis, sed etiam meritis Christi in peccatore mortificatis tribuere, quam excellentiam non haberent, si gratiæ meritis Christi in Sacramento collatæ non reviviscerent.

Objic. I. Ezech. 18. ad v. 1. usque ad 24. æquè comparantur inter se peccatum & merita in ordine ad redire.

Respondetur. Quamvis inibi comparentur inter se remissio & commissio peccati, non sequetur redire peccata, sicut redeunt merita; quia illo loco, non plus vult Propheta, quàm quòd ita cum est aliquis in peccato, nulla sunt ejus merita, sicut nulla sunt demerita, cùm est in gratia.

Objic. II. Non redeunt peccata. Ergo neque redibunt merita.

Respondetur. Quamvis in ordine ad tollenda merita non minùs sint potentia peccata, quàm gratia ad tollendum peccatum, imò magis; nihilominùs, quia non datur ulla talis malitia in peccato, quæ posita condonatione semel, eaque absoluta, exigat non redire amissam gratiam, quia hujus radicalis exigentiæ in peccatis nullum datur à posteriori fundamentum; datur autem fundamentum talis radicalis excellentiæ in meritis, quæ inesse illis arguitur à posteriori, ex reviviscentia eorundem, quam dari docet fides, aut ad maximum consensus Doctorum. Hinc quamvis non redeant peccata, reviviscent merita. Quod autem attinet ad illud, quòd post finalem impœnitentiam, non redeant merita, id referri debet non in naturam illorum quòd redire non possent, sed in decretum Divinum, de non reditu eorundem, in aliquo enim possibili eventu potuissent reviviscere casu enim quo rediturus fuisset ad vitam & justificandus, aliquis damnatus, non esset ratio, cur non deberent pristina ejusdem merita redire, ut etiam docet Lugo d. 11. n. 12. simile autem decretum de non reditu meritorum ante mortem nullum est.

Objic. III. Non redit justitia originalis. Ergo neque redeunt merita & gratia ante peccatum habita.

Respondetur. Si intelligatur nomine gratiæ originalis gratia primùm data Adamo, eum constituens in esse filii Dei adoptivi, hæc est restituta Adamo, & nobis, similis datur; si autem intelligatur nomine gratiæ originalis, vis faciendi ut obediat caro, & appetitus sensitivus rationi, hoc donum non redit, quia vel est distinctum à gratia justificante, vel si non est distinctum, non sequitur, quòd gratia quoad omnes suos effectus, pendentes præcipuè à libero Dei decreto, restitui debuerit. Et certè potuisset Deus ferre decretum: Volo à gratia causari ut justificato obediat pars inferior, non obediat peccatori; quia verò in præsenti statu non datur decretum impeditivum reviviscentiæ, imò datur complens illorum reviviscentiam, propterea pro præsenti statu reviviscunt merita; præcipuè cum Trid. loquatur de

reviviscentia meritorum in ordine ad gradus gratiæ gratum facientis & gloriæ, non verò de reditu, quorumcunque bonorum spiritualium.

INSTABIS non redit virtus Virginitatis si amittatur. Ergo nec redibit gratia ante peccatum habita.

RESPONDETUR. Quod attinet ad virtutem Virginitatis, dupliciter de illa discurrere possumus, quia vel Virginitatis virtus identificatur (quod probabilius est) dono castitatis nonnisi cum certo respectu ad integritatem etiam materialem, voluntariè non violatam, sic redibit hæc virtus, sed ob defectum materialis, quàm connotat integritatis, redibit sine Formalitate Virginitatis; si autem sumatur Virginitatis donum pro condistincta qualitate, negabitur consequentia, quia hæc qualitas non potest haberi sine connotata necessariò materiali integritate corporis, quæ peccato amissa; nihil autem simile habetur ne reviviscant merita. Deinde quòd non redeat Virginitas, Doctrina est communis, quæ est, non pro non reditu, sed est pro reditu meritorum.

QUÆSTIO II.

De effectu Pœnitentiæ, qui est Satisfactio pro pœna.

DE duplici pœna quæri posset, Æternâ scilicet & Temporali; & quidem non est difficultas de hoc: An de facto dimissâ culpâ, remittatur peccatum infusione gratiæ habitualis, quæ de facto stat cum condignitate pœnæ æternæ, remittitur cum culpa, pœna æterna. Non est item difficultas, quæ Scholasticè invaluerit; An sola opera pœnalia sint satisfactiva pro pœna, de quo vide Ripal. Q. 92. num. 44. Affirmativæ ratio est, auth. Trid. quod agens S. 14. c. 8. de necessitate satisfactionis pro pœna, loquitur de illa tanquam per quam homo patitur, castigatur, & quasi freno coerceatur, quæ omnia nonnisi de pœnalibus ut sonant intelligi possunt. Innuit idem Cath. Rom. de Sacramento pœnitentiæ num. 74. Addit nihilominùs, & benè, Ripalda: Quòd de facto omne opus bonum meritorium, sic etiam satisfactivum strictè pro pœna, quia nullum est quod non sit aliqua ratione pœnale.

Non est item difficultas in eo: An possit pura creatura de facto satisfacere pro pœna æterna, quia cùm hæc sit de facto annexa culpæ mortali, sicut non potest satisfacere pro culpa, sic nec pro pœna æterna.

Cæterùm ex objecto loquendo, posset accedente Dei ordinatione, satisfacere homo pro pœna æterna, idque ex condigno, quia si potest ex condigno promereri præmium vitæ æternæ, cur non & remissionem pœnæ. Quod verò pro nunc justus non mereatur remissionem totius pœnæ temporalis, semper id provenit, quia exhauritur hæc vis alio præmio, quale est augmentum gratiæ & gloriæ. Quomodo autem Justus satisfaciat pro pœna temporali, lege Rip. cit. a. n. 18.

Duo hic difficiliora expendenda sunt. I. An possit Deus de absoluta potentia remittere culpam & non remittere pœnam æternam. Deinde: An de facto redeat debitum pœnæ æternæ?

DICENDUM est. *Posse remitti de potentia absoluta culpam, & non remitti pœnam æternam.* Ita post alios Ripal. cum Suarez d. 13. S. 2. Koninck, & alii contra Dicastillo d. 2. d. 24. & ante illum, contra Vasquez, & alios.

PROBATUR I. Quia id non implicat contradictionem.

PROBATUR II. Quia ratio culpæ & reatus pœnæ, sunt, quid condistinctum & in ordine ad condonationem Divinam & in ordine ad condonationem humanam. Ergo poterit condonari saltem de absoluta potentia unum, quin condonetur aliud. Antecedens probatur; quia imprimis de facto condonat Deus culpas veniales, non condonando pœnas temporales; in humanis etiam positâ reconciliatione; adhuc manet jus exigendæ pœnæ.

PROBATUR III. Quia quamvis Deus actu necessario detestetur culpam, nihilominùs ex libertate illius est taxatio pœnæ & irrogatio, quid enim implicat: cur Deus pro mortali non constitueret nisi pœnam temporalem, quodsi pœna sub liberam Dei dispositionem cadit, supposito peccato, cur illâ punire non potetit etiam condonatâ offensâ. *Ad solvendas Objectiones*

NOTO I. Quamvis dignitas pœnæ fundetur in culpa, nec sola Dei voluntas possit constituere aliquem dignum pœnæ quâ tali, negatur tamen, quòd aliquis ratione peccati præteriti, non possit etiam dimissâ culpâ, manere dignus pœnâ æternâ, ita ut fundamentum illius pœnæ, sit culpa commissa, sub titulo solo culpæ, condonata; præcipuè cùm non probetur, quòd titulo solo culpæ, condonari non possit. Et licèt peccato absolutè tam quoad culpam quàm quoad pœnam remisso, non possit manere aliquis dignus pœna, potest tamen manere dignus pœna absolutè, quoad solam culpam remisso peccato, cujus remissionis non ostenditur implicantia, habeturque simile exemplum, in remissione venialium.

NOTO

Noto II. Dignitatem ad pœnam & ad culpam duplicem spectari posse, primam, immediatam, formalem, completam &c. & sic indiget compleri negatione condonationis. Secunda dignitas est remota & in potentia non proxima, & hæc hoc ipso non est dignitas, nam in sermone communi, dignitas in potentia remota, non appellatur dignitas, quis enim dicat dignificatum esse colonum regalitate, quia posset esse Rex. Prima illa dignitas & culpæ & pœnæ, absoluta condonatione tollitur, secunda autem hæc impropriè dignitas, non tollitur, fundatur enim in sola actione præterita, cui non fieret præjudicium, si remitteretur non remissa pœnâ. Nec id obest Justificationi, erunt enim adhuc Justificati puri ab omni labe & debito actuali, licèt in eis possit concedi debitum remotum adeoque ut dixi non debitum; ita ut etiam in cœlo dicant Sancti Misericordiæ ejus fuisse quod non fuerint consumpti, suntque in cœlo absolutè digni gloria, sed non in hoc sensu, quòd non posuerint aliquid, quod potuisset pœna æterna puniri, dimissa etiam culpâ, nec sequetur fore nos justos tantùm justitiâ imputatâ, quia hæc hæretica doctrina, dicit ut sæpe innui, actu manere totam culpam, quod nos non dicimus. Et sicut non obest quidquam justificationi veritas hujus propositionis: Peccavit, poterat non justificari, sic nec oberit justificationi veritas hujus propositionis: Poterat illi non dimitti pœna, dimissa culpâ.

Aliud Difficultatis membrum in hoc est. Ponamus Cajum commisisse tria mortalia, postea justificatum esse, in justificatione, æterna pœna remittitur illi, decernitur temporalis; peccet, moriatur in peccato, quomodo illa priora tria punientur? Si æternum punientur, redibit pœna, si non punientur, dabitur in inferno redemptio. Ex qua occasione idem proponi potest de veniali, cui debetur pœna nonnisi temporalis, æternumné in inferno, an temporaliter venialia punientur, utrumque hunc casum tractat Dic. d. 2. num. 519. attingit de solo veniali Lugo d. 10. S. 2.

Explicat I. Scotus Gabriel, Major, Almainus, quòd post aliquod tempus, cessent pœnæ inferni, debitæ illis venialibus, quod proportionaliter applicari potest ad mortalia dimissa. Ex nostris docet eam Rosmer de Remissione venialium sub his terminis: Non videtur ullum inconveniens, quòd in damnatis, pœna venialibus debita, exstinguatur per satispassionem, remanente culpa; quia verò in inferno nulla redemptio, id ita intelligendum, quia nunquam fit mitior indulgentia judicis, vel, quia non redimuntur à pœna, quæ omni titulo æterna esse debet. Illustrat Dic. tali instantia; si quis esset damnatus ad perpetuum carcerem, simul etiam propter aliquid minus ad sustinenda centum verbera, eaque in ipso carcere infligerentur, non diceretur decreta pœna mitigari transacta verberatione. Arriaga etiam Disp. 53. de Pecnum. 1. censet pœnam talium per satisfactionem in inferno, tandem finiri. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia per fidem universalis hæc vera est. Nulla est redemptio in inferno, & tamen per oppositos esset aliqua. Fiat ergo Categoria Redemptionis; erit genus supremum; Redemptio dividitur in Redemptionem è Misericordia & in Redemptionem ex Justitia, qualis Redemptio suo modo est posita à Christo. Redemptio ex justitia dividitur in redemptionem satisfactoriam & satispassivam. Et quia de supremo Genere enunciat Scriptura nulla redemptio, sequitur quod nec sit futura redemptio per satispassionem. Tum quia nihil obest, quominus simpliciter & ut sonant illa verba accipiantur. Tum quia instantia Dic. non valet, quia illa supponit expresse excepisse Principem, ne fustigetur semper, non constat autem de Divina exceptione, quâ exceperit æternitatem in aliquibus pœnis. Adscribere hic juvat locum August. in Psal. 105. *Nisi fortè quis* (inquit) *audeat dicere, in his qui damnabuntur cum Diabolo & Angelis ejus aliquam misericordiam Dei minime defuturam, non quia ex illa damnatione liberantur, sed ut eis aliquatenùs mitigetur*; mitigaretur autem in sententia oppositorum.

Explicat II. Lugo & supponit, quòd sit de ratione status illius, uniformitas in pœnis, hæc autem ut fiat sine injuria damnati, ita Deus attemperat pœnam æternam venialis, ut re ipsa non excedat in morali æstimatione pœnam temporalem, quam alias pateretur; potest enim esse adeo remissa pœna æterna ut æquivaleat temporali intensissimæ, non enim ex terminis videtur repugnare, quod in ordine ad æstimationem moralem, possit adæquari aliquid æternum per aliquid temporale, sicut in materia præmii magis appetibilis videtur visio Dei per unum annum, quàm visio prati amœni, per æternitatem. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia non explicat: an redeant de facto pœnæ æternæ vel non redeant, idque in formalitate æternitatis. Si non redeunt, quomodo æternum punientur in ante remissa. Si redeunt, redit & argumentum. Non redit culpa, ergo neque pœna.

Neque dicas non redire pœnam, quia non tanta infligenda fuisset, si dimissum non fuisset, non inquam dicas; quia quamvis non redeat eadem pœna, redit tamen æternitas, & tamen

non redit culpa. Tum quia vel illa acerbitas pœnarum temporaria mutata in æternam, est ejusdem acerbitatis entitativè cum priori, sed tantum remissior & remissior vel simpliciter diversæ rationis, v. g. quòd non sit irroganda igne, sed pœna diversæ rationis; si primum, recurritur ad divisibilitatem in infinitum ejusdem intensionis, quæ divisibilitas in principiis nostris locum non habet; si secundum, videtur arbitrariè dici, quòd scilicet pro peccato dimisso non patianturignem animæ damnatorum. Instantia quam adfert Lugo de illis visionibus non convincit. Sunt enim illæ visiones diversæ rationis, adeòque non æquabiles, sed cum pœnæ illæ supponantur esse per ignem, adeoque ejusdem rationis, probari debuisset, quòd certæ pœnæ æque temporali, tantùm æquivaleat illa æterna, imò pœna æterna, ob sui prolationem intolerabilior est, inde tolerabilius est cito comburi reis, quàm lentè ustulari.

Est & alia pars ejusdem explicationis à Lugo adlatæ, quòd scilicet continuatio illa pœnarum sine fine, referenda sit in perseverantiam culpæ, perseverantiam inquam non tantum habitualem, sed etiam perseverantiam in affectu, quatenùs damnatus, non solùm non dolet de peccato præterito, sive veniali, sive mortali, sed vellet si posset iterum illud committere, quæ perseverantia affectus impedit solutionem totalem pœnæ, pœna enim temporalis ordinatur ad correctionem delinquentis, ut dolor ipse aperiat oculos quos clauserat culpa. Illustrat hoc instantia. Jubeat princeps flagellari reum, non solum ad exemplum aliorum, sed etiam ad correctionem rei, quodsi reus clamet inter flagella, & approbet quod fecit, continuabuntur verbera & ultra multiplicabuntur, quia lex præscribens numerum verberationum, attendit ad pœnitentiam rei. *Hoc additum*

Non Satisfacit. Tum quia approbatio peccatorum facta post hanc vitam, non apparet quî causet pœnam æternam, & hoc additum non facit satis difficultati, quæ hîc est, nempe: an redeat pœna æterna; si redit pœna, redibit & culpa: si non redit pœna æterna, ergo temporaneè patientur in inferno pro illis, adeòque dabitur redemptio in inferno. Tum quia non ostendit hoc additum radicem æternitatis pœnæ, ponamus enim quòd homo non clamet, non approbet præterita peccata, numquidnè jam indignus erit pœnâ æternâ; & si indignus, dabitur in inferno redemptio.

Explicari potest III. Secundùm communiorem apprehensionem, dicique ad punctum Difficultatis, quòd scilicet pœnæ illæ sint æternæ, tam dimissi mortalis, quàm venialis, propter rationes adlatas contra primam explicationem; nihilominùs non redeunt pœnæ.

Ratio est. Quia vel intelligerentur redire quoad eandem intensionem, & hoc non, quia spectat ad Div. justitiam non punire æqualiter delicta, quæ in se æqualia non sunt; nec redeunt quoad æternitatem, quia illa æternitas si rediret, rediret tanquam debita, dimisso autem mortali, vel veniali, tota illa æternitas non est debita, sed est tantum per accidens æterna. Quodsi quæras: Cur illa sit per accidens æterna. Ratio est quia non ratione illius demeriti, sed ratione alius, æternitatem habet; quæ autem sunt alicui non propter ipsum illud, sed propter aliud, bene dici possunt, per accidens illi, & ratione alius, convenire. Illustrari hoc potest tali instantia Fertur decretum ut aliquis plectatur capite, est causa primaria nonnisi una, nihilominùs in decreto numerantur etiam alia minora delicta, additurque universaliter. Ea propter plectatur capite, alioqui non plectendus propter illa minora. In hoc etiam sensu potest dici per accidens puniri pœna æterna dimissum mortale vel venialia, quia si supponeretur sola præcisè malitia finalis dimissa, non supereset jam titulus, vi cujus novo debito adstringi deberet ad æternitatem pœnarum. Quando autem dixi non redire easdem pœnas quoad intensionem, non ita hoc accipiendum est, quasi illas, ita dividat Deus per totam æternitatem ac divideretur tota æternitate unus quadrans, sed ita attemperabit, ut hîc & nunc tanta, non sit, quanta hîc & nunc, fuisset temporaria, per hoc tamen nego, ex eo redire pœnam inferni æternam, quia de facto mortale dimissum quoad culpam & veniale punientur æternitate. Quodsi quæras unde hoc ipsum justè fieri possit, responsio plena peti debet: Cur pœnâ æternâ puniatur impœnitentia finalis. Facilius se expediunt qui dicunt. Redire æternitatem pœnarum, Deumque fecisse decretum ad deterrendum à culpa quod sit puniturus æternum, quodcunque invenerit post finalem impœnitentiam. Non redire tamen culpam, quia non reditum illius, suadent adlata & evincunt.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Pœnitentiæ.

NOn est difficultas nisi de Subjecto remoto seu denominationis, hoc est quibus personis competat habere habitum pœnitentiæ. Difficultas præcipuè est. An in voluntate Christi, Beatissimæ, Beatorum. In statu Innocentiæ, in voluntate Ang. fuerit dictus habitus.

& qui

& quidem de Angelis divisi sunt Auth. non enim ponunt in illis habitum pœnitentiæ, qui censent voluntatem illorum esse inflexibilem. Negat Vasquez habitum pœnitentiæ in voluntate Christi, Beatissimæ, Beatorum, saltem qui nunquam peccârunt; sicut nec aliis jam numeratis, quia dantur frustra; nam in eo statu manentes non possent habere actum pœnitentiæ. Præter Vasquez in Christo Domino negavit habitum pœnitentiæ Pal. Sotus, & alii concessit Suarez d. 2. S. 1. Lugo. d. 6. Dic. d. 1. Perez d. 5. ex iis quæ dicentur de Christo D. colligi poterit, quid sentiendum de reliquis. Et quidem quod attinet ad Christum D.

Dicendum I. *Accipiendo pœnitentiam sub nomine pœnitentiæ, & prout dicit respectum ad peccatum proprium, sic non fuit in Christo habitus pœnitentiæ.* Est Conclusio communis ferè omnium.

Prob. Quia pœnitentia sic spectata connotat peccatum proprium, & inclinat ad ipsius peccati proprii retractationem, jam autem in Christo Domino impossibile fuit proprium peccatum. Ergo in illo non debet concedi pœnitentiæ habitus, sub hac denominatione.

Dicendum II. *Accipiendo pœnitentiam pro habitu omnino consimili ei quem nos habemus, talis habitus non fuit in Christo Domino.*

Prob. I. Auth. S. Th. in 4. d. 14. q. 1. a. 3.

Prob. II. Impugnatione fundamenti oppositorum. Si daretur pœnitentiæ habitus in CHRISTO Domino consimilis nostro, ideo daretur, quia potest aliquos actus exercere pœnitentiæ consimiles nostris v. g. detestationem peccati ab aliis commissi, dolorem de illis, sed id non probat dari habitum pœnitentiæ in Christo Domino. Tùm quia dantur aliqui actus in Deo consimiles nostris actibus pœnitentiæ, nam etiam Deus detestatur peccatum commissum à nobis, vult illud non esse, neque tamen in Deo ponitur virtus pœnitentiæ. Ergo ex hoc præcisè quod in aliquo subjecto dentur actus pœnitentiæ consimiles nostris, non sequitur legitimè, dandum jam esse habitum nostratem. Antecedens suppono cum DD. non omnes enim virtutes ponuntur in Deo à nobis, quis enim Deo tribuat virtutem castitatis conjugalis, virtutem compassionis, &c. Sed nonnisi eæ virtutes quæ circumscriptis omnibus imperfectionibus, adhuc retinent suum proprium conceptum, non importantem imperfectionem, talis autem conceptus, non potest ostendi in pœnitentia, quæ debet esse secundùm suppositionem peccati proprii, hinc non poterit tribui Deo. Tùm quia etiam in Beatis dantur aliqui actus spei v. g. sperandi Beatitudinem aliis, auxilio gratiæ, & tamen inde non sequitur, manere habitum spei nostratis in Beatis ut communiùs docetur. Tùm quia etiam in Beatis dantur aliqui actus fidei, consimiles nostris, cur enim Deus non possit aliquid evidenter revelare Angelo superiori A, qui dicat Angelo B, hoc vel illud dixit mihi Deus, quo casu quamvis ille Angelus B videat intuitivè DEUM, non tamen videt intuitive id attestantem, consequenter poterit credere Angelus B. nam quod noscat certò illum Angelum A non mentiri, hoc non obest quia evidentia prædicta stat cum inevidentia fidei, & fortassis etiam posset Angelus B utcunque cogitare, quod fortassis Angelus A æquivocationem committat, & ex aliis principiis evidentibus moraliter concludere, quod æquivocationem non committat, prodireque postea in actum assensus certissimi, propter veritatem à se quidem quoad alia, sed non quoad hoc attestandum, visa. Et sicut si absolutè non videret veritatem dicentem, absolutè posset credere; ita cùm non videat hoc dicentem, poterit hoc credere, & tamen hi vel similes actus consimiles fidei nostrati, non arguunt habitum fidei, omninò consimilis nostrati in Beatis. Ergo præcisè ex hoc solo, quòd eliciantur actus aliqui consimiles actibus alicujus habitus, non rectè inferetur dari jam illum habitum.

Totum autem id in hoc fundatur; quia tunc nonnisi posse elicere actus aliquos, arguit ponendum esse habitum consimilem nostrati, quando inter illos actus, potest elici actus primarius primo & principaliter in illo habitu intentus, & qui sit actus quasi attributionis ad quem reliqui omnes attribuantur, & incomparatione illius, sint & vocentur minus principales. In fide est non videre ullo modo intuitivè veritatem primam attestantem, & tamen ei assentiri certissimò; talis actus in spe, est sperare beatitudinem vel Deum bonum nobis. Porrò in pœnitentia non potest esse aliquis actus primarius & attributionis, quod am modo, nisi fuga peccati proprii, quod impossibile erat Christo D. consequenter & actus versans circa illud peccatum, impossibilis erat Christo Domino, nam cujus actus objectum est impossibile, etiam actus est impossibilis.

Prob. III. Assumendo paritates aliquas. I. Sit. In Deo non datur virtus pœnitentiæ, ergo neque in Christo Domino, dari potest habitus pœnitentiæ, eò quod ratio asseribilis proantecedenti militet pro consequenti.

Respondebis Ex Lugo. Cum actus pœnitentiæ detestativus proprii etiam peccati, nec ex parte humanitis, nec ex parte suppositi repugnet, dabitur in Christo Domino, non in Deo. Et certè non repugnabat quòd assumpta fuisset humanitas ad suppositum verbi post commissum peccatum, & tunc ille Homo-Deus potuisset elicere perfectam detestationem illius peccati, commissi in ante, ab illa humanite sibi unita.

Contra I. Est quia in ponendis habiti-

bus, non est attendendum simpliciter ad hoc solùm, quid extra has circumstantias desumibiles à persona operante, vel divisim à principio superaddito fieri possit, sed quid de facto fieri possit. Ergo neq; attendendū est, quòd peccare potuisset illa humanitas incircumstantia, si non terminata fuisset persona Verbi. Antecedens Probatur; quia extra circumstantiam superadditi luminis gloriæ, & visionis elicitæ, potuisset esse in Sancto Petro fides & spes, &c. & tamen quia in his circumstantiis positi luminis & visionis non est capax fieri actûs, non datur in illo habitus fidei. Ergo in ponendis habitibus non est attendendum præcisè, quid extra has circumstantias desumibiles à persona, vel principio superaddito convenire posset subjecto, sed quid illi conveniat intra has circumstantias, intra hanc autem circumstantiam repugnat æque Deo ac Christo peccatum. Ergo ex quo fundamento colligitur, Deo, cui repugnat peccatum, repugnare habitum pœnitentiæ, colligetur etiam repugnare illum Christo Domino. Deinde; vel ponis in Deo talem actum. Vellem retractare meum peccatum, si illud committerem, vel non ponis talem actum si ponis talem actum in DEO, & tamen hic actus non fundat in Deo virtutem pœnitentiæ, ergo nec fundabit in Christo Domino hic actus quo dicere poterat, si peccâssem doluissem. Si autem non ponis talem actum in Deo; ergo nec debes ponere in Christo Domino. Utrumque hoc argumentum est tantum inquisitio ulterioris rationis; quid autem contra responsionem legitimè adferri possit, mox dicetur.

II. PARITAS est. Non datur in Beatis habitus fidei, ergo neque in Christo D. habitus pœnitentiæ, quæcunque enim ratio suadet primum suadet & secundum.

RESPONDET Lugo. Disparitatem esse, quia in Beatis datur status intrinsecè repugnans cum actu fidei, in Christo Domino autem non datur status intrinsecè repugnans, quia unio hypostatica posset benè esse cum ejusmodi actu: Si præcessisset peccatum, doluissem de illo, quòd autem non præcesserit per accidens est.

CONTRA est I. Quo etiam argumento uti possumus contra primam disp. In eo non potest poni habitus aliquis, in quo non potest poni actus primarius & principalis illius habitus, nam habitus ordinatur ad actus, sicut actus ad objecta, & sicut non dato objecto, non datur actus, ita non dato actu, dari non poterit habitus. Sed in Christo D. quantùm est ex parte suppositi, non potest poni actus, qui sit displicentiæ de peccato proprio, nam quantumvis illa humanitas in ante peccasset, non potuisset dicere Christus D. Doleo quod peccaverim, quod ipsum Probatur; quia non potuisset mentiri, ly enim Ego doleo, & ly pro peccato quod feci, non potest verificari de Persona Verbi quæ non complebat tunc substantialiter principium elicitivum actionis peccaminosæ, consequenter nec potuisset dicere; Quia peccavi doleo. Et sicut falsus esset hîc expositorius. Hîc homo peccavit, Hic homo est Deus, ergo Deus peccavit; ita falsum esset, quod posset tunc dicere: Doleo, quia peccavi.

CONTRA II. Quia hæc disparitas non assignat regulam ex qua discerni posset, quòd per accidens fuerit humanitati illi, quòd non elicuerit nec potuerit elicere, illum actum, & cur dici non possit, quòd etiam ex accidenti Beati non eliciant actum fidei. Item Status Beatorum quo potuissent non gaudere homines cur intrinsecè repugnet actui fidei, non repugnet autem pœnitentiæ status in quo est Christus D, & quòd per accidens se habeat in Christo Domino, quòd non peccarit, non per accidens autem se habeat in Beatis, quod non credant.

CONTRA III. Tum quia quamvis in Christo Domino, non detur status extra omnes circumstantias excludens actum detestationis peccati proprii, sufficit, quod detur pro præsenti, ad eum modum, quo poterant Beati non habere statum beatitudinis, & tamen eo habito, non possunt habere actum fidei. Tum quia etiam actus fidei non repugnat homini Beato secundum se, imò si possibilis est visio naturæ non visis personis, cur tunc fides non posset esse de personis, cur & de facto non est fides, de actibus liberis intuitivè non visis. Et tamen ad hoc, quòd posset absolutè loquendo fieri, non attenditur, sed tantùm ad hoc, quid de facto fiat: ita etiam non debet attendi, quòd potuerit humanitas actum detestationis elicere, sed insuper est necesse attendere, ad aliquid aliud.

FUNDAMENTUM *totius assertionis in hoc stat.* Non apparet quomodo Christus Dominus, de facto eliciat actum principalem detestationis. Ut autem colligatur, quòd non ex accidenti sit, ne illum eliciat, assumitur hoc principium. Toties non ex accidenti fit, ut non eliciatur aliquis actus, quoties, non elicitur ex defectu potentiæ, vel ex superaddito principio, nato oppositum actum ponere, adeoque excludere oppositum, ita superadditum principium luminis gloriæ, quòd cùm Intellectu principiat visionem, non ex accidenti excludit actum fidei, cur ergo superaddita naturæ humanæ Persona Verbi, ex accidenti excludet veritatem hujus propositionis. Ego peccavi, doleo.

Solvuntur Objectiones.

OBJEC. I. Cum Lugo. Ubi non repugnat ex natura rei actus pœnitentiæ absolutè, licèt hîc & nunc ratione alicujus circumstantiæ repugnet, illic non repugnat habitus infusus elicitivus illius actûs; habitus enim non respiciunt, quid possit hoc subjectum facere attentis

tentis omnibus circumstantiis, sed quid possit simpliciter facere: in Christo Domino autem quantùm est ex parte subjecti, non repugnabat actus detestationis absolutè, licèt hîc & nunc repugnet ratione alicujus circumstantiæ. Minor autem principalis Probatur. Quia non repugnabat ut assumeretur humanitas, quæ in ante peccavit. Major autem Probatur quia quando baptizatur cæcus vel mutus, non minus datur, ei habitus infusus ad coërcendam linguam vel oculos, quam si mutus vel cæcus non fuisset, attenditur enim ad id, quod subjectum de se facere potest, licèt hîc & nunc ob aliquam circumstantiam non possit.

Respondetur. Imprimis, conformiter ad Impugnationem primam secundæ paritati adlatam. N. Minorem; quia quamvis assumpta fuisset humanitas, quæ in ante peccavit, non potuisset dicere, Ego peccavi, doleo. Rursmajor est vera si repugnantiâ actûs procedat ex circumstantia accidentali absolutè, non autem si procedat ex circumstantia superadditi alicujus principii, quod habeat vim impediendi actus, sicut lumen gloriæ, non est circumstantia accidentalis, impeditiva actus fidei. Quare autem Deus infundat cæcis habitum continentiæ oculorum, & non infuderit Christo D. habitum pœnitentiæ, disparitas est, quia in cæco potest haberi actus primarius habitus continentiæ oculorum, nempè voluntas continendi se ab aspectu illicito, qui actus potest tunc haberi & debet, hinc peccaret cæcus, si diceret vellem aspicere illicita, si haberem oculos. Quia verò actus primarius pœnitentiæ est detestatio absoluta peccati proprii, quæ Christo D. non competit, nec competere potest, sit ut in CHRISTO Domino non fuerit habitus pœnitentiæ.

Objic. II. Ponamus humanitatem terminatam in ante fuisse Personâ creatâ, peccasse, & habuisse habitum pœnitentiæ, succedat personæ creatæ Increata; non erit ratio, cur tunc destrui deberet habitus pœnitentiæ idque duplici ex capite. Imprimis. Quia radix etiam habitus pœnitentiæ est gratia. Deinde, quia ad conservationem habitus infusi, non est necesse quòd possit elicere omnes suos actus habitus aliquis, nam habitus charitatis nõ potest elicere in Patria actum contritionis, & tamen manet habitus propter alios actus, quos ibi potest habere.

Respondetur. Debere tolli illum habitum in humanitate assumpta. Ratio, quia tunc est habitus tollendus, quando primarius & principalis actus, haberi non potest ut dictum supra, fundaturque ulterius in hoc, quia sicut sublato objecto attributionis & primo intento; ita sublata potentia ad primarium, & quasi attributionis actum, tolli debet habitus, cùm habitus non minùs essentialem ordinem dicat ad objectum, quàm ad actum, ad quem primo & per se ponitur. Porrò hîc actus in pœnitentia, est detestatio proprii peccati, quis enim alius quem quia humanitas terminata Verbo exercere non potest, hinc nec posset dicere; Doleo quod peccaverim, sed quia peccavit mea humanitas, qui actus indicat dolorem non proprii, sed alieni peccati, & in quod, ad illud sibi appropriandum, nullo modo influxit, Verum est quidem quod ad conservationem habitus non sit necesse, ut ille, omnes actus elicere possit, est tamen necesse elicere actum primarium & quodammodo Attributionis. Quod autem dicitur manere Charitatem, quamvis non possit elicere actum contritionis, id firmat regulam adlatam, quandonam scilicet, maneant habitus, ex eo enim manet charitas in beatis, quia charitas potest elicere actum primarium & quasi attributionis, hoc est amorem Dei & prosecutionem affectivam summi boni quà talis; licet non possit elicere dolorem de offensa summi boni, quantumvis adhuc eliciat detestationem offensæ summi boni, quia iste dolor non est quasi actus Attributionis charitatis. Quamvis autem gratia sit radix omnium habituum, supernaturalium, est tamen radix proportionatè & contemperatè ad subjectum, quod informat; & sicut nata est adferre denominationem & elevationem ad statum filii Dei adoptivi, quam tamen non adfert Christo Domino, quia illud subjectũ gratiosum, est Filius Naturalis; sic quia non indiget illo habitu subjectum quod est Deus, non producit illum habitum, ne sit otiosus, cum actûs illius primarius, sit impossibilis.

Instabis I. Cum Lugo. Quamvis aliæ virtutes non possint principiare dolorem de peccatis suis motivis, manent nihilominus in patria; ergo & pœnitentiæ habitus manebit in Christo.

Responsum Jam est, disparitatem esse, quia primarius & quasi attributionis actus v. gr. in religione, est voluntas exhibendi cultus Deo, dolere autem de discultu non est talis actus, hinc cùm illum primarium facere possit, manebit adhuc in cœlo, sine hoc secundo.

Instabis II. Cum eodem. Licèt voluntas non possit nunc elicere aliquos actus, quos ante elicuit, vel quia non habeat vim illos reproducenti, vel quia non potest proponi iterum idem objectum præsens v. gr. ut fiat gaudium de præsenti pueritia; nihilominùs non debet potentia volitiva mutari in aliam, sufficit enim quod secundum se fuerit aliquando possibilis ille actus. Ergo idem de potentia dicendum.

Respondetur. Nego Consequentiam, disp. est, quia æquale est bonum voluntati elicere actus alios, esset que dedecus ejusdem, nonnisi unum actum semper elicere, provenitque hoc ex vi & titulo potentiæ, quæ determinat sibi actus æqualiter sive hos sive illos, imò ad

varie-

varietatem universi semper alios & alios. Et insuper, quia manet in voluntate possibilitas ponẽdi ejusdem actus attributionis, nẽpe prosecutio volibilis objecti; quia verò non æqualiter determinat sibi habitus, adeoque & pœnitentia actus eliciendos, magisque immò primò per se attendit ad proprium peccatum, hinc si hunc actum ex tali suppositione procedentem non possit elicere, non eliciet aliquid, quod primario & per modum attributionis, elicicere deposcit.

Objic. III. Detur in Beatissima. Angelis, Adamo, Beatis, habitus pœnitentiæ; ergo & in Christo D.

Respondetur. Verum esse Antecedens; & quasi per modum Conclusionis tenendum propter principia adlata, nempe quia omnia illa subjecta poterant elicere & possunt actum primarium pœnitentiæ, nempè, Detestor peccatum quod feci; si autem aliqua ex numeratis subjectis non eliciat hunc actum, qualis est Beatissima, Angeli, id est nonnisi ex accidenti, quia nec illa, nec Angeli, habent ullum principium superadditum inferens impossibilitatem illius actus; sed id est ex accidenti, nempe ex defectu objecti hoc est peccati proprii, sicut ex accidenti est quod aliquis Polonus non viderit autem quæ appellatur Avis Paradysi. Christus Dominus autem non potuit elicere actum primarium pœnitentiæ, non ex defectu objecti, sed ex appositione principii superadditi, nempe Personæ Verbi, quæ non potest dicere, Peccavi. Et certè illa Subjecta, de quibus Antecedens, dicere possent. Doleo de peccato, & Adamus ipse in statu innocentiæ, veniali, vel alio fortè mortali, non originali, ex accidenti autem est, quod non eliciant dictum actum quia & ex accidenti quod non peccent; quia habitibus ipsum actuale exercitium actuum accidentarium est, sicut & potentiis: sed nonnisi essentiale est in hoc subjecto, principiare suos actus, si non omnes, saltem primarium.

Objic. IV. Ex Dic. Poterat Christus Dominus, habere voluntatem servandi Deo justum debitum, ejusque voluntati obsequendi. Ergo & habere habitum pœnitentiæ, quæ id intendit. Idem medius terminus, potest etiam applicari nostris principiis; Quia poterat Christus Dominus fugere turpitudinem peccati ex motivo dissonantiæ.

Respondetur. Inquirendo; Cur hi omnes actus non possint in Deo fundare virtutem pœnitentiæ? nam etiam in Deo cogitabilis est voluntas regendi se suis dictaminibus, fugiendi actiones dissonas suæ Divinæ intellectuali naturæ, & quæ hujus ratio assignabitur, stante hoc quòd in Deo non sit pœnitentia, eadem militabit quòd in CHRISTO Domino non detur.

Fundatur directa responsio in jam dictis ante, nempe, quòd procedat pœnitentia secundùm suppositionem peccati, idq; quoad actum primarium & principalem ex suppositione peccati proprii, secundùm quam suppositionem nec CHRISTI D., nec D. Dei actus procedunt.

Objic. V. Cum Perez, virtus justitiæ respicit peccatum & injuriam Dei, illamque vult compensare, quod etiam competit Christo Domino.

Respondetur. Actum hunc compensationis competere Christo Domino, non respectu proprii peccati, & tamen primarius illius actus, est, circa proprium peccatum.

Dicendum III. *Dari in Christo D. habitum aliquem pœnitentiæ aliquomodo consimilem nostro.*

Prob. Quia non implicat dari habitum primo principiantem, actus doloris & detestationis de alienis peccatis, & quidem ex motivo consimili nostro, darique hunc habitum suadet consuetum principium ponendi supernaturales habitus, ut scilicet magis connaturaliùs, hoc est cum conjuncto principio eliciantur.

TRACTA-

TRACTATUS II.

De Pœnitentiæ Sacramento.

In hac Materia agendum est imprimis de iis quæ speculativè adeoque magis disputabiliter nosci debent, ea autem quæ spectant ad mores & praxim attingentur, alibi si profuerit cordi.

DISPUTATIO VI.

De iis quæ Speculativè magis in hâc materia sciendа.

PRÆMITTO I. *Dari Sacramentum Pœnitentiæ idque esse articulum fidei.* Definitum post alia Concilia in Trid. S. 14. c. 1. Doctrina Tridentini fundatur in illo Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, quo loco datam esse potestatem Sacerdotibus absolvendi, intelligunt plures Patres; definitque Trid. cit. c. 3. Alii autem locis ut cùm dixit Christus Dominus; Tibi dabo claves; promissa est potius quàm collata. Quamvis autem abfuerit S. Th. Christo Domino dicente verba Accipite, non sequetur illi datam non fuisse potestatem absolvendi, quia ut dicit Cyril. Alex. lib. 12. in Joann. cap. 26. Non indigebat Christus præsentia corporali S. Thomæ, ut ei hanc potestatem, conferret.

PRÆMITTO II. *Dupliciter spectari posse Sacramentum pœnitentiæ.* I. Metaphysicè, & sic importat genus & differentiam. II. Physicè, & sic dicit partes suas materiam & formam. Sacramentum pœnitentiæ Metaph. spectatum; Est signum causativum gratiæ, peccatorum post baptismum commissorum remissivæ, physicè autem spectatum: Est Sacramentum novæ legis, constans ex actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis. Ut autem intelligetur quomodo conveniat Sacramento pœnitentiæ habere patres, hinc

PRÆMITTO III. *Pœnitentiam constare essentialiter materia & forma.*

RATIO Solet adferri, quia omnia Sacramenta constant materia & forma; Hæc ratio non convincit, quia id quod à libera institutione pendet, si unum ita instituatur, non est necesse aliud eodem modo institui. Potius itaque ad id probandum assumi debet auct. Trid. Sess. 14. cap. 3. assignantis pro materia hujus Sacramenti, actus pœnitentis, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, & pro forma, absolutionem. Quodsi hoc Sacramentum constat materia & forma, hoc ipso constat partibus, materia enim & forma habent rationem partium: ex quo etiam præmisso explicari debet dictum illud Aug. quod dicit Omne Sacramentum constare Verbo & elemento, nam per ly elementum non intelligit aliquod ex primis corporibus, aliàs etiam Eucharistia non esset Sacramentum: panis enim non est elementum, accipi itaq; debet ly elementum pro materia.

PRÆMITTO IV. *Quæ sit materia pœnitentiæ Sacramenti & quæ forma.* Et ad hoc jam immediatè responsum est ex Trid. Quando autem Scotus essentiam hujus Sacr. nonnisi in sola absolutione constituit, nomine essentiæ, accipit ipsam formam, quo sensu antiqui Philosophi solam formam, appellabant rei essentiam.

Neque valet si dicas. Illud solum est Sacramentum pœnitentiæ, quo continetur significatio remissionis culpæ, quæ solo: *Absolvote*, continetur; nam licet grammaticaliter, solum *Absolvo te* contineat significationem remissionis culpæ Sacramentalis, tamen significatio etiã aliis partibus continetur, quia Sacr. significatio illis competit, quibus competit ratio signi causativi gratiæ, quod etiam Confessioni, &c. convenit. Hinc falsum etiam est, quòd soli actus pœnitentis sint Sacramentum, eo quod solis illis competat esse pœnitentiam, nam differentia hominis importat solam rationalitatem & tamen etiam sensitivum, est ejusdem differentia; & certè soli actus pœnitentis sunt pœnitentia gram-

mati-

maticaliter sed non Sacramentaliter, quia Sacramentaliter pœnitentia est etiam condonatio & remissio peccati, quæ condonatio non stat actibus pœnitentis. Quamvis autem actus pœnitentis appellentur quasi materia, ly quasi non dejicit illos à ratione materiæ Sacramentis competentis, sed à ratione rigorosè materiæ physicæ. Ut autem hi actus sint materia proxima, debent simul sumi, sicut & termini non sunt materia proxima Syllogismi, si tres simul, non sumantur.

Dices I. Nemo potest absolvere seipsum; ergo neque potest actibus suis producere gratiam, si autem actus pœnitentis essent materia Sacramenti, producerent gratiam.

Respondetur. Posset dici Actiones pœnitentis Sacramentales, producere gratiam, elevatas à Christo Dom. non posse tamen pœnitentem absolvere seipsum, quia ex institutione Christi Domini, quam nobis applicuit Doctrina Ecclesiæ, debet intercedere distinctio realis; qualis est inter, Ego & Te, & hoc indicat forma. Ego te absolvo. Porrò ut dicatur aliquis absolvere seipsum, non sufficit producere in se gratiam, sed producere per modum formæ, cum tamen forma dependeat nonnisi à Ministro. Et sicut in physicis non est causa compositi is qui producit materiam, sed qui producit formam, ita & in præsenti cum actus pœnitentis sint materia & absolutio forma, non absolvet seipsum pœnitens. Quamvis autem in Sacramento matrimonii uterque conjunx producat formam, non poterit dici quod & pœnitens & confess. absolvant; eò quòd intercedat divisa institutio Christi Domini. Deinde, uterque conjunx producit formam, Forma enim illa est acceptatio, nemo autem suum actum acceptat, sed alienum consensum; hinc fit ut non respectu sui illa acceptatio, sed respectu alterius sit forma, producitque illam conjunx formam, non respectu sui, sed respectu alterius; jam autem pœnitens absolveret seipsum, etiam partialiter respectu sui, saltem partialiter produceret formam, quod non contingit, etiam in Matrimonio. Neque Gajus sibi ministrat Sacramentum, sed Bertæ, & vicissim non Berta sibi ministrat Sacramentum, sed Cajo; jam autem pœnitens absolvens seipsum sibi ministraret Sacramentum, immò ut advertit Lugo, quamvis pœnitens causet in se gratiam, non potest dici dare sibi gratiam, eò quòd hæc phrasis significet personam, quæ in sua potestate habet id, quod dat; ad eum modum, quo non dicitur remittere offensam nisi offensus, alioquin qui petit veniam, diceretur dare sibi veniam; jam autem potestatem absolvendi Sacerdos habet. An autem absolutio producat gratiam, decidi debet ex materia de Effectu Sacramentorum in cummuni.

Dices II. Cum Dur. Contritio non est sensibilis. Ergo est materia Sacramenti, quod debet esse sensibile.

Respondetur. Contritionem non esse sensibilem in se, esse tamen sensibilem ratione alicujus sui, hoc est ratione signorum externorum, quibus manifestatur, sicut in contractibus humanis sensibilibus, quamvis consensus internus non sit in se sensibilis, sufficit illum per aliud quid, sensibilem reddi.

Dices III. Actus suscipientis in aliis Sacramentum non sunt materia. Ergo neq; in præsenti.

Respondetur. Disp. esse; diversitatem institutionis Christi Domini. Antecedens, etiam falsum est in susceptione ordinum, aliud est de Sacramento Eucharistiæ, quia cum hoc sit Sacramentum permanens & extra usum, id ipsum, quod usus est, seu actio suscipientis, pro sui materia, Eucharistia dicere non debet, aliàs esset Eucharistia antequam sua materia esset.

Præmitto V. *Quod Contritio & Confessio sunt partes essentiales materiales, jam autem satisfactio, est nonnisi pars integralis.*

Ratio prioris partis est, quia illis duobus nihil deest quominus dicantur partes essentiales, & ex alia parte appellantur absolutè materia hujus Sacramenti, deest autem aliquid satisfactioni, quod illam statuat in conditione partis essentialis; hinc jam secunda pars præmissi, Probatur; quia non posito essentiali non ponitur totum compositum, & tamen non posita satisfactione, potest poni totum Sacramentum, quod ipsum probatur sensu Ecclesiæ, quæ censet eum qui moreretur in gratia, non absoluta pœnitentia, verè percepisse Sacramentum, & evasisse justificatum per illud.

Dices I. Materia, debet antecedere formam. Ergo si satisfactio est materia, debet antecedere formam hoc est absolutionem; sed non antecedit; ergo non est materia ejusdem.

Respondetur. Materiam integrantem non debere antecedere formam, ut videre est etiam in partibus aggeneratis; & quamvis id verum foret de forma physica, falsum est de materia Sacramentali tota pendente ab institutoris voluntate. Porrò materia Sacramentalis; non est necesse ut semper præcedat, & sic formam baptismalem potest sequi ablutio.

Dices II. Satisfactio non causat gratiam, sed supponit factam, ergo non est pars Sacramenti pœnitentiæ.

Respondetur. Partem quæ non est essentialis, posse non esse causativam gratiæ; quia etiam verba formam integrantia, non causant eandem, satisfactio autem, est pars integrans.

Dices III. Quod advenit enti jam completo, non est pars illius, sed est illi etiam per accidens, satisfactio autem advenit Sacramento, quod absolutione completur.

Respondetur. Primam propositionem restrictè accipiendam esse, quia partes aggeneratæ nutri-

nutritione, adveniunt enti jam completo, & tament sunt partes cõpositi; quod si partes illas excuses à conditione partiũ per accidens, quia uniuntur substantialiter, & quia non supponitur integraliter esse completum illud totum, idem in præsenti dices, quia etiam hic intercedit unio quædam Sacramentalis, & ex institutione, & quia secluſa satisfactione, non censetur Sacramentum esse completum integraliter.

Instabis. Quod est pars integralis perficit totum, in ea ratione in qua primo constituitur, ut patet in albedine adlata præexistenti albedini; satisfactioni autem id non competit, quia Sacramentum pœnitentiæ primò constituitur per rationem signi causativi remissionis culpæ, Satisfactio autem non causat remissionem, sed supponit.

Respondetur. Quamvis partes homogeneæ perficiant totum in eo genere in quo primò constituitur; quia si in eodem genere non perficerent, hoc ipso non essent partes homogeneæ; partes autem heterogeneæ, ex hoc ipso, quia heterogeneæ sunt; non in eodem genere perficiunt; Satisfactio autem est pars heterogenea, & concedi posset, quòd Sacramentum pœnitentiæ, non tantùm primo sit significativũ remissionis culpæ, sed etiam remissionis pœnæ, & tunc satisfactio perficiet hoc Sacram: æque primo in ratione remisſivi pœnæ atq; est primo remisſivum culpæ.

Addo In satisfactione Sacramentali duo esse. I. Obligationem ponendi operis, & hæc habetur ex determinatione Sacerdotis. II. vim & efficaciam operandi ex opere operato, adeoque Sacramentaliter, & ad hanc vim determinatur proximè satisfactio, per formam absolutionis, quibus duobus concurrentibus, internoscitur, quod illa satisfactio non sit qualiscunq;, sed satisfactio non sit qualiscunq;, sed satisfactio Sacramentalis. Quamvis autem poni possit satisfactio etiam in statu peccati, per hoc non dejicitur à ratione partis Sacramentalis, quia si ponatur obex, ablutio & forma baptismi non causabunt gratiam, & tamen erunt verè partes Sacramenti, ergo nec impedietur satisfactio, quominus si satisfactio Sacramentalis, de quo puncto dictum est alibi. His præmissis ad difficiliora accedendo, *sit*

QUÆSTIO I.

De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Numeravimus supra partes hujus Sacramenti: de Confessione agitur in materiis moralibus, & etiam de dolore, de quo etiam dicta sunt aliqua in materia de pœnitentia virtute. In præsenti duo quærenda restant. I. An peccata sint pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ. II. De forma pœnitentiæ Sacramenti.

DIFFICULTAS I.

An Peccata sint pars compositiva Sacramenti Pœnitentiæ?

Affirmat Lugo d. 12. num. 13. & seq. Negat Suar. d. 18. S. 1. num. 2. Vas. Kon. Hurt. Tan. & Dic. d. 4. d. 5. Perez d. 17. S. ante illos S. Th. q. 84. ar. 2. ubi dicit Peccatum esse materiam remotam hujus Sacramenti, materia autem remota non ingreditur tanquam pars intrinseca, sed est ex qua, vel circa quam- & quæst. 90. Ar. 1. ad. 3. ubi formalia hæc habet. *Peccata sunt Materia remota Pœnitentiæ, inquantùm scilicet sunt materia, vel objectum humanorum actuum, qui sunt propria materia pœnitentiæ.* Ubi advertе, cùm partes sint velut propria Materia Rei componendæ, si peccata non sunt propria materia pœnitentiæ, nec erunt partes. Deinde si in tantùm sunt peccata requisita ad pœnitentiam, in quantùm sunt objectum actuum humanorum, sicut actus humani non componuntur tanquam parte, objecto, ita nec componetur Pœnitentiæ Sacramentum, peccato, tanquam parte, Ratio quæ induxit Lugo ad id docendum est hæc: Confessio etiam cum dolore & absolutione non sufficit ad constituendum Sacramentum, nisi re ipsa præcesserint illa peccata, consequenter Confessio & dolor non constituunt hoc Sacramertum, nisi quatenus sunt de peccato quod revera extitit, quæ denominatio habetur formaliter ab ipso peccato præterito, neque enim est alia forma à qua habeatur denominatio Confessionis & doloris de peccato vero, ergo si Confessio & dolor non componunt Sacramentum, nisi prout habent denominationem Confessionis & doloris de peccato vero, oportet quod forma denominans, hoc est ipsum peccatum præteritum, intret partialiter ad componendum hoc Sacramentum, hoc autem totum fundatur in hoc principio. Quia illud debet esse intrinsecum & per modum partis compositivæ, quo ablato & manentibus aliis omnibus non manet tale compositum, & quo posito, cum reliquis omnibus ponitur.

Dicendum est. *Peccata non esse partem intrinsecam compositivam Sacramenti pœnitentiæ.*

Probatur I. Rationibus Dicastillo. Tum quia peccata tunc & essent materia remota & non essent, essent, ut supponit Lugo sub finem num. 23. & non essent, quia nihil magis est proxima materia alicujus, quam id ex quo aliquid componitur. Deinde, cum dicat, Peccata præterita includi in materia illa, hoc est, in ipsis actibus Confessionis, & doloris, si illi actus componunt proximè Sacramentum, etiam, in illis inclusa peccata, component proximè.

Idem alio medio termino sic probari potest. Si peccata essent materia remota, essent ex eo quia se haberent sicut lignum, quod dicitur materia remota ignis ; hæc autem ratio non subsistit, quia hoc ipso probat, peccata non esse partem pœnitentiæ Sacramenti; sicut lignum non componit intrinsecè ignem. Tum quia ex vi argumenti adlati pro ratione dubitandi, sequeretur, quòd peccata sint forma hujus Sacramenti, quod sic Probatur. Ideò peccata sunt materia, quia quando Concilia assignant pro materia actus pœnitentis, in illis includuntur peccata in obliquo; idque ex eo, quod intelligatur v. gr. Confessio fieri de peccatis veris, Confessio autem de peccatis veris includit in obliquo ipsa peccata. Sed etiam quando Concilia assignant pro forma absolutionem in illa includuntur peccata in obliquo, quia hæc absolutio à peccatis veris, absolutio autem de peccatis veris, includit in obliquo ipsa peccata, ergo absolutionem intrant peccata ; ergo sicut absolutio est forma, ita & peccata erunt forma.

Probatur II. Quia accipiendo prædictum fundamentum. Illud debet esse intrinsecũ & per modum partis compositivæ, quo ablato & manentibus omnibus aliis, non manet tale totum; aut est falsum, aut ad præsens applicari non potest.

Prioris partis ratio est ; quia multa sunt sine quibus aliquid intelligi non potest, & tamen illa non sunt pars componens: & ut omittantur instantiæ, quas oppositi ccedere non verentur, ut, quod pars cœnæ seu refectionis Vespertinæ, sit tempus vespertinum, quòd Sacerdos obambulans sit pars Sacramenti, &c. Assumuntur aliæ quas illi non concedent. I. Actus Dei liber productivus, intelligi non potest sine creatura, & tamen creatura, non est pars actus liberi, est enim actus Dei liber, Deus, qui non habet partes. Deinde, effectus referibilis transcendentaliter ad causam & è converso, intelligi sine se adinvicem non possunt, nec tamen sunt sibi partes. Creatio non potest intelligi sine nihilo, est enim productio ex nihilo, & tamen pars creationis non est nihilum. Lectio dictata Discipulis non potest intelligi sine Discipulis, & tamen Discipuli non sunt pars dictationis, &c.

Totum autem hoc fundatur in hoc principio, quia potest aliquid non posse intelligi sine alio, vel tanquam termino, vel tanquam objecto, vel tanquam circumstantia necessaria, &c. ergo non præcisè ex eo, quod aliquid non possit intelligi sine alio, jam illud aliud, erit pars componens illud. Sed de hoc fusius, ubi Actum in materia de Sacramentis in Communi, de constitutivo rerum ut sic.

Respondebis I. Nullam aliam posse meliorem dari definitionem partis.

Contra. Tum quia demus nullam aliam posse dari, ex eo ne hanc jam sequitur, hanc definitionem esse bonam, si, cum accipitur ut sonat, sit principium errandi. Tum quia posset, benè retineri hæc definitio, si illi exclusivas addas. Illud est pars sine quo non potest aliud intelligi manentibus reliquis, modò, illud aliud non se habeat per modum objecti, termini, circumstantiæ necessariæ, causæ, effectûs, &c. Tum quia, potest alia assignari definitio partis, nempe, quod sit illud quod componit aliquod totum, seu ratio Ex quo totius: quæ definitio ex eo salvari potest, quia relativa debent definiri per ordinem ad suos terminos distinctè importatos, totum autem est terminus, ad quem se habet pars.

Quod si quæras, unde aliquid nosci debeat, quid sit per modum partis componentis? id duplici methodo ostendi potest; imprimis negativâ, ut ita procedatur sicut proceditur in definitione materiæ, quæ dicitur. Id, quod neque est quid, neque quantum, &c. nec quidquam eorum quibus ens determinatur; ita etiam in præsenti (quòd etiam solenne est in aliis quæ magis sunt nota quàm, si incipias illa explicare) dici potest: Illud est pars, quod neq; est objectũ, neque terminus, neque causa, neque effectus, neque circumstantia necessaria, & tamen est tale, ut sine illo res esse non possit. Potest idem declarari positivè per proportionem scilicet ad ea, quæ sunt manifestè partes, & per proportionem, ad ea, quæ sunt manifestè objectum, terminus, effectus, &c. hanc autem methodum bonam esse, Probatur usu in aliis materiis recepto; nam cum volumus v. gr. explicare, quid sit vivere, accipimus, pro idea, manifestè viventia, & ex illis arguimus de aliis, an vivant; sic etiam in præsenti incipiendum est, à manifestè partibus, ut procedatur ad indagandum, de quo nescitur, an sit pars: manifestè sunt partes compositi, materia & forma, item partes totius homogenei, vel artificialis. Videamus ergo in quo conveniant istæ partes: conveniunt in hoc omnes manifestè partes, quòd nihil componatur eo, quod non existit. Rursùs conveniunt in hoc, quod nihil sit pars alterius, ad cujus destructionem primò per se ordinatur: & sic quando aliquis movetur post quietem, quies non est pars illius motûs, quamvis non possit concipi motus post quietem, quin concipiatur quies. Quia tamen non est tunc quies, quando est motus, & quia motus natus est destruere quietem, fit ut quies, non sit pars dicti motus, quamvis non possit concipi motus post quietem, quin concipiatur quies, sed erit quies, nonnisi terminus A quo. Quia verò peccata non sunt, & Sacramentum pœnitentiæ natum est destruere peccata, fit ut peccata non participent conditionem manifestè partium, adeoque nec possint intelligi partes Sacramenti pœnitentiæ.

Re-

Respondebis II. Quando aliquid est pars, illâ sublatâ, & manentibus reliquis formaliter tollitur totum, arguitivè autem in aliis.

Contra est. Quia assumendo ipsam majorem, unde de hoc, quod arguat rationem partis aliquid, si illo sublato, & reliquis manentibus tollitur aliquid formaliter. Tum quia posita veritate majoris, in minori est difficultas. Cur sublatâ possibilitate effectûs, arguitivè non formaliter tollitur causa, & cur sublata entitate filii, non arguitivè non formaliter tollitur paternitas, cur item sublato tecto, non arguitivè sed formaliter tollitur domus, & cur non possim ego concipere tanquam medium tollendæ paternitatis sublationem entitatis filii, sicut est medium tollendæ causæ sublatio possibilitatis effectûs, præcipuè cum illa sublatio paternitatis sit sublatio formalitatis. Tum quia hoc quod est habere se per modum partis est independens à nostris conceptibus, si ergo tam benè tollitur sublatâ entitate filii paternitas, quàm sublatâ possibilitate effectûs causâ, cur utrobique aut negari non debebunt, aut poni debebunt rationes partium. Hoc autem, quod est formaliter vel arguitivè tolli, sunt termini ad Intentiones spectantes.

Secunda Pars ejusdem Majoris Probatur; quòd scilicet ad præsens applicari nõ possit dicta regula. Illud est pars, quo sublato & manentibus omnibus aliis non manet compositum; sed peccata non sunt talia, quia illis sublatis nihil jam manet reliquum, nec posset supponi manere; & sic verum est, tectum esse partem domus, quia illo ablato possunt manere partes, & tamen non esset domus: ablatis autem peccatis, impossibile est manere absolutionem à peccatis, aut dolorem vel confessionem peccatorum, & quæcunque fiet suppositio etiam impossibilis, erit impossibilis tollens seipsam, adeoque nulla, vel ex qua utrumlibet sequitur. Ergo apparet, peccata respectu Sacramenti, non habere rationem partis, etiam positâ veritate proportionis assumptę,

Respondebis. Vi hujus arguendi modi, magis connecti peccata cum Sacramento, cum dicantur illis sublatis, etiam partes Sacramenti non manere.

Contra est. Concedi potest magis adnecti, sed non eodem genere adnexionis, nihil enim plus volumus, quàm ostendere, quod se non habeant peccata per modum partis.

Probatur 3. Relatio non componitur termino tanquam parte, ergo neq; Confessio peccatorum, componitur peccatis tanquam parte. Antecedens in nostris principiis procedit, non de relatione physicè spectata, sic enim est in re, duo absoluta; sed de relatione Metaphysicè spectata, quę sic spectata non est nisi fundamentum in recto & terminus in obliquo; quod ipsum significat ordinem ad nostrum Intellectum: quid enim rectum quid obliquum est, nemine cogitante, & quid est illud, prout, quid illud, in quantùm connotat terminum nemine cogitante? unde Durandus dicit in 1. d. 3. q. 2. relatus à Dicastillo, ad quæstionem rerum secundùm suam realitatem, non est respondendum per rectum vel obliquum. Antecedens probatum est in materia de Distinctione Connotativa, & in materia de Relatione; hîc non accipio quidquam nisi solennes illas duas responsiones easque impugno, scilicet, Relatio est ad aliud inadæquatè. Item. Relatio non est ad aliud extra se, sed ad aliud intra se. *Contra has phrases.*

Contra I. est. Si relatio inadæquatè accepta est ad aliud, sequitur relationem non esse relationem. Sequela sic ostenditur. Relatio est fundamentum & terminus, ut est Conclusio oppositorum. Relatio inadæquatè accepta non est fundamentum & terminus; ergo relatio inadæquatè accepta non est relatio; ergo neque inadæquatè accepta est ad aliud, quia hoc est relationis esse. Eadem arguendi forma usurpanda est contra illam secundam phrasim, nempe: Relatio est ad aliud intra se non extra se. Relatio est fundamentum, & terminus. Relatio, quæ refertur ad aliud intra se, non est fundamentum, & terminus; ergo relatio quæ refertur ad aliud intra se, non est relatio. Minor explicatione indiget; nam si relatio inadæquatè accepta est fundamentum & terminus, ergo accepta adæquatè, est aliud, quàm fundamentum & terminus; ergo relatio adæquatè accepta, non est relatio, quia per te definitivè adæquatè accepta relatio, est fundamentum & terminus, & tamen per te, etiam adæquatè accepta, est aliud, quàm fundamentum & terminus.

Pro secunda etiam phrasi explicatur Minor; quia relatio quæ refertur ad aliud intra se; non est fundamentum & terminus, terminus enim quà talis, & de quo hîc loquimur, non refertur. Et certè verificatâ hac propositione, quòd Relatio sit aliud intra se, si verificatur tunc etiam terminum esse ad aliud, Ergo erit ad seipsum. Ergo non erit ad aliud, quod definitio exposcit, benè quidem cõcipi potest, quî fundamentum cùm sit ad terminum, sit ad aliud; sed terminus si sit ad seipsum, quî erit ad aliud? hinc terminus vel respicit se, vel aliud à se; si se, non est ad aliud; si aliud à se, ergò præter fundamentum & terminum, debet dari illud, quod respicit terminus.

Hoc ipsum sic aliter proponitur; ly inadæquatè, vel construi debet cum ly Relatio, ut sensus sit: Accepta inadæquatè Relatio; est ad aliud; vel construi debet, cum ly ad aliud, ut sensus sit: Relationi terminus, est aliud inadæquatè; si dicatur primùm, sequitur relationem non esse nisi fundamentum, hoc enim solùm potest, tunc accipi, tanquam inadæquatum, quod se habeat ad aliud, adeoque solum fundamentum ita

circumstantionatum, esse relationem, quia solùm illud ita acceptum, est ad aliud. Si autem dicatur secundum.

CONTRA est. Tum quia malè ex oppositione relativa augeretur distinctio realis adæquata, quod tamen supponimus in ordine ad mysterium Trinitatis, & ad ostendendum, quòd Pater, neque inadæquatè generet seipsum. Tum quia malè definita fuisset Relatio, sed deberet dici, Cujus totum esse est ad aliud, & ad se habere se; non est enim ratio cur dum relatio ex parte fundamenti est ad aliud, & ex parte termini, non est ad aliud, debeat ex parte termini non definiri quòd sit ad se, & definiri ex parte fundamenti, quòd sit ad aliud. Tum quia si terminus fundamento non esset aliud, non posset dici quòd participet rationem relationis, quæ est ad aliud. Ergo etiam cum terminus incluſus in relatione, tanquam pars, non sit ad aliud, hoc ipso non potest illi convenire ratio relationis. Argumenta hæc procedunt vel de Relatione non mutua, vel in mutuis, nonnisi de una.

CONTRA II. est. Cùm dico, de Relatio est cujus totum esse est aliud, se habere, sub ly totum esse vel respondet etiam terminus, vel solùm fundamentum; si secundum, ergò solùm fundamentum est esse relationis, quia solum est totum aliud; si primum; ergo etiam terminus de esse ad aliud, ergo præter fundamentum & terminum est illud aliud, ad quod est terminus.

NEQUE valet, si recurras ad compositum cui anima, est aliud inadæquatè; concedo enim hoc, sed nego in præsenti parem esse rationem, quia cur non dicatur totum compositum componi ex alio à se, poterit benè componi ex alio à se inadæquatè; & si diceretur componi ex alio à se, deberet distingui realiter adæquatè, à suis partibus. Sed quia Relatio dicitur talis cujus totum esse est ad aliud, dicitur ab illo toto esse, aliud simpliciter & adæquatè esse termi-nus.

CONTRA III. est. Si hominis totum esse, esset esse spirituale, nulla illius pars esset, quæ non esset spiritualis; ergo etiamsi totum esse relationis est ad aliud se habere nulla pars illius erit, quæ non sit ad aliud; terminus autem non est ad aliud; si enim esset ad aliud, esset ad terminum, adéoque ad seipsum, consequenter non ad aliud. Fundantur hæc omnia in hoc Syllog. Relatio est ad aliud, solum fundamentum cum ratione fundandi est ad aliud, ergo solum fundamentum cum ratione fundandi est ad aliud, ergo solum fundamentum cum ratione fundandi est relatio. Hoc ipsum argumentum redit positis quibuscunque distinctionibus, v. gr. Relatio est cujus totum esse, est ad aliud inadæquatè, vel ad aliud intra se, se habere, solùm fundamentum cùm ratione fundandi est ad aliud inadæquatè, ad aliud intra se, ergo solum fundamentum est relatio; ubi ly solum, supponit pro particula nulla alia res, formaturq; Syllogismus secundæ figuræ. Plura de Natura patris per se tractata videantur in materia de Sacramentis in communi; ubi tractatur de Constitutivo intrinseco ut sic; & in materia de Relatione.

DIFFICULTAS II.

De Parte Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est Forma.

REquiri ad Sacramentum pœnitentiæ verba propriè dicta, docet Ecclesia. Cur autem ad matrimonium non requirantur verba formaliter, & cur per nutus aliquis confiteri possit, & non possit absolutio dari per nutum, optima disparitas est ex diversitate institutionis factæ à Christo Domino. Hæc etiam congruitas assignari solet ex Lugo d. 13. num. 6. quia verba in matrimonio requiruntur, ut significent suum unus conjunx alteri, & ut pœnitens communicet notitiam suorum peccatorum Confessario, quod fieri potest aliter quàm voce; jam autem in absolutione non requiritur ut suam mentem pœnitenti notificet Confessarius: hinc valet absolutio quamvis nec audiat nec intelligat verba absolutionis pœnitens: sed adhibentur ad notificandum mentem nostram Deo, qui eam voluit sibi notificari verbis formalib⁹. Quamvis autem sententia judicis manifestari possit scripto, non potest sic confetri absolutio, quia non in omnibus debet sequi conditionem judicii, forum pœnitentiale, aliàs non posset idem esse & reus, & accusator, & testis; consequenter poterit nec in hoc sequi. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

Quibus verbis essentialiter stet forma absolutionis?

SAnctus Bonaventura in 4. d. 18. 1. p. d. a. 2. Sq. 1. Alexander & alius cujus suppresso nomine meminit S. Tho. censuerunt gratiam Sacramentalem conferri ante absolutionem, formam autem tantùm declarare pœnitentem jam absolutum, consequenter per illos, sensus formæ erat; Declaro te absolutum esse. Sed id non potest sustineri post Trident. S. 14. cap. 6. cap. 9.

Erant qui sentirent de essentia absolutionis esse invocationem Trinitatis, qualis Dur. Gers. Joannes de Neap. Angelus, & alii. De baptismo aliud est, nam invocationem Trin. in illo requirit institutio Christi Domini, cùm tamen Christus Dominus instituens pœnitentiam

post

post resurrectionem, non meminerit illius invocationis.

Communiter etiam censetur, quod ly Ego, non sit de essentia formæ.

Duæ sunt sententiæ magis celebres. I. Quæ docet de Essentia formæ esse : Absolvo te à peccatis docet id Palud. Pet. Soto. Viguerius quibus accessit noster Perez d. 18. S. 2. II. Sententia docet, verbi essentialia : esse Absolvo te. Ita plures ex antiquis & ex nostris Suar. Vas. Lugo, Dic. Citari quidem solet S. Th. q. 84. a. 3. sed hæc auctoritas explicari posset, quòd non agat de verbis essentialibus formæ, sed de convenientia.

Tota difficultas in hac materia petitur à ratione à pari, quòd scilicet non sufficiat verbum solum absolvo, sed debet addi, te; ergo nec sufficit solum absolvo te, sed debet addi, à peccatis. Antecedens admittitur ordinariè, excepto solo Dominico Soto apud Lugo.

Dicendum I. *Si præcisè spectentur, ea quæ ordinariè adferuntur pro disparitate ad dictum argumentum, æquè ad essentiam formæ spectabit ly peccatis, sicut spectat ly te.*

Probatur Conclusio, urgendo argumentum jam factum.

Respondebis. Disparitatem esse; quia ly te, nequidem implicitè includitur in verbo Absolvo, non enim minus se habet ad vos, illos, me, quàm ad te; particulæ autem à peccatis, implicitè continentur in verbis Absolvo te: Et sicut ideò ly Ego continetur in Absolvo, quia nemo debitè apprehendit significationem verbi Absolvo, quin intelligat, absolutionem fieri à prima persona, & quin excitetur species non tantùm ad intelligendum Absolvo, sed etiam ad intelligendum Ego; ita ly à peccatis includitur in Absolvo, quia nemo apprehendit significationem verbi Absolvo, quin intelligatur fieri absolutio à vinculis. Hæc Responsio & alia quæ ex eadem trahuntur, petitur ex Lugo.

Restituitur sic argumentum. Ex quo fundamento colligitur implicitè includi in Verbo Absolvo, ly A peccatis, ex eodem colligitur includi implicitè Te: Ergo si male colligitur, includi Te in Verbo Absolvo, nec colligetur includi ly A peccatis. Rursùs sicut non potest concipi Absolvo, quin concipiatur & detur intelligi, qui absolvitur; absolutio enim absolvit aliquem, & tamen ly Te requiritur explicitè positum. Ergo etiam licèt non possit concipi ly absolvo, quin detur intelligi Absolutio à vinculis, quibus ligatur absolvendus, adhuc requiretur, ut illud explicitè ponatur. In idem recidit quod communiter sic proponitur. Quamvis aliquomodo includatur ly A peccatis in Absolvo, includitur tamen indeterminatè, ergo addi debet. Probatur Consequentia; significatio istius qui absolvitur (absolutio enim aliquem esse absolvit) includitur indeterminatè in Verbo Absolvo, & tamen necesse est addere Te. ergo etiam quamvis indeterminatè ly A peccatis significetur à ly Absolvo adhuc ly Peccatis addi debebit. Et sicut indifferentia verbi Absolvo ad significandum peccata, debita, injuriam, censuram, tollitur ex circumstantiis, ita dicam tolli ex circumstantiis indifferentiam verbi Absolvo, ad me, te, illum, vos.

Respondetur. Indifferentiam Verbi Absolvo tolli quidem ratione circumstantiarum non tamen ipsum verbum Absolvo significat illud Te, sed circumstantia; jam autem verbum Absolvo habet vim significandi peccata, licèt non ita clarè. Porrò Christus Dominus instituit formam hujus Sacramenti, ita, ut ipsa Sacerdotis verba, voluerit habere de se vim, significandi, sententiæ peccatorum remissivæ; aliàs dici deberet, quòd si pœnitens peteret post Confessionem à Sacerdote, Absolvisne me? & ille responderet, Ita: hoc ipso maneret absolutus.

Restituitur Argumentum. Sublatâ per circumstantias indifferentiâ ad significandum Te, addendum tamen est ly Te, quia ly absolvo non habet vim significandi saltem confusè particulam Te. Ergo etiam sublatâ per circumstantias indifferentiâ ad significandum peccata, addendum erit ly à peccatis, quia non est major ratio, cur peccata significentur implicitè licèt non ita clarè à verbo Absolvo, non significetur autem particula Te; ergo si ly Te non significatur implicitè, nec significabitur ly à peccatis.

Respondetur. Disparitatem esse, quia verbum Absolvo significat peccata seu absolutionem à peccatis perfectè & categorematicè, esto minus clarè, verbum autem Absolvo significat personam suspensè & Syncategorematicè.

Restituitur sic argumentum. Ex quo fundamento colligitur, quòd verbum Absolvo non significet personam categorematicè, ex eodem colligitur quod neque significet peccata categorematicè.

Respondetur. Quia ea quæ non perfectè significantur, ad perspicuam sui significationem solùm requirunt suppositionis declarationem, & non novi termini appositionem; quæ autem significantur suspensè, indigent ad perfectam sui significationem, appositione saltem æquivalenti novi termini, sic quando dico vidisse me taurum, vel similes propositiones æquivocas profero, illæ propositiones habent sensum perfectum, sed non clarum, & declarata suppositione, ne quidquam aliud amplius requiritur ad perspicuam significationem; è contra cum dico, vidisse me omnem vel aliquem, profero propositiones suspensas, & quæ intelligi non possunt sine novi termini, formali vel æquivalenti significatione priorem ex his significandi modum dici perfectum, & perspicuum supponunt Juris Consulti, quorum auctoritates recidat Lugo.

Restituitur Argumentum. Ex quo fundamento colligitur, quod cum dicitur verbum Absolvo, ly A peccatis non indigere plus, quàm declaratione suppositionis & non appositione novi termini; ex eodem fundamento dici potest ly Te, non indigere plus quàm suppositionis declaratione. Deinde, concesso dari aliquas propositiones quæ indigeant æquivalenti saltem appositione novi termini, redit argumentum, Cur ly A peccatis significatum à pœnitentia, non sit intra seriem reliquium terminorum, indigentium æquivalenti novi termini appositione, cum ly Te indigeat. Rursùs si quis mihi dicat videsne Petrum, quamvis non apponam Petrum, sufficit ut dicam video; ad eum modum, quo si quæratur ex me absolvistine vincula Petri, & ego dicam Absolvi, sufficienter significantur vincula illa Petri. Sed etiam casu quo quærat aliquis ex me, Absolvistine Petrum? & respondeam Absolvi, hoc tamen non obstante in significatione Sacramentali est necesse addere Te; ergo etiam erit necesse addere ly A peccatis.

Breviter in hoc est retorsio; verbum Absolvo si dicatur, indiget novi termini appositione ad significandum te. Ergo & indigebit novi termini, æquivalenti saltem additione ut significet ly A peccatis. Ad idem propositum observat Dic. d. 5. n. 75. quòd immeritò supponat Æquivocorum esse sensum obscurum non suspensum, oppositum enim sentit D. Augustin. L. de Princ. Dial. cap. 8. Inter ambiguum, inquit, & obscurum hoc interest, quod in ambiguo plura se ostendunt, quorum quid potius accipiendum sit ignoratur, in obscuro autem nihil aut parum, quod attendatur apparet. Quod attinet ad illa jura, intelligi debet quòd ambiguitas tollatur per circumstantias.

Respondetur. Denique, & ante responsionem supponitur. Latiùs patere significationem vocis quam suppositionem, voces enim Do, Dono, Dico significant dare, donare, dicare alicui, nec tamen supponunt pro persona cui datur, signum autem, quod vox quæpiam, non solum aliquid significet, sed etiam pro eo supponat, est, si in communi sermone usurpetur ad id designandum, pro quo, supponit sine appositione novi termini; & ita curro, condono, existo, supponunt pro cursu, condonatione, &c. signum autem, quod dictio aliqua aliquid significet & pro eo non supponat, illud esse videtur; si non usurpetur ad illud designandum absque termino speciali, & ita Adjungo, Unio, Cognosco, non supponit pro re quæ adjungitur, unitur, &c. Hoc posito, formatur, ita Responsio quia ita significantur vincula seu peccata per verbum Absolvo, ut simul absolvo, supponat pro vinculis, non supponit autem extra circumstantias pro aliquo qui absolvitur, & ille qui absolvitur indiget designari speciali termino; usurpari autem verbum Absolvo ad designanda vincula sine speciali termino designativo vinculorum, vel illa vox Christi Domini de Lazaro probat. Solvite illum, nec addit à ligaturis.

Restituitur Argumentum; ly do, dono, dico, significat, dare, donare, &c. nec tamen supponunt pro persona cui dant, & pro re data. Ergo & Absolvo licèt significet absolutionem, nec pro re nec pro persona supponet; vel si non supponit pro persona, cur supponet pro vinculis. Rursùs è contra. Condono, Existo, & significant & supponunt pro existentia, condonatione; ergo & absolvo quod supponit pro absolutione, poterit supponere etiam pro persona sicut pro vinculis.

Neque valet si recurras ad usum communem; quia hic si usurpat ly absolvo, non addendo vincula, ita etiam usurpat absolvo non addendo personam; & quidem si dum actu absolvo, quærat aliquis ex me quid facis, possum respondere sine addito, Absolvo, nullam mentionem personæ faciens; imò & Romani in suis tabulis & calculis sine addito dicebant, Absolvo vel Absolvitur. Rursùs attendi ad hoc debet in formis Sacramentorum ne circumstantiæ sint tanquam partialis consignificatio, non ostenditur autem, quomodo tunc peccata, non habeant partialem consignificationem.

Secundus modus respondendi est Suarez, quod scilicet verbum illud Absolvo modificatum, significet peccata. Rationem dat, cum enim in Confessione petatur absolutio & non à vinculis corporis, sed à vinculis peccatorum, ideò cum dicit Sacerdos, Ego te absolvo, significat absolutionem à peccatis, ex vi enim hujus judicii, non fit absolutio, nisi à peccatis.

Restituitur Argumentum. Non modificatur ly Absolvo ut significet Te, quamvis in hac Confessione non petat absolutionem nisi designabilis particulâ Tu, & absolutio debet alicujus. Ergò etiam ly Absolvo non modificatur, ita ut significet ly A peccatis quamvis in Confessione non petatur absolutio à vinculis corporalibus. Quod autem cum Vasquez dicit. Non. Absolutionem in iis circumstantiis datam, apertè cadere super pœnitentis peccata id non convincit. Quia si apertè in illis circumstantiis ly Te non intelligitur, cur apertè intelligetur à peccatis.

Tertius modus respondendi coincidit cum hoc secundo, & est talis; quia tametsi verbum unicum Absolvo, modificatum à persona persona pœnitentis petentis absolutionem, significet implicitè absolvi personam pœnitentis, non æque tamen perfectè significat absolutionem talis personæ, ac perfectè significat idem Absolvo ly A peccatis; unde ob minorem illam perfectionem significationis, debet addi particula Te, non autem A peccatis.

Restituitur Argumentum. Non minus perfectè

perfectè in circumstantia modificationis per Confessionem hujus, significatur à verbo Absolvo persona, quam significenter peccata; ergo si nihilominùs est insuper necessarium addere ly te, erit etiam necessarium addere ly à peccatis.

RESPONDETUR. Verbum unicum Absolvo ob solam modificationem, quâ modificatur à persona pœnitentis, designat personam, quam aliàs non designabat, cum in prolatione hujus verbi Absolvo, non minùs significetur & intelligatur absolvi secunda, tertia, una, plures personæ; at verò verba Absolvote, & ob modificationem habitam à Confessione, & ob modificationem à particula Te, designant pœnitentem absolvi à peccatis, nam eo ipso, quod dicitur Absolvote, intelligitur ex vi talium verborum, quod pœnitens seu ille cui dicitur Te, absolvatur ab illis vinculis à quibus indiget & postulat absolvi, puta à peccatis.

RESTITUITUR argumentum. Non minùs verbo Absolvo significantur vincula corporis, censurarum, debitorum, peccatorum &c. quàm persona, secunda, tertia, prima, una, plures. Ergo si est necesse addere ly Te, erit etiam necesse addere ly A peccatis. Rursùs, quamvis modificetur verbum Absolvo, ita ut nonnisi hîc & nunc designetur persona pronomine Te, designetur, inquam, à verbo Absolvo, modificato ad hanc significationem, & per Confessionem hujus nonnisi, & tamen debet addi particula Te. Ergo licèt Absolvo modificetur ad significanda peccata, & per particulam Te, & per Personam, addi nihilominùs debebit A peccatis. Denique non perfectè significatur in Verbo Absolvo persona Te, & modificationes quæcunque non sunt respectu Te, perfectæ. Ergo idem dicendum de A peccatis.

DICENDUM est II. *Non convincere absolutè loquendo paritatem adlatam.*

RATIO. Quia ly absolvo, quantum est ex vi verbi importat, ut communiter dicitur solutionem à vinculo vel reatu, jam autem nõ importat personam Te; quod ipsum Probatur; quia si per impossibile nulla esset secunda persona, & adessent vincula vel reatus, verificaretur hoc verbum Absolvo; ergo apparet quod non significet personam Te, significet autem reatum & vincula, siquidem impossibili persona Te, adhuc significat significatio verbi Absolvo; impossibilibus autem vinculis vel reatu non esset possibilis significatio verbi Absolvo, religo, dissolvo &c. ad eum modum, quo si impossibilis esset, lectio non esset possibilis significatio verbi Lego, quantumvis impossibili persona Tu, posset esse adhuc significatio verbi Lego. Fundatur hæc Minor in hac Majori, sunt aliqua verba, per quæ, licèt aliquid non exprimatur, significant tamen illud, & si ita cum illo significando connectantur, ut illo impossibili reddito, redderetur impossibilis significatio illius verbi, hoc ipso illud verbum, seipso, sine ullo addito, significat illud; tale est Lego respectu lectionis &c. ita etiam se habet, ut dixi suprà in minori verbum Absolvo respectu reatûs & vinculorum, non se autem habet respectu personæ; consequenter sine ullo addito potest significare vincula, & non potest significare personam Te.

Hoc ipsum ulterius sic declarari potest. A circumstantis dupliciter potest dependere significatio. I. Ut circumstantiæ tribuant vim etiam significandi, & ita circumstantiæ possunt particulis etiam. Ita, Placet, volo, tribuere significationem verbi Absolvo; nam si pœnitens quærat; Placetné me absolvere, & respondeat Sacerdos, Ita, ly Ita significabit Absolvo, sed significatione quam in se non habet, sed totam accipit significandi vim à circumstantiis. II. Circumstantiæ ita ingrediuntur significationem ut non tribuant verbo vim significandi, sed tantùm declarent suppositionem, ita verbum Lego significat & lectionem Ciceronis, & lectionem Virgilii, & ad hanc potius significandam indigent, nonnisi suppositionis declaratione. Prior ille modus non sufficit ad Sacramentum; alias aliquis nutu posset absolvere, quia etiam nutus totam vim significandi potest habere à circumstantiis, ut significet scilicet Absolvo. Secundus autem modus sufficiens est, quia nihil illi deest ad perfectam significationem Sacramentalem.

Porrò verbum Absolvo accipit quidem vim significandi etiam personam Te hîc & nunc, sed illam in se non præhabet, sed totam accipit à circumstantiis, præhabet autem significationem à reatu seu vinculis; quod ipsum Probatur, quia impossibili significatione Te, adhuc esset possibilis significatio absolvo; ergo apparet quod verbo Absolvo non significetur Te, quia illud non significat, cujus significatione impossibili, adhuc significat; imò cùm universalia nihil sint in re quàm particularia, fit ut significet absolvo solutionem à vinculis, & hanc & illam, indigebitque solùm suppositionis declaratione. Nec obest quòd extra illas circumstantias verbum Absolvo, non habeat vim supponendi pro solis peccatis; quia quamvis CHRISTUS DOMINUS voluerit verba significare seipsis, illud quod fit in Sacramento, non tamen voluit ut verba seipsis supponerent pro illa significatione sola: cùm enim CHRISTUS DOMINUS noluerit mutare impositiones humanas & acceptiones verborum, & cùm multa verba, non habeant vim supponendi, pro hoc certo, fit ut CHRISTUS DOMINUS, hoc non exegerit. Et quia ut jam dictum est, verbum Absolvo præhabet in se vim significandi peccata, sed solùm non habet vim nonnisi pro illis supponendi, fit ut à circumstantiis nec partialem quidem significationem habeat Absolvo, sed solam suppositionis declarationem, quod non est dare vim

significandi, sed illâ suppositâ, declarare suppositionem.

Dicendum III. *Præcisè loquendo, verba essentialia formæ, sunt Absolvo te.*

Probatur I. Quia Flor. in decreto de Sacramento pœnit. dum meminit formæ absolutionis solùm ponit hæc verba, Ego te Absolvo; supponitur autem ego non esse de essentia, cùm ipsum Absolvo sit ego, hoc est, prima persona. Rursùs Theologi Pii 5. in Catech. composito pro tota Ecclesia idque proximè post tempora Tridentini, cujus mentem nosse poterant, ponunt nonnisi hæc verba; Ego te absolvo. Idem fecit Tridentinum, quamvis addiderit particulam &c. voluit enim per hoc significare ly à peccatis, non esse essentia formæ, sed solùm integralia. Ratio est, quia aliàs etiam invocatio Trinitatis esset de essentia. Unde illud ly &c. debet accommodatè accipi ad mentem scilicet antecedentis Concilii, quod sola illa verba posuit Ego te absolvo, solumque voluit innuere, reliqua etiam, in forma, usurpanda esse.

Probatur II. Quia in illis quæ sunt de essentia Sacramenti, standum est pro potiori parte Doctorum, præsumendum enim est, quod in rebus Sacramentum concernentibus, non sit permissurus Deus Doctores altioris præcipuè classis & plures errare, quos utpote Magistros Ecclesiæ in tali materia specialiùs dirigit Deus; jam autem stare his verbis absolutionem gravissimi Doctores tenent, & ex nostris omnes impressi, quos legere contigit, excepto cit. Perez.

Probatur III. Quia ad id asserendum, non potest ducere nisi paritas adlata, cui assignata jam est disparitas, & quantumvis à ratione non assignaretur disparitas, sufficeret dicere, quod non exigatur ly à peccatis essentialiter in forma, ex vi intentionis CHRISTI DOMINI, quæ institutio colligitur ex tot Doctorum consensu, phrasibus Florentini, & Catechismi; præcipuè cùm probabilius sit hoc, quod circa rem à voluntate instituentis pendentem, loquuntur potiùs plures & graviores quàm pauciores.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Perez. Verba absolutionis illum effectum causant, quem se solis & seclusâ omni circumstantiâ significant. Ergo si solùm significant effectum indeterminatum, solùm causabunt effectum indeterminatum. Sed hæc verba se solis, & seorsim ab omni circumstantia, solùm significant indeterminatum, scilicet liberationem ab aliquo vinculo, cum indeterminatione & indifferentia quodnam sit illud: Ergo debent determinari per aliquid aliud, nempe per ly à peccatis tuis.

Respondetur. Retorquendo argumentum subsumptum; sed hæc verba à Peccatis, seclusâ omni circumstantiâ significant indeterminata peccata, possunt enim significare peccata absoluta, non absoluta mortalia vel venialia, indirectè nonnisi absolubilia, vel per modum materiæ necessariæ &c. Ergo debet ly à peccatis determinari per aliud, atque adeò per enumerationem à quibus fiat absolutio, quod nemo concedet. Et certè sicut ly A peccatis, est quid genericum ad hæc & illa peccata, ita etiam solutio à vinculis est quid genericum; quodsi Absolvo faciat sensum infra adferendum, multò minùs genericitas apparebit verbi Absolvo. Directè ad Objectionem Respondetur Distinguendo subsumptum. Sed hæc verba se solis & seorsim ab omni circumstantia, solum significant effectum indeterminatum quoa suppositionem, Concedo; significant indeterminatum quid, quoad significationem, & vim significandi, & in ipsa impositione humana ad significandum, Nego, distinctoque similiter consequenti negatur consequentia.

Instat Perez: Verbum absolvo non habet secundùm se vim significandi absolutionem peccatorum, sed nonnisi in circumstantiis, consequenter illis & non verbis formæ tribuetur significatio, quod circumstantiis tribui non potest, alias illæ partialiter concurrerent ad significationem, cùm tamen Christus Dominus voluerit formas Sacramentales seipsis esse sufficienter significativas. Et certè videtur quod ly Absolvo æquivocè se habeat ad significanda peccata.

Respondetur. Retorquendo argumentum ut supra; quòd scilicet ly A peccatis indeterminatè & æquivocè significet peccata, à quibus fit absolutio, si ipsum absolvo æquivocè significat peccata. Directè autem applicentur responsioni dicta suprà, negando scilicet à circumstantiis accipi significationem peccatorum, sed solam determinationem suppositionis, videturque nomen Absolvo, esse potiùs nomen analogum analogiâ proportionis, in qua ad absolutionem vinculorum corporalium, reliqua proportionantur.

Objic. II. In Matrimonio sufficit dicere volo; ergo & in pœnitentia sufficiet dicere Absolvo.

Respondetur. Disparitatem esse; quia ex institutione Sacramenti matrimonii sufficiunt verba nonnisi æquivalentia, qualis est v. g. etiam nutus. Unde verbo volo, quod est verbum formaliter, adjunguntur alia, quæ sunt nonnisi verba æquivalenter; id autem non procedit de Sacramento pœnitentiæ, cujus alia est institutio.

Objic. II. Christus Dominus non est usus in sua absolutione verbo Absolvo, sed verbo Remitto, Ergo verbum Absolvo essentialiter non constituit formam.

Respondetur. CHRISTUM DOMINUM etiam usum esse verbo solvo, dixit enim Petro:

Petro: quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Et licèt in institutione illius utatur potius verbo remittendi, censendum est commisisse Ecclesiæ alterutrius verbi usurpationem, aut aliûs æquivalentis; nam istæ differentiæ sunt materiales in ordine ad præsens punctum; & sicut tenet verbum Abluo suppositum pro verbo Baptizato, ita tenet prædicta in præsenti suppositio unius verbi pro alio; præcipue quia auctori Sacramentorum licitum erat, ut vellet quoad se uti verbis certis, & nihilominus determinationem æquivalentem eorundem Ecclesiæ relinquere. Mota autem est Ecclesia, ut potius assumeret verbum Absolvo, quia ex una parte est usurpatum à Christo Domino, ex alia commodiùs significat modum hujus Sacramenti, quod institutum est per modum judicii, ly autem absolvo magis est judiciale, quàm ly remitto.

Instat Quidam. Sufficienter fit absolutio, si quis Sacerdos post dicta à Pœnitente peccata, interrogatus, Absolvisne me Responderet *Etiam* quod ipsum probatur, Quia Verbum *Absolvo* prolatum in talibus circumstantiis, vel Verbum *Etiam* prolatum à Judice Forensi sufficienter esset absolutivum, Ergo & in judicio Sacramentali erit sufficienter absolutivum.

Respondetur. Negando assumptum. Ratio quia in materia Sacramentorum procedendum est via, qua deveniatur & pertingatur ad placitum Salvatoris, determinantis substantiam materiæ & formæ Sacramentalis, quod placitum Salvatoris, innotescit auctoritate Sacra, traditione, & sensu Doctorum: non docetur autem quòd omnis ea absolutio sufficiat in foro Sacramentali, quæ sufficeret in Foro judiciali. Ergo id apparet non fuisse è placito institutoris Christi. Deinde si sufficit dicere in absolutione peccatoris *Etiam* dicam etiam sufficere in ablutione Baptismali casu quo Ego, & hunc abluam dicere inquam in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; Verè enim circumstantiæ significant & ostendunt ipsum Ego te abluo. Ergo suffecerit dicere residuum illud in nomine Patris. Item procedendo in Canone & digito demonstrando Panem suffecerit dicere Est corpus meum: nam illa demonstratio ex circumstantiis significat Ly Hoc. Denique omnia Sacramenta constant Verbis formalibus tanquam forma excepto matrimonio, ut habet doctrina Ecclesiæ. Cum ergo circumstantiæ non sint Verba & ipsum Ly *Etiam* non includat significationem & ipsius *Absolvo* & peccatorum sed nonnisi simplicem affirmationem, fit ut per Ly *Etiam* nec per Ly *Absolvo* tanquam non includens significationem ipsius Te perfici non possit. In forma nego consequentiam. Eo quòd in judicio forensi sufficiat absolutio nonnisi importata à circumstantiis cùm à Christo requisita fuerint Verba formalia.

QUÆRES I.

An sola verba Absolvo te concurrant ad effectum Sacramenti, ita ut ly à peccatis, quamvis apponatur, non causet gratiam?

Affirmat cum Vasquez, Dicast. d. 5. n. 46. Dissentit Lug. d. 3. num. 28. Probabilius omninò; sed examinandæ sunt Lugonis rationes.

Ratio I. Lugo. Ly à peccatis implicitè inclusum in Absolvo potest sufficienter concurrere. Ergo antequam exprimatur, ponet effectum, quia ad hoc per Vasquez sufficit implicita continentia.

Respondetur. Nego Consequentiam, quia licèt sufficiens sit ad hoc implicita continentia, quando ponitur intentio non ponendi effectum, per ly à peccatis, non est tamen sufficiens, quando ponitur intentio non ponendi aliter effectum, quàm per expressam significationem.

Instat Lugo. Falsum est principium assumptum à Vasquez, quòd ea sola verba, quæ includuntur in verbis necessariis concurrant ad effectum Sacramentalem, non verò ea quæ non includuntur: Quia si quis diceret: Hoc est corpus meum aëreum, non consecraret validè, & tamen illud aëreum non continebatur implicitè in verbis præcedentibus. Ergo falsum est, quod ea concurrant ad effectum Sacramentalem, quæ non includuntur in necessariis.

Respondetur. Regulam à Vasquez usurpatam dicunt aliqui veram esse quando additum non destruit sensum à Christo Domino intentum, ly autem aëreum destruit hunc sensum. Cæterùm Dic. videtur aliud principium sequi, quia (suppositâ legitimâ intentione) non apparet unde impediatur effectus, quia ille per hanc causam impeditur, quæ adest tempore impedimenti; illa autem additio, non adest tempore impedimenti, quia non adest, quando finiuntur verba necessaria. Sed hujus plenior resolutio spectat ad materiam moralem de Sacramentis in Communi. Regula à Vasquez assumpta per hoc defendi posset, quia scilicet Ly aëreum additum ad Formam Eucharistiæ, non tantùm non includitur in verbis necessariis, sed nullo modo spectat ad Formam. Regula autem à Vasquez assumpta, procedit de verbis utique spectantibus Formam.

Ratio II. Lugo est; quia si verum esset oppositum sequeretur, quòd si aliquis diceret Absolvo te à peccatis, & omitteret, Tuis, vel per inadvertentiam, vel per impedimentum mortis secutum in pœnitente, quòd eo casu non impenderetur

deretur absolutio. Hanc rationem aliter & aliter proponit Lugo. *Sed*

Respondet Dicast. Casu quo aliquis intenderet absolvere, nonnisi addendo ly tuis, & postea non adderet, non fore absolvendum. *Hinc sit*

Ratio III. Ejusdem Responsionis; quia ex una parte forma ut probatum est potest producere suum effectum, cum dicitur ly Absolvo te, utpote forma essentialis, si autem illa verba possunt producere effectum, ergo producunt, quia causæ necessariæ, qualia sunt Sacramenta ponunt effectum, cùm primùm possunt; ex alia parte nullum est fundamentum tribuendi ministro vim, quòd possit suspendere effectum Sacramentalem ultra essentialiter requisita, quia de hac illius potestate nec per auctoritatem, nec per rationem constat, per quod restituitur ratio primo loco posita à Lugone; præcipuè autem, quia absolvens supponitur habere intentionem efficacem, faciendi, quod facit Ecclesia.

Dices I. Quando dico: Ego te absolvo, non solùm absolvo te, producit effectum Sacramentalem, sed etiam Ego. Ergo etiam saltem quando præponeretur ly à peccatis tuis verbo Absolvo te, produceretur effectus Sacramentalis per illa, Ergo non producitur, per sola verba Absolvo te.

Respondetur. In suppositione duplicis sententiæ, si enim moraliter à forma producitur gratia, benè potest dici in ipso instanti terminativo prolationis formæ non moveri Deum ab Ego, nec à ly A peccatis, sed solùm à ly Absolvo te; non moveri inquam ad producendam gratiam; si autem Sacramenta physicè producunt gratiam, id adhuc dupliciter fieri potest, vel scilicet ita, ut singulæ voces producant qualitatem vicariam, quæ illis jam prolatis maneat, & in instanti terminativo formæ, simul cùm illo producat gratiam; vel certè ipsa ultima prolatio elevatur ad producendam qualitatem vicariam, loco omnium verborum concurrentem ad producendam gratiam &c. in utraque hac suppositione dici potest, nec à ly Ego nec à ly A peccatis, quamvis posito ante Absolvo, produci qualitatem illam, aut intuitu illorum produci ab ultima syllaba, eò quòd Dominus Deus decreverit de non concurrendo cum illis ad productionem gratiæ, quæ nonnisi integrant formam; quia ex unâ parte non constat nobis de decreto tali pro integrantibus, ex alia parte spectatâ proportione ad agentia naturalia, debebat hæc vis concedi, nonnisi verbis essentialibus formæ, eò quod effectus à causis necessariis dependentes, producantur nonnisi positâ causâ necessariâ, verba autem integrantia, quocunque loco ponantur, non sunt causa necessaria, & tamen Sacramenta sunt causa necessaria; si autem ipsum nonnisi complementum formæ immediatè producit gratiam, multò minùs tribuenda erit hæc productio verbis nonnisi integrantibus, quocunque loco ponantur.

Dices II. Cum Dicast. Quamvis in potestate Sacerdotis non sit differre effectum Sacramentalem, est tamen in ejusdem potestate, significationem necessariam ponere per plures vel pauciores voces, consequenter tunc faciet, ut effectus Sacramentalis non sequatur, nisi positis illis, quibus vult significare, cùm significatio causet effectum.

Respondetur. Imprimis retorquendo argumentum, & quærendo, si aliquis ita diceret: Remitto Perillustri & Magnificæ Dominationi Tuæ ea, quæ in Dei Ter Optimi Maximi Majestatem hactenus perpetrare non dubitavit, & ab illis omnibus absolvo eandem, numquidné & illa Dominatio, & illa Perillustris, & illud Dei Ter Optimi &c. causabunt omnia gratiam? Cantet item aliquis formam absolutionis, & producat ultimam syllabam variatâ voce, tremoreque soni, numquidné omnia illa causabunt gratiam? & si id concedere velis, concedis aliquid arbitrariè. Ad punctum autem difficultatis dici potest. Quod sit quidem in potestate absolventis pluribus verbis significare formam Sacramentalem, sicut & plures partes aquæ integerrimaque vasa affundere in Baptismo, hoc enim spectat ad libertatem creatam, cui Deus impedimentum ordinariè, non ponit ex obligatione causæ primæ; sed non est in libertate humana, tribuere iisdem vim causandæ gratiæ, sed nonnisi iis, quæ necessariò in causa hac necessaria, quæ est Sacramentum, requisivit Christus Dominus; quæ etiam sola significatio necessaria, causat gratiam; quod ipsum probatur; quia nec ex Dei ordinatione, nec ex ratione constat de hac vi ministris concessa, constat autem hanc vim indubiè contineri verbis necessariis.

Dices III. Ex Lugo. Voces non faciunt sensum perfectum donec absolvatur tota propositio, manentque in antè suspensæ; quod ipsum Probatur; quia verba non habent vim significandi nisi quatenùs faciunt, quòd audientes concipiant rem prout in mente est loquentis: quousque autem non absolvatur propositio, nondum potest concipi mens loquentis.

Respondetur. Argumentum multum probare; probabit enim quod etiam prolatis verbis A peccatis tuis, imò & invocatione Trinitatis, nondum ponatur absolutio, illis enim enuntiatis, adhuc potest aliquid addi de novo, destruereque fortassis vim & robur formæ; sicut ergo in casu hoc, attenderetur ad intentionem proferentis, & an jam ea verba ponantur, quæ aliàs supponitur requisisse Christus Dominus, ita & in præsenti. Directè itaque, illa propositio, Voces non faciunt sensum perfectum donec absolvatur propositio, distinguitur: concedendo scilicet illam si aliunde non sint posita

sita verba sufficientia ad significandum, & si non adsit circumstantia intentionis volentis adferre aliquid destructivum formæ requisitæ; negando autem, quòd voces non faciant sensum perfectum, donec absolvatur propositio, si adsit debita intentio, & verba sufficientia.

QUÆRES II.

An forma Pœnitentialis debeat deprecatorio sensu proferri?

NEgat S. Thom. Tum quia aliàs, Orationes, quæ petunt, ut Dominus Jesus absolvat, absolverent, contra Tridentinum. Tum quia Christus Dominus non dixit: pro quorum peccatis ora veritis, remittentur eis, sed absolutè: Quorum remiseritis. Tum quia hoc Sacramentum institutum est per modum judicii, judex autem absolutionem deprecatoriè non profert. Græci ita absolvunt, Habeo te absolutum, quod in græco idem est ac Absolvo, hinc falsum est illos deprecatoriè absolvere. Nec obest quod forma extremæ unctionis sit deprecatoria; quia pro unctione alia est institutio Christi Domini, quam nos docuit Ecclesia. Falsum etiam est, quòd deprecatoria sit absolutio à censuris, defacto enim absolutè dicitur: Absolvo te imprimis à vinculo &c. parumque referret si deprecatoriè proferretur; quia mens instituentis alia fuit pro absolutione à peccatis, unde absolutio à censura absenti, scripto &c. conferri etiam potest. Est tamen forma absolutionis Oratio, non quidem Orationem accipiendo pro deprecatione, sunt enim multæ Orationes, quæ non sunt deprecatio, sed est absolutio Oratio æquivalenter, quia in illa est repræsentatio meritorum Christi Domini, quibus movetur Deus ad effectum Sacramentalem.

QUÆRES III.

Cum de Lugo d. 13. num. 106.

An sit valida Absolutio prolata in sensu imperativo?

REspondet Idem, quod modus imperativus possit imprimis respicere expressè nonnisi absolventem, ut cum diceretur, Absolvaris à me; talis forma est valida, quia sufficienter significat actionem Ministri. Rursùs potest modus imperativus respicere Deum dicendo, Absolvat te Deus, & si sensum haberet, qui novam sententiam requireret à Deo ponendam, esset absolutè invalida forma, quia tunc Sacerdos nullo modo absolveret, sicut nec absolvit Papa, dum dicit: Absolvat te meus Legatus; si autem imperium faciat hunc sensum, qui sit præcisè & merè intimatio executionis sententiæ à se latæ, dubium esset an esset valida.

Punctum Difficultatis 2.

Qui sensus Formæ Absolutionis.

SEnsum hujus formæ dat unusquisque competenter ad sua principia, per quæ, talem vel non talem potestatem tribuit Sacerdoti in foro pœnitentiali. S. Th. hujus sensum videtur assignare, Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo; de quo ipso quæritur: Quid sit illud ly absolutionis. Duæ sunt magis celebres explicationes.

Explicat I. Lugo d. 13. num. 72. Ego te solvo à vinculis; vel, Tibi remitto offensam Divinam. Hæc explicatio Lugo, ut verùm fatear, in re bona est, tamen quoad modum loquendi.

Non Satisfacit. Quia licet absolvo judiciale, quale est hîc, possit coincidere cum: Vincula solvo, omninò tamen in usu humano in idem non coincidunt; hinc omnis Judex dicitur absolvere, non tamen dicitur solvere vinculis nisi incarceratos. Quodsi recurras quod omnes culpæ sint vincula moralia, in re id verum est, sed diceret aliquis figuratam esse hanc locutionem, ly autem absolvo in foro pœnitentiali, non est figuratum, quia nec figuratum judicium, sed verum Sacramentale, sicut est verus contractus matrimonium. Deinde sensus formæ est talis assignandus, qui in rigore valeat etiam pro Confessione venialium, in rigore autem per multos DD. veniale peccatum non est offensa, quomodo ergo sensus Formæ erit, ego tibi remitto offensam.

Explicat II. Suarez d. 19. Sect. 2. Dicast. d. 5. num. 100. Perez d. 18. S. 3. dicuntque sensum formæ esse. Confero tibi gratiam, quæ quantùm est ex se est remissio peccatorum tuorum. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia oppositi admittunt ut plurimum Sacramentum validum, sed informe, Ergo debent admittere formam validam, si enim non sit forma valida, quî erit Sacramentum validum? si autem est valida, Ergo & sensus illius validus esse debet & verificatus. Et sicut si non verificaretur forma Ego te baptizo, non esset valida, ita nec valida forma absolutionis erit, si non verificetur; non verificaretur autem in Sacramento illo informi, quia non potest verificari collatio gratiæ seu datio, cum non confertur gratia, ut non confertur in Sacramento informi, hinc etiam aliud est in communi usu, Offero, & aliud, Do. Et sicut non potest aliquis esse Pater quantum est ex illo, & non habere filium, sic nec rigorosè loquendo potest aliquis conferre gratiam quantùm ex illo, si nec

tunc

tunc producatur nec recipiatur. Rursùs verba formæ debent habere verificationem & sensum illis competentem, & non aliis, jam autem productio gratiæ, etiam ad pœnitentis actus spectat suo modo.

NON SATISFACIT II. Quia in aliis Sacramentis, verba formæ, non significant gratiam Sacramentalem, neque enim sensus illorum verborum, Ego te baptizo, est: Confero tibi gratiam baptismalem, Ergo nec in præsenti significabunt gratiam remissivam peccati; quod ipsum ulterius in hoc fundatur; quia hîc quæritur de significatione verborum accommodatè ad hominum institutionem, non verò ad significationem Sacramentalem, sic enim significant & producunt gratiam.

RESPONDET Dicast. Etiam ex hominum institutione verbum Absolvo significare gratiam, cùm enim significet remissionem peccati, & gratia ipsa est ex se remissio peccati, si significat verbum Absolvo remissionem peccati, significat gratiam.

CONTRA. Quia vidimus suprà, gratiam ex se formaliter non esse remissionem peccati. Deinde verbum Absolvo significat gratiam significatione Sacramentali, nam significatione humanâ non significat, remissio enim humana perficitur sine infusione ullius gratiæ. Quando autem in gratiam hujus responsionis addit Perez cit. quod qui dicit se facere aliquid, eo ipso dicat modum quo id facit, si unicus tantum est vel ex natura rei, vel ex voluntate ejus, qui habet ad id potestatem, peccata autem ex ordinatione Divina non possunt remitti in hac vitâ, nisi collatione gratiæ, quando inquam id addit, non convincit; quia qui dicit se facere aliquid, significando id verbis secundùm placitum significantibus, eò ipso dicit modum, si unicus est, dicit inquam modum, sed significatum, ex humana institutione, significationeque, in ipsis verbis inclusa; jam autem collatio gratiæ, ex humana institutione, significatione neque, in ipsis verbis inclusa; jam autem collatio gratiæ, ex humana impositione, non significatur in verbo Absolvo.

NON SATISFACIT III. Quia verba formæ absolutionis debent habere hunc sensum, qui verificetur, dum est Confessio præcisè venialium, qualis esset v. g. Confessio confirmatorum in gratia, & tamen non datur ulla gratia, quæ quantùm est ex illa sit remissiva venialium, cùm tamen verè absolvantur venialia, adeòque respectu absolutionis illorum debet esse rigorosè verificata forma.

EXPLICANTUR III. Verba formæ, ut faciant hunc sensum, Ego sententiam fero, quâ te libero quantum est ex me, à reatu culpæ.

Probatur bonitas explicationis, quia hoc Sacramentum est judicium, consequenter & ly absolvo est in illo judiciale, habetque sensum judicialis Absolvo, judiciale autem Absolvo stat sententiâ latâ, vi cujus evadit reus liber sui sceleris. Additum autem est, quantùm est ex me, quia Deus communicavit potestatem Sacerdoti absolvendi à culpa, cujus potestatis usum requirit Deus, ut etiam ipse pro sua parte condonet, fiatque præjudicata sententia in cœlis, Sacerdote pro isto foro sententiante. Hinc ulterius, Hæc forma vi sensus traditi verificaretur, etiam casu, quo Deus per impossibile non infunderet gratiam, sed solâ condonatione extrinsecâ justificaret, adhuc enim tunc Sacerdos, quantùm est ex illo liberaret eundem à culpa; verificaretur item hæc forma casu, si daretur Sacramentum validum, sed informe.

Restat hic aliquid explicandum. Pone aliquem nonnisi unum veniale commisisse, pone illum confiteri illud peccatum, & ipsum etiam Confessarium per revelationem habere, quod nonnisi unius venialis sit reus, quomodo tunc verificabitur ly à peccatis? & tamen ly à peccatis plura significat, non unum.

Primus modus esset, quòd qui committit unum veniale, supponatur, jam in ante habuisse originale, quod infusione gratiæ in Sacramento, quasi novo titulo deletur, verificabitur ergo ly à peccatis, sumendo veniale cum originali. Hic modus patitur difficult. quia nullo modo originale subditur clavibus, consequenter nec novo titulo deletur, & si faceret DEUS decretum, ne Sacramento pœnitentiæ peccatum A deleatur, nullo modo sese extenderet ad illud absolutio, neque respectu illius verificaretur, quamvis gratia saltem connaturaliter non posset stare cum illo peccato, sed illud expelleret; ergo cùm originale sit irremissibile pœnitentiæ Sacramento, respectu illius non poterit salvari verificatio formæ.

Secundus modus est iste, quia nullum est tale veniale, quod non habeat venialia plura, quamvis pertinentia ad idem, & unum moraliter veniale, nam non vitasse occasionem, tentationem negligenter rejecisse, antecedunt ipsum consensum ad veniale. Hic modus habet etiam suam difficultatem; pone enim fuisse veniale nonnisi in sola non vitata occasione commissum, illud clavibus subdi posset, sed qua verificatione formæ?

Duo adferri possent, formam in sensu morali accipi debere, in quo non distinguitur unum à pluribus; sic dicimus, Reges Poloniæ liberè eliguntur, quamvis unius nonnisi, hîc & nunc eligatur. Sed hic etiam modus patitur suam difficultatem, quamvis probabilior sit, quia rigorosè non salvat verba formæ. Rursùs quamvis pluralitas Regum moraliter sumi possit pro uno Rege, sed non apparet, qui unum peccatum, sit moraliter plura.

Alius etiam modus idem salvandi esset; quòd per nos verba essentialia sint solùm Absolvo Te, quod ipsum absolvo te, toto rigore, vel de uno peccato

Peccato verificatur, & vel propter hoc probabilis redditur nostra sententia, excludens ly à peccatis, ut in dicto casu verificetur rigorosè forma, eoque ulterius casu, tunc non dicendum esset ly à peccatis, quia verba integrantia possunt ex rationabili causa omitti, ut si videas in fine prolationis verborum essentialium mori pœnitentem; non minùs autem est rationabile, non dicere, à peccatis tuis, cùm jam est mortuus, atque est rationabile non dicere, à peccatis, cùm non nisi unum habetur; ad quod etiam reflectendo, non dictum est Verbi Absolvo te sensum esse, Libero te à culpis, sed à culpa, quod commune est uni & pluribus.

Punctum Difficultatis 3.

An verificetur forma circa peccata remissa?

Dicendum est. *Verificari.* Probatur, quia est usus timoratorum subdendi peccata jam remissa iteratò clavibus, idque ex usu Ecclesiæ: non possent autem subdi, si respectu illorum non possent verificari verba formæ. Et sicut si Sacerdotem in prolatione Absolvo, reperiat mors pœnitentis, non potest pergere in absolutione, eò quòd tunc jam non verificaretur absolutio, ita nec posset absolvere jam remissa, si super illis non verificaretur absolutio. Tota difficultas est in solvendis Objectionibus.

Objic. I. Argumentum à paritatibus aliquibus.

I. Paritas est. Peccata nunquam commissa non possunt subdi clavibus nec de illis verificatur forma. Ergo nec verificabitur de peccatis remissis, quia remissa, æquè se habent, ac ea, quæ non fuerunt.

Respondetur. Remissa peccata in ordine ad maculandam animam æquè se habent ac si non fuissent, sed non æquè se habent in ordine ad terminandum actus pœnitentiæ, iisque mediantibus in ordine ad verificandam formam. Et sicut benè potest retractari peccatum transactum, nec tamen potest retractari peccatum, quod non fuit, sic nec absolvi, illo priori absolubili manente. Deinde quia respectu peccati dimissi, possunt verificari verba formæ, non possunt autem verificari respectu peccati nunquam commissi; quod ipsum Probatur, quia verba illa important non plus quàm condonationem peccati commissi, sine quo ille non maneret liberabilis, consequenter nec absolubilis; jam autem peccatum commissum, genericè prædicatur, verificaturque & de dimisso jam peccato, & de nondum dimisso; ly autem condonatio peccati commissi, non verificatur de peccato, quod nunquam fuit.

II. Paritas. Non potest verificari de jam soluto vinculis corporalibus Ego te solvo; ergo neque potest verificari Solvo te vinculis peccati, si jam sit remissum peccatum.

Respondet Dic. d. 5. n. 113. Quando aliquis antecedenter vinculis corporalibus est ligatus, si postea dicatur, Ego te absolvo, ex vi talium verborum non significatur aliquid quod re ipsâ exhibeatur & sit tale, ut ex vi illius quantùm est ex se solvi possit vinculis corporalibus talis homo; jam autem in nostro casu, significatur aliquid & confertur, nempe gratia remissionis peccatorum, quæ est talis, ut ex se liberet hominem, si fortè inveniat ligatum. *Hæc disparitas*

Non Satisfacit plenè. Pone enim qualitatem Divinitus productam in entitate materialem solutivam omnis vinculi corporei, si ponatur, cur si ponatur in non ligato, cur, inquam, non verificabitur Ego te solvo vinculo quantum est ex me, licèt si non sit vinculatus corporaliter. Pone nisum corporis & vitium sufficientem ad dissolvendum vincula, tunc videretur ex vi responsionis sequi, quòd tunc ex vi nisus illius vincula solvantur, adeòque verificetur: Ego te solvo quantum est ex me, quod fortè non concederet Dicast.

Respondet II. De Lugo d. 12. num. 82. disparitatemque assignat; quia propositio prolata de solutione vinculi corporei, habet pro objecto immediato solutionem ejusdem quam solam affirmat, hinc si illa solutio in præsenti non ponatur, propositio non erit vera, quia respectu solius vinculi soluti actu immediatè verificari potest. Quando autem affirmatur solutio vinculi spiritualis, objectum immediatum quod affirmatur, non est ipsa absolutio externa vinculi, sed actus meæ voluntatis, quo cedo meo jure ad offendi, quem ipsum actum affirmo & pono, idemque fit, quando dico: Absolvo. *Hæc etiam disparitas*

Non Satisfacit. Quia quærendum restaret: Cur sicut Objectum immediatum in absolvo corporaliter sunt vincula corporea, cur in absolvo morali, non sint vincula moralia, quæ tamen non supponuntur manere, cùm supervenit absolutio, peccato remisso.

Commodiùs hæc disparitas assignabitur; quia verbum Absolvo circa vincula corporalia ex usu humano & morali non verificatur nisi de præsentibus & actu stringentibus vinculis; jam autem verbum Absolvo in usu itidem morali, de vinculis moralibus, verificatur, modò supponatur in antè unquam ligatus fuisse. Et ita interrogatus & reinterrogatus offensus: An sibi condonet, potest respondere, Condono; & in judicio repetitâ causâ & innovatâ actione semper potest judex dicere: Libero te. Cùm ergo peccata & ipsum Absolvo Sacramentale sequantur vinculorum moralium rationem & absolutionis judicialis condonationisque cujusdam, fit ut repeti possint, salvâ verificatione. In idem recidet fermè si dicas:

Cum in principali non proportionentur secum solutio vinculi corporei & solutio à peccatis, nec in accessoriis & consequentibus proportionari debent; quòd autem non proportionentur in principali, hoc inde est, quia solutio vinculi corporei, importat necessariò vincula præsentia, non enim quis potest ligari vinculis absentibus. Hinc & solutio ab illis vinculis verificatioque verbi Absolvo, importabit vincula præsentia; ligatur autem aliquis vinculo offensæ quæ quamvis moraliter sit præsens, si non sit remissa, physicissimè tamen est præterita, transacta, & non est: cùm ergo in hoc principali non concordent secum, nec debent in consequentibus concordare, ac proinde quamvis consequi non possit solutionem vinculorum corporalium alia solutio, poterit tamen subsequi solutio vinculorum moralium. Sed in his recurrendum potissimùm erit ad usum, & usurpationem verbi Absolvo, pro significandâ repetita liberatione à reatu. *Ex quo ulterius*

Colligitur. Quamvis iterato conjuges ratificent consensum, illa obligatio non erit matrimonium, quia contractus matrimonii non est quæcunque promissio, sed simul traditio actualis, significans moraliter introductionem actualem in possessionem, ejusque inceptionem, quæ tunc non habentur.

III. Paritas est. Nemo potest restituere quod jam restituit. Ergo nec potest absolvi, quod jam absolutum est.

Respondetur. Negando Consequentiam. Disparitas est: quia restitutio est actus justitiæ, adeòque virtutis intendentis æqualitatem, quæ æqualitas stat in medio rei, medium autem hoc non servaretur iteratò dando quod dedisti, nec jam esset medium sed excessus; & propter hoc absurdum non potest iteratò restitui, quod jam restitutum est; tale autem absurdum nullum sequeretur, si iteratò institutâ causâ iteratò solvatur reus.

Objic. II. Immeritò explicari verba formæ per ordinem ad peccatum commissum; quod ipsum Probatur: quia verba formæ Extremæ Unctionis possunt benè verificari, quantumvis non positum fuerit unquam peccatum actuale, conferrique potuit etiam Beatissimæ Virgini, & conferri potest cæco nato etiam pronuntiando illam formam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.

Respondet. Dicast. d. §. n. 106. concedendo id de extrema unctione. Disparitatem datque: quia in Sacr. pœnitentiæ materia remota sunt peccata dolorque v. g. verorum peccatorum, & ipsa forma, est verorum peccatorum absolutio, consequenter debent esse illæ partes absolutè existentes, & materia remota quæ absolutè extitit; neque enim compositum actu existens, potest constare partibus actu non existentibus, nec supponere possunt materiam remotam quæ nunquam fuit. Et sicut potest conferri Baptismus sine suppositione peccati, ut collatus est Beatissimæ, quia peccata neque remota sunt materia hujus Sacramenti, sic etiam poterit conferri Unctio quæ formalissimè attendit ad confortandum mentem & corpus, latisque erit quòd quantum est ex vi verborum conferatur gratia, & auxilia quæ illam consequuntur. Neque inde sequetur debere dari Unctionem extremam infantibus, quia hoc Sacramentum est institutum ad confortandum moribundum contra pericula & anxietates animæ, quibus non sunt obnoxii parvuli, repetitaman poterit secundùm varias occasiones moriendi. Hinc etiam dari potest perpetuò amenti, quia nescitur; An ante instans mortis, non sit habiturus lucidum intervallum. Huic doctrinæ ad complementum probandum restaret, quod Unctio respiciat peccata sub conditione, & cur illa tanquam materiam remotam non respiciat peccata; hinc Lugo num. 81. oppositum censet cum Sylvio, Nunno, Ledesma. Quamvis autem conferri possit Baptismus iis, qui nunquam peccârunt, non tamen poterit conferri Extrema Unctio, quia ex forma Baptismi non colligitur suppositio peccati, colligitur autem ex forma illa, Indulgeat tibi Dominus quidquid &c. deliquisti; & quamvis dicatur à S. Jacobo, si in peccatis fuerit, dimittentur ei, illo loco non supponit intentum Dicastillo, sed hoc solùm docet, quòd vi hujus Sacramenti possint tolli reliquiæ peccati, & per accidens etiam aliæ culpæ: nam doctrina S. Jacobi conformis debet esse, & est, verbis formæ Extremæ Unctionis, quæ tamen verba important peccatum. Sed quidquid sit de Extrema unctione, indubiè Sacramentum pœnitentiæ, non potest esse nisi ex suppositione peccati, est enim hoc Sacramentum institutum per modum judicii & quidem judicii non declarativi, quòd non peccârit, quia tale judicium nonnisi inter homines statui debuit, inter quos est cavillandi locus, sed est institutum ad solvendum & liberandum à culpa commissa, quale judicium etiam in humanis requirit culpam. An autem cæco nato v. g. danda sit Extremâ unctio ad auferenda peccata visûs, dictum in Materia Morali. Hinc insententia quæ dicit cæco nato non dandam extremam unctionem quoad illam corporis partem, negabitur Antecedens. In sententia autem concedente disparitas erit, quia datâ Extremâ unctione, alius effectus principalior habebitur, nempè confortatio in articulo mortis; jam autem primarius effectus pœnitentiæ, est, condonatio culpæ. Hinc si dimissum peccatum non condonaretur repetitò, non posset subjici clavibus.

Objic. III. Verba absolutionis sunt vera, ergo præsupponunt veritatem adeòque remissionem peccati quam significant.

Respon-

R. P. TH. MLOD ziejowski Tom. 3. et 4. D. VI 6

Respondetur, Formam absolutionis esse veram practicè, verba autem vera practicè non supponunt hoc quod significant, sed causant, nempe idem novo titulo remittendo.

QUÆSTIO II.

De ipso toto Sacramenti Pœnitentiæ.

Inquirendum foret: An Sacramentum inquantum est quoddam totum, importet in recto omnes partes, & quare, sed id proportionaliter decidendum erit ex iis quæ universaliter docentur ad præsens punctum difficultatis de Sacramentis in communi.

De toto hoc quod est Sacramentum id in præsenti disputandum venit: An dabile sit Sacramentum pœnitentiæ validum sed informe; cujus difficultatis iste sensus est. An possit dari Sacramentum pœnitentiæ, cum debita Confessione Dolore ex parte pœnitentis, & cum debita absolutione ex parte Confessarii, ita ut nihilominùs ex aliquo obice, sit illud informe Sacramentum, hoc est non conferens gratiam, quæ est forma quædam. Affirmat Suar. d. 20. S. 5. Valentia. Filli. Henr. Lugo d. 14. S. 6. Dic. d. 6. d. 5. Perez 19. S. 10. Negat Vasq. q. 92. art. 2. d. unico. Kon. d. 4. d. 5. & 11. Layman. Fagun. Tur. & ex antiquis plures, qui favent ei potiùs quam eandem docent, nam id defendunt ex diversis principiis. Durandus in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæst. 1. docet. Fore Sacramentum validum sed informe, casu quo aliquis deliberatè omitteret aliqua mortalia confiteri, nec deberet iteratò illa repetere, sed nonnisi fictionem confiteri. Kon. etiam suffulcit aliquantulùm hanc sententiam, ut meminit Rosmer sub initium De integritate Confessionis, docens hanc formalis integritatis necessitatem non posse probari; & locum Tridentini determinantis, necessariam esse integram peccatorum Confessionem, explicat de necessitate requisita ad effectum Sacramenti, & non ad valorem; præcipuè cùm Tridentinum, quoties loquitur de integritate Confessionis, loquatur de illa per ordinem ad remissionem peccati, adeòque per ordinem ad effectum Sacramenti participandum. Durando favent Thomistæ ut Sotus, Canus, Cajeta. & alii apud eundem Rosmer, qui censent fore validum sed informe Sacramentum, quamvis aliquis confiteatur cum negligentia mortaliter peccaminosa in examinanda conscientia, hancque sententiam docet Dian. in praxi esse probabilem. Sed hic modus defendendi Sacramenti validi sed informis opponit sese communiori apprehensioni fidelium, integritatem formalem confessionis de essentia Sacramenti ponentium, & à doctis graviter censuratur. Universaliter autem

Dicendum est. *Non posse dari Sacramentum pœnitentiæ, validum sed informe.*

Probatur argumento negativo, quia nullus casus est reperibilis, in quo Sacramentum pœnitentiæ habeat omnia sua essentialia requisita, adeòque sit validum & nihilominùs non producat gratiam. Solennis casus est quo utitur Suarez, Lugo, Perez, dum scilicet pœnitens oblitus alterius mortalis quod habet, dolet de uno, idque dolore qui sit ex speciali motivo nullo modo referibili ad illud aliud mortale. Sed hic Casus intentum non convincit, nego enim illum dolorem esse sufficientem ad valorem Sacramenti, ob infra adferenda. Propositio autem illa; Sufficit dolor eorum mortalium quorum fit confessio, in hoc sensu est vera, si non supponantur alia esse mortalia non dimissa, si autem supponantur, nego quòd ille dolor futurus sit sufficiens. Sed est necesse adferre rationes quæ probent, dolorem illum non fore sufficientem, quamvis fortè sufficeret negare illum esse sufficientem, imponendo onus probandi affirmantibus.

Ratio sit invaliditatis illius doloris ex Trid. S. 14. c. 43. *Sunt* inquit, *quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*; ex qua auth. sic formari potest argumentum. Datur tunc Sacramentum informe. Ergo tunc datur invalidum, quia omne Sacramentum informe pœnitentiæ, est etiam invalidum; quod ipsum Probatur. Sacramentum pœnitentiæ, non habens partes requisitas est Sacramentum invalidum, Sacramentum informe, est Sacramentum non habens partes requisitas; quod ipsum Probatur: quia partes pœnitentiæ hac ratione dicantur esse partes, quatenus requiruntur ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione, quæ tamen tunc non habetur.

Respondet I. Dic. Illum dolorem esse sufficientem etiam ad effectum Sacramentalem; quod si hic & nunc non sequatur effectus id non est propter defectum illius doloris, sed quia ex alio capite ponitur obex & impedimentum ex parte pœnitentis, scilicet aliud peccatum cujus non habet dolorem; quod peccatum si non haberet, ille ipse dolor sufficeret ad effectum Sacramenti.

Contra. Quia quamvis ille dolor aliàs esset sufficiens ad remissionem peccati, sufficit quòd hic & nunc non sit sufficiens, consequenter hic & nunc non est ille dolor requisitus & qui sit pars Sacramenti, quia talis dolor per Tridentinum est requisitus ad remissionem peccati.

Deinde in tantùm illud peccatum est obex, inquantum de illo non doletur. Ergo negatio doloris est impedimentum, contra quod assumebat responsio.

Respondet II. Idem. Falsò assumi, quòd idem dolor, qui est requisitus ad effectum Sacramenti, sit etiam requisitus ad valorem Sacramenti. *Imprimis*, quia si quis ex justa causa aut oblivione reticeret aliquod mortale de quo tamen doluit, propter specialem illius turpitudinem, dolendo etiam de alio peccato, quod confitetur, in hoc casu reciperet gratiam; & tamen dolor prioris peccati, quamvis foret dispositio ad gratiam, non foret tamen pars illius Sacramenti, non esset enim dolor sensibilis, quia non explicatus per confessionem. *Deinde*, sit adultus qui suscipiat Baptismum informem quia non habuit veram attritionem pro commissis ante Baptismum, confiteatur mortalia cum vera attritione, etiam de commissis ante Baptismum, doleat tamen attritione, quæ sit propter speciale motivum, hoc casu, dolor pro peccatis ante baptismum commissis esset dispositio necessaria ut gratia recipiatur, non tamen esset pars Sacramenti. Ergo apparet quòd non idem dolor, qui est requisitus ad effectum Sacramenti, sit etiam requisitus ad valorem ejusdem.

Contra. Quantùm ad primum casum, ille dolor si esset (ut non supponit casus) ex motivo universali, sufficienter redderetur sensibilis etiam confessione aliorùm peccatorum, sed quamvis sit ex motivo speciali adhuc sufficienter manifestabitur, quia ita confitens ostendit implicitè se velle absolutionem, plenam à suis peccatis, nec se velle ex parte sua omittere quidquam eorum, quæ sunt requisita ad Sacramentum, quam voluntatem ostendit illo actu externo confessionis, formaliter integræ: & sicut nutus est virtualis confessio peccatorum, ita & unum peccatum est virtualis confessio reliquorum. Casus etiam secundus rem non convincit, procedit enim argumentum de peccatis vi Sacramenti Pœnitentiæ remittendis, in quo definit Tridentin. Omne illud quod sufficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, sufficere etiam ad hoc, ut Sacramentum sit formatum: quia verò originale non remittitur vi Sacramenti Pœnitentiæ, fit, ut hoc quod est necessarium ad remissionem illius & effectum, possit non esse pars illius Sacramenti.

Responderi potest II. Illo loco Tridentinum agere de dolore per ordinem ad effectum Sacramentalem, de quo solo ibi Tridentinum solicitum fuit.

Contra. Quidquid sit an de hoc solo fuerit solicitum, nihilominùs eam doctrinam quam tradebat complecti debuit ea propositione, quæ vera foret, si accipiatur ut sonat, non obstante absurdo; si autem dicta propositio ut sonat accipiatur, dicit dolorem esse partem pœnitentiæ, inquantùm requiritur & ponitur in ordine ad remissionem peccati, adeòque firmitatem Sacramenti.

Quare autem possint dari alia Sacramenta valida sed informia, inde ratio disparitatis peti debet, quia nullius est definitio Concilii, quod idem sit necessarium ad valorem & ad affectum Sacramenti.

QUÆSTIO III.

Quid Res & Sacramentum in Sacramento Pœnitentiæ.

Præmitto I. *Quid sit Sacramentum tantùm, quid res tantùm, quid res simul & Sacramentum in Sacramento pœnitentiæ?* Putant aliqui hos terminos usurpatos primùm à quodam. Algero lib. 1. de Euch. c. 5. & 11. horum verborum meminit Gratianus sub nomine S. August. & Algerus dicto loco, non sensu Scholastico, sed nomine rei & Sacramenti usurpat aliquid ad præsens institutum non conveniens. Sed primùm in sensu Scholastico usurpavit hos terminos Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 8. c. 7. jam autem sensus trium illorum terminorum hic est. Nomine *Sacramenti tantùm* venit signum tantùm seu quod significat & non significatur; significare autem sacramentaliter, est producere Sanctitatem. *Res tantùm*, est id quod significatur & producitur in Sacramentis & non significat. *Res & Sacramentum* est, quod & significat & significatur; sed de hoc actum in materia de Sacramentis in communi.

Præmitto II. *Res tantùm Sacramenti pœnitentiæ non est difficultas quòd sit gratia. Sacramentum tantùm sunt actus pœnitentis externi, & forma absolutionis, ut etiam expressè docet S. Th.* & quia hæc tantùm significant & non significantur. Sed tota difficultas est, quid in Sacramento pœnitentiæ sit res & Sacramentum.

Præmitto III. *Immeritò posse aliquem negare, quòd in aliis Sacramentis non detur aliquid quod sit res & Sacramentum*; nam imprimis in Sacramentis imprimentibus characterem, res & Sacramentum est character, in Sacramento Extremæ Unctionis statuunt aliqui rem & Sacramentum sanitatem corporalem, sed hoc falsum est; quia hæc non omnibus contingit; potiùs itaque assignatur unctio interna, seu corroboratio adversus morbos corporales & tentationes agoniæ. In Sacramento autem matrimonii res & Sacramentum censetur esse vinculum matrimoniale, significans unionem CHRISTI DOMINI cum Ecclesia, & Verbi cum natura humana, significaturque manifestatione consensûs. In Eucharistia autem res & Sacramentum est corpus & sanguis CHRISTI DOMINI, nam & significat gratiam nutritivam, & significatur à speciebus.

Nunc

Nunc videndum quid sit res & Sacramentum in Sacramento pœnitentiæ.

Explicat I. Lugo d. 2. de Sacramentis n. 166. quod sit pax & serenitas conscientiæ. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia Tridentinum, quod pro se adducit, non agit de hac serenitate conscientiæ quasi de re & Sacramento, sed nonnisi sicut de aliquo consequenti, idque interdum. Tum quia si nihil obsit necesse est assignare tale Sacramentum & rem, quod non sumpto cum obice Sacramento, infallibiliter conjungatur positioni Sacramenti, sicut etiam infallibiliter conjungitur res Sacramenti, cùm Sacramentum, utpote causa necessaria, æquè ponere natum sit rem Sacramenti, atque rem & Sacramentum; jam autem serenitas illa in sumentibus, etiam sine obice, non reperitur. Tum quia rem & Sacramentum volunt invenire Theologi vel in ipsis partibus intrinsecis Sacramenti, vel in ipsis quæ simul cum Sacramentis sunt, talis autem non est serenitas quæ nec est pars Sacramenti, nec semper, sed interdum consequitur Sacramentum pœnitentiæ.

Explicat II. Dic. quòd res & Sacramentum, sit dolor quatenùs significat & significatur; significat quidem gratiam, quæ in Sacramento confertur, significatur verò per confessionem, quia confessio debet esse dolorosa. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia ille dolor non significatur Sacramentaliter, sic enim significari est significari & causari, & si cum gratia significatur ab absolutione & confessione significatur & causatur, sed ille dolor non significatur simul, ita ut causetur, supponitur enim jam in ante præcessisse, & causâsse confessionem dolorosam. Tum quia hanc significationem Sacramentalem accipit dolor ab institutione Christi Domini, ut dicit Dic. sed non ostendit quomodo mediante aliquâ parte Sacramenti, ad eam causandam instituta, significetur, quod tamen ostendi debuisset: sicut gratia quæ est res Sacramenti, propter institutionem Christi Domini significatur à partibus Sacramenti, sed & causatur. Tum quia circa ignota optimè discurritur proportionaliter ad notiora, cùm ergo notissimus sit character quòd sit res & Sacramentum in Baptismo v. g. & cùm ita significetur character ut producatur, idem in præsenti dicendum erit, alias dabitur ansa arbitrariè statuendi rem & Sacramentum.

Explicat III. Caj. Per. Soto & alii, Dolorem, inquantùm augetur beneficio confessionis & absolutionis, esse rem & Sacramentum.

Non Satisfacit. Quia non necessariò id connectitur Sacramento pœnitentiæ, sæpè enim etiam in sumentibus sine obice non augetur hic dolor, nec sufficit quod augeri possit quantùm est ex Sacramento, quia in aliis Sacramentis, non sufficit ut res & Sacramentum, quantùm est ex vi Sacramenti, poni possit, sed est necesse ut ponatur. Quod autem dicit Suarez, Contritionem inquantum sit meritoria de condigno, esse rem & Sacramentum, id non convincit; quia formalitatem meritoriæ de condigno habet ex statu gratiæ, & non à partibus Sacramenti, quæ deberent & significare & causare rem & Sacramentum.

Explicatur aliter. Quòd scilicet res & Sacramentum pœnitentiæ, sit Contritio, seu ut loquitur S. Thom. q. 84. art. 1. ad 3. Pœnitentia interior peccatoris, quæ in quantum significat gratiam Sacramentalem, fit Sacramentum, in quantum autem accipit vim causandi gratiam ex opere operato ponibilem, ab aliis partibus pœnitentiæ Sacramenti, erit res. Est sententia Valentiæ, & sic ulterius enodatur. Omne illud quod est pars Sacramenti, necessariò debet habere vim causandi gratiam ex opere operato, neque enim in oppositum est ratio vel authoritas; quia verò pœnitentia interior per se sensibilis non est, consequenter nec per se est Sacramentum, quod debet esse signum sensibile; si per se Sacramentum non est, debet per aliud constitui & reddi sensibile, si per aliud redditur sensibile, per aliud redditur sensibile, per aliud redditur Sacramentum; si per aliud redditur Sacramentum, per aliud redditur causativum gratiæ ex opere operato: nam Sacramenta in lege nova sunt causativa gratiæ, loquendo de iis quæ simul habent rationem partium; nam character legaliter non causat gratiam; si pœnitentia interior per aliud redditur causativa gratiæ, ratione hujus erit res & simul Sacramentum; res, propter acceptam vim causandi gratiam ex opere operato: & Sacramentum, quia significat gratiam; Hæc sententia in hoc concordat cum sententia Dicast. quia utraque recurrit ad dolorem; sed differt in modo explicandi, quî illi dolori competat esse rem.

Probatur I. Bonitas explic. auth. S. Th. cit. quorum primum (supple Sacramentum tantum, scilicet actus externi pœnitentis & Ministri) totum simul sumptum, est causa secundi (supple ejus quod est res & Sacramentum, hoc est, pœnitentia interior peccatoris) primum autem & secundùm sunt quodammodo causa tertii (supple remissionis peccati) ubi ut vides S. Thom. agnoscit causari dolorem internum à Sacramento tantum.

Probatur II. Quia hæc explicatio salvat id quod in aliis sententiis difficultatem habet, salvat enim quomodo infallibiliter Sacramento res & Sacramentum annectatur: si enim non potest esse Sacramentum pœnitentiæ sine dolore, hoc ipso non potest esse sine re & Sacramento,

salvat idem quî ab actibus externis pœnitentis & Ministri significetur Sacramentaliter dolor internus, quia ita sign ficatur ut simul causetur, accipiendo vim causandi gratiam, ex opere operato.

PROBATUR III. Quia si Lugonem demas, omnes in statuendo eò quod sit res & Sacramentum Sacramenti pœnitentiæ, recurrunt ad pœnitentiam internam, cùm S. Thom. Ergo cùm sub aliis formalitatibus non sit res & Sacramentum, sub explicata formalitate erit.

OBJICI. Dic. Ille dolor est materia Sacramenti, ergo non est res & Sacramentum.

RESPONDETUR. In re idem esse & materiam Sacramenti, & rem & Sacramentum; distingui tamen formaliter, nam inquantùm sumitur cum formalitate indifferentiæ ut sit in hoc vel illo composito, & inquantùm exercet rationem subjecti, habet formalitatem materiæ, inquantùm autem significatur & causat ex opere operato, habet formalitatem rei & Sacramenti.

INSTAT. Ablutio in Baptismo non est res & Sacramentum. Ergo etiam in præsenti pœnitentia interior.

RESPONDETUR. Negatur Consequentia, quia ablutio est sensibilis nec indiget fieri per aliud sensibilis; hinc non potest significari, sed significat, adeòque jam non potest habere rationem rei & Sacramenti, cùm non possit habere rationem rei. Quòd si non significatur Sacramentaliter non poterit causari, quia significare Sacramentaliter est causare: & sic de similibus; pœnitentia autem interior, cùm non sit sensibilis, potest fieri sensibilis per aliud, adeòque significari, & quidem significatione Sacramentali, consequenter & habere formalitatem rei & Sacramenti.

NOTO. Condistincta hæc esse, una pars Sacramenti ab alia accipit vim causandi gratiam, &, una pars sine alia, non potest causare gratiam; nam una Præmissa sine alia non potest inferre Conclusionem, materia sine forma constituere compositum, & tamen una Præmissa ab alia non accipit vim causandi Conclusionem, nec materia vim causandi compositum: quorum omnium hæc ulterior ratio est; quia accipere ab alio vim, notat influxum unius in aliud, non posse autem causare sine alio, non plus importat, quàm quòd illud non sit causa totalis saltem in omni genere. Porrò v. g. absolutio non accipit vim producendæ gratiæ à Confessione externa, sed solùm non potest illam causare sola, & è contra; jam verò contritio accipit vim causandi Sacramentaliter gratiam ex opere operato, quia sic causare est causare per modum signi sensibilis, & cùm contritio reddatur sensibilis ab actibus confitentis & pœnitentis, ab iisdem etiam accipit vim causandi.

OBJIC. II. Lugo. Per dicta non causatur propriè contritio ab aliis partibus, sed solùm ex conjunctione aliarum partium accipit denominationem partis actualis.

RESPONDETUR. Omninò contritionem accipere vim causandi à prædictis, quia ab illis redditur sensibilis, & nisi redderetur sensibilis, non causaret gratiam.

INSTAT. Eodem jure appellari posse attritionem in Sacramento Baptismi rem & Sacramentum.

RESPONDETUR. Negando, quia attritio quæ est per omnes nonnisi dispositio in Sacramento baptismi, non est productiva gratiæ baptismalis, cùm non constet de illa elevatione; jam autem constat de elevatione interioris pœnitentiæ ad causandam gratiam pœnitentialem; cùm constet diverso respectu illam esse partem, & non sit ratio, cur una potiùs pars Sacramenti causet gratiam & non alia. Rursùs cùm constet characterem esse rem & Sacramentum, non est quærendum quidquam aliud; in præsenti autem pro re & Sacramento, nequidquam commodius adferri potest.

INSTAT II. idem. Pœnitentia interior non significatur Sacramentaliter & ex Christi Domini institutione per confessionem, sed potiùs ex natura rei & ex hominum institutione; & sicut consensus internus in matrimonio, intentio item suscipiendi, non sunt res & Sacramentum; ita nec in præsenti erit pœnitentia interior, præcipuè cùm significatio Sacramentalis sit significatio per quam Christus Dominus aliquid occultum vult nobis significare; Christus Dominus autem per Confessionem, non significat nobis contritionem, seu ipse pœnitens est, qui eam significat.

RESPONDET Dicast. retorquendo argumentum; nam ly absolvo te à peccatis significat Sacramentaliter, & tamen ex institutione hominum illa ipsa verba significant peccatorum remissionem; & ly: Hoc est corpus, & ex Christi Domini, & ex hominum institutione, significat corpus.

Neque valet si recurras, quòd iis formis significetur aliquid occultum, nam etiam pœnitentia interior & ipsa est occulta & significat aliquid occultum, nempe gratiam Sacramentalem.

Ad idem argumentum dici potest, quòd non obsit ut aliquid significet ex natura rei, & tamen idem assumatur ad significandum Sacramentaliter, ut patuit instantiis adlatis: tunc autem significans ex natura rei, significabit Sacramentaliter, quando assumetur ab institutore Deo ad significandum, & simul producendum ex opere operato id quod significatur, aut ad minimum ad causandam utcunque sanctitatem, ad causandam inquam utcunque, quia v. g. character legaliter non producit gratiam, confert tamen aliquam sanctitatem, adeòque causat in genere causæ formalis.

Quod autem dicit inde sequi, consentium in matrimo-

matrimonio, esse rem & Sacramentum, id concedunt non pauci; non incommodè se tuentur, qui dicunt vinculum indissolubile esse rem & Sacramentum, quia res & Sacramentum debent significare conjunctionem cum Christo Domino & Ecclesia, item conjunctionem personæ verbi cum natura humana, quæ conjunctio commodius significatur vinculo indossolubili. Intentio etiam (quod urgeri solet) non est Res & Sacramentum, quia ad nihil aliud requiritur, nisi ut suscipiens dicatur humano modo operari, nec apparet quam de se sanctitatem causet, adeoque non habebit rationem significantis Sacramenta, quia nec rationem causantis; si autem intentio non habebit rationem significantis, nec habebit rationem Sacramenti, consequenter nec erit Res & Sacramentum.

Instabis III. Immeritò assumi, quòd significare Sacramentaliter sit causare, quia à verbis & speciebus significatur corpus Christi Domini, nec tamen causatur.

Respondetur. Causari corpus Christi Domini à verbis, nam vi verborum reproducitur, aut saltem ponitur Sacramentaliter. Major est difficultas de speciebus, sed illis saltem hoc debetur, quòd pendeat ab illorum conservatione conservatio corporis Christi Domini Sacramentalis, causantque ut dicatur esse Christi corpus per modum cibi in Eucharistia.

Objic. III. Non apparet quî illa contritio accipiat vim causandi gratiam Sacramentalem, potest enim non durare tunc jam, cùm producitur gratia.

Respondetur. Qui dicunt in Sacramento pœnitentiæ à partibus ejusdem non produci gratiam physicè, sed moraliter nullam habent difficultatem; poterit enim causare gratiam illa pœnitentia interior, etiam cùm non est; qui autem admittunt causalitatem physicam, dicent ægrè fieri posse, ut sit confessio, & non maneat dolor physicè, quāvis leviusculus, cùm confessio, quæ tunc fit, non sit sola Historica narratiuncula, & tandem recurri deberet ad qualitatem spiritualem, ad quam Deus producendam elevat contritionem, prævisâ secuturitione absolutionis, & confessionis, aut aliis modis quæ explicantur, ubi de causalitate Sacramentorum.

TRACTATUS III.

ET

DISPUTATIO VII.

Moralis

Hæc quæ in publicis Lectionibus Moralia, in hac Materia dictavi, aliàs uno in volumine si Deo cordi fuerit dabuntur, titulo hîc methodi causâ præfixo.

Et hæc de Pœnitentia dixisse suffecerit, cujus faciendæ in hac vitâ nullus finis.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b. M.

INDEX
PRIMUS TITULORUM.

TRACTATUS I.
DISPUTATIO I.

DE Genericis prædicatis pœnitentiæ virtutis. 5
QUÆSTIO I. An Pœnitentia sit virtus? 7
Difficultas I. Defenditur Pœnitentiam esse virtutem. ib.
Difficultas II. Solvitur principalis objectio. 8
Difficultas III. Solutio aliarum objectionum. 11
Punctum Difficultatis 1. Supponuntur quædam ad hunc actum: *vellem non peccasse*, explicandum. 14
Punctum Difficultatis 2. Explicatur Natura hujus actus: *vellem non peccasse.* 16
Punctum Difficultatis 2. Sensus ejusdem actus ab aliis adlati, impugnantur. 17
QUÆSTIO II. *De Specialitate Ordineque Pœnitentiæ virtutis; &, An illa sit de linea Justitiæ.* 19
QUÆSTIO III. *An Pœnitentia sit virtus Theologica?* 21

DISPUTATIO II.

De differentia Pœnitentiæ virtutis. 23
QUÆSTIO I. *De Objecto formali Pœnitentiæ.* ibid.
Difficultas I. An æqualitas vel Inæqualitas ad jus Divinum sit objectum formale Pœnitentiæ virtutis? ibid.
Difficultas II. Utrum Formale Pœnitentiæ, sit Bonum Pacis cum Deo? vel Compensatio? 25
Solvuntur objectiones. 28
Difficultas III. Quodnam sit Objectum Formale Pœnitentiæ? 30
Punctum Difficultatis 1. Præmittuntur aliqua. ib.
Punctum Difficultatis 2. Quid tenendum? 32
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur objectiones. 33
QUÆSTIO II. *De objecto materiali Pœnitentiæ.* 37
Difficultas I. Præmittuntur quædam & inferuntur. ib.
Difficultas II. Peccatum Habituale & Reatus pœnæ: Imperfectiones, suntne Materiale Objectum Pœnitentiæ? 38
Difficultas III. An actus materialiter malus sit materiale objectum Pœnitentiæ? 40
QUÆSTIO III. *An peccata aliena sint Objectum Materiale Pœnitentiæ.* 42

DISPUTATIO III.

De Objecto remoto Pœnitentiæ seu de peccato Remissibili. 45
QUÆSTIO I. *De Mediis Remissionis Peccati.* ib.
Difficultas I. An sine ullo actu Peccatoris possit remitti peccatum? ibid.
Punctum Difficultatis 1. Proponuntur argumenta affirmantis sententiæ? ib.
Proponuntur reliqua argumenta. 48
Punctum Difficultatis 2. Proponuntur argumenta sententiæ negativæ. 52
Punctum Difficultatis 3. Deciditur quæstio. 54
Punctum Difficultatis 4. Probatur ulterius & defenditur conclusio. 58
Punctum Difficultatis 5. Solvuntur Objectiones. 61
Difficultas II. Infusio Gratiæ sit medium necessarium Remissionis Peccati? 64
Continuatur Probatio. 66
Punctum Difficultatis 1. Solvitur Principalis objectio. 68
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur instantiæ pro eadem objectione factæ. 71.
Punct. Dif. 3. Objectiones reliquæ solvuntur. 73
Difficultas III. De Medio abolendi peccata, quod est favor Dei vel condonatio extrinseca. 73
Punct. Dif. 1. An Condonatio Dei sit Medium necessarium abolendi Peccati? 75
Solvuntur reliquæ Objectiones. 76
Punctum Difficultatis 2. An secluſa condonatione Dei possit stare peccatum cum Gratia? 79
Solvuntur Objectiones. 83
Punctum Difficultatis 3. De objecto voluntatis condonandi. 85
Difficultas IV. Applicatio dictorum ad remissionem venialium. 88
Difficultas V. De aliis modis remissionis venialium. 90
Quod attinet ad Sacramenta. 94
QUÆSTIO II. *De Termino Remissionis seu de eo quod remittitur.* 95
Difficultas I. Quid sit peccatum Habituale apud alios? 97
Difficultas II. Quid sit peccatum Habituale in nostra sententia? ibid.
Solvuntur Objectiones. 99
Difficultas III. De Remisione Peccati Actualis. 102
QUÆSTIO III. *De oppositis peccati Remissibilis.* 105

DISPUTATIO IV.

De Actibus Pœnitentiæ. 110
QUÆSTIO I. *De actu Pœnitentiæ imperato qui est Contritio.* 110
Diff. I. De Contritione per ordinem ad Justificationem. ibid.
Punctum Difficultatis 1. Proponuntur argumenta sententia negantis. ibid.
Solvuntur argumenta à ratione petita. 113
Punctum Difficultatis 2. Proponuntur argumenta sententiæ Affirmantis. 117
Punctum Difficultatis 3. Quid sit sentiendum de tota difficultate. 120
Solvuntur objectiones. 122
Difficultas II. De Contritione secundùm se. 125
Punctum Difficultatis 1. Præmittuntur aliqua. ib.
Punctum Difficultatis 2. An Contritio debeat esse super omnia? 126
Punct. Difficult. 3. An sit possibilis casus in quo eligi potius debeant pœnæ inferni quam peccatum? 128
Difficultas III. De Contritione comparative ad varia peccata. 130
Punct. Difficultat. 1. Quid sit sentiendum de detestatione circa peccata inter se comparata? ibid.
Punct. Difficultatis 2. Quid sit sentiendum de Destatione majoris & minoris peccati mortalis? 131
Punct. Difficult. 3. De Detestatione peccati levis proprii comparativè ad gravius alienum. 132
QUÆSTIO II. *De actu Imperato qui est Attritio.* 134
Punct. Difficultatis 1. Quid? quotuplex, & qui se habeat? ad Justificationem Attritio. ib.
Punct. Difficult. 2. Quid sentiendum de Motivis Attritionis? 136
Punct. Difficult. 3. Quid sentiendum de Honestate Universalitate & Permanentia Attritionis? ibid.
QUÆSTIO III. *De Actibus pœnitentiæ eliciris.* 138

DISPUTATIO V.

De effectis & subjecto Pœnitentiæ virtutis. 140

QUÆ-

R. P.
TH. MILOD
Tom. 3. et 4.
D. VI
6

QUÆSTIO I. *De effectis Pœnitentiæ circa reviviscentiam demeritorum & meritorum.* 140
Difficultas I. De effectu qui est irrevocabilitas peccati. ibid.
Diffic. II. Notantur, aliqua ad solvendas Objectiones. 143
Ad solvendas Object. Dicastillo. 144
Ad solvendas Objectiones alias. ib.
Difficultas III. De effectu qui est Reviviscentia meritorum. 145
Aliorum rationes, Cur redeant merita, non peccata? ib.
QUÆSTIO II. *De effectu Pœnitentiæ qui est Satisfactio pro pœna.* 148
QUÆSTIO III. *De Subjecto Pœnitentiæ.* 150
Solvuntur Objectiones. 152

TRACTATUS II.

De Pœnitentiæ Sacramento.

DISPUTATIO VI.

De iis quæ Speculativè magis in hac materia scienda. 155
QUÆSTIO I. *De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ.* 157
Difficultas I. An peccata sint pars compositiva Sacramenti Pœnitentiæ? ibid.
Difficultas II. De Parte Sacramenti Pœnitentiæ quæ est Forma. 160
Punctum Difficultatis 1. Quibus verbis essentialiter fiat forma absolutionis? ib.
Solvuntur Objectiones. 164
QUÆRES I. An sola verba Absolvo te, concurrant ad effectum Sacramenti, ita ut ly à peccatis quamvis apponatur, non causet gratiam? 165
QUÆRES II. An forma Pœnitentialis debeat deprecatorio sensu proferri? 167
QUÆRES III. An sit valida Absolutio prolata in sensu imperativo? ib.
Punctum Difficult. 2. Quis sensus Formæ Absolutionis. ibid.
Punctum Difficultatis 3. An verificetur forma circa peccata remissa. 169
QUÆSTIO II. *De ipso toto Sacramenti Pœnitentiæ.* 171
QUÆSTIO III. *Quid Res & Sacramentum in Sacramento Pœnitentiæ.* 172

INDEX II.

CONCLUSIONUM.

DISPUTATIONE I.

Explicantur prædicata Generica Virtutis Pœnitentiæ Disp. 1.

QUid est ut sic naturam rei explicare, Quot modis explicati potest.

Quomodo se habet anima in formando conceptu naturæ rerum, Applicantur prædicta ad præsens institutum.

Pœnitentia est virtus, Unde & hic actus, vellem non peccasse, est actus virtutis, Supponiturque quòd possint dari aliqui actus voluntatis conditionati, Supponitur item quomodo se habeat voluntas, dum intendit aliquid sub conditione, quæ etiam circa impossibilia non potest versari, nisi per actum conditionatum, Explicatur natura hujus actus, vellem non peccasse sensus ab aliis dati hîc impugnantur.

Pœnitentia non est specialis virtus in causando Disp. 1. Est tamen specialis in essendo & si sumatur pro pœnitentia infusa, est simplex qualitas.

Potest dici pœnitentia nullo modo respiciens Deum, Disp. 1. & ea quæ respicit Deū potest esse in Entitate naturalis, sed ea quæ est sicut oportet ad salutem, est semper supernaturalis.

Pœnitentia Theologica non est virtus Justitiæ Rigorosæ, Disp. 1. Imò ex vi motivi non importat clarè, etiam latiori modo sumptam justitiam, licèt illam importet implicitè ita tamen ut non revocetur ad Distributivam, sed potiùs ad Commutativam. Pœnitentia non est virtus Theologica ut sic sumpta, ne pro connotato quidem importat aliquid Divinum, Theologicè tamen accepta importat Deum pro connotato.

DISPUTATIONE II.

De Differentia Pœnitentiæ virtutis.

Nec actuum prosecutionis æqualitas nec actuum fugæ inæqualitas ad Jus Divinum, est objectum formale Pœnitentiæ Disp. 2. nec bonum pacis cum Deo, nec bonum compensationis.

Ut explicetur objectum formale Pœnitentiæ, Præmittitur illud assignari non posse, nisi per prædicatum importans formalitatem peccati destruendi, Quæ plures sunt, præcipuè formalitas offensæ, injuriæ, peccati, sunt hæ formalitates distinctę, sed priores duæ non sunt primo essentialiter constitutivæ peccati; hoc primoessentialiter constitutivum, est dissonantia ad naturam Intellectualem. Hinc Pœnitentia Theologica pro formali Actuum fugæ dicit dissonantiam Actuum Deo, prout natura intellectualis est, Formale autem actuum prosecutionis est consonantia actuum ad Deum, Est autem ista dissonantia ultimare non dissonantia ad dictamina rationis, sed ut dictum, dissonantia ad naturam intellectualem.

Considerando Objectum materiale Pœnitentiæ

tentiæ advertendum, quod virtutum moralium Objectum non sit Actio ut sic honesta, licet debeant assignari Actiones per modum unius, Disputatione 2.

Hinc & Pœnitentiæ Objectum materiale erunt Actiones honestæ sub formali supra explicato, Actuum autem fugæ non est objectum materiale ipsa fuga intentionalis, Licet Pœnitentia accepta pro principio elicitivo actuum respiciat Actiones tanquam tationem. Quo fugiendi ipsum peccatum, Sed Objectum materiale Pœnitentiæ quoad actus fugæ est omne illud, quod potest terminare actum retractationis, doloris, detestationis: Unde mortale & veniale peccatum erunt materiale Objectum Pœnitentiæ, Originale autem, licet terminare possit actum Detestationis, non tamen Retractationis.

Peccatum Habituale inquantum dicit actionem peccaminosam quæ præteriit, & insuper conservationem sui in voluntate non retractante, fundat Actum & Detestationis & Retractationis, Sed non inquantum dicit Negationem Condonationis à Deo, Quanquam etiam prout dicit Negationem Condonationis posset fundare actum Retractationis conditionatæ, inquantum verò dicit negationem Abolitionis ponendæ à Creatura, in tantum cadit sub Retractationem absolutam.

Pœnæ Satisfactoriæ diverso respectu sunt Objectum Prosecutionis, diverso respectu Fugæ, reatus autem Pœnæ, accipiendo eum pro debito subeundi pœnas, est Objectum Fugæ & Detestationis. Sed accipiendo reatum pro vindicativa. seu ira Dei, quàm meretur homo, non est absolutè dicendum, quòd sit Objectum Detestationis.

Imperfectiones negativę non sunt ullo modo Objectum Fugæ Pœnitentialîs, Imperfectiones tamen positivæ, sunt quidem Objectum, sed nonnisi mediatum.

Actus materialiter malus quantumvis fiat sine advertentia ad turpitudinem Theologicè sumpti peccati, est adhuc Objectum materiale Pœnitentiæ radicaliter, Non tamen ultimo completum, Cæterùm peccata aliena sunt simpliciter Objectum materiale ejusdem.

DISPUTATIONE III.

De objecto remoto Pœnitentiæ, seu peccato remissibili.

De medio remissionis peccat, quod est Actus proprius, Disp. 3. Supponitur Conversionem Creaturæ ad Deum significare actum vitalem Creaturæ rationalîs Disp. 3. Unde etiam aliud est Deum esse conversum ad Creaturam, & aliud, Creaturam esse conversam ad Deum, Imò hæc duo à se seperari possunt, Licèt ad justificationem completam utrumque requiratur. His suppositis

Possibile est peccatum quod sit impossibile actu remitti sine ullo actu peccatoris, Justificatio tamen sumpta pro sola conversione Dei ad Creaturam potest haberi sine omni actu peccatoris, Licèt sumpta pro conversione peccatoris ad Deum sine omni actu haberi non possit.

Aliud medium remissionis peccati est infusio gratiæ. Disp. 3. quæ quidem remissio peccati & justificatio accepta pro constitutione intrinseca in esse filii adoptivi, impossibile est ut perficiatur sine infusione gratiæ.

Licet prout supponit pro se ipsa, hoc est pro mera condonatione offensæ, infusionem gratiæ non requirat.

Denique medium abolendi peccati est favor Dei Disp. 3. Et licèt connaturaliter pugnent inter se gratia & peccatum, licet item gratia independenter ab omni acceptatione dicat radicalem bonitatem vi cujus meretur condonationem peccati, cum quo dicit oppositionem suo modo Physicam, ita ut pro nullo instanti reali stare secum possit, nihilominus gratia indiget ultimò compleri in ratione formæ abolitivæ peccati, per favorem Divinum, consequenter condonatio Divina extrinseca est medium necessarium abolendi peccati, quâ seclusâ possent de potentia absoluta secum stare peccatum & gratia.

Voluntas condonandi, non est voluntas effectiva destruendi titulum, ortum ex peccato, ut peccatorem Deus odio habeat, quæ ipsa voluntas condonandi transitivè accepta habeat, pro objecto voluntatem condonationis, quasi in actu secundo positam, licèt inquantum est voluntas statuendi hominem in esse Filii Dei, habeat pro objecto infusionem gratiæ, inquantum autem habet pro objecto destructionem peccati, habet aliquomodo seipsam pro objecto.

De remissione venialium loquendo, potest illud remitti per solam attritionem, Disp. 3. Sed extra confessionem non aufertur veniale, per quodcunque opus bonum, si fiat sine intentione satisfaciendi pro veniali, ad illud tamen tollendum sufficit dolor virtualis, Gratia non habet formalē oppositionem cum veniali. Singulis Sacramentis inest vis remittendi venialia, & per illud ex opere operato auferuntur, qui remittuntur venialia post hanc vitam.

Terminus remissionis, seu id quod remittitur pœnitenti sicut oportet, est peccatum sive illud sit habituale, sive actuale, per alios, Disp. 3. Quod ipsum habituale non rectè, per hoc explicetur, quòd sit ipsum actuale præteritum, & privatio gratiæ. Nec est ipsum actuale moraliter perseverans, in ordine ad reddendum Deum rationabiliter aversam ab homine, Accipiendo habituale peccatum pro præterito, adhuc suo modo permanente, hoc sensu impossibile erit concipere peccatum habituale, sine actione transacta, Licèt non dicat sol actionem transactam, sed in se importabit conservationem

nem sui, quæ conservatio, licèt per se conveniat præsentibus, tamen per accommodationem convenit etiam præterito. quæ conservatio in hoc stat, ut vi illius id quod præterit, ita se habeat, acsi non præteriisset, Sed illud acsi non præteriisset, non habet peccatum præteritum ratione suæ entitatis, sed ratione alicujus sui, nempè causarum sui conservativarum, quæ causa conservativa à parte creaturæ est voluntas mala, moraliter adhuc avertens à creatore, quæ moraliter durans aversio, stat in morali disordinatione voluntatis contracta ex peccato præterito, ad quam sequitur negatio retractationis, ex parte autem Dei conservativa causa illius præteritionis, est moralis fundatio juris, quod Deus habet, ad indignari ob peccatum, cui fundationi juris, adnectit postea Deus negationem condonationis, ad quam conservationem respondet conservatum, ut quidam effectus, nempe ipsum habituale peccatum, quod definitivè est actio peccaminosa præterita, habens rationem præsentis adeoque ejus, quod cùm præterierit, habet se, quasi non præterierit.

Probabilius est quod peccatum actuale in instanti, in quo fit remitti, non possit in & pro eodè instanti, Disp. 3. Licèt possit fieri peccatum, quod cum fit, careat ratione offensæ, non datur certus cumulus peccatorum, quo impleto, non possit jam peccator pœnitentiam agere. Nec est possibile peccatum, quod naturâ suâ exigat, ne sit remissibile.

DISPUTATIONE IV.

De actibus Pœnitentiæ.

Duplices sunt actus Pœnitentiæ, imperati, & eliciti, Disp. 4. Inter actus imperatos est contritio. Quòd illa non sit forma justificans, probant auctores, Accipiendo sanctitatem pro forma supernaturali formaliter depulsiva peccati, contritio & amor Dei sunt sanctitas formalis. Sed sumpta sanctitas formalis pro speciali participatione naturæ Divinæ, illa non habetur, nisi à gratia, Contritio interdum sumitur genericè interdum specificè, Contritio specificè accepta dicit pro motivo Deum summè bonum offensum, Non debet autem contritio esse super omnia intensivè, sed debet esse super omnia appretiativè, Possibilis est casus, in quo eligi debeant potiùs pœnæ inferni quàm peccatum, Si comparentur mortalia inter se ratione offensæ, non est magis unum detestabile præ alio. Si autem comparentur in ratione malitiæ, majus est magis detestabile, minori, Major autem detestatio unius peccati præ alio non commodè explicatur per hanc conditionalem, quia si committendum esset alterutrum ex illis, potius admittendum esset minùs mortale, Commodiùs ergo explicabitur sic; utrumque hoc peccatum est, utrumque detestor, sed simul judico non esse æqualem malitiam singulorum, proportionoque meam detestationem prælucenti intellectui in ostendenda majoritate malitiæ, Ex duobus peccatis, debet eligi minùs mortale. Eligendo minus peccatum non peccat illo minori peccato, quamvis habeat conscientiam, quod illud agendo peccet, Ex tribus autem colligitur, quòd aliqua actio non sit peccaminosa, Si in perplexitate unum peccatum præ alio non appareret majus, quæcunque pars licitè eligi posset, Si spectetur præcisè exigentia motivi specificantis contritionem, & meritum objecti, magis est detestabile peccatum grave, quantumvis alienum, quàm verbum otiosum proprium, Accipiendo tamen Charitatem pro principio conjungendi amantis cum amato, magis debeo detestari proprium levius, quàm alienum gravius, Possibilis est casus, in quo Cajus, vel peccare deberet venialiter, vel incurrere peccatum grave in aliena voluntate.

Actus imperatus qui est Attritio, non rectè explicatur quod sit illa detestatio peccati, quæ hominem ad gratiam suscipiendam disponit ex se insufficienter, cum Sacramento sufficienter, Nec rectè sic, quod attritio sit dolor, qui perfectionem contritionis non habet, Sed definitivè attritio est dolor de peccatis ob metum gehennæ, vel pœnarum, vel turpitudinem peccati conceptus, Unde triplex est attritio secundùm motivum, cum sacramento est sufficiens sola attritio justificationem, Attritio facta ex motivo, pœnarum temporalium potest esse sufficiens cum Sacramento ad delenda mortalia, quando pœnæ temporales referuntur ad Deum, Dolorem de peccato ob metum pœnæ temporalis nullo modo relatæ ad Deum, probabilius est, non esse sufficientem, Attritio elicita propter metum inferni est actus honestus. Motivum Attritionis, licèt non præsenti ordine sit universale; non tamen est universale pro omni eventu, Diverso respectu Attritioni ante confessionem elicitæ convenit permanentia moralis, diverso respectu non convenit, Inter cæteros suos Actus elicitos, Pœnitentia elicit dolorem de peccatis.

DISPUTATIONE V.

De effectis & subjecto Pœnitentiæ virtutis.

Effectus Pœnitentiæ, qui est irrevocabilitas peccati, est sic, ut dimissa culpa nunquam redeat, quamvis fuerint Doctores qui oppositum senserunt, Disp. 5. Accipiendo autem reditum peccatorum pro reassumptione juris ad offensam, potest fieri ut Deus condonet peccatum, sub certa conditione, ita ut si illa non impleatur, reassumat Deus jus offensæ, Sumendo reditum peccatorum pro eo, quod peccator quoad se, ita se habeat formaliter, ac se habuit, antequam non retractâsset peccatum, seu antequam

non

non fuisset sublatum peccatum in hoc sensu, posito uno peccato, non possunt redire alia.

Probabilius est, quòd si Deus prohiberet aliquod peccatum, sub pœna non statim assumendi odii, sed suspendendi usque ad certum tempus, quo elapso, deberet tum primum incipere irasci Deus, tali modo non posse redire peccata.

In materia de reviviscentia meritorum, quis status quæstionis? Disp. 5. cur non reviviscant peccata.

Effectus Pœnitentiæ, satisfactio pro pœna Disp. 5. solané opera pœnalia sunt satisfactiva, Pura creatura possetné satisfacere pro pœna æterna, Potest remitti de potentia absoluta culpa, & non remitti pœna æterna.

Datur subjectum Pœnitentiæ & remotum & proximum Disp. 5. Accipiendo Pœnitentiam sub nomine Pœnitentiæ, & prout dicit respectum ad peccatum proprium, sic sumptæ pœnitentiæ, non datur Habitus in Christo, nec datur habitus Pœnitentiæ, absolutè consimilis nostro, licèt detur aliquomodo similis.

DISPUTATIONE VI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Datur Sacramentum Pœnitentiæ, Disput. 6. Dupliciter spectari potest, stat essentialiter materiâ & formâ. Partes ejus essentiales materiales, sunt Contritio, & Confessio, sed non satisfactio.

Peccata non sunt pars compositiva Sacramenti Pœnitentiæ.

Requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ verba propriè dicta, Forma absolutionis, essentialiter stat istis verbis, Absolvo te Paritas tamen ducta ex eo, quòd non sit necesse in forma Absolutionis ponere ly à peccatis, consequenter quòd non sit necesse ponere ly Te, difficultatem facessit, solvi tamen potest, ly à peccatis, quamvis apponatur, non causat gratiam, Tenetné forma prolata deprecatorio sensu, aut imperativo. Quis sensus Formæ absolutionis, Quomodo verificatur ly à peccatis, casu quo fiat absolutio ab uno nonnisi veniali.

Verificatur etiam Forma circa peccata remissa. Non potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum sed informe, Posito qiud sit Sacramentum tantum, quid res tantum, quid res simul & Sacramentum, Omnia hæc habentur in Pœnitentia.

R. P. TH. MLODZIANOWSKI Tom. 3. et 4. D. VI 6

R. P.
TH. MLOD
ziankowski
Tom 3. et 4.
D. VI
6

R. P.
TH. MLOD
ziankowski
Tom. 3. & 4.
D. VI
6



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


TOM III ET IV
Th
887a


Zianowski
Tom. 3. et 4.
D. VI
6